M. TVLLI CICERONIS

DE

OFFICIIS

LIBRI TRES

AD PROBATISSIMORVM QVORVMQVE
EXEMPLARIVM FIDEM EMENDATI
ET CVM COMMENTARIIS EDITI

A

CAROLO BEIERO

PHIL. PROF. E. D. LIPS. ET REG. SAX. SEMINARII PHILOLOGICI
SODALI HONORARIO.

TOMVS I. LIBER I.

LIPSIAE
SVMPTIBVS STEINACKERI ET WAGNERI
MDCCCXX.

1861, Nov. 15.
Gray Fund.

$1.50

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE . MAXIMARVM . RERVM . SAPIENTIA
ET . REI . PVBLICAE . REGVNDAE . POTESTATE
LAVDEQVE
EXCELLENTISSIMO
PETRO . CAROLO . GVILIELMO
COMITI . AB . HOHENTHAL
DYNASTAE . REGIOPONTINO
POTENTISS . SAXONIAE . REGIS . IN . SACRO . CONSISTORIO
COMITI
IN . ORDINE . SAXONICO . VIRTVTIS . CIVICAE
PRIMVM . GRADVM . TENENTI . RELL . RELL.

HONESTATIS . VIVO . EXEMPLO
ATQVE . AVCTORI . OPTIMO
STVDIORVM . IN . REBVS . HONESTIS
ET . COGNITIONE . DIGNIS . POSITORVM
CONSTANTISSIMO . TVTORI
PATRONO . INDVLGENTISSIMO
SVMMA . OBSERVANTIA . AVGVSTE . VENERANDO

PARITER . PARITERQVE

VIRO

PERILLVSTRI

AVCTORITATEQVE . GRAVITATIS . ET . CONSILII

IN . RE . PVBLICA . REGVNDA

EXCELLENTISSIMO

HENRICO . VICTORI . AVGVSTO

L. B. A. FERBERO

POTENTISS . SAXONVM . REGI . A . CONSILIIS . INTIMIS

SENATVS . SACRI . ET . CONSISTORII . SVPREMI

IN . SAXONIA . PRAESIDI

ORDINIS . SAXONICI . VIRTVTIS . CIVICAE

PRAEFECTO . RELL . RELL.

CVM . GENERIS . DIGNITATISQVE . SPLENDORE

TVM . VITAE . IN . REBVS

HONESTIS . ATQVE . MAGNIS . PERSPECTAE

GLORIA . PRAENOBILISSIMO

SOLIDAE . DOCTRINAE . CONSERVATORI

IMMORTALITER . MERENTI

PATRONO . INDVLGENTISSIMO

OMNI . PIETATIS . CVLTV . PERREVERENTER

PROSEQVENDO

HOC . CICERONIS . ETIAM . POST . MORTEM . AD HOMINVM . VTILITATEM . SVAM . INTELLIGENTIAM PRVDENTIAMQVE . CONFERENTIS . OPVS . OTII ET . SOLITVDINIS . MVNVS

SVAQVE . STVDIA

EA. QVA. PAR. EST. VIRTVTVM. PRAEFVLGENTIVM ET. MERITORVM. SINGVLARIVM ADMIRATIONE . AC . VENERATIONE

D. D. D

DEVOTVS. EDITOR.

LECTORI BENEVOLO S. P.

Verecundatus diu sum studiorum meorum qualiumcumque documentum aliquod examini eruditorum atque iudicio subiicere: cum memorabile quiddam nec institui posset, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolvi. Adhuc autem difficilior Fortuna otio meo ad aliorum arbitrium abusa est. Alias enim vix unquam hanc commentandi viam rationemque tentassem; sed in philosophia potius maiori cum fructu elaborarem. Nondum tamen desperavimus, fore, ut haec ipsa Fortuna mortalis ab immortali natura superetur. Jam vero fato, nescio quo, in lucem protrudere coactus sum immaturum fetum tumultuariae opellae, prius publice promissum, quam inchoatus esset. Exeunte enim aestate superiori bibliopolae honestissimi mihi obtulerunt conditionem curandae novae editionis *librorum de officiis*, sed ita, ut sine mora prelo traderentur, cum Heusingerorum editio utraque tunc quidem in librariis frustra quaereretur. Ego vero cum nunquam antea ad hos libros intentiori cura tractandos animum applicassem, temeritatis crimen veritus, tamen deesse nolui virorum industriorum de his literis, quantum in ipsis esset,

bene merendi studio eo magis laudabili, cum antiquitatis classicae monumentorum editiones nunquam nimis multae prodire possint. Perfecto quidem editoris officio ut fungerer, nisi denegasset facultatis modulus, certe propter temporis angustias, quibus etiam impeditus sum, quo minus novum apparatum criticum colligerem, ea spes ne inchoari quidem potuit. Ab hac igitur arrogantia alienus, medium officium secutus, auctore nostro, ne incognitis rebus temere assentiamur, et tempus et diligentiam adhibendam, praecipiente, quantum temporis defuit, tantum diligentiae addidi et, typotheta quot diebus singulas non plagulas, sed paginas efflagitante, tamquam in aliquod pistrinum detrusus tantaque mole molestiarum pressus, nunquam tamen remisi curam observationum dote sic hanc editionem instruendi, ut ipsa adventum suum in lucem publicam quodam modo excusare posse videretur. Opus operosum si ex sententia successerit, bene erit opera posita; sin minus, aggrediemur alia. Judicium sit penes arbitros harum rerum peritos: quod omni, qua par est, reverentia accipiemus, sed, nobis aequum fore, speramus, si propter consilia quaedam calidiora aliquarumve annotatiuncularum, quae non aeque omnibus necessariae videbuntur, farraginem non ea ipsa, quae forte bonae frugis reperiantur inter viliora, fastidiosiores spreverint, ut fere ii solent, *qui omnia se simulant scire nec quidquam sciunt.*

Quod si in exemplis colligendis passim ambitiosior fuisse videar, hoc intelligendum puto, quaedam eius modi esse, ut rite diiudicari non queant, nisi ex synopsi: ut ea, quae de verbi substantivi positu atque ellipsi passim observavimus; de quibus ipsis

alios secus, nescio tamen, quam vere, statuentes cum viderem; verborum transponendorum temperantior fui nec quidquam mutavi, nisi fauente aut codicum auctoritate aut exemplorum consimilium caterva. In orthographia et interpunctione maxime constantiam servandam duximus. Sic non nullis placuit §. 1. forma *faciundum* et 19. *a rebus gerundis*: cum iidem boni editores servarint §. 12. ex. II. 40. pr. *ad rem gerendam* et III. §. 6. pr. *faciendum*. Nos ubique usitatiorem formam retinuimus cum Gernhardo; antiquiorem tamen in formulis solemnibus praeferendam censemus. Contra ubique recepimus contractam Genitivi in *—i* formam: quae servata est II. §. 57. ex. in ed. Graev. *Appi* et in Guelpherb. 1. 5. ed. Veneta 1498. Lipss. atque Anemoecii ibid. *Pompei*, III. 58. ex. in ead. Ven. et in Guelph. 1. *Pythi* et 62. pr. in eod. et in Nonii s. v. *Indicare* cod. Guelpherb. *Publi*. V. Ric. Bentlei. ad Terent. *Andr.* II. 1, 20. Heindorf ad II. *N. D.* 3, 9. pr. 8, 22. ex. et quae de Accusativis pluralis numeri in *—is* monuimus p. 205. s. Singularum autem lectionum et stribliginum steriles avenas ventilandi labor, praesertim in Cicerone, cuius Minervium et scribae et superioris aetatis editores in Augiae stabulum mutare certarunt, res videtur taedii et nauseae plenissima, ingrata certe plerisque lectoribus. Nam qui tali apparatu utuntur, ut emendationem tentent ipsi: his fere optimae quaeque editiones praesto sunt. Itaque lectionis varietatem ex his non repetii, nisi ubi aut proximi editores in ea indicanda fidem fefellissent aut disputare de lectione placeret propter VV. DD., qui proxime ante in his libris perpoliendis elaborarant, dissensionem. Interdum tacito aut Heu-

singeros redii, sicubi horum successores apertum errorem magis incuria quadam, quam consulto, propagassent. De quibus autem ab his, qui maxima valere censentur auctoritate, Triumviris, Heusingero, Gernhardo, Schützio recedere, quam in consentientium iudicio acquiescere, malui: semper rationem, cur id facerem, reddidi maximamque adhibui religionem in plena lectionis varietate indicanda: in quo eadem, quibus superiores usi sunt, retinuimus codicum MSS. signa, *Palat(inorum)* 1. et 2. (apud Gruterum), *Ox(oniensium* ap. Thomam Cockman), *Graev(ianorum)* 1. et 2., *Cur(iensis)*, *Goth(ani)*, *Vin(ariensis)* et *Gu(elpherbytanorum)* 5 ap. Heusingeros, λ, μ, ψ ap. *Gernh(ardum)* ex ed. Oxoniensi a. 1783. 4. itemque *exc(erptorum) Pith(oei)* in margine editionis *Gryph(ianae)* 1550. et Argentoratensis Lambini adscripta, quibus usus est Jo. Ge. Graevius, tum *Nonii (Marcelli)*, *Bedae (Venerabilis* in Opp. ed. Colon. Agripp. 1612. T. II. ubi inscribuntur *Sententiae ex Cicerone)*, *Ioannis Sarisberiensis* in *Policratico*, *Vincentii Bellovacensis* in *Speculo historiali*, Alberti de *Eyb* (in *Margarita poëtica* Basil. 1495.) nec non *ed(itionum) vet(erum) Magont(iacensis* 1465. per Fustium ac Schefferum) *Ven(etarum)*, *inc(ertae) s(ine) l(oco) et a(nno)* aliarumque ap. *Heus(ingeros)*. Reliquae notae nullam habebunt difficultatem.

Sed ut consuleretur Philotulliis quam plurimis, studuimus editionem hanc utilem reddere partim usui magistrorum scholasticorum, qui, multis iisque molestissimis negotiis districti, non repudiabunt rerum conspectum notabilium, in quibus eligendis corrigendisque suum sequantur iudicium et arbitrium,

partim privatis discentium studiis, qui et utilissimorum librorum, a nobis laudatorum, accipient notitiam et in dubiis rationum momentis ab utraque parte ponderandis cotem habebunt, in qua ingenii subtilitatem acuant.

Itaque, cum maiorum gentium philologi, ipsi sua ambrosia delectati, secundarias interpretandi partes fere agrestioribus Musis relinquant: ego quidem, mihi in his ipsis subsistere honestum fore, ratus, praecipuam rationem habendam duxi tum verborum explicandorum, tum rerum enarrandarum, praesertim cum Gernhard, nostrae memoriae laudatissimus horum librorum editor, in *Praefatione* p. XV. scripsisset: „*Qui in his Ciceronis libris edendis doctrinae quaerant uberiorem explicationem, cum huic parti Heusingeri parum consuluerint neque J. Facciolatus satisfecerit, ii, quod sentio, quam multa etiamnum desideraturi sint, meminerint consilii, quod Dan. Wyttenbachius dudum cepit edendorum quidem aliquando horum librorum ad eam rationem, ut emendatae lectioni superstruatur doctrinae interpretatio accuratior, ducta e fontibus veterum philosophorum.*" Cui promisso cum Wyttenbachius non magis satisfecerit, quam Panaetius id, quod de tertia exquirendi officii parte pollicitus fuerat, exsolvit: nos iam post viri obitum hanc relictam partem utcumque explere conati sumus. Duplex est autem officium eorum, qui veteres philosophos interpretantur, non modo, quid illi senserint, sed etiam, utrum recte an male senserint, explicandi: quod re ipsa coniunctissimum esse, cum philosophia perspicientia causarum contineatur, in hoc ipso posita, ut scias, idoneas esse causas, aut non idoneas,

peritissime monuit Ill. Hermannus, acutissimus idem et philosophus et philologus, ad Aristot. *artem poëticam* p. 197. Et nobis quidem hic finis videtur primarius, ut veritas eruatur, in veterum sapientiae monumentis penitus abdita, eorumque, quae nunc subtilius ac solertius edocentur, illic latentia reperiantur certe elementa. Cum vero antiqui de philosophia scriptores in multis ea, quae re coniuncta sunt, separaverint: non inutile ad perspiciendum universae compagis nexum fore arbitrati sumus, si colligeremus quasi Apsyrti membra, quae, tamquam Medea aliqua, ipsa vetustas Tomis disperserat. Nec vero sine causa factum intelliget attentior lector, si quae alicubi notavimus, quae ibi quidem requiri non videantur, ut ad §. 17. pr. de *philosophiae divisione* et 61. p. 141. de *rerum humanarum despicientia*. Illinc enim lucem mutuamur explicandae *sapientiae* descriptioni §. 153. Id ergo nobis propositum fuit coniuncta coniunctim exponentibus, copiosius, ut, vitatis sedulo repetitionibus, unam quamque rem in luce collocaremus quam clarissima. Contrahemus tamen, quantum fieri poterit, vela in Tomo altero, qui certe non amplioris voluminis, nulla mora interposita, sequetur, instructus indicibus.

Ceterum cum editorum nemo, *quem ad modum singulae huius operis partes inter se cohaererent, quaeve totius descriptio esset,* docuerit; *Francisci* autem *Binkes Analysis*, ab Academia L. B. praemio et laude ornata, tirunculi rudimentum sit (quod ne iniquius dictum existimes, vide, sodes, instar omnium, quae p. 45. ex. notavimus): placuit, quam horum *Cic. de Off. librorum trium ad faciliorem eorum intelligentiam in brevi conspectu posuit Rud.*

Gotthold Rath (1803.), hanc, Batavo illi ne cognitam quidem, nostrae editioni accommodare sic, ut tabulas, in quibus ille Heusingeri editionem secutus fuerat, compendii causa a lineis revocaremus ad numeros et literas, multis partim propter hanc ipsam rem necessariis mutationibus factis. Ex hac enim descriptione, quam Epitomator, ut ipse ait, non sine magna opera confecit, quam facillime perspici potest, *qua de re agatur; quo ordine expositae sint res; quem ad modum cohaereant inter se; quae divisio totius sit.* Quae quatuor, si semper ante oculos versantur, magnopere faciliorem libri cuiusque intelligentiam atque difficillimi cuiusque loci interpretationem adiuvant. Praetereaque ex eadem epitome discere est, quibusnam rebus Cicero immoratus sit, quas tractaverit subtiliter, quas neglexisse videatur, quas rerum notiones egregie dilucidarit, quae in eius mente obscurae fuisse videantur. Indidem apparet, quam absurda sit solennis capitum divisio et quem ad modum instituenda. Verum enim vero, ut hoc recte monuerit Rath, veriti tamen sumus, mutandis capitibus, ut quidam aliorum librorum editores pessimo exemplo, exsistere auctores confusionis futurae. Distinximus potius novas res diductis literis.

Inseruimus etiam alia quaedam memorabilia e libellis singularibus, quorum non omnibus ubique copia fore videretur, ipsis, qua tenus commodum fuit, auctorum verbis servatis. Non enim imitandam duximus eorum consuetudinem, qui, ne scilicet aliorum pedissequi viderentur, passim contraria retulerunt iis, quae apud ipsos auctores reperiuntur: quam illorum fraudem saepius notandi habuissemus causam. Praecipue vero hos commentarios quasi gemmis quibus-

dam ornavimus Hermanni observationibus, propositis in *Leipziger Literatur-Zeitungen* 1812. p. 12. s. Nec incommodum fuisset, plura, quae ad interpretationem facerent, e superioribus editionibus repetere, cum, qui notas inspiciunt, ut aliquid inde adjumenti petant, hi fere rarioribus editionibus destituantur. Sed satis habui, utilissima quaeque, quae prae ceteris eleganter observata videbantur aut quibus, habebam, quae adderem, breviter commemorare, ut locus esset nostris copiis explicandis. Nescio, ecquid attulerimus, ut et de summa rerum et de singulis saepe multis nunc aliter, quam volgo solebat, iudicandum sit. Iure desiderabat Rath explanationem notionum difficiliorum, in his libris adhibitarum, earum in primis, quas Cicero *libris de Finibus bonorum et malorum* illustravit. Nam cum in his ipsis philosophiae fundamentum positum sit: statim *libri primi de officiis* exordium, monitum est, intelligi non posse, nisi ab eo, qui veterum philosophorum de summo bono sententias penitus perspexerit. In his multisque aliis superiores editiones lectorem destituunt vel potius ab ipso primo limine in caliginosam noctem praecipitant. Quippe plerique interpretes in philosophi verbis haeserunt aut, de re ipsa disputantes, ut Garve, subtilissimo ille acumine saepe admirabilis, multa tamen mirati sunt propterea, quod Stoicae philosophiae rationem et formulam non satis perspectam habebant: ut passim non removerint, sed auxerint difficultates. Vix enim veteris philosophiae paullo peritior sine risu legere potuerit talia: *„Ciceronem non tam quaestionem de officiis instituere voluisse, quam vitae conformandae praecepta filio tradere,“* et quas alias dubitationes peperit veritatis ignoratio.

Verum tamen, si qui, Veritatis latentis vestigia ambigua persecuti, praeter spem in errores inciderunt, hos non modo non vituperandos, sed propter arduae rei conamen pro merito etiam dilaudandos semper censuimus, quod, ne prolapsionis quidem periculo deterriti, lubricam viam ingredi ausi sunt. Invitis *autem* nobis non nunquam veniendum fuit ad severius castigandi genus, cum obversaretur animo maesta Tullii imago, conquerentis de editorum quorundam dissoluta arrogantia, negligentium, quid de se quisque sentiat. Hanc increpare si cuius de literarum incremento aut detrimento securi stultiloquentia vetet: haud sane se intelligere, quaenam huic maior humanitas ac comitas videri possit, quam asinorum, asinos fricantium. His fere rationibus motus notavi p. 240. 243. n. 2. 310. pr. et saepe alibi errores, quibus partim horribilibus et vix credibilibus inquinatissima est Degenii editio, nuper demum adeo iterata. Quam mallem, laudare potuissem! Sed subinde V. S. Rev. discendi cupidos invitat, ut, invento frumento, glandibus pascantur, et *ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum:* quae Ciceronis verba §. 12. Rath non incommode ad volgus interpretum transtulit. Eo gratior nobis acceptiorque fuit quaevis opportunitas suffragandi antecessorum aliorumque VV. DD. de scriptore nostro quacumque demum ratione bene meritorum laudi. Namque ab obtrectandi studio tam longe absum, quam qui longissime. Sed satius esse duxi, ubique meo qualicumque iudicio stare, quam auctoritatibus fidem habere, quamvis spectabilibus. Aliter enim teneri non potest, si quae ad criticam

artem est facta progressio. Itaque cuius mihi cumque opinio improbabilis videretur: putavi, licere verum exquirere sine invidia. Sin acriorem mihi hyemem paraverim importunamque tempestatem conciverim: nunquam tamen poenitebit; modo Veritas clarius elucescat. Propterea aliorum dissensiones argumentis firmari velim, ut tandem res ad liquidum perducatur. Addubitare enim res omnium facillima est; sed idoneis argumentis evincere, doctorum hominum est. Si qui veriora docuerit: correctione gaudebimus.

CONSPECTVS RERVM LIBRI I.

I. Prolegomena c. 3 — 5. Omnis de officio duplex est quaestio:

1) unum genus est, quod pertinet ad summum bonum: a quo ducuntur officia perfecta (*quae ad sapientiam referuntur*); [*neque vero communia: quae Rath perverse ad hoc primum genus traxit.*]

2) alterum positum est in praeceptis, quae ad institutionem vitae communis pertinent: a quo ducuntur officia communia. Commune autem officium est id, quod, cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Quod ut possit fieri, *deliberatio* antecedat necesse est. Haec est triplex: cadit enim

A) vel in rationem honesti (l. I.);

B) vel in rationem utilitatis (l. II.);

C) tertium dubitandi genus est, cum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile (lib. III.).

NB. ad A) Vt vero intelligatur, ex quo confletur honestum, videndum est (c. 4.):

a) quid commune animantium omnium sit,

b) quid hominis sit proprium. In primis est hominis propria

α) ratio, cuius vi natura hominem conciliat homini ad vitae societatem;

β) deinde veri cognitio; cui adiuncta est

γ) appetitio quaedam principatus;

δ) denique unus homo sentit, quid deceat.

A quatuor his [*quae cuncta rationis sunt propria non minus, quam communitas ista sub a) commemorata*] quatuor ducuntur virtutes (c. 5.):
- a) prudentia, quae in veri cognitione posita est (c. 6.);
- b) justitia et benificentia, quibus vitae societas continetur (c. 7—18.);
- c) magnitudo animi, quae ex appetitione principatus exsistit [*partim etiam e cura tuendi eos, quos quisque caros habeat: quae cura* §. 13. *dicitur exsuscitare animos et maiores ad rem gerendam facere*] (c. 19—26.);
- d) temperantia et modestia (c. 27— 42.).
- *Additur comparatio virtutum (c. 43—45.).

II. Virtutes duae sunt, quibus societas hominum inter ipsos continetur (c. 7 — 18.), 1) iustitia (c. 7 — 13.); 2) beneficentia (c. 14 — 18.).

A) Primum de iustitia ipsa (c. 7. §. 20—23.), cuius primum munus est,
- a) ut ne cui quis noceat (§. 20.);
- b) ut suum cuique tribuat (§. 20 — 22. De privatis, quae sunt aut vetere occupatione aut victoria aut lege, pactione, conditione, sorte).
- c) ut fidem servet (§. 23.).

B) Deinceps de iniustitia (7, 23 — 9, 30.), cuius genera duo sunt: a) unum eorum, qui inferunt iniuriam (7, 23. et c. 8.) b) alterum eorum, qui, si possunt, illatam non propulsant (7, 23. et c. 9.).
- a) Iniuriae nocendi causa illatae proficiscuntur
  - α) saepe a metu, β) plerumque a pecuniae cupiditate (7, 24.), γ) a cupiditate honorum, cet. (8, 26.)
  - NB. ad β) Expetuntur autem divitiae cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates (8, 24., 25.), tum ad opes et gratificandi facultatem (25, 26.).
  - *Additur regula, qua cui culpa imputanda sit (8, 27.).
- b) Deseritur autem officium
  - α) aut quia inimicitias vel laborem vel sumptus suscipere nolunt (9, 28.);
  - β) aut etiam negligentia, pigritia, inertia;
  - γ) aut suis studiis quibusdam occupationibusve impediuntur,
    - a) vel discendi studio,
    - b) vel studio rei familiaris tuendae,
  - δ) aut odio quodam hominum (29.).
  - *Additur praeceptum (29. 30.).

C) Denique de veritate et fide, quae interdum deseri videtur, interdum vere deseritur (c. 10.).

III. Iustitia servanda est etiam
1) adversus eos, a quibus iniuriam acceperis (c. 11—13, 40.);
2) adversus infimos (13, 41.).
*Adduntur modi, quibus iniuria fiat.

NB. ad 1) Qui lacessunt A) vel privati sunt (11, 33.), B) vel hostes rei publ. (11, 34—13, 40.)

Volt autem iustitia ad officia bellica relata,
a) ut prius per disceptationem decertetur, quam per vim (11, 34.). — Est autem finis bellorum aut generalis (35.), aut huic subiectus (12, 38.);
b) ut victi conserventur iisque consulatur (11, 35.);
c) ut belli colatur aequitas, fetiali iure perscripta (36. 37.), quod iubet
α) ut aut rebus repetitis bellum geratur aut denunciatum ante sit et indictum (36.);
β) ut, qui miles non sit, nullum ius habeat cum hoste pugnandi (36. [37]).
* Obiter mansuetudo Romana probatur (12, 37.)
d) ut videatur, utrum bello imperii gloria proposita sit, an certamen sit capitis (12, 38. cf. 11, 35.);
e) ut fides servetur partim a duce (13, 39.), partim a singulis militibus.
[*Additur exemplum Romanae iustitiae (ab interpolatore 13, 40.)]

IV. De beneficentia ad fundamenta iustitiae relata (14—18, 60.). Tres vero loci cautionis sunt: videndum est enim
1) ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris (14, 42. 43.);
2) ne maior benignitas sit, quam facultates (44.);
3) ut pro dignitate cuique tribuatur. Quo in delectu spectandi sunt:

A) primum mores hominis (14, 45.), in quo vel leniores apparent virtutes, quae praeferendae sunt, vel fortis animus et magnus (14, 46.);
B) deinde aliorum erga nos animus ad benevolentiam (14, 45. et 15, 47.);
C) deinde officia ante collata (14, 45. et 15, 47—49.);
D) deinde varii societatis hominum gradus (14, 45. et 16—17, 57.);
E) denique indigentia (15, 49.) gradusque temporum (18, 59.).
* In delectu dignitatis vel haec omnia occurrunt, vel plures causae maioresque (14, 45.) (vel una); unde virtus quandam desiderat ratiocinationem, ut, quantum cuique debeatur, intelligas (18, 59. 60.).
NB. ad D) Est vero

a) *prima* societas universi generis humani, cuius vinculum est ratio et oratio (c. 16. Notantur duae leges §. 51.);
b) *secunda* est eiusdem gentis et nationis, cuius vinculum est lingua (17, 53.);
c) *tertia* eiusdem civitatis, cuius vinculum est iurium communitas et legum multarumque aliarum rerum;
d) *quarta* propinquorum, cuius vinculum benevolentia est et caritas multarumque rerum communitas (53 — 55.).

*Peculiare quoddam societatis genus est amicorum coniunctio (55. 56.).

Inde duplex oritur comparatio.

α) Si spectatur interna societatis indoles: praestantissima est amicorum societas, namque eam virtute metimur (ib.); grata est communitas mutuis beneficiis devinctorum, mutuis enim nititur commodis; gravissima est, quae cum re publica uni cuique est, nititur enim civis cuiusque officiis (57.).

β) Si gradus necessitudinum spectantur, ut ex earum comparatione appareat, quantum cuique debeatur: principes sunt patria et parentes; proximi liberi totaque domus; deinceps bene convenientes propinqui. Amicorum societas cum alia sit, alia erunt officia (58.).

V. Animi magnitudo et fortitudo virtutum splendidissima habetur maximeque laudatur (18, 61.). Sed ad iustitiae fundamenta referenda est (19, 62. 63.). Repetitur eius origo (64. 65.) [cf. 4, 13.]. Duabus vero rebus maxime cernitur (20, 66 — 69.), quarum

1) una est in quadam animi affectione, i. e. in humanarum rerum despicientia; quae duabus rebus cernitur

A) si et solum id, quod honestum sit, bonum iudices,

B) et liber sis ab animi perturbationibus a) a cupiditatibus pecuniae, gloriae, imperii, [*quas perperam Rath a perturbationibus distinxit*] b) a metu, c) ab aegritudine, d) a voluptate.

Ex hac despicientia rerum humanarum tranquillitas oritur animi (20, 69. 70. et c. 21.). Sed ea non vacuitatem solum a perturbationibus animi significat, sed in eadem continetur animus contentus, qui optata impetrat. Quae ut impetrent,

α) alii ad otium perfugiunt;

β) alii, iique potentiae cupidi, ad negotia publica. Horum fortitudo aut bellica est

aut urbana. Haec illa non inferior (c. 22. 23. 79. 80.), quod multis probari argumentis potest:

a) Multi enim bella quaerunt propter gloriae cupiditatem.

b) Multae exstant res urbanae maiores clarioresque, quam bellicae, [quod exemplis illustratur).

c) Bella consilio Senatus geruntur.

d) In fortitudinibus domesticis plus etiam, quam in militaribus, operae studiique ponendum.

e) Animi magnitudo animi efficitur, non corporis, viribus; tota enim posita est in animi cura et cogitatione; ergo cet.

f) Expetenda etiam magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo [cf. 11, 34.].

2) Altera magnanimitatis et fortitudinis pars cernitur in laboribus et periculis tum vitae, tum fortunarum, itaque omnino in rerum actionibus A) tum in asperis (23, 80 — 25.) B) tum in rebus prosperis (c. 26.),

A) Quid sit fortis animi, quid non sit in rebus asperis, i. e. in periculis adeundis et laboribus suscipiendis.

a) Pericula sunt maxime *ducum belli* [quibus praecipitur, quo animo esse debeant, quo non 23, 80 — 24, 83.]. Ipsae autem periculosae rerum actiones (24, 83. 84.)

α) partim iis sunt, qui eas suscipiunt, itemque alii de vita, alii de gloria et benevolentia civium in discrimen vocantur;

β) partim rei publicae.

* Additur, quid sit officii in suis et communibus periculis adeundis, idque exemplis illustratur.

b) Labores sunt eorum maxime, *qui rei publicae praesunt.* His praecipitur (c. 25.),

α) ut, obliti commodorum suorum, quaecumque agunt, ad communem referant utilitatem;

β) ut totum rei publicae corpus curent;

γ) ut exerceant placabilitatem, altitudinem animi, facilitatem, clementiam pariter ac severitatem iustitiamque in puniendis sontibus.

B) In rebus secundis autem (c. 26.) magni viri est

a) superbiam, fastidium, arrogantiam fugere;

b) aequabilitatem in omni vita retinere;

c) perspicere varietatem fortunae;
d) uti consilio amicorum nec assentatoribus patefacere aures.

* Comparatur animi magnitudo otiosorum et eorum, qui res publicas regunt.

VI. Decori descriptio duplex est (c. 27.):

1) et generale quoddam decorum est, quod in omni honestate versatur. Hoc decorum id est, quod consentaneum est hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differt;

2) et aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis, maxime autem ad moderationem et temperantiam.

Duplex hoc genus decori, quod illo decoro, quod poëtae sequuntur, illustrari potest, ducitur a persona communi, quam nobis Natura imposuit.

A) Ex illa iudicatur, quid deceat in dictis fatisque.

B) Ex illa nostrum esse colligitur, conservare naturam, seu huic personae convenienter vivere (c. 28.), quod
a) fit, — si appetitus rationi obediunt, quae obedientia moderatio dicitur;
b) non fit, — si appetitus relinquunt rationis obedientiam: unde fit, ut ab iis non modo animi perturbentur, sed etiam corpora (c. 29.).— Corporis voluptas parum est digna hominis praestantia (30, 105. 106.).

VII. Persona, qua induti sumus (c. 30 — 34.),

1) vel ea est, quam Natura nobis imposuit (c. 30. 31.);

A) una *communis* ex eo, quod omnes participes sumus rationis praestantiaeque ejus, qua antecellimus bestiis;

B) altera, quae proprie singulis est attributa; in animis enim exsistunt maximae varietates.

Quocirca faciendum est, ut contra universam naturam nihil contendamus; ea tamen conservata, propriam naturam sequamur.

2) vel ea, quam nobismet ipsi iudicio nostro accommodamus (c. 32, 33. de eligendo vitae genere);

3) vel ea, quam casus aliqui aut tempus imponit (c. 34.). Ex hac iudicandum est: quid deceat seniores et iuniores; quid magistratus et privatos; quid cives et peregrinos.

IIX. Decorum, in quo moderatio et temperantia apparet cum specie quadam liberali [ἐλευθεροπρέπεια, V. ad §. 141, p. 284.], positum est

1) in formositate atque ornatu ad actionem apto (c. 35 — 39.);

2) in tali ordine actionum, ut in vita omnia sint apta inter se et convenientia, seu in actionum concentu, de quo universim c. 40.

NB. ad 1) Formositas

A) in corporis humani structura cernitur, a qua ducitur *verecundia* (c. 35.);

B) in pulchritudine (c. 36.); cuius genera duo sunt:

a) in altero venustas est, quam muliebrem ducere debemus;

b) in altero *dignitas*, quae in viro est. Videndum est, quid a formae dignitate removendum sit; quid adhibendum.

C) in oratione (c. 37. 38). Vis orationis duplex est:

a) altera contentionis, — quae tribuitur disceptationibus iudiciorum, concionum, Senatus. Contentionis praecepta *rhetorum* sunt.

b) altera sermonis, — qui versatur in vita communi. Sermonis praecepta *philosophi* sunt. In quo, si, *quid deceat*, exquiritur [translata huc, ut videtur, cl. 4, 14., formositate],

α) cum vox spectanda est, — in qua duo sequamur, ut clara sit, ut suavis;

β) tum aliae sermonis virtutes, quibus reliquis probamur, maxime autem moderatio et temperantia (c. 37. 38.).

D) Denique exponitur, qualem hominis honorati et principis domum deceat esse (c. 39.).

NB. ad 2) Ab actionum concentu

A) alia multum discrepant,

B) alia parva videntur esse delicta (c. 41.): quo loco docetur partim, quibus ex rebus iudicandum sit, quid a decoro discrepet; partim, quas regulas sequi debeamus, ut caueamus, ne quid delinquatur.

C) Denique decorum aliquod atque indecorum in quaestibus versatur (c. 42.). Alii improbantur illiberalesque ac sordidi habentur; alii probantur et honesti sunt liberalesque, i. e. libero homine digni.

IX. Virtutum quatuor comparatio (c. 43. ss.). Placet, communitatem esse anteponendam

1) cognitioni; — idque argumentis probatur: primo, quod ducitur ab eo, quod ad beate vivendum non satis possit

sola cognitio (43, 153.), secundo a natura sapientiae (ib.), tertio ab optimi cuiusque iudicio et exemplo (43, 154. 155.), quarto a consuetudine sapientium, qui studiosos discendi erudiunt atque docent (44, 155. 156.), quinto ab ipsa natura hominum congregabili (157. 158.);

2) itemque fortitudini (44, 157.);

3) non item moderationi (45, 159.).

* [In ipsa communitate sunt gradus officiorum.] Summa totius dissertationis (161.).

M. TVLLI CICERONIS
DE
OFFICIIS
AD
MARCVM FILIVM
LIBER I.

I. Quamquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet 1

De officiis] inscripti hi libri memorantur Suetonio in *Jul. Caes.* c. 30 extr. Gellio XIII. 26 pr. Lactantio VI. 2, 15. qui tamen varians 11, 9. et 18, 15. *officiales libros* citat; Lampridio in *Alex. Sever.* c. 30. Festo, Nonio, aliis Grammaticis. Ne Graecis quidem, qui fere περὶ τοῦ καθήκοντος inscripsere, inusitatum περὶ καθηκόντων, videre licet in Luciani *Hermotimo* §. 82 ex. Eaque inscriptio nostro auctori *plenior* videtur (*ad Attic.* XVI. *ep.* 11. §. 2. cl. *ep.* 14.) ideo, quod in *viro bono* his libris fingendo talem informarat rem, *quae innumerabilibus officiis* (i. e. probabilibus factis, vid. §. 8 ex.) *et laudibus contineretur.* Vid. III, 77. Accedit, quod iam Majoragius et Griffolus contra Caelii Calcagnini *disquisitionem l.* monuerunt, cum omne genus hominum his libris comprehenderit auctor (§. 4 ex.) et officii sui singulos, quorum omnium esset dissimilis vitae ratio, admonuerit (§. 122 — 125. et *omnia persequi* voluerit 138. in.) necesse fuisse, ut *de officiis* inscriberet: quod eodem modo factum videmus ab ejus imitatore Div. Ambrosio, qui de off. tres libros scripsit a. 391. cf. Alciatus *Parergon Juris* X. 16.

C. I. *Marce fili*] Hic a. V. c. 708. Caesare III. dictatore, Athenas profectus erat. (*Ad Attic.* XII. *ep.* 32, 2. *ep.* 52. pr.) *Annuum tempus* iam Kal. April. a. 709. confectum, testatur pater ibid. XV. ep. 15. Ergo hi libri scripti a. 709. P. Cornelio Dolabella, M. Antonio COSS. Librum III.

praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum,

---

extremo demum anno perfecit auctor, *a republica armis vique* prohibitus Antonii (III. §. 1. ex.), evolgata iam oratione Philippica II. (*Ad Attic.* XVI. 11. in.)

Cratippum] ipsi Aristoteli et principibus Peripateticorum comparat II. §. 8 ex. cf. III. §. 5. 6. Laudat hunc suum praeceptorem ipse M. filius L. XVI. *ad familiar. ep.* 21. §. 6.

praeceptis institutisque ph.] Haec secus, quam oportuit, distinguuntur Mich. Heusingero et Hottingero. *Instituta ph.* sunt exercitia in philosophia tractanda, explicanda aliisque tradenda. Celebratur enim ratio, qua philosophiae magistri, prae primis Peripatetici, usi, juvenes discendi cupidos exercitabant, familiariter cum iis conversantes, ut ingenia eorum acuerent scientiaque philosophandi instruerent. *Lael.* 4, 2. *Brutus* 31, 119 extr. Eodemque modo Peripateticorum *scripta et instituta* distinguuntur *Fin.* V. 3, 7. *Exempla* quoque quae hic commendentur, certe Garvius non perspexit, nempe juvenum laudabili philosophandi studio concertantium. Auctor igitur hoc sibi volt: „Aliter non potuit, quin aemulatio tua incenderetur, cum Athenis, in literarum emporio, quo tamquam ad mercaturam bonarum artium tot juvenes discendi cupidi humanitatisque studia sectantes confluxerunt, horum συμφιλοσοφούντων et doctrinae eruditionisque aemulorum laudabilia exempla intuerere.“ Hanc quidem interpretationem meminimus placere Hermanno, Magnifico viro.

ad meam utilitatem] i. e. cum mea utilitate, hujus quidem exercitii in me saltem ipso expertus utilitatem: nam fructum inde percepi, cujus non poeniteat; sed, idem hoc omnibus quibusque tantumdem profuturum, contendere non ausim: — De Cic. patris exercitationibus cf. *Brutus* 90, 309. ss.; de filii, patrem aemulantis, *L. XVI. ad famil. ep.* 21, 8 — 11.

idem tibi censeo faciendum, ut] In nonnullis codd. legitur *id*, quam lectionem probat Goerenz ad *Leg.* II. 6, 14. atque iterum ad *Fin.* II. §. 35. ex. c. 12. in. pleonasmum observans ibi in vv. *fecisset id, ut* etc.; licet, nulla lectionis varietate notata, ceciderit *idem, ut.* Sed eum locum cum neque Goerenz neque Schütz satis commode

ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attuli-

---

expediverit, tentabimus vindicare, sic distinguentes: *Epicurus autem cum in prima commendatione voluptatem dixisset: si eam, quam Aristippus; idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille: sin eam, quam Hieronymus; fecisset idem* (scil. quod Hieronymus), *ut voluptatem illam, non Aristippi*, (i. e. non Aristippi, *sed* illam) *in prima commendatione poneret.* Hic autem recte vidit Gernhard, *id* quid sit, non declarari verbis seqq., sed referri ad superiora *ut ipse* etc. per gratam quamdam negligentiam et suavem sermonis familiaris imitationem, ut cohoereant: *quod ipse feci, idem* etc. Apposite et ad h. l. et in *Excursu* p. 447. comparat §. 16. *Ut ... quisque ... quique .. is*, ubi demonstrativum, a superiori particula *ut* longius remotum, proximo pronomini relativo respondet. Vitandae repetitionis causa sic post protasin, non eadem dictionis forma geminatam, una pro duplici adjicitur apodosis, eaque ad posteriorem protasin accommodata. *Id*, cum efficacia praemissum, hanc sententiae adderet vim: *prae primis commendo tibi id curandum.* — Ut statim ante *feci* per pleonasmum quendam additum et ad sensus perspicuitatem et ad numerorum elegantiam: sic, quae sequuntur, non nisi explicationis causa, invitante totius complexionis elegantia, sunt addita, *ut par sis in utriusque* (et popularis et eruditae) *orationis facultate* h. e. *in arte et dicendi et disserendi.* Ac. I. 2, 5. Quemadmodum nobis, inquit, contigit, ut in utroque elaboraremus et in illo forensi dicendi et in hoc quieto disputandi genere: tibi quoque censeo et genus illud forense dicendi tractandum et hoc quoque colendum aequabile et temperatum disserendi genus (§. 3. 4.), ut par sis tum gravitate et copia dicendi, tum subtilitate, possisque in rebus a civilibus controversiis remotissimis; quibus de rebus jejune quidam et exiliter disputant ob eam rem; quod non habent hanc dicendi in arte aliena facultatem, eloquens et in dicendo suavis atque ornatus esse (*de orat. I. c.* 11 ex.): ut, Graecis institutionibus eruditus, ea, quae didiceris, etiam cum civibus tuis communicare possis (*de Nat. Deor.* I. 4, 8.) et meo exemplo philosophiam in forum atque in ipsam aciem paene deducere (*L. XV. ad fam. ep.* 4, 44.). Vid. omnino *praefat. ad paradox.* §. 6. s. (al. §. 3. s.) *Ego ... illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio ipsi Stoici probant, tentare volui, possentne proferri in lucem et ita dici, ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio*; cf. *Orator* 7, 22. ubi in *Latinis talis oratoris simulacrum reperiri negat.*

Quam quidem ad rem] i. e. ad ea, quae a Graecis disseruntur, Latine dicenda, ut, qui locos graves ex philo-

mus adiumentum hominibus nostris: ut non modo Graecarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos et ad dicendum et ad iu-
2 dicandum. Quam ob rem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum, et disces, quamdiu voles (tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit); sed tamen nostra

---

sophia tractare voluerit, abhorrentes ab oratorio dicendi genere atque a forensi usu et publico, adhibitis oratoriis ornamentis dicendo consequatur tamen, ut exsplendescant oratione et tamquam excolantur populoque illa probabilia videantur (*Paradox.* §. 1.) — Urbana quadam modestia addit Romanae eloquentiae princeps, *ut videmur*, sc. *nobis* i. e. nisi fallor, si talia de me sentire mihi liceat, si recte ita de me sentio cf. §. 2. ex. II. §. 5. pr. *N. D.* I. 4, 8. ex. *Fin.* II. 5, 15. *cum Graece, ut videor, luculenter sciam.* Sic *videmur* et *videor* pro *existumamus, puto* saepe cum infinitivo, *Catil.* I. 1, 2. *Fin.* IV. §. 5. c. 2. ex. *N. D.* I. 21, 58. II. 61, 153. in primis *videor videre, cernere, intueri* etc. *Lael.* 12, 7. Plin. *Panegyr.* 17. in. *ep.* L. X. 69, 1. Virgil. *Aen.* XII. 910.

docti] scil. *qui illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffiderent*, *N. D.* I. 2, 8. quae ibi scripsit auctor: *Iam facile sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commoverim*, ex iis lucem accipiunt, quae hic adjiciuntur *et* (docti) *ad dicendum et* (Grr. litt. rudes) *ad judicandum* i. e. non modo ad rerum tam gravium tamque praeclararum, quas nostris hominibus explicandas putavi, scientiam, sed etiam ad Latine dicendum, quum eae nunc quidem Latinis etiam literis contineantur.

§. 2. *disces tu quidem — et disces*] Graviter idem verbum, interjecta copula, iteratur, ut 95. *Pertinet quidem ..., et ita pertinet, ut* etc. *Verr.* III. 65, 152 pr. *Tenetur — et manifesto tenetur*, *Catil.* I. 2, 4. *Vivis, et vivis ... ad confirmandam audaciam.* Ib. §. 6. *vives, et vives ita, ut nunc vivis. Muren.* 26, 53. *petisset diligenter, et ita petisset, ut* etc. Adde, quae indigitat Meineri *Uebersicht aller ... lat. .. Partikeln* (Cizae 1807.) p. 131.

tamdiu — poenitebit] Haec vv., quae volgo ut apodosis sententiam finiunt, tanquam parenthesin separavimus, propterea, quod cohaerent opposita: *disces tu quidem a* Cratippo; *sed tamen nostra legens* etc. ut II. §. 8. ex. III. §. 5. ex. Quae L. III. extr. verbis *tribues his temporis,*

legens, non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique et Socratici et Platonici esse volumus, de rebus ipsis utêre tuo iudicio (nihil enim impedio), orationem autem Latinam efficies profecto legendis

---

quantum poteris adjiciuntur: *poteris autem, quantum voles*, ea, nisi clausulam facerent, item parentheseos signis essent includenda, cujus propria est ejusdem verbi cum particula *autem* iteratio, e. c. §§. 18. ex. 120. III. §. 25. *Famil.* III. *ep.* 2, 3. VI. *ep.* 5. in. *Fin.* IV. 25, 69. in.

utrique] Et nostra Academia nova et vestri Peripatetici eadem fere dictitamus, quae consensio inde venit, quod utrorumque disciplina ex eadem stirpe oriunda atque ex communi fonte est hausta. Academiae novae ratio a *Socrate* repetitur *N. D.* I. 5, 11. *L. II. de divin.* ex. *Tusc. Q.* V. 4, 11. *Fin.* II. 1, 2. Inde ibid. §. 1. *Socrates, qui parens philosophiae iure dici potest*, nempe *verae*, quae Academiae propria vindicatur, non, ut opinatur Goerenz, *philosophiae morum.* Ex Antiochi autem Ascalonitae, qui Stoica cum Academicis et Peripateticis in unam disciplinam conflarat, sententia *Peripatetici quondam iidem erant, qui Academici* veteres (infra III. §. 20. cll. *Leg.* I. 13, 38. *Fin.* IV. 3, 5.) *et utrisque hic bonorum finis, adipisci, quae essent prima naturâ, aut omnia aut maxima* (*Acad.* I. 6, 22. cl. 4, 17. s.). Ceterum *utrique* illi volebant *esse et Socratici et Platonici.* Plato enim Sacraticus est Academiae princeps. Idcirco gemina illi conjunctione distinguuntur. Nam aliae quoque erant Socraticorum familiae eaeque totae in officii praeceptis tradendis, quibus in omnes partes usus vitae communis conformari posset: quo spectant *Socraticae chartae* apud Horatium *A. P.* 310. ss.

utere] Haec deponentium forma futuri Ciceroni solennis III. ex. restituenda *Catil.* I. 11, 27. (39.) e tribus primariae fidei codd. et ed. Ven. 1. *patiere* pro volg. *patieris.* En enim ibid. 1, 1. *abutere* . 7, 17. ex. (27.) *verebere, sequere* . 10, 26. in. (37.) *perfruere, bacchabere. Verr.* IV. §. 25 ex. *interpretabere. pro Flacc.* c. 29 pr. *negotiabere. Famil.* X. *ep.* 14. ex. *consequere. Fin.* IV. 25, 69 ex. *nunquam angere. Parad.* VI. 2, 2. *assequere.* Quemadmodum autem hic ad verba *nihil enim impedio*, nude posita, ex antecedd. intelligitur, *quo minus de rebus ipsis tuo utare iudicio*: sic etiam *Catil.* I. 11, 28 in. ad vv. *Quid tandem impedit te?* e proxime praecedd. cogitandum, *ut auctorem sceleris supplicio mactari imperes*, et pron. *te*, quod duo codd. verbo praemittunt, propter instabilem sedem e contextu per se satis claro ejiciendum, ut v. *impedit*, interrogationis vi notandum, gravius cadat. Sub proximis omnes interpretes hunc sensum subesse putant: *orationem autem La-*

nostris pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte,

---

tinam *non dubito quin legendis nostris efficere possis pleniorem.* At vero ut praecedens *utere* urbane dicitur pro *veniam habes, ut utare:* sic haec etiam accipienda pro, *orationem autem Latinam magnopere te hortor ne tibi desis legendis nostris efficere pleniorem neque de iudicio meo iudices, si meam velis gratiam: sic volo, sic iubeo.* Latuit nimirum interpretes vis adverbii, *profecto, auf jeden Fall, hac certe in re ut te ad auctoritatem meam accommodes, exspecto.* Cf. Plauti *Curcul.* III. 55. s. *Quod istic scriptum est, id te orare, jusserat, Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.* Placet igitur patri, ut filius de sententiarum veritate iudicet *inter legendum*, et, sicubi videatur Peripateticae disciplinae addicto, a patre dissentiat (III. §. 33. quamquam interdum Peripateticam formulam labefactare conatur §. 89. III. §. 20.): orationis autem Latinae excolendae adjumentum adhibere sibi non desit patris libros eosque studiose *legat*. Itaque, sensu postulante, codicum MSS. et vett. edd. fide eum recepi verborum ordinem, quem se reposuisse in notulis ait Schütz, licet ipse ediderit, quod nullo in libro exstat: *profecto efficies.* Volgo: *profecto leg. nostr. efficies pl.*

Nec vero arroganter hoc dictum] *Certe satis constat, contendere eum (Ciceronem) cum ipso histrione* (Roscio) *solitum, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiae copiam sermone diverso pronunciaret.* Macrob. *sat.* II. 10. Rite igitur Plinius VII. c. 30. ex. §. 31. *Salve . . . facundiae Latiarumque literarum parens: atque (ut dictator Caesar, hostis quondam tuus, de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte majorem: quanto plus est, ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam imperii, reliquis animi bonis.*

ph. scientiam concedens multis] i. e. relinquens, vel, ut in Persii *prolog.* 5., *remittens.* Sic §. 71. *rei publicae administrandae potestatem aliis laudemque concedere.* Cf. 129. *Ad Famil.* IX. *ep.* 6. §. 11. ex. et Schützii *Lex. Cic.* s. v. *concedo b*) 1. Opponitur hic *mihi assumo* et *vindico*. Celebratur quidem Macrobio L. I. *in somn. Scip.* c. 17. ex. *Tullius nullius sectae inscius veteribus approbatae;* sed hic se privat laude scientiae nova inveniendi in philosophia.

quod est oraptoris prorium] Sic *de orat.* I. 11, 49 ex. *Oratio quidem ipsa propria est huius unius rationis* i. e. studii. Ib. 12, 54 pr. Cf. infra §§. 6. 13. pr. 34. 64. *Acad.* II. 22, 69. In primis *proprium* substantive sic cum

**distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio aeta-
tem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo
iure quodam modo vindicare. Quam ob rem magno- 3
pere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes
meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui iam
illis fere aequarunt, studiose legas. Vis enim ma-**

Genitivo III. 100 in. *Catil.* I. 5, 12. in. *Tusc. Q.* III. c. 30. Alia vide, sis, in Schelleri *Observat.* p. 225. Eodem modo *commune* §. 11.

apte, distincte, ornate] Adjicitur volgo copula *que*, quam Heusinger optimorum libb. consensu sustulerat. In trimembri synathroesmo solennis *articulus* (IIII. *ad Heren.* 19, 27) ut *de orat.* I. 11, 48. ex. *oratoris nihil vis esse, nisi c o m p o s i t e, o r n a t e, c o p i o s e eloqui*, in *oratore* 28, 99. in. *gravis, acer, ardens. Tusc. Q.* I. c. 4. in. *vir summo i n g e n i o, s c i e n t i a, c o p i a.* Quinctil. *Instit.* X. 7. p. 257. ed. Bip. *Mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui d i s p o s i t e, o r n a t e, c o p i o s e dicit.*

si id mihi assumo, videor i d etc.] Multifariam *id* pronomen iterandi rationem Ciceronis exemplis illustrat *Bremi* ad c. XVI. *de fato* p. 64. — *quodam modo* modestiae inservit. F. Hensinger comparat *de orat.* I. 10, 42. *s u o i u r e p h y s i c i v i n d i c a r e n t.* Adde infra §. 22. *ortus nostri partem patria v i n d i c a t.*

§. 3, *magnopere*] Recentiores e cod. Guelph. 1. vel potius Gud. 2. ediderunt *magno opere.* Sed hic codex eas voces ubique dirimit, e. c. *Fin.* IV. 28, 79 ex. *quos quidem* (philosophos) *tibi studiose et diligenter tractandos, m a g n o o p e r e censeo:* ubi tamen Goerenz ita, ut par erat, *magnopere* defendit ex *Leg.* I. 20, 53.

qui iam illis fere aequarunt] scil. *numero:* quo diligenter inito, orationes genuinas quidem illas, numeratis etiam illis, quae nuperrime demum innotuerunt editore Majo, Cicero tunc quidem scriptas evolgarat LXVIII; libros autem rhetoricos et philosophicos, quos ipse, sed non plene, praefatione ad L. II. *de divin.* recenset, LI. in quo numero, a quo paullum divergit Corradi computus in *Quaestura* p. 269. s., hi *de officiis* comprehensi sunt. cf. *orator* 46, 148 ex. *quae si erunt perfectae, profecto forensibus nostris etiam domesticae literae respondebunt.* Sed Schützium puto vidisse nescio quid, cum reduceret lectionem *i l l o s fere aeq.*, recte monente Facciolato, requiri potius *illas*, nempe *orationes.* Cum Dativo autem *aequare* ut neutrum verbum jungitur eodem modo, quo *respondere.*

ior in illis dicendi: sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Graecorum (adhuc) contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et

---

Apud Hirtium *L. VIII. de bello Gallico* c. 41. item *turris ..., non quidem quae moenibus* a e q u a r e t (pro volg. *adaequaretur*) ..., *sed quae superare fontis fastigium posset*, legit Fruterius *Verisimilium* I. X. in Gruteri *Lampad.* II. p. 822. cl. Pacuviano illo apud Gellium XIV. 1. ex. *Nam si qui, quae eventura sint, provideant:* a e q u i p e r e n t *Jovi*, et Catull. XXII. 11. *tantum abhorret ac* m u t a t (i. e. longe alius reperitur, quam antea videbatur): quam lectionem genuinam docte tuetur Handius elegantissimo *obss. critt. in Catull, specimine. Lips.* 1809. p. 78.

elaboraret] Olim legebatur: *laboraret*. Utriusque verbi discrimen accurate enucleavit Gernhard ad *Cat. Maj.* 7, 24. sic, ut in v. *l a b o r a r e* ad primam *virium in aliquo opere exercendarum* notionem accedat in aliis locis *molestiae* aut *frustrationis* cogitatio; unde facta ab agendo ad patiendum transgressione, in aliis locis sit *curare, sollicitum esse*, denique *malo vexari* in aliis; *e l a b o r a r e* adjunctum habeat aut fructus, quem in laborando spectes, aut finis, quem habiturus labor sit, significationem; esse igitur i. q. *laborare sic, ut res,* in qua vires expromas, *eventum suum habeat aut ad exitum perducatur, assiduo laborare, rem laborando subigere.* Comprehendamus igitur quaestionis summam credamusque, *l a b o r a r e* esse simpliciter *laborem in aliqua re collocare,* quod etiam frustra fieri potest; *e l a b o r a r e, laborem* in aliqua re *exhaurire, laborare usque ad finem, efficere aliquid labore, laborando aliquid assequi, non frustra laborare.* Etenim *e* praepos. in compositis indicat *emersionem* ex illa re, quam verbum simplex exprimit. Cf. 113. 116. *Quorum majores aliqua g l o r i a p r a e s t i t e r u n t, ii s t u d e n t plerumque eodem in genere laudis e x c e l l e r e ... In* eo autem (*ut, omissa imitatione majorum, suum quoddam institutum c o n s e q u a n t u r*) *plerumque e l a b o r a n t ii, qui m a g n a s i b i p r o p o n u n t, obscuris orti majoribus.* 133. *in omnibus igitur his e l a b o r a n d u m,* scil. usquedum facultatem aliquam consecutus fueris. *Topic.* 2, 6. *utriusque* (partis) *p r i n c e p s ... Aristoteles fuit. Stoici autem in altera e l a b o r a v e r u n t.* III. *de orat.* 33, 132 ex. de iis, qui *e x c e l l e r e sapientiae gloria* vellent: *ut alius aliam sibi partem, in qua e l a b o r a r e t, seponeret.* Itaque ibid. §. 135. legendum: *utroque in genere et elaboravit et praestitit*, pro eo, quod ed. Schütz, *laboravit.* Idem in *Lex. Cic.* s. v. *elaborare,* quae conjungenda erant, disjunxit.

illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus; nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in vtroque profecerimus, aliorum sit iudicium: utrumque certe secuti sumus.
4 Equidem et Platonem existimo, si genus illud forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere, et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronunciare

---

sequereturque] ut mox: *utrumque certe secuti sumus*, et *N. D.* I. 5, 12. *Cujus rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me, non profiteor, secutum esse, prae me fero.* Ergo particula *que* est se corrigentis, et, quae hic adjiciuntur, his significari videtur, potuisse quidem nonnullos in utroque genere elaborare, si utrumque tractare voluissent, sed singulos uno tantum studio delectatos esse, altero relicto. Qua enim vi 68 ex. *ac potius*, alibi *potiusque* usurpatur, eandem vim habet *que* §§. 4 ex. 5. 22. 31. 64. 86. 89. 100. 106. *Fin.* II. 14, 47 ex. IV. 28, 79.

disputator subtilis] non, ut et Garve et Hottinger interpretati sunt, dicitur is, *qui acutissime perspicit, quid in re quaque verissimum sit*, sed, *qui res eruditas egregie explicare potest; scriptor politissimus, cujus oratio sedate placideque labitur*, ut ait Noster in *oratore* 27, 92. ubi suavitate in dicendo apud Graecos *Phalereum Demetrium* judicat praestitisse ceteris. Cf. *Leg.* III. 6, 14. *Brut.* 9, 37. Libros ejus rhetoricos, poëticos, historicos, politicos, philosophicos, admodum multos, quos omnes vetustas peredit, enumerat Diog. Laërt. V. 80. s. Vid. Excell. Krugii *Geschichte der Philosophie alter Zeit* §. 99. *n. f.*

§. 4. *genus illud forense*] Volgo ed. *genus forense.* Schütz, in adjecto vim esse sententiae videns, mutato ordine: *forense genus* contra libb. auctoritatem omnium. Codices bene multi omnesque edd. vett. inserunt *id:* in quo agnovimus *id*, compendium pronominis *illud*, quod addendum duximus. Ceterum, ne se nimis efferre omnibusque Graecis sese anteponere videretur Tullius, *utriusque orationis facultatem* (§. 1.) i. e. et subtilitatem et copiam tribuit Platoni (cf. *orator* 3, 10. 4, 12.), Demostheni (cf. ib. 7, 22. *Brut.* c. 31. ex.), Aristoteli et Theophrasto (cf. II. *de divin.* 1, 4. ubi vid. Davis.) et Isocrati.

ior in illis dicendi: sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Graecorum (adhuc) contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et

---

Apud Hirtium *L. VIII. de bello Gallico* c. 41. item *turris ..., non quidem quae moenibus aequaret* (pro volg. *adaequaretur*) ..., *sed quae superare fontis fastigium posset*, legit Fruterius *Verisimilium* I. X. in Gruteri *Lampad.* II. p. 822. cl. Pacuviano illo apud Gellium XIV. 1. ex. *Nam si qui, quae eventura sint, provideant: aequiperent Jovi*, et Catull. XXII. 11. *tantum abhorret ac mutat* (i. e. longe alius reperitur, quam antea videbatur): quam lectionem genuinam docte tuetur Handius elegantissimo *obss. critt. in Catull, specimine. Lips.* 1809. p. 78.

elaboraret] Olim legebatur: *laboraret*. Utriusque verbi discrimen accurate enucleavit Gernhard ad *Cat. Maj.* 7, 24. sic, ut in v. *laborare* ad primam *virium in aliquo opere exercendarum* notionem accedat in aliis locis *molestiae* aut *frustrationis* cogitatio; unde facta ab agendo ad patiendum transgressione, in aliis locis sit *curare, sollicitum esse*, denique *malo vexari* in aliis; *elaborare* adjunctum habeat aut fructus, quem in laborando spectes, aut finis, quem habiturus labor sit, significationem; esse igitur i. q. *laborare sic, ut res*, in qua vires expromas, *eventum suum habeat aut ad exitum perducatur, assiduo laborare, rem laborando subigere.* Comprehendamus igitur quaestionis summam credamusque, *laborare* esse simpliciter *laborem in aliqua re collocare*, quod etiam frustra fieri potest; *elaborare, laborem in aliqua re exhaurire, laborare usque ad finem, efficere aliquid labore, laborando aliquid assequi, non frustra laborare.* Etenim *e* praepos. in compositis indicat *emersionem* ex illa re, quam verbum simplex exprimit. Cf. 113. 116. *Quorum majores aliqua gloria praestiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere* ... *In* eo autem (*ut, omissa imitatione majorum, suum quoddam institutum consequantur*) *plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt, obscuris orti majoribus.* 133. *in omnibus igitur his elaborandum*, scil. usquedum facultatem aliquam consecutus fueris. *Topic.* 2, 6. *utriusque* (partis) *princeps ... Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt.* III. *de orat.* 33, 132 ex. de iis, qui *excellere sapientiae gloria* vellent: *ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret.* Itaque ibid. §. 135. legendum: *utroque in genere et elaboravit et praestitit*, pro eo, quod ed. Schütz, *laboravit.* Idem in *Lex. Cic.* s. v. *elaborare*, quae conjungenda erant, disjunxit.

illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus; nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium: utrumque certe secuti sumus.
Equidem et Platonem existimo, si genus illud fo- 4
rense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere, et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronunciare

---

sequereturque] ut mox: *utrumque certe secuti sumus*, et *N. D.* I. 5, 12. *Cujus rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me, non profiteor, secutum esse, prae me fero.* Ergo particula *que* est se corrigentis, et, quae hic adjiciuntur, his significari videtur, potuisse quidem nonnullos in utroque genere elaborare, si utrumque tractare voluissent, sed singulos uno tantum studio delectatos esse, altero relicto. Qua enim vi 68 ex. *ac potius*, alibi *potiusque* usurpatur, eandem vim habet *que* §§. 4 ex. 5. 22. 31. 64. 86. 89. 100. 106. *Fin.* II. 14, 47 ex. IV. 28, 79.

disputator subtilis] non, ut et Garve et Hottinger interpretati sunt, dicitur is, *qui acutissime perspicit, quid in re quaquo verissimum sit*, sed, *qui res eruditas egregie explicare potest; scriptor politissimus, cujus oratio sedate placideque labitur*, ut ait Noster in *oratore* 27, 92. ubi suavitate in dicendo apud Graecos *Phalereum Demetrium* judicat praestitisse ceteris. Cf. *Leg.* III. 6, 14. *Brut.* 9, 37. Libros ejus rhetoricos, poëticos, historicos, politicos, philosophicos, admodum multos, quos omnes vetustas peredit, enumerat Diog. Laërt. V. 80. s. Vid. Excell. Krugii *Geschichte der Philosophie alter Zeit* §. 99. *n. f.*

§. 4. *genus illud forense*] Volgo ed. *genus forense*. Schütz, in adjecto vim esse sententiae videns, mutato ordine: *forense genus* contra libb. auctoritatem omnium. Codices bene multi omnesque edd. vett. inserunt *id:* in quo agnovimus *id*, compendium pronominis *illud*, quod addendum duximus. Ceterum, ne se nimis efferre omnibusque Graecis sese anteponere videretur Tullius, *utriusque orationis facultatem* (§. 1.) i. e. et subtilitatem et copiam tribuit Platoni (cf. *orator* 3, 10. 4, 12.), Demostheni (cf. ib. 7, 22. *Brut.* c. 31. ex.), Aristoteli et Theophrasto (cf. II. *de divin.* 1, 4. ubi vid. Davis.) et Isocrati.

voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate iudico: quorum uterque, suo studio delectatus, contempsit alterum.

II. Sed cum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa posthac: ab eo ordiri volui maxime, quod et aetati tuae esset aptissimum et auctoritati meae. Nam cum multa sint in philosophia et grauia et utilia, accurate copioseque a philosophis disputata: latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque publicis neque priuatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque et colendo sita vitae est ho-

---

contempsit alterum] nempe Aristoteles oratorium studium, Isocrates philosophicum *reliquit* aliis ingeniis, *sprevit* et *repudiavit*, ut loquitur Cicero in *orat.* 4, 12. 13.

II. *ab eo ordiri*] Sic plerique codd. Sed novissimae editt. *exordiri*, quod est *ab aliquo principio detexere orationem.* Hic autem de eligendo primae scriptionis argumento agitur. Cf. *de divin.* II, 12, 28 pr. *Vt ordiar ab haruspicina.*

auctoritati meae] scil. paternae senis annum aetatis tertium et sexagesimum agentis. Opponitur enim *aetati tuae* scil. *juvenili*, cui hoc scribendi argumentum aptissimum iudicat pater III. §. 5. ex. Male Hottinger, Garvium secutus, *auctoritatem* intelligit de nomine et laude viri, qui egregiis factis inclaruisset, et ad vv. *scribere ad te* supplet *erudiendum*, cum potius valeant *nuncupare tibi.* Cf. XV. *ad Attic. ep.* 13. *τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus προσφωνοῦμενque Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? Deinde alia;* scil. *statui scribere ad eum.* Eadem promittit extremo L. III.

in eoque et colendo — et in negl.] Recte observat Gernhard, *et* duplicem usurpari in contrariorum comparatione. Cur igitur Schütz priori loco expunxit? Idem praeoptavit hunc verborum ordinem: *sita est vitae h.* Sed, ut etiam altero in membro iungi possit *vitae turpitudo omnis*, non obliteranda synchysis elegantia, qualis est in primis §. 11. verbis.

nestas omnis et in negligendo turpitudo. Atque haec 5 quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui, nullis offici praeceptis tradendis, philosophum se audeat dicere? Sed sunt nonnullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne pervertunt. — Nam

---

§. 5. *nullis offici praeceptis tradendis*] i. e. *licet nulla a se offici praecepta tradantur.* Vid. Matthiae ad *or. pro Murena* 8, 17. in. Dissimilia sunt, quae comparat Goerenz ad II. *Leg.* 5, 11. ex.

sunt nonnullae d., quae — pervertunt.] Indicativi usus in hac dicendi forma, observante Gernhardo, duplex est. Prior ratio est, si verbo substantivo aliquod subjectum adjungitur, ad quod pronomen referatur, ut hic *nonnullae disc.*, alibi *multi, multa, plurimi* etc. *Verr. L.* I. 22, 56. IV. 25, 56. *N. D.* II. 52, 130. *pro Sextio* 45, 96. vel *haec* I. *Invent.* 54, 103. de *orat.* I. 33, 152. in. Huc etiam pertinere videtur X. *ad Attic. ep.* 4. paullo a fin. *Sunt autem, quae praeterii*, ubi relativum membrum definite pro praedicato accipitur. In errore igitur versatur Scheller, qui in *Obss.* p. 10. s. in Grammaticae lat. copiosioris illius P. II. cap. I. sect. X. §. 5. *de modis* II. (B) 12. (a) (pag. 652. ed. III.) et in *Lexico* T. V. s. v. *sum* p. 10857. omnia miscens, his exemplis tantum tribuit, ut etiam in pedestri oratione post *sunt, qui* Indicativum poni simpliciter et pro *aliqui* vel *nonnulli nescio qui putant* per periphrasin dici posse opinetur: *sunt, qui putant* III. *Tusc. Q.* 31, 76. et *Invent.* c. 40 in. ubi miror, etiamnum a Schützio teneri *sunt autem, qui putant:* quemadmodum etiam Langius in Sallust. *Cat.* c. 17. tuetur *sunt, qui dicunt,* jure notatus ab intelligentiori arbitro in *Leipz. Literatur-Zeitungen* a, 1816. p. 206. Sed ne Goerenz quidem satisfacit, qui Conjunctivi usum ad regulam modo expositam restrinxerit *ad II. Acad.* 22, 70. p. 131. et *ad I. Fin.* 20, 70. Addenda est enim altera Indicativi ratio, si sequens verbum longius a pronomine relativo fuerit remotum, pluribus interjectis, quae ἀνακόλουθον excusare possint, ut 82. 84. ex. Hoc pacto adeo post *ut* sequitur Indicativus III. 45. Omnino autem distinguendus usus poëtarum, qui etiam in simplici forma Indicativum frequentant: quae res offendit intemperantem Conjunctivi amatorem Bauerum *ad Sanctii Minervam* I. p. 246. Sensus h. l. est: *Quaedam disciplinae eos bonorum et malorum fines constituunt, ut officium omne pervertatur. Finis* pro *extremo, ultimo, summo* dicitur novo modo a Cicerone (v. *de F.* III. 7, 26.) *B. et m. fines* sunt *notiones, ad quas et bonorum et malorum summa referatur* II. *Acad.* 42, 129. Ergo *finis summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum di-*

qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate, metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque ami-

---

stumque respiciat (ut ait Seneca *ep.* 95.) τὸ τέλος τῶν πρακτῶν, τὸ ἄριστον s. ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθόν est principium bene recteque vivendi, *quo omnia, quae recte fiant, referuntur, neque id ipsum usquam refertur*, *Fin.* II, 2, 5. cl. I. 9, 29. quo rite proposito tollitur ἄγνοια τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν, Antonin. II. 1. V. 12. Vid. Bardili in Hauffii *Philologia* P. II. p. 17. ss. et P. III. p. 49. *Finis bonorum apiscendi causa sunt facienda omnia* I. *Leg.* 20, 52. Idcirco *omnis ratio vitae definitione summi boni continetur; de qua qui dissident, de omni vitae ratione dissident*, II. Acad. 43, 132. Quippe *tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius*, II. *Fin.* 11, 35.

qui summum b. — metitur] i. e. *voluptarius*, *qui virtutem a summo bono segregat* v. *excludit* (ut *Fin.* III. 11, 36.) *potiusque* (cf. ad §. 3.) *id non ad honestatem, sed ad voluptatem utilitatemve refert* (III. 118 ex.). Sic *metiri* pro *aestumare* recurrit III. §. 12. et 18. pr. *Leg.* I. 14, 41. *Fin.* II. 15, 48. 18, 56. et apud Lactant. VI. 11, 12. ex. (ubi vid. Bünemanni nota) ibidemque §. 16. Ceterum philosophos ad unum omnes *beatam vitam* (εὐδαιμονίαν), quam alii aliis verbis innuant, proponere finem summi boni, modo quod aliqui non tam finem ipsum (σκόπος), quam rationem modumque ejus tenendi (τέλος i. e. τὸ τυχεῖν τῆς εὐδαιμονίας) summum bonum profiteantur, omnemque de beata vita esse dissensionem, erudite arguit Jo. Aug. H. Tittmann V. S. V. *de consensu philoss. vett. in summo bono definiendo* (Lips. a. 1793.) inde a pag. 13. quos uberrimi ingenii flores vernos admodum juvenis Patri Magnifico sacros esse voluit.

si — consentiat et non — vincatur, neque a. c. possit nec cet.] et mox §. 6. *si sibi consentaneae esse velint, ... nihil queant dicere*, optative pro *si — voluerint, ... nihil poterunt dicere*, ut *Catil.* III. 6, 15. *Quae supplicatio si cum ceteris supplicationibus conferatur, Quirites, hoc intersit.* Ibid. 9, 22. *Quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam et non sim ferendus.* Ita significatur autem, *non illos philosophos sibi constare* (cf. III. 117.); in altero loco, *supplicationem sibi decretam non comparandam ceteris;* in tertio, *se reipublicae statum non suo consilio, sed divino confirmatum putare* (cf. *I. ad Attic. ep.* 16, 3.). *Naturae bonitate* i. e. q. *Fin.* II. 15, 49 ex. *recta natura, cui obsisti non potest.*

citiam colere possit nec iustitiam nec liberalitatem; fortis vero, dolorem summum malum iudicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Quae quamquam ita 6
sint in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata. — Hae disciplinae igitur si sibi consentaneae esse velint, de officio nihil queant dicere: neque ulla officî praecepta firma, stabilia, coniuncta naturae, tradi possunt, nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime

---

§. 6. *alio loco*] *Fin.* II. 8, 23. ss. 15, 48. — 19, 62. 24, 78. ss. 35, 117. Atque etiam infra III. 116. ss. haec omnia copiosius disputantur.

esse velint] E codd. Guelphh. et ed. Gryph. volgo editur *velint esse*. Sed non erat obliterandus chiasmus reliquorum librorum, cum statim sequatur *queant dicere*. Vid. ad Heindorfi ed. *L.L. de N. D.* index noster: *Structuram eandem non statim iterari*.

stabilia] Cod. Ox. μ addit *certa*, quod idem foret ac *bene provisa et diligenter explorata* I. *Leg.* 13, 37. nisi glossa esset. *Conjuncta naturae* autem sunt *principia* universae naturae humanae ejusque principatui consentanea. Cf. *Acad.* II. 8, 24. *Perspicuum est, constitui necesse esse initium, quod sapientia, cum quid agere incipiat, sequatur, idque initium esse naturae accommodatum*, ubi male Goerenz *agere* explicat, *cum sapientia iudicando quid agressa sit*. Imo i. e. q. statim ante: *suscipere aliquam rem aut agere fidenter*.

aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime etc.] i. e. aut a *Stoicis*, aut ab *Academicis et Peripateticis*. Cf. III. §. 20. *Leg* I. 13, 37. s. *Acad.* II. 42, 132. *Fin.* II. 12, 38. At vero, ut egregie monet Lilie *de Stoicorum philosophia morali ad Cic. ll. de off. Comentat.* I. (*Altonae* 1800.) p. 28. s. cum utrique isti virtutem sine ulla vel praesentis vel speratae voluptatis utilitatisve mercede per se expetendam dicerent, neutri excluserunt honestissimam illam voluptatem, quam virtutis conscientia et constantis animi tranquillitas praestat: sed Stoici certe negabant, ad hoc sapientis gaudium dirigendam esse voluntatem. Fontem ejus, ipsam virtutem, sequi iubebant. Ut voluptatem corporis sequi nos vetant Stoici, quippe quae et sponte et impune oriatur, simul atque officiorum normae consentanei naturae satisfecerimus, sic animi illud gaudi-

honestatem propter se dicant expetendam. Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum: quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli iam pridem explosa sententia est: qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad offici inventio-

---

tum non regit, sed sequitur honestas actiones. Hoc bonae mentis gaudium est ἐπιγέννημα τοῦ ἀγαθοῦ, Arrian. III. 7. p. 382. Diog. Laërt. VII. 94. ex. Sunt ibid. §. 89. verba Cleanthis Stoici: τὴν ἀρετὴν δι' αὑτὴν εἶναι αἱρετήν, οὐ διά τινα φόβον ἢ ἐλπίδα ἤ τι τῶν ἔξωθεν, ἐν αὐτῇ τε εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν. Itaque Stoici, *quibus, praeter honestum, nihil est in bonis* (*Acad.* II. 44, 135. *Fin.* III. 6, 21. s. *Paradox.* I. Diog. Laërt. VII. 101.) virtutem solam commendabant ducem ad feliciter et absolute fortunate vivendum. Vid. *Tusc. Q.* L. V. *Paradox. II. Acad. I.* 10, 35. *Fin.* III. 7, 26. V. 79. Stobaeus *Ecl. Eth.* II. p. 138. Garvii Annotationes ad L. I. *de off.* p. 11 — 16. Tittmann l. l. p. 28 — 34. et Bened. Bendtsen *de* αὐταρκείᾳ τῆς ἀρετῆς πρὸς εὐδαιμονίαν. Hafniae 1811. 4. *Peripatetici* autem cum *Academicis* vett. beatam vitam totam sitam esse in potestate sapientis fatebantur, beatissimam negabant. Etenim corporis et externa fortunae commoda esse συμπληρωτικὰ τῆς κατὰ φύσιν τελειότητος ideoque *propter se expetenda*, sed praeponderari animi bonis i. e. honestate. III. §. 11. 35. *Acad.* II. 43, 134. *Tusc. Q.* V. c. 27. ex. *Fin.* II. 6, 19. 11, 34. V. 5, 12. (ubi cf. Goerenz.) 16, 44. ss. 24, 71. s. Dornfeld *de fine hominis Stoico.* (Lips. 1720. 4.) §. 6. Van Lennep *de libris Cic. de Finibus bb. et mm.* (Amstel. 1793.) cap. 4. Ceterum hos officiorum praeceptores Cicero quasi in medio loco collocat inter duo philosophorum genera, maximo intervallo remota, quorum alteri in corporis voluptate haerentes, ne locum quidem virtuti dent, alteri, quasi nihil praeter animum in homine videant, aditu ad vitam regendam, intercludant virtutem, observante Lilio p. 25. Nescio, cur Schütz reduxerit volgarium editionum lectionem; *ab his, qui maxime*, quae vitiosissima est, cum Cicero non Academicos aut Peripateticos, sed Stoicos sequatur. Solet autem sibi respondere *et ii — et ii*, e. c. *de divin.* I. 56, 127. Lael. 25, 3. ut *vel ei — vel ei* infra §. 32. in. *neque iis — neque iis* III. Fin. 18, 61. ubi v. Goerenz p. 359. s.

si rerum aliquem delectum reliquissent] nempe *primorum illorum naturae* (invitamentorum), *quae, sive secunda sive contraria, sub iudicium sapientis et delectum cadunt* (*Fin.* III. 18, 61. cl. 4, 12.) Et *Aristo* quidem, *Chius*, in *mediis ea momenta* (scil. *officiorum*, v. pro *Murena* 2, 3.)

nem aditus esset. Sequimur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non

---

quae Zeno voluit, (vide *Excurs.* ad §. 10. ex.) *nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri; quae* ἀδιαφορία *ab ipso dicitur.* **Pyrrho** *autem, ea ne sentire quidem sapientem; quae* ἀπάθεια *nominatur.* (Eandem fere vim habet Epicteti illud: μηδενὶ προσπάσχειν τῶν ἀλλοτρίων ap. Arrian. *diss.* II. 16, 27. s. quod ibid. IV. 4, 10. explicatur ἔχοντα πείθεσθαι τῷ θεῷ, τῶν δ' ἄλλων οὐδενὸς ἀντιποιεῖσθαι, *praeter voluntatem divinam reliqua omnia negligere.* Cf. apud Joan. *Evang.* XVI. ex. Christi vox: ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον et Paullus *ep. I. ad Corinth.* 15, 29. οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν pro ὑπὲρ τοῦ εἶναι νεκροὺς i. e. εἰς τὸ εἶναι ἀπαθεῖς τοῦ πειρασμοῦ, εἰς ὃν εἰσήνεγκε τὰ ἀδιάφορα, quippe, Stoicis apud Diog. Laërt. VII. 104. profitentibus, ὁρμῆς καὶ ἀφορμῆς κινητικά. Quae loci vexatissimi interpretatio firmatur gemino loco *Epist. ad Roman.* 6, 2. ss. de βαπτίσματι εἰς τὸν θάνατον. Idcirco ut religio, ita philosophia quoque recte dicitur *meditatio moriendi.* Vid. Macrobii *in Somnium Scipionis* L. I. c. 13. cl. infra ad §. 28.) De Pyrrhonis sententia v. Tennemanni *Geschichte der Philos.* Vol. II. p. 174. s. **Herillus** *autem, ad scientiam* (h. e. vitam sapientiae consentaneam) *omnia revocans, media* illa *non neglexit neque tamen ad finem summi boni retulit.* Vid. Goerenz ad I. *Leg.* 21, 55. *Acad.* II. 42, 130. *Fin.* IV. 15, 40. 16, 43. 25, 68. s. V. 25, 73. et 8, 23. ubi horum triumvirorum, qui *omnem consili capiendi causam inventionemque offici* (*medii* nempe, non *perfecti*; de quo vid. ad c. III. in. idque intelligitur e III. *Fin.* 17, 58. s.) maximeque *prudentiam* (*Fin.* III. 9, 31.) *sustulisse* atque ita *omnem vitam confudisse* videbantur, horum, inquam, *sententiae* dicuntur *explosae ejectaeque*: ut *Leg.* I. 13, 38. *iam fracta et convicta secta*, et *Fin.* II. 11, 35. ubi rectius quam h. l. suo ordine se excipiunt, *Pyrrho*, *Aristo*, *Herillus iam diu abjecti.* Etenim *iam pridem* (scil. *post Chrysippum*) *contra eos desitum est disputari* (Fin. II. 13, 43.); utpote *rejectos.* Quippe; amat enim profanum volgus splendidissimae cujusque virtutis fulgorem obfuscare et sublimia detrahere in pulverem! Cf. Gedikii liber: *M. T. Ciceronis historia philosophiae antiquae* p. 285. et Krugii *Geschichte der Ph. alter Zeit* §. 101. et pag. 330. s.

Sequimur] Haec est plurimorum libb. lectio eaque aptissima ad seq. *hoc quidem tempore.* Cf. III. §. 20. in. Schütz tacite revocavit *sequemur.* Sed hoc ad proxima facile cogitandum subauditur: *et sequemur hac in quaestione potissimum Stoicos.* Primus librum περὶ τοῦ καθήκοντος inscriptum edidisse videtur Zeno Cittieus (v. Diog. Laërt. VII. 4. 108.); deinde Cleanthes libros tres (ib. 175.); Chrysippus (v. Sext. Empir. III. *Pyrrh. hypot.* 25.), cujus

ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro, quantum, quoque modo videbitur, hauriemus.

7 Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panaetio praetermissum esse miror; omnis enim, quae ratione suscipitur, de aliqua re institutio

---

liber VI. et VII. citatur a Plutarcho *de Stoic. repugn.* (cf. Jonsius *de script. hist. philos.* II. 8. 2. p. 182.); Diogenes Babylonius et ejusdem auditor Antipater Tarsensis (III. §. 51. 91.) et hujus Panaetius atque hujus quoque discipuli, Hecato (III. §. 63. 89.), Posidonius, Ciceronis magister (§. 159. III. §. 8. XVI. *ad Attic. ep.* II. 2. citatus etiam a Plutarcho *de Stoic. repugn.* et a Diog. Laërt. VII. 121. ubi pro περὶ καθηκόντων corrigendum videtur περὶ καθήκοντος, e §. 129.) et Antipater Tyrius (II. §. 86.). M. Bruti quoque περὶ καθήκοντος librum laudant Seneca *epist.* 95. Charisius et Priscianus. Cur vero Cicero in hac quaestione potissimum Stoicos sibi eligat auctores, innuitur III. §. 20. Ibidem §. 7. ss. et XVI. *ad Attic.* ep. II, 2. profitetur, se primis duobus libris *Panaetium, correctione quadam adhibita,* potissimum secutum esse, qui tribus libris de officiis accuratissime disputasset: de tertio autem genere exquirendi officii, *si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quo modo ea discerni oporteret,* pollicitus esset, se deinceps; sed nihil scripsisset. Eosdem Panaetii libros praeter Gellium XIII. 16. et Ambrosium *de officiis* commemorat Apostolius prooemio *proverbiorum.* Videbatur auctori nostro, ut ad opinionem communem omnis accommodaretur oratio, *popularibus verbis agendum et usitatis, idque eodem modo fecerat Panaetius* (II. §. 35.). Hic enim reliquorum Stoicorum *tristitiam atque asperitatem fugiens, nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior* etc. *Fin.* IV. 28, 79. Cf. F. G. van Linden *diss. de Panaetio Rhodio.* Lugd. Bat. 1802. p. 59 et 86. ss.

non ut interpretes etc.] i. q. *Fin.* I. 2, 6. *Nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab his, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adjungimus.* . . . . .

§. 7. *ratione*] Praemissam volgo praepositionem *a* cum ed. Lipsiensi a. 1515. omisi et virgulam, a Schützio post vv. *de aliqua re* positam, ante haec vv. retraxi. Non admittitur hic prosopopoeia: *omnis, quam ratio suscipit, insti-*

tatio debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

III. Omnis de officio duplex est quaestio. Vnum genus est, quod pertinet ad finem bonorum; alte-

---

institutio. Exemplorum comparatio dissimillimorum, ubi *a* cum pleonasmo quodam Ablativis praemitti videtur, clamdicat. Nec Goerenz quidem nobis persuasit, ad I. Fin. 6, 14. *a* explicans *von Seiten*, ut *a ratione et ab experientia* sint contraria. Imo *ratione* valet *dialectice*; *sic, ut disserendi ratio et scientia postulat*, καλῶς, et plenius exprimitur *Fin.* I. 9, 29. *Primum constituam, quid et quale sit id, de quo quaerimus: ut r a t i o n e et v i a procedat oratio.* II. 1, 3. ex. (c. 2. pr. ex ed. Schütz.) *Omnis autem in quaerendo, quae v i a q u a d a m et r a t i o n e habetur, oratio praescribere primum debet, (ut quibusdam in formulis.) q u a e r e s a g a t u r:* (Sic distinguendum. Tum facile carebis Schützii conjectura: *quibus n a m f. e a r. a.*) *ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseratur.* *Hoc positum in Phaedro a Platone* (p. 237. C. Steph. περὶ παντὸς — μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι· εἰδέναι δεῖ, περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή.) Ib. III. 5, 18. *r a t i o n e constitutum et via.* Cf. *orator* 3, 10. ex. *Quidquid est igitur, de quo r a t i o n e et v i a disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum:* (ubi respicit ad *Phaedri* l. p. 265. D. εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα· ἵνα, ἕκαστον ὁριζόμενος, δῆλον ποιῇ, περὶ οὗ ἂν ἀεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ.) Ib. 33, 116. *quae r a t i o n e docentur et via.* In his omnibus *ratione* i. e. q. τέχνῃ. Gottleber quoque, qui praepositionem retinuit, explicat *secundum rationem*, κατὰ μέθοδον. Ceterum huic definitionis et postulationi et promissioni quatenus ipse auctor satisfecerit, vid. in *Excurs.* I.

C. III. *Omnis de officio duplex est quaestio.*] Imo Ethica Stoicorum tribus locis, qui e rerum divisione a Zenone facta pendent, absolvitur. Cum omnia, quae expeti solent ab hominibus, dividere iubeant in *nostra* et *aliena*, in nostra autem potestate vel *bona* sint vel *mala:* primus locus, ad quem reliqui referuntur, *bona* complectitur ita, ut, quam cum reliquis rationem habeant, simul declaretur. Hunc locum, cuius fundamentis universa nititur doctrina moralis, liber III. *de Finibus* explanat. Restant duo praeceptorum genera, quorum alterum *malorum* causas et remedia, alterum quod doctrina *de officiis* continetur, rationem demonstrat, qua *alienis* istis, (quae *media* etiam vocantur,) et sine quibus vitam agere non possumus, ita utamur, ut virtutis materia (ὕλη) vel instrumenta (ὄργανα) sint: probe docente Lilie *commentat.* I. p. 48. Socratis quidem, qui primus philosophiam ad vitam communem

rum, quod positum est in praeceptis, quibus in omnis partis usus vitae conformari possit. Superioris generis huiusmodi exempla sunt: Omniane officia perfecta sint; numquid officium aliud alio majus sit;

---

adduxit, ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quaereret, omnis oratio tum in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur. Vid. *Acad.* I. 4, 16. Socratici autem, quos secuti sunt Stoici, partem hanc παραινετικὴν, *quae mores corrigit et ordinat*, s. philosophiam vitae, tanquam fundamento superstruxerunt *decretis* partis δογματικῆς, *quae naturam morum et originem scrutatur.* V. Seneca *ep.* 121. pr. Cf. Garvii adnot. p. 10. et Franciscus Binkes *de analysi et constitutione doctrinae in Cic. ll. de off.* (L. B. 1819.) p. 11. s. Ceterum Kant, qui philosophiae criticae inventor cluet, dogmaticam illam θελημᾶτολογίας partem de indole hominis ad virtutem apta rationisque et principatu et αὐτονομίας nuncupat *Metaphysicam morum.* Volgo *Ethica pura* dicitur. Hujus propria sunt Stoicorum *Paradoxa* quoque, ubi examen improbum in populari illa bonorum et malorum trutina castigatur vera ratione, quae plus valeat, quam volgi opinio. Vid. Bardili in Haussii *Philologia* II. p. 9 — 15. Denique ad *Methodologiam ethicam* s. *Asceticam* pertinent *Tusculanae disputationes*, ubi praecipitur, quo modo, remotis virtutis impedimentis, *efficiendum* sit, *ut appetitus rationi obediant:* quam partem scriptor attingit infra §. 102.

quod positum est in praeceptis] i. e. quod versatur in praecipiendo; cujus traduntur praecepta; quo de praecipitur. Ad seqq. *usus vitae conformari* Gernhard confert *Fin.* IV. 2, 5. V. 6, 15. Deinceps Corradus in Quaestura p. 351. ed. Lips. e cod. MS. profert: *Superioris g. hujusmodi quaestiones sunt:* quae ad similitudinem loci III. 50. conformata lectio glossatori debetur. Est hic quaedam breviloquentia pro, *Ad superius genus exempli causa hae quaestiones pertinent.*

omniane officia perfecta sint] Scil. ut voluit *difficilis* illa *atque ardua secta Pyrrhonis, Aristonis, Herilli* de quibus ad §. 6. Vid. praeterea *Excurs. II.*

numquid officium aliud alio majus sit] Haec quaestio eodem modo, ut prior, tota absolvitur in se, ita ut etiam sine illa potuisset efferri. Falsum est enim, quod ait Gottleber, *numquid* idem esse atque *an*, quae sequi soleat particulam encliticam *ne.* Gernhard tuetur: *num quod.* Sed tum haec quaestio pertineret potius ad consilii capiendi deliberationem: de qua his ipsis libris explicabitur. Recte Schütz reduxit *numquid*, quod rem, de qua quaerit, dubitantis aut negantis negationemve, si de facto aliquo

et quae sunt generis eiusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum.

---

responsio exspectatur, sperantis exoptantisque proprium, convenit sane Stoicorum sententiae: *ἴσα τὰ κατορθώματα, recte facta omnia aequalia*, h. e. parem esse laudem omnium *recte factorum* sapientis, legi, quam sanxit ratio, non solum materialiter, sed formaliter etiam congruorum, quippe e pura ac casta reverentia majestatis divinae, e limpido sincerae sanctitatis fonte promanantium: quod *Paradoxon* apud Ciceronem III. (cl. *Fin.* III. 14, 45. ss. IV. 19, 55.) attigit Bardili in Hauffii *Philologia* P. II. p. 9: elegantissime illustrat acutissimeque dijudicat Garve ad h. l. p. 17 — 40. et Tennemann (*Gesch. d. Philos.* Vol. IV. p. 104. s. 111. ss.) qui vero p. 114. not. 18. apud Stobaeum *Ecl. Eth.* II. p. 218. perverse conjicit *παρὰ τὴν ἔσωθεν* (pro *ἔξωθεν*) *αἰτίαν — διαφέρειν — γίγνεσθαι τὰ ἁμαρτήματα.* Opponitur enim causa factorum, quae *extrinsecus* agit et impellit, *internae* animi sententiae ipsique voluntati.

ea — minus id apparet] i. e. *referuntur illa quidem* (officia) *ad finem, sed ad ejus vim naturamque nihil pertinent:* propterea, quia non sunt proprie *κατ' ἀρετὴν ἐνεργήματα* neque igitur *ἀγαθὰ τελικά.* *Nec vero quisquam summum bonum assequi unquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda* (Stoicis potius *eligenda*), *summo bono continerentur.* Sed tamen *referuntur ad summum bonum, hac videlicet ratione: quod ea, quae externa sunt, iis tuemur officiis, quae oriuntur a suo cujusque genere virtutis.* *Fin.* V. 23, 68. s. ad quem locum mirum est Goerenzii commentum: hanc propriam et peculiarem Antiochi sententiam fuisse, quod extranea bona a summo bono segregata vellet: quam inconstantiam Cic. ibid. c. 30. vituperet. At vero ibi §. 90. ss. defenditur potius ab inconstantiae crimine: quod, quae Stoici *commoda* certe dicunt esse, ipse ista omnia bona dixerit: quae sit non nisi verborum dissensio. De quo Stoici idem docent *Fin.* III. 16, 55. Diog. Laërt. VII. 96. Hinc etiam Ethicae paraeneticae cum dogmatica nexus non primo statim obtutu animadvertitur; non, ut Bardili l. c. p. 5. ss. opinatur, propter subjectivum quoddam impedimentum, quia volgares homines, quaestionum abstrusiorum impatientes, non nisi usum vitae communis spectent, aut quia *alia sit illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio* (II. §. 35.). Omnino Bardili p. 3 — 9. dicitur, cum quod, in forma haerens, locum *de finibus bb. et*

8 Atque etiam alia divisio est offici. Nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod

---

mm. esse ait disciplinam honestatis subtiliter ratione constitutam et via, *de officiis* autem popularem, quippe de quibus philosophia se accommodet ad communem opinionem, *ὡς ἄν τις κοινότερον τὰ τοιαῦτα συγκρίνειε.* Quasi vero non uterque locus tum erudite ac subtiliter, tum populariter possit tractari. Posse utrumque, ipsi Bardilio fatendum p. 14. s.

§. 8. *Atque etiam alia* etc.] Imo a priori verbis non re differt. Vid. *Excurs. III.* Qua ex observatione speciosior fieri videatur Facciolati suspicio, Wyttenbachio probata, quae sequuntur *Perfectum officium — vocant,* ea aliunde esse adscita: imo et superius: *Nam et medium —, et perfectum.* Provocare sane posset ad locos mox laudandos. Apteque haec cohaererent: *alia divisio est offici. Triplex est igitur* etc. Ego vero potius Ciceronis perspicaciam desiderarim, quam haec verba in suspicionem vocarim. Alias enim promissa officii definitio contineretur verbis: *ea — ad usum vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his l. explicandum.*

rectum, opinor, vocemus] Sic auctor verbum verbo reddens excusatius loquitur, conjunctivo usus, ut *Fin.* III. 6, 21. 16, 52. Ib. 6, 24. *Quae autem nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet, (illi autem appellant κατορθώματα) omnis numeros virtutis continent.* Ib. 18, 59. *Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus (id autem est perfectum officium): erit autem etiam inchoatum:* ubi post *quoniam* in apodosi *autem etiam,* quamvis intercedente parenthesi, me quidem tantopere offendit, ut Bremio, cui obloquitur Goerenz, posterius *autem* exulanti assentiar. Ceterum ad vv. *quod Graeci κ.* e seqq. intelligendum *vocant.* Abrupta enim oratione, ex relativa subito transitur in absolutam et rectam: ut continuo iterum eodem modo mutatur constructio, interposita particula *autem,* sed ita, ut, quae secundaria esse debuisset sententia, fiat primaria. Miscet vero Gernhard, vir Cl., comparans §. 5. *qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis — metitur:* recte ibi monente Ernesto, *idque* conjungendum cum superiori *qui* etc. non cum proxime praecedente *ut.* Eadem est ratio exempli §. 64. quod V. D. in *Excursu* p. 446. comparavit: *Ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur: exsistuntque in republica plerumque largitores:* ubi itidem totae enunciationes, non membra enunciationis, sibi opponuntur. In utroque autem loco quo valet potius

Graeci κατόρθωμα; hoc autem commune officium καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant. Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

Triplex est igitur, ut Panaetio videtur, consili capiendi deliberatio. Nam honestumne factu sit, 9

que. Potest tamen nostro loco post κατόρθωμα etiam colo interpungi, ut sit ellipsis, per se satis usitata. Sic *Fin.* III. 16, 55. *efficientia, quae Graeci τονικά.*

hoc autem commune officium] scil. *quod multi assequuntur* (III. §. 14.) vel i. e. q. *hoc, quod communiter appellamus officium*, ut III. §. 17. in. Schütz omisit *officium*. Sed tum nescias, utrum *commune* absolute dicatur, ut *rectum*, an ad utrumque intelligendum sit *officium*. Neutrum fieri potest. Itaque recte Gernhard perspicuitatis causa retinuit. Idem Schütz, cum Hervagio post καθῆκον addendum censet μέσον, applaudente Binkes p. 13. *not.* 10. Sed nequaquam opus esse isto additamento, intelligi potest ex argumentis *Excursu IV.* allatis.

§. 9. *Triplex est igitur*] Sic invitis libris mutavi ordinem volgatum *T. igitur est.* In his enim constat sibi usus loquendi, ut, praemissa conjunctione, monosyllabum verbum substantivum non possit tertium occupare locum, nisi in parenthesi. Cf. §§. 101. pr. *Duplex est enim.* 53. *Multa sunt enim* 64. ex. *Nullum est enim tempus. Tusc.* III. c. 25. *Duplex est igitur ratio.* Complura hujus generis erudite restituit Cel. philologus Schaefer ad *Plin. Epistol.* praefat. p. XI — XIV. ut p. XIII. in Cic. *de orat.* I. c. 43. (apud Schütz. qui emendationem neglexit, c. 41. ex.) *Omnia sunt enim posita ante oculos* e codd. Guelphh. pro volgato *Omnia enim sunt.* Sic ibid. statim post corrigimus, *Eadem sunt enim elata primum a pluribus* pro E. *enim s.* etc. Cf. Goerenz ad *Leg.* II. 7, 16. ex. *Fin.* I. 5, 16. p. 138. ex. II. 7, 21. et 34, 115. ex. qui vero ibid. p. 60. b. ad I. 13, 43. ut quasi gramina crescentia exaudire videatur, vanam suo ex sono distinctionem adhibet. Vid. ad Heindorfii ed. librorum *de N. D.* a nobis confectus index *conjunctionum tertio loco positarum* p. 386. Sic etiam infra §. 104. pr. e codd. Goth. Gu. 1. et 3. restituendum: *Duplex est omnino iocandi* genus. Aliae verborum structurae legitimae sunt *de orat.* II. c. 27. *Ad probandum autem duplex est oratori subjecta materies;* cf. infra 132. pr. *Partit. or.* c. 37. §. 130. pr. aut ut ibid. c. 22. pr. *Est igitur vis virtutis duplex*, cf. infra §. 96. pr. Deinceps *consili capiendi*

an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit: in quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum aut anquirunt aut consultant, ad vitae commoditatem iucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuvare et suos, conducat id, necne, de quo deliberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, cum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile. Cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se

---

deliberatio est ratio, qua quis perpensitat, quod consilium cum maxime sit capiendum, ut *ad Attic.* VIII. ep. 15. 2. *Officii me deliberatio cruciat.* Est quasi subtilissima examinatio momentorum omnium per *libram.* *Dubitare* autem proprie est in *duas* diversas partes *itare*, ita, ut quamnam potissimum sequare et quo te vertas, nescias. Hinc mox explicatur *in diversas sententias distrahi*, scilicet ut examen in trutina modo huc, modo illuc inclinat, aequali propemodum utriusque lancis pondere.

aut anquirunt aut consultant] *Anquirere* est argumenta ex omnibus undique (ἀμφί) locis conquirere, quibus aliquid effici possit, e. c. h. l. ut appareat, utile sit aliquid, nec ne. *Consultare* autem, conquisitis iam argumentis, e quibus judicium de aliqua re pendet, perpensitare, quodnam eorum plus momenti faciat. Duplex *aut* igitur hic conjungit magis, quam disjungit, pariter ac §. 44. ex. *aut liberalitati aut honestati.* Mox *facultates* quasi *facilitates*, *rerum* sunt quaevis aliqua re potiundi adjumenta, *copia et potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit aut sine quibus omnino confici non potest*, ut ipse Cicero explicat *de Invent.* II. c. 12. Harum quidem deinceps recensentur eae, quae *opportunae sunt singulae rebus singulis: copiae* i. e. *divitiae, ut utare:* etenim materiam dant tum libidini, tum moderationi; *opes, ut colare;* nam *bonitati facultatem dant* (cf. ad §. 25. pr.); *potentia*, ut habeas adjutores aliquid efficiendi, παρασκευὴν φίλων καὶ οὐσίας, ut Plato loquitur *de rep.* II. p. 361. B. Vid. *de orat.* II. c. 84. post med. cl. *Lael.* 6, §. 7. in.

revocare] eleganter opponitur praecedenti *ad se rapere*, ut *Acad* II. 45. 139. *video, quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur.* — *Revocat virtus vel potius re-*

videtur: fit, ut distrahatur in deliberando animus afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac divisione, cum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum ho-

---

prehendit manu: pecudum illos motus esse dicit: hominem iungi deo, cl. Cic. in *Catil.* I. 9, 28. ex. *Leg.* II. 7, 16 extr. Lactantio V. 9, 4. Nescio an haec προσωποποιΐα alludat ad Herculem Prodicium: de quo §. 118.

afferatque ancipitem curam cogitandi] nempe *animus*. Virtutes vel vitia, commoda vel incommoda, quibus quis affectus est, ea *afferre* ille dicitur, ut *nihil ostentationis aut imitationis* III. *de orat.* c. 12. et 53. *bellicam virtutem aut aliquem usum militarem:* observante F. Heusingero.

§. 10. *praeterire aliquid — in dividendo*] Dicitur hoc vitium *saltus in dividendo*, ubi praetermissum est aliquod divisionis *membrum*, quod sit *complementum ad totum genus* ex principio cognationis logicae. Vid. *Quaestio* nostra *de formis cogitandi disjunctivis* (Lips. apud hujus editionis redemptores prostat), in qua simul de universa propemodum arte dialectica antiquorum usum loquendi classicum rectius et dilucidius, quam unquam antea factum fuerat, explicavimus, §. 5. *n.* 2. Cf. Cic. in *oratore* 33, 117. Praeeuntibus Caelio Calcagnino *disquis.* III. et Van Lynden p. 104. s. Binkes p. 24. Panaetium non modo excusari, sed etiam defendi posse arbitratur. „Quod enim“, inquit, suo more loquens, „si semel Panaetius illam officiorum comparationem suscepisset, haec tantam exemplorum multitudinem et varietatem attulisset, ut ab instituto suo ad popularem commendationem accommodato aberrasset, et in infinitam longitudinem deduceretur, et satis erat ei principia posuisse.“ At vero honesti cum honesto comparatio, quem locum a Panaetio praetermissum esse Cicero iterum extremo hoc libro notat, prae ceteris huc pertinebat. Nam reliqua magis politica et oeconomica sunt, ethica autem eatenus tantum, quod rationi consentaneum est, ut ad virtutis usum eas res paremus, quibus actio vitae continetur, atque ea de causa etiam utilitates nobis comperemus, id quod innuit etiam Garve ad h. l. p. 41. ss. Quatenus vero aliquid *honesto honestius* dicatur, explicatur *Excursu V.* Ceterum tametsi plura concurrere possunt, in quorum comparatione, quid optimum factu sit, dubites (id quod ipse innuit Cicero II. §. 1. ex.): tamen ex his duo tantum simul comparari posse, recte contra Calcagninum monetur ab adversariis.

honestius: itemque, duobus propositis utilibus, utrum
10 utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partis distribui debere reperitur. Primum igitur de honesto, sed dupliciter, tum pari ratione de utili, post de comparatione eorum disserendum.

11 IV. Principio generi animantium omni est a na-

Primum igitur de honesto] Volgo: *igitur est.* Schütz ex aliquot libris *est igitur*, meliori sane ordine. Vid. ad §. 9. extr. Sed *est*, quod alii codd. aut hinc sublatum post *disserendum* collocant, aut ibi iterant, exsulandum potius erat, ut *de divin.* II. 3, 8. *Dicendum est mihi igitur* (Davis. *D. mihi igitur est.* Cod. Gud. 2. *igitur mihi est.* Erlang. *mihi est igitur*) *ad ea, quae a te dicta sunt,* item *est* videtur delendum, quamvis ob *igitur* altius repositum volgatae favente Goerenzio ad *Acad.* II. 42, 129. Vid. infra ad §. 26. ex.

tum pari ratione] i. e. *dupliciter:* primum περὶ τοῦ ἄνευ περιστάσεως καθήκοντος, tum inde a cap. 25. libri II. περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Vid. de quinque his partibus, in quas auctor omnem officii exquirendi rationem distribuit, *Excurs. VI.*

C. IV. §. 11. *Principio*] i. q. in geminis locis *Fin.* III. 5, 16. V. 8, 23. extr. *Hinc est ordiendum,* v., *hinc capiamus exordium,* ut a *prima constitutione naturae:* de qua *Excursus VII.* Ad seqq. cf. Diog. Laërt. VII. 85. qui, laudato libro I. Chrysippi περὶ τελῶν, haec refert: Τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασι τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς. — οὕτω γὰρ τά τε βλάπτοντα διωθεῖται καὶ τὰ οἰκεῖα προσίεται. *Dedit autem natura beluis et sensum et appetitum ad conservandi sui custodiam* (*N. D.* II. 47, 122. 124. c. 48. ex.), quam etiam latius patere, agnoverunt veteres philosophi *Fin.* IV. 7, 16. (cl. 8, 19.) *Omnis natura volt esse conservatrix sui, ut et salva sit, et in genere conservetur suo.* Ex quo loco necessario ib. V. 9, 26. cum acutissimo Bremio, cujus emendationem pertinacius respuit in *Addendis* Goerenz, scribendum: *videmus ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad vivendum crescendumque valeant et ut suo genere perveniant ad extremum.*

declinetque] Copulam *que* Gu. 1. excludit. Et solet quidem in hac contrariorum, quae pariter aequaliterque

tura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videntur, omniaque,

valent, juxta se positorum, inversione omitti: potestque in suspicionem vocari etiam Fin. II. 11, 33. ex. *Sunt et in animo praecipua quaedam et in corpore: quae cum leviter agnovit, tum discernere incipit, ut ea, quae prima data sunt naturâ, appetat aspernetur que contraria:* ubi Goerenz, immemor, ibid. III. 20, 66. *natura datum* legi, *data* cancellis inclusit, Schütz, audacior etiam, delevit; cum iidem duumviri ibid. III. 5, 17. *quae prima sunt ascita naturâ,* tueantur, maxima inconstantia in veritatis ignoratione versantes. Sed particulae *que* in illo l. post *aspernetur* Gud. 2., ex quo codice ipse quondam Goerenzii in usus varietatem enotavi, substituit *et*: unde copula insititia esse videatur: non tamen sollicitare ausim. *N. D.* I. 14, 36. *Zeno — naturalem legem divinam esse censet, eamque vim obtinere, recta imperantem, prohibentem contraria.* Sic codex Erlangensis. Volgo *prohibentemque contraria.* Sed cf. Cic. *III. de rep.* apud Lactantium VI. 8, 7. *lex* ..., *quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat,* et aliud ejusdem fragmentum (opp. ed. Schütz. T. XVI. P. II. p. 144.): *Lex dei praeclara et divina semper, quae recta et honesta iubet, vetat prava et turpia.* Possum innumerabilia hujus chiasmi, copulativam vel potius adversativam particulam repudiantis, addere exempla indubitata. Sed praestat locos indicare aut emendandos aut vindicandos. Igitur *Muren.* 28, 59 ex. *Valeant haec omnia ad salutem innocentium ..., in periculo [vero] et in pernicie civium repudientur,* cod. Oxon. *x* damnat *vero*. Recte. Cf. ibid. 27, 56. ex. *De divin.* II. 45, 94. *Estne sanorum hominum, hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere, quod [non] certe pertinet: illud nescio quid tenue ..., dicere ad puerorum ortus pertinere?* Ibi Schütz transposuit *certe non*; sed *non*, sententiae contrarium, esse delendum, recte animadvertit Davisius. *N. D.* I. 8, 20. *quid est, cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum?* plane ut apud Diog. Laërt. III. 10. ταῦτα δ' ἐστὶν, ὃν ἀεὶ γίνεται, ἀρχὴν δὲ μηδέποτε τέλος, ubi alterum membrum item pendet ab ὃν. Frustra igitur Heindorf conjecit ibi *cujus cum*. Sed haec hactenus. Nihil tamen hic quidem unius codicis fide mutare ausus sum, cum addatur etiam *que*, ut infra III. §. 35. *Fin.* III. 5, 16. *id ita esse sic probant, quod, antequam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi aspernentur que contraria.* ib. 6, 20, *ut ea teneat, quae secundum naturam sint, pellatque contraria.* Ib. V. 15, 43. *ad virtutes aptos animos habere dicimus a contrariis que rebus alienos.* Alibi particula *autem* adhibetur, ut ib. III. 5, 16. Alibi talia distinguuntur duplici *et*, *V*. 9, 24. *coeptatque et ea, quae natura sentit apta, appetere, et propulsare*

quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt.

Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur,

---

contraria; ex quo l. simul hic liceat vindicare Indicativum, *quae nocitura videntur,* ut est in codd. Oxon. λ. μ. ψ. cui Conjunctivum *videantur* propterea praefert Gernhard, quod non eadem nocitura videantur omnibus.

omniaque, quae sunt ad vivendum necessaria] Sic e Guelph. 1. libris Langii et duobus Guilielmi se recepisse ait Gernhard in notis; sed edidit *omniaque, quae ad v. sunt n.*, eodemque modo Schütz. At vero sic nulli codd. MSS., nisi quod Facciolatus edidit *quaeque ad vivendum sint necessaria*, et Graevius, *omnia, quaecumque ad v. sint n.* Plerique: *omniaque, quae sint ad v. n., a. et paret.* Cf. §. 17. in. *ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur.* Alia ratio est loci §. 12. *parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* Ibi enim quantitas, hic autem qualitas vel genus spectatur.

Commune autem] Hanc omnium librorum MSS. lectionem in nota retinere videtur Schütz. In textu autem ipse edidit *item*, quod commendat Davis ad *II. de divin.* c. 1. Sed eodem modo Graeci loquuntur Κοινὸν δ' ἐπὶ etc. praecedente in priori enunciatione μὲν: quo significatur: *eadem ratione commune esse.* Saepe enim particula *autem* est continuativa et pro *porro, praeterea,* sic frequentatur, ut novum quiddam addatur, praesertim, ex Gernhardi ad h. l. et F. Heusingeri ad c. 28. §. 9. (100.) observatione, in rebus non tam comparandis, quam ordine quodam enumerandis, ut h. l. pro *deinde* post *principio,* sic §. 17. extr. 44. Ambrosius I. 27. expressit hoc modo: *Succedit quoque, ut omnium genera animantium congregabilia natura sint.* *Commune* sic cum Genitivo *Fin.* V. 9. 25. s. 23, 65. ex. ut supra §. 2. ex. *proprium.* Cf. *Partit.* §. 130. Ad *commune* intelligi *aliquid* monet Bauer ad Sanctii *Minervam* II. p. 190. Sic Graece ἄμεινον δικαιοσύνην ἀδικίας Plato *de rep.* II. p. 368. C. Similiter Exc. Krug in *Aesthetica* p. 37. s. et in *Aretologia* §. 35. c. *not.* 1. in prima et communi commendatione naturae ponit triplicem appetitum, primum quidem sui conservandi, deinde genus suum propagandi, denique sympathicum illum consociationis atque communitatis.

Sed — interest] Cf. §. 105. Deinceps, *quod adest quodque praesens est* non differunt. Sed non est, quod

ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque

---

cum Schellero alterutrum abesse malis. Junctim enim significant, *quod cum maxime adest ac se insinuat illecebris suis*. In proximis Schützio placuit reducere *paululum*. Sed hoc deminutivum scribis imputat Goerenz ad *Fin.* V. 20, 55. p. 602. et *Acad.* II. 41, 128. pr. ubi tamen Schütz (sic parum ubique sibi constat,) cum Goerenzio facit. *Paullum oppido* usurpatur *Fin.* III. 10, 33.

Homo autem (quod rationis est particeps etc.] Distinxi parentheseos signis, ut, quomodo cohaereant longius disjuncta, appareret. Sed glossematum suspicionem movet varietas lectionis. Alii enim: *qui rationis est particeps*, vel, trajecto verbo, *particeps est*. Alii vero: *quoniam r. e. p.* Quid, si, eliminato verbo una cum pronomine conjunctioneve, legatur: *Homo autem, rationis particeps, — ?* Rationis hic comparanda imago magnifica in *Fin.* II. 14, 45. Qua praerogativa hominis, Telluris domini, perfectionem in infinitum contineri, eleganter docet Krug, cujus libros (*Fundamentalphilosophie* §. 81. *n.* 1. et *Metaphysik* §. 143. a.) adisse juvabit. Notabile est etiam vocum Germanicarum *Mann* et *Mensch* (pro *Männisch*) veriloquium a Lat. *mens*, Gr. *μένος*, unde *μενέω*, *μνάω*, et *Man*, quod in sacra Brachmanum lingua significat *cor*, *principium sensationum et rationis*. Vid. *Oupnekhat* I. p. 12. et doctissimus philosophus idemque grammaticus Car. Chr. Fr. Krause *von der Würde der deutschen Sprache* (Dresdae 1816.) p. 60.

causas rerum v. earumque progressus et quasi antecessiones.] Illustr. Schütz conjecit *eventorumque progressus et quasi antecessiones*, cl. *de divin.* I. 56, (128.) *qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt*. At *eventorum antecessiones*, id vero foret ἄξύμφορον. Potius comparasset vir celeb. ibid. 55, 125. *ordinem seriemque causarum, cum causa, causae nexa, rem ex se gignat*. Scilicet, quod statim ibi adjicitur, *nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas, id ipsum efficientis, natura contineat.* — *Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, itemque, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint*, ab eo quidem, *qui colligationem*

praesentibus adjungit atque annectit futuras) facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam prae-
12 parat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem; ingeneratque in primis praecipuum

---

causarum perspiciat animo. Neutiquam vero, ut opinatur Gernhard, hic significantur causae, quae afferunt quaedam per se adjuvantia, etsi non necessaria, atque, *perfectis* oppositae, *de fato* c. 15 — 19. *causae antecedentes* dicuntur. Quasi vero non item *perfectae* i. e. *efficientes causae* ibidem dicantur *antegressae* potiusque doceatur, *quibusdam* dumtaxat *in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut aliud aliter eveniat.* Insuper, cum hic non de fato agatur, non video, cur de causis occasionalibus potissimum cogitari velit. Illo opponitur hic simpliciter *origo,* quae continet significationem futuri eventus, quo res quaeque progreditur et tendit, *progressibus causarum* vel *consecutionibus* i. e. effectibus consequentibus (cf. *Rhetor.* II. c. 12. extr.) in serie causarum aliarum ex aliis prorsus, retro nexarum. Vid. de progressu et regressu causarum in rerum natura Exc. Krugii *Metaphysic.* §. 77. n. 2. et pag. 409. Eandem, opinor, rem auctor exornarat lib. IV. *de rep.* e quo Nonius: *ubi accusativus pro genitivo,* citat haec: *Atque ipsa mens, quae futura videt, praeterita meminit.*

§. 12. *natura*] hic intelligitur Deus vel ὀρθὸς λόγος, διὰ πάντων ἐρχόμενος i. e. *ratio, per omnem naturam rerum pertinens,* quam Zeno libris suis, *ut divina sit, effectum* (scil. argumentis) *putat.* (Sic desperati loci *N. D.* I. 14, 36. postrema verba e codd. vestigiis videntur posse refingi, ut inchoata Accusativi cum Infinitivo constructio relinquatur, ut alibi.) Haec *universae natura mens et ratio, toti mundo et partibus ejus inserta, ita* quidem, ut *divina consummata,* nostra ex illa sit *consummabilis,* (ut ait Seneca *de benef.* IV. 7. cl. *ep.* 92.) elementa ingenuit homini earum virtutem, quae notae illustresque sunt. *Fin.* V. 15, 43. Etenim *fecit hominem hominum appetentem cumque his natura et sermone et usu congruentem,* ut *ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani et communiter ad justitiam apti* videamur. *Fin.* IV. 2, 4. cl. ibid. III. 19, 63. ex. Hinc apud Plutarch. *de Stoic. repugn.* (p. 284. Opp. T. X. ed. Reisk.) Chrysippus: Οὐ γὰρ ἔστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ Διὸς καὶ ἐκ κοινῆς φύσεως. Cf. *Krug's System der prakt. Philosophie* T. I. §. 9. n. 1. T. II. p. 23. s. De societate hominum conjunctioneque vid. infra §. 50.

quendam amorem in eos, qui procreati sunt; impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat. Quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. In primis- 13
que hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere; cognitionemque rerum aut occultarum aut ad-

---

in primis praecipuum quendam] Haec addita sunt, ut hominis, qui rationis est particeps, *amor in eos, qui procreati sunt*, distinguatur a *communi* bestiarum quoque *cura quadam eorum, quae procreata sunt.* Nam ut nimius atque insanus parentum amor in natos proverbialiter similorum assimiletur *στοργῇ*: tamen homines prolixo et perpetuo omnium ac singulorum charitatis pignorum amore prorsus singulares esse constat. Vid. *Fin.* III. 19, 62. s. et Garvii *adn.* ad h. l. p. 44. s. Mox *celebrationes* ut §. 149 ex. *conciliatio et consociatio* dicuntur pro *conciliis*. Cf. *Somn. Scip.* c. 3. in. *Nihil — est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur.* Harum quidem, quae vitam, libertatem, salutem fortunasque nostras continent, originem e naturae rationisque desideriis derivat Exc. Krug *Dicaeolog.* §. 71. 72. c. *not.* 1. et *Aretolog.* pag. 256.

§. 13. *veri inquisitio*] est omnino studium, quid in quaque re verum sit, perspiciendi, *veri investigatio* autem indicat difficilem et operosam veri perscrutationem, dum vestigia veritatis passim latentia legimus ac persequimur.

cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium] i. e. rerum coelestium, quarum tum magnitudo pulchritudoque, tum etiam efficientia *animum admiratorem contemplatoremque mundi* (ut ait Seneca *consol. ad Helv.* c. 8.) debet ad exquirendas causas excitare, ut in his inesse excellentem rationem et haec tanta opera divina providentia esse constituta arbitremur, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possimus. Sic haec illustranda videbantur ex insignibus locis *N. D.* II. 37, 95. ss. Leg. II. 7, 16. *Tusc. D.* I. 28, 68. ss. de admirabili magnificentia mundi et ornatu. Etenim infra §. 154. *cupidus in perspicienda*

mirabilium ad bene beateque vivendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex

---

cognoscendaque rerum natura dicitur *tractare contemplarique res cognitione dignissimas.* *In rebus occultis et ab ipsa natura involutis occupati* fuisse dicuntur *omnes ante Socratem philosophi* i. e. physici *I. Acad.* 4, 15. et 5, 19. *de natura et rebus occultis philosophandi ratio* i. e. physica. Hinc *de divin.* I. 18, 35 *causa* dicitur *latere obscuritate involuta naturae.* His illustrantur *Acad.* II. 41, 127. *Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem.* Cf. *Fin.* II. 14, 46. III. 11, 37. *scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quo modo moveantur quibusque de causis ea versentur in coelo. Quis autem — contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat?* IV. 7, 18. *contemplatio rerum occultiorum,* ubi alii libri melius *occultarum.* V. 19, 51. *eorum omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones.* Ergo ibid. I. 19, 64. ubi e *physicis* Epicuri sumi dicitur constantia contra metum religionis et sedatio animi, *omnium rerum occultarum ignoratione sublata,* Goerenz his, quae deserta ab interpretibus omnibus clamat, ingenii sui prorsus singularis lumen admoturus, sed ne memor quidem, proxime (§. 63.) antecedere, *omnium — rerum natura cognita, — non conturbamur ignoratione rerum,* lucem eripuit, mire interpretando: *omnibus iis, quae sola rationis ope, qua nihil certi erui potest, explicantur, rejectis,* cl. *I. N. D.* 18, 49. quem locum si fugitivo dumtaxat oculo inspexisset, ab errore sibi cavisset. Quippe ibi *Epicurus* praedicatur *res occultas et penitus abditas non modo vidisse animo, sed etiam sic tractare, ut manu nos ducat!*

ad bene beateque vivendum] Revocavimus lectionem Oxoniensis ψ aliorumque plurimorum codicum, olim volgatam, quam, non video, cur mangonis figmentum dixerit Frid. Heusinger, qui e Gothano, Vinar. Guelph. 1. 2. 4. 5. edit. Mogunt., Venet. 1. et incerto exemplari edidit *ad beate viv.* Cf. §. 19. ex. L. II. §. 6. *Parad.* I. extr. *Cat. Maj.* c. 2. in. *Quibus enim nihil* [*opis*] *est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnibus gravis est aetas,* ubi binorum MSS. fide *opis* delendum et pro *iis* legendum *his* videtur Hermanno, viro Magnif., in indicibus literariis Lips. a. 1819. n. 122. pag. 970. Quam belle vero recepta lectio Stoicorum rationi disciplinaeque conveniat, explicatur *Excursu VIII.*

ex quo intelligitur, etc.] Est argumentatio ab universali ad particulare. Nam qui omnino veritatis studiosus est: eandem praesertim in dictis conventisque desiderabit. Aliter enim fides haberi nequit. (Vid. §. 23. pr.) Bene

sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa 14
parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat, in factis dictisque qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab ocu-

---

h. l. explanavit Hottinger T. II. p. 121. ss. cf. *Fin.* II. 14, 46. *Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi: his initiis inducti omnia vera diligimus* (h. e. magni facimus, tum in aliis, tum in nobismet ipsis), *id est, fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus* (i. e. odiosa putamus), *ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam:* ubi Goerenz laudat *Tusc.* I. 19, 44. *Natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi.*

animus bene a natura informatus] i. e. *paullo erectior* (105. ex.), *in quo est virtutis indoles* (III. §. 16. in.): *optimo quisque et splendidissimo ingenio* (III. §. 25. ex.). Eodem modo dicitur *animus bene constitutus* in *Lael.* 13. §. 8. (47.) ex. εὐφυής.

praecipienti aut docenti] Haec sic iunguntur, ut *Fin.* III. 10, 66. extr. *prodesse docendo rationibusque prudentiae tradendis.* Scheller observat, *praecipere* esse amici quoque i. e. *monere.* Cf. §. 58 ex. Plato in *Menexeno* p. 239. A. ἡ ἰσογονία ἡμᾶς ἡ κατὰ φύσιν ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον καὶ μηδενὶ ἄλλῳ ὑπείκειν ἀλλήλοις, ἢ ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήσεως. Hic autem adjungitur etiam, *aut utilitatis* (scil. communis) *causa:* ut in re publica.

§. 14. *Quam similitudinem*] scil. *ordinis et moderationis in formarum specie ac dignitate perspectam.* Vid. *Fin.* II. 14, 47. ad quem l. Goerenz monet, *pulchritudinem* de interno animi decore ad Graecorum philosophorum, maxime Platonis, exemplum dici, ut κάλλος de *honestate* saepissime. Ex Stoicorum autem ratione ad hoc quartum virtutis genus

lis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat: cavetque, ne quid indecore effeminateve faciat; tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinose aut faciat aut cogitet.

(συφροσύνη) escendere animum a pulchritudinis externae sensu, qui ex animadversa partium convenientia nascitur, ad sensum internae, quae in consiliorum factorumque constantia, ordine, convenientia inest. Sic etiam Exc. Krug *Eusebiologia* p. 51. eorum, quae aspectu sentiuntur, convenientiam agnosci volt tamquam παράδειγμα et symbolum typicum ordinis rerum agendarum (*ein Vorbild der sittlichen Weltordnung*), et honestatis cum praeparandae, tum adjuvandae adminiculum commendat, pulchri sensus elegantiaeque ut nutriatur, augeatur, excolatur, *Aesthetica* §. 66. n. 3. extr. et *Aretolog.* p. 358.

pulchritudinem, constantiam, ordinem — conservandum putat] Sic Schütz. In nota autem: „*conservanda* cum aliquot MSS. et Edd." Quam Goerenz ad *II. Acad.* 1, 1. pag. 2. proposuit regulam, qua *plura substantiva, ad unam velut notionem juncta, simplici verbi numero comprehenduntur*, eadem regula etiam ad epitheta pertinet, plurium substantivorum communia, sed ad ultimum accommodata. Cf. *de orat.* I. 44, 196. nostrae patriae *primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet.* Esse autem illa substantiva vi paria, agnoscit Gernhard.

ne quid — faciat: tum in o. o. e. factis, ne quid l. a. faciat] Libri MSS. consentiunt, non editores. Facciolatus *tum* etc. — *faciat* ut glossema alia typorum forma expressit. J. F. Heusingero auctore Schütz vv. *faciat* etc. — *factis* expulit. Sed tum nescio, an Cicero, ut solet, per anaphoram scripsisset, *ne quid indecore, ne quid effeminate, ne quid libidinose.* Perelegans est conjectura, quae sagaci debetur Gernhardi ingenio: *opinionibus et dictis, ne quid libidinose aut dicat aut cogitet.* Monet Gernhard, ut e *consiliis facta* proficiscantur, sic *dicta* nasci ex *opinionibus:* quo utroque fonte omisso, Cicero scripsit paullo ante *in factis dictisque qui modus.* Cf. §. 14. 98. 126. pr. *Fin.* II. 14, 47. ex. Adde IV. 7, 126. ubi eadem haec ex eodem fonte Graeco exponuntur: *hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps* ... *animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ut ne quid ab eo fieret, nisi honeste et decore;* ex quo tamen loco videmur recte posse argumentari, in *factis* inesse et *actionem* et *dicta*. Certe, admissa Gernhardi conjectura, desiderabimus concinnitatem, nisi desit verbum,

cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum; quod, etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum est,[1] quodque

verbum, quod referatur ad *consilia*, ut *cogitet* refertur ad *opiniones*. Itaque facimus cum perspicacissimo Hermanno, qui monet, quae inde a vv. *cavetque* sequuntur, proximis explicationis causa addita esse, ita, ut *indecore effeminateve* opponatur *pulchritudini* et *constantiae*, *ordini* autem *libidinose* i. e. sic, ut nec certum ordinem quis conservet nec perpetuam legem sequatur, faciatque, quidquid venit in appetitum, i. e. licenter. Huic igitur ultimo membro is subest sensus: *cavet, ne violet homo ordinem, qui est conservandus.* Pro eo autem, quod ante dictum, *in consiliis factisque*, observat Hermannus repeti iam *in omnibus opinionibus et factis*, quibus respondeat *aut faciat aut cogitet.* Assentior autem J. M. Heusingero, in priori membro ante *tum* excludendum esse *faciat*, quod facile a glossatore potuit adscribi. *Tum* vero inservit gradationi. Majus est enim, *in opinionibus*, quam *in consiliis* verecundiam conservare.

Quibus ex rebus etc.] i. e. *His principiis*, (v. *initiis*, *tamquam seminibus*) *a natura datis*, *omnis honestas perfecte absoluta est* (Fin. IV. 7, 18.): scilicet, quatenus *primo nos sapientiae commendamur ab initiis* v. *principiis* s. *primis elementis naturae* ab iisdemque *officia proficiscuntur*, *quae omnia eo referuntur*, *ut adipiscamur principia naturae.* (Ib. III. 6, 19. 6, 20. 7, 22. s.) Hinc infra §. 22. *Naturam debemus ducem sequi* et III. 52. *cum ea habeas principia naturae*, *quibus parere*, *et quae sequi debeas.* Cf. in primis *Fin.* V. 15, 43. Ceterum *res* hic et §. 18. c. 8. pr. *quatuor loci* indefinitius dicuntur *quatuor* illae *partes*, de quibus mox c. 5. pr. *Honestum vero aut ipsa virtus est aut res gesta virtute.* Vid. *Fin.* V. 23, 66.

etiam si nobilitatum non sit] Haec opponuntur eorum sententiae, quibus, *ut consuetudo loquitur*, *id solum dicitur honestum*, *quod est populari fama gloriosum et multitudinis rumore laudatur.* *Fin.* II. 15, 48. 49. de qua opinione cf. Plato *de re publ.* II. 358. A. ubi de justitia: δοκεῖ τοῖς πολλοῖς — τοῦ ἐπιπόνου εἴδους, ὃ μισθῶν ἕνεκα καὶ εὐδοκιμήσεων διὰ δόξαν ἐπιτηδευτέον, αὐτὸ δὲ δι' αὑτὸ φευκτέον, ὡς ὂν χαλεπόν. Ib. 361. C. 363. *A.* Sed, ut egregie Tullius *Tusc.* III. c. 2. *Fama popularis simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit.* Continuo Bernhard recte e Gu. 2. recepit: *tamen honestum est.* Schütz retinuit: *t. h. sit.* Tum quidem non spernenda videatur MSpti ψ lectio: *quodcumque dicatur.* Sed vero *dicimus* affirmatius dicitur, quam *dicatur*. ut diximus II. *N. D.* 20, 52. in

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὐτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent: quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato,* „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae,* cum Facrno

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

societate tuenda tribuendoque suum cuique et reru contractarum fide aut in animi excelsi atque invi magnitudine ac robore aut in omnium, quae fi quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo in modestia et temperantia. Quae quatuor quamqu inter se colligata atque implicata sunt; tamen singulis certa officiorum genera nascuntur: velut ea parte, quae prima descripta est, in q

---

rerum contractarum] i. q. §. 23. pr. *dictorum conven rumque;* ut apud Platon. *de Legg.* XI. p. 922. B. ξυμβολαίων, ὅσα πρὸς ἀλλήλους ἄνθρωποι ξυμβάλλουσι. Cf. §. *res rationesque contractae.* III. 61, *res contrahendae.*

in quo inest] i. e. *posita est* v. *cernitur.* Nam, recte observat Hottinger interpretat. T. II. p. 124 — 1 *modestia et temperantia* hic definitur *omnium, quae fi quaeque dicuntur, ordo et modus* i. e. ordinis conservat εὐταξία (cf. §. 17. ex. 142. pr.) et moderatio. Vid. §. 93. pr.

§. 15. *Quae quatuor q — implicata sunt; tamen singulis certa quaedam o. g. nascuntur*] i. e. *Haec,* qu *dico,* (honestorum genera) *cogitatione quidem inter se di runt, re vero conjuncta sunt* (uti *Tusc.* IV. 11, 24. it de vitiis loquitur et ibid. III. c. 8. de virtutibus: *om inter se nexae et jugatae sunt.*) Tamen *singularum virtut sunt certa quaedam officia et munera* (II. *de or.* c. 85 ed. Schütz c. 84. med.). Vide de hac *conspiratione c sensuque virtutum* II. *N. D.* 61, 153. cl. Plutarcho *de virt morali,* qui unam ac simplicem virtutem variis nominib insignitam videri memorat, et Krugio in *Aretolog.* §. n. 2. qui laudat *Fin.* V. 23, 65. ss. maxime 67. *Atq haec conjunctio confusioque virtutum tamen a philosophis rat ne quadam distinguitur. Nam cum ita* c o p u l a t a e c o n n x a e q u e *sint, ut omnes omnium participes sint nec alia alia possit separari: tamen proprium suum cujusque mun est: ut* f o r t i t u d o *in laboribus periculisque cernatur,* te p e r a n t i a *in praetermittendis voluptatibus,* p r u d e n t i a *delectu bonorum et malorum,* j u s t i t i a *in suo cuique t buendo:* quibus fere respondent Graeca apud Diog. Laë VII. 125. 126. Cf. *Rhetoric.* II. c. 54. *ad Herenn.* I c. 4. Parum acutus Binkes *diss.* p. 18. primas binas part confundit per tautologiam: „*Primum* hominis est officiu investigare, quid sit veri falsique, *quid virtutis,* qu vitii: *deinde* normam, secundum quam actiones ad v *tutis praecepta* dirigere debeat. Tertia virtus etc." Vi *Excursum X.*

sapientiam et prudentiam ponimus, indagatio atque inventio veri; eiusque virtutis hoc munus est pro-

---

ex ea parte, —, in qua —, ponimus.] Libri, de quorum quidem lectione constat, omnes: *ex ea parte, —, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri:* in qua verborum constructione expedienda, intt., quod miserandum sit, laborant, de sententiarum nexu securi. Sed arbitratur Hermannus, *indagationem atque inventionem veri* esse ipsum illum fontem, ex quo oriatur sapientiae virtus, neque vero contra. Praeterea cum antea iam dictum esset, id, quod quatuor illarum partium oriatur ex prima, honestum *in perspicientia veri solertiaque versari:* hic, ubi idem tantummodo per repetitionem quandam commemorandum erat, ex volgari lectione potius ut novum quiddam adjici, exempli causa *ex ea parte*, quae prima descripta (i. e. in divisione proposita, v. ad §. 51.) *est, inest indagatio atque inventio veri.* De quo autem nondum monitum fuisset, id, quasi iam constitutum esset, interseri, *in qua sapientiam et prudentiam ponimus.* Absurda fore etiam, quae sequuntur, quasi *indagatio atque inventio veri sit virtus*, cujus *munus sit proprium sapientiae et prudentiae*, cum potius dicendum esset, *verum indagare atque invenire esse munus sapientiae et prudentiae.* Cf. *Acad.* 8, 26. *Quaestio est appetitio cognitionis, quaestionisque finis inventio.* Itaque, ordinem verborum, transpositione facta, esse turbatum, cum librarius iam olim ex superiori versu aberrasset in proximum et praetermissa verba statim subjecisset, ordine appositis in margine numeris aut notis indicato, his autem signis ab alio deinceps scriba neglectis, errorem propagatum esse, judicat Hermannus. Cujus viri Summi solertiam emendandi cum equidem veterum exemplarium vicariam agnoscam, non refrager restituenti eum verborum ordinem, quem et constructionis ratio efflagitare et sententiarum nexus ei videtur: *in qua inest i. a. i. v., sap. et pr. ponimus.* Garve tacite interpretatur sic, quasi emendatio illa, quam Degen notam habuisse videtur, sed repudiat, in libris volgaribus iam legeretur. Eadem transpositionis medela ut aliis etiam desperatis locis adhibeatur, auctor sum: e. c. N. D. I, 10, 24. *Terra enim profecto, *** quoniam mundi pars est, pars est etiam dei. Atqui terrae maximas regiones — incultas videmus, quod pars earum — exarserit, pars obriguerit —; quae* [*si mundus est deus*], *quoniam mundi partes sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.* Asteriscis indicavimus, quo verba, a nobis uncis notata, transferenda videantur. Cum eadem propemodum verba ibi iterentur, facile fugitivus scribae oculus a superioribus ad inferiora aberrare potuit: suppletaque in margine lacuna

16 prium. Vt enim quisque maxime perspicit, quid
in re quaque verissimum sit, quique acutissime et
celerrime potest et videre et explicare rationem, is
prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet.
Quocirca huic, quasi materia, quam tractet et in
17 qua versetur, subiecta est veritas. Reliquis autem
tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas
res parandas tuendasque, quibus actio vitae contine-
tur: ut et societas hominum coniunctioque servetur

---

ejusque signis alieno loco annotatis, turbae eodem modo ortae, quo videntur nostro hoc loco. Iam omnia his apte cohaerent: *velut ex prima parte natam* (hoc subauditur, intelligendum ex praecedenti *nascuntur*) *sapientiam et prudentiam ponimus* i. e. *tamquam exemplum commemoramus. Ponere* enim pro *exempli causa dicere, afferre* frequentatur, e. c. II. §. 11. Sed satius videbatur, sustulisse insititiam glossam verbi *ponimus.* Cf. §. 152. 153. pr.

§. 16. *Vt — quisque — quique —, is*] De hac complexionis conformatione vid. ad §. 1. His autem verbis *prudentiae* et *sapientiae*, quae virtutum §. 155. accuratius distinctarum nomina hic latiori sensu tamquam synonyma iunguntur (ut *or.* III. c. 15. pr.) continetur definitio, quae disertis verbis fere sic exprimenda sit: *Solertia, quae rerum honestarum et cognitione dignarum* (§. 19.) *scientia pollet.* Vid. *Partit. or.* c. 22. Theod. Jo. Abr. Schütze in Progr. a. 1786. Gerae evolgato nobisque a Spohnio, Celeberrimo et amicissimo viro benevole communicato: quo Garvii versionem examinat, p. 4. *prudentiam* h. l. omnino explicat *scientiam.* Binkes *diss.* p. 17. hebeti ingenii acumine secum ipse pugnat, iam auctorem de sola *prudentia,* quae proprie dicatur, hic loqui autumans, iam latius haec patere. Continuo istius definitionis annectitur corollarium quoddam: *Quocirca huic — subjecta est veritas,* τὸ ἀληθές.

§. 17. *Reliquis a. tribus v. — actio vitae continetur*] Ex *insito menti cognitionis amore* cum *etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequatur* (*Fin.* IV. 7, 18), reliquis autem tribus virtutibus proposita sit *actio rerum,* quae *cognitionem prudentiamque sequitur* (infra §. 153. ex. 160.): *totam philosophiam* veteres illi *tris in partes diviserunt: quam partitionem Zeno retinuit. Fin.* IV. 2, 4. extr. Sed cum duarum partium, *physicae* et *dialecticae,* sint θεωρήματα: partitio illa proprie duplex esse reperitur: unde exsistit philosophia et θεωρητικὴ et πρακτική: quem ad modum *motus animorum duplices sunt* §. 101. pr. 152. pr. et *Partit.*

et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. 31

---

or. c. 22. pr. *vis virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus aut actione. Actio* secus, quam debebat, explicatur a Goerenzio *agendi ratio* III. *Fin.* 17, 58. *Est autem ejus generis* (in mediis rebus) *actio quoque quaedam;* adeoque *recte agendi ratio* II. *Acad.* 12, 39. extr. *qui aut visum aut assensum tollit, is omnem actionem tollit e vita.* At vero est potius *usus vitae in agendo* (i. e. *res gerendo*) *positus, Werkthätigkeit,* opponiturque h. l. *investigationi veri,* et extr. hac §. *mentis agitationi* i. e. *cogitationi motuique animi* (§. 19.), ut in *Cat. Maj. de senect.* c. 7. §. (7. extr.) 23. *An in omnibus iis* (rectius cum Gernhardo legi videtur *his*) *studiorum exercitatio et agitatio vitae aequalis fuit?* Sic enim hunc locum e cod. emendat Hermannus, quem honoris causa nominamus, in *Leipz. Lit. Zeitungen* a. 1819. n. 122. p. 971. In corruptis autem Epicurei verbis *N. D.* I. 17, 45. extr. *Anquirit animus et formam et vitam et actionem mentis atque agitationem in deo,* legendum conjicio *vitae actionem mentisque agitationem.* Ad haec enim vv. respicitur 19, 51. pr. *quae vita deorum sit quaeque ab iis degatur aetas,* et 37, 103. *quae demum* (est dei) *actio vitae?* quo sensu *actio vitae* occurrit etiam II. *de div.* 42, 89. ex. Miror autem Schneiderum, in edendis Epicuri fragmentis occupatum, non vidisse, ausui verba illa hunc in modum transponendi, *et actionem atque mentis agitationem,* obstare κυρίαν δόξαν ibid. §. 51. expressam: *Nihil agit* (deus). Nihilo minus ea conjectura et Heindorfii et Moseri assensum impetravit. Paullo ante *necessitates* dicuntur pro *rebus necessariis ad vitam degendam* (§. 11. extr.): Hae *virtutibus propositae sunt,* ut *appetantur, quaerantur.* Cf. §. 38. pr. *Fin.* V. 15, 37. Degen cum Maturantio *necessitates* explicat *actiones necessarias,* quae incumbant virtutibus. Verum enim vero seqq. *ad eas res — continetur* non nisi explicandi causa adjecta quodam modo abundant. De ceteris monuit Lilie p. 59. s. Ciceronem paulo altius recondidisse vinculum, quo cum communitatis principiis coniuncta sint reliquarum virtutum, *fortitudinis* in primis et *temperantiae* initia; sed, si animum adverteris, satis declarare videri, qua societate hae virtutes cum vita communi jungantur. *Laudis studium,* quod ad res magnas illas quidem et maxime utiles, sed vehementer arduas suscipiendas (§. 66. s.), in quo *fortitudinis,* propugnantis pro salute communi (§. 62.), splendor est omnis (61. 67.), adeoque ad pericula adeunda vocat, et *pudor,* qui revocat a turpitudine, in societate primum

Ordo autem et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio. His enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes, honestatem et decus conservabimus.

VI. Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui

---

et excitari et viam ad virtutem munire videbatur. Laus enim, quam vel sibi vel aliis tribui vident, advertit animos puerorum ad ea *indaganda* et magno animo elatoque excellenter *gerenda*, quae per se laudanda sunt: et *verecundia* nascentem cupiditatem coërcet, dum adulta ratio melioribus incitamentis locum det.

Ordo autem et constantia et modus et ea, quae sunt his similia] Haec cuncta continentur in quarta parte, quae tribus partibus, modo commemoratis, adjicitur per *autem* (v. supra ad §. 11.). *Ordo* hic dicitur pro *ordinis conservatione*, εὐταξία. Vid. c. 40. pr. Deerat autem in Lat. linguae copiis vox, qua exhauriretur vis σωφροσύνης. Quapropter pluribus eam nominibus effert Cicero etiam c. 27. pr. III. c. 33. pr. *Tusc.* III. 8, 16. ubi Nostro recte *ea virtus frugalitas appellari posse* videtur. Quae quia praesertim in actione rerum elucet, iccirco ad hanc ipsa quoque revocatur, licet etiam in mentis agitatione posita sit, bene observante Facciolato.

§. 18. C. VI. *honesti naturam vimque*] Goerenz ad *Fin.* V. 15, 43 (*Est natura sic generata vis hominis,*) ait *vim* poni pro *facultate.* Sic fere *vis divina* pro divinitate *N. D.* I. 13, 35. 15, 39. et 40. extr. Similiter *vis et natura* cum Genitivo quasi circumloquendo designat rem qualis est ipsa per se, quatenus ejus indoles spectatur (v. c. *N. D.* I. 13, 32. 44, 122.) Etenim *vis* dicitur tum pro notione, quam late patet ambitu (*Partit. or.* 37 §. 129. s.), tum pro iis omnibus, quae una cum re notione comprehendimus. Hinc *N. D.* I. 11, 27. *aperta simplexque mens, nulla re adjuncta, qua sentire possit, fugere intelligentiae nostrae vim et notionem videtur,* interpretando Wyttenbachius falsa (*intelligi non potest*) miscuit veris: *et repugnat esse aliquam mentem.* Creuzer autem confugit ad conjecturam: *notationem,* cl. *ad Herenn.* IV 50. ubi tamen *notatio,* quod cum bona Summi viri venia dixerim, significationem habet ab h. l. alienissimam, quem sanissimum esse, nemo dubitabit, animadvertens, *intelligentiae* esse objecti Genitivum, non subjecti. *Fugere*

veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus hisque

---

ibi valet, *non cadere in intelligentiae nostrae naturam*, *abhorrere ab*, *non concordare*, *non comparari posse cum intelligentiae*, *qualis est in nobismetipsis*, *vi et notione*. Iam intelligitur, apte hoc modo Epicureum ibi disputare contra Anaxagoram, cum ex ipsius Anaxagorae sententia *intelligentia* eadem esse debeat et in deo et in nobis, referente Simplicio *in Physica Aristot.* p. 33. b. νοῦς δὲ πᾶς ὅμοιός ἐστι· ἕτερον δὲ οὐδέν ἐστιν ὅμοιον οὐδενὶ ἄλλῳ i. e. *nulla natura praeter intelligentiam habet aliam sui comparem*, vel *est alii cuidam compar*. Aberravit igitur Tennemann (*Geschichte der Ph.* I. p. 318.) sic accipiens: *intelligentiae cum alia re ne minimum quidem esse commune.*

maxime naturam attingit humanam] i. q. §. 13. pr. *in primis hominis est proprius*. *Attingere* enim valet, alicui rei convenire. Cf. *Fin.* V. 9, 24. Seneca *ep.* 121. pr. Schütz. *Lex. Cic.* s. v. p. 156. n. 7.

trahimur et ducimur] Vv. *et ducimur*, in codd. Goth. et Vinar. omissa, melius abfore, iudicat J. M. Heusinger et Schütz. Volgatam, si vera sit, sic explicat J. F. Heusinger, *non modo necessariam, sed iucundam etiam nobis esse istam ad cognoscendum propensionem.* Similiter Degen: *trahimur* scil. *inviti*: quando multa, quae cognitu necessaria sunt, non sine molestia ediscuntur. Sed verior Goerenzii interpretatio ad *Fin.* I. 16, 50. „*trahimur* naturali impetu, *ducimur* rationis iussu." Sequitur enim: *In hoc genere et naturali et honesto* etc. quae item pervertit Degen interpretando. Sensus est, *quod non modo naturam attingit, sed etiam ad virtutem tendit.*

in qua excellere] ut *de or.* I. c. 50. *in aliqua arte et facultate excellens.* Cf. S. Ven. Matthiae ad *or. p. Mur.* 26, 54. ex. *Catoni, homini in omni virtute excellenti.* Deinceps *labi*, quod pessime Degen interpretatur *festinare*, metaphorice intelligitur, ut alibi, ubi etiam additur: *opinione* v. *mente*, *a vera ratione*, *per errorem* et *propter imprudentiam.* Cf. II. §. 9. et Schütz *Lex. Cic.* s. v. 9. p. 259. *Decipi*, i. e. aliena fraude et malitia falli, est imbecilli animi. Cf. c. 10. ex. III. §. 67. ex. cl. 70. in. et Schütz s. v. p. 14.

temere assentiamur: quod vitium effugere qui vo
(omnes autem velle debent), adhibebit ad considera
19 das res et tempus et diligentiam. Alterum est
tium, quod quidam nimis magnum studium m
tamque operam in res obscuras atque difficilis co
ferunt easdemque non necessarias. Quibus vitiis c
clinatis, quod in rebus honestis et cognitione dig
operae curaeque ponetur, id iure laudabitur: ut
astrologia C. Sulpicium audimus, in geometria Se

---

ne — temere assentiamur] i. e. *ne, quod non satis e plorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defe damus*, ut loquitur *N. D.* I. pr. *prudenter Academicos rebus incertis assensionem cohibuisse* praedicans. C infra II. §. 8. et I. Acad. 12, 45.

§. 19. *astrologia*] e. q. *astronomia*. Cf. II. *de divi* 42, 87. s., ubi, rejecto Chaldaico praedictionis gene *ceterae astrologiae partes* probantur. De *C. Sulpici Gallo*, COS. a. V. 587. cum M. Claudio Marcello vic Ernestinae *clavis ind. histor.* cujus in citatis errores prop gavit Schütz *ind. histor.* p. 581. qui omnia ab initio usqu ad finem exscripsit, non addito tamen Ernesti nomine De studio ac de doctrina hujus astronomi, qui rationer defectus solis et lunae primus Romani generis in volgu extulit, vid. Wetzel et Gernhard ad *Cat. Maj.* XIV §. (11.) 49. extr. Livius XLIV. 37. Harduinus a *Plin. Histor. Nat.* II. c. 12. sect. 9. Iste igitur quia Cice ronem aetate antecedit, propterea scriptor dicit: *ut i astrologia* (e praecedd. intellig. *operam curamque posuisse C. Sulpicium audimus*, cui opponitur *ipsi cognovimus*, quo pessime Hottinger accepit pro *omnibus notum est.* At *S Pompejum*, S. F., Magni patruum, qui, ut est in *Brut* c. 47., *praestantissimum ingenium contulerat ad summan iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum Stoi carum scientiam, ipse* cognorat Cicero, tiro in fratris Gn. Pompeji Strabonis, COS. a. V. 664., exercitu Vid. *Philipp.* XII. c. 11. Eadem oppositio *Fam.* I. 10 (al. 9) §. 32. *sicut et meis temporibus scimus et nonnulli aliis accidisse accipimus* ex Martyni-Lagunae, inge niosissimi philologi atque admirandi, emendatione. Miro autem Goerenzii negligentiam, qui *Fin.* III. 20, 66. ne commemorata quidem lectionis varietate, ediderit *accepimus*; cum ad II. *Leg.* 26, 64. p. 205. a. ex duobus sui codd. restituerit: *ut de Hercule et de Libero accipimus, Dialecticam iuris civilis* (nempe positivi s. statutarii, v. *de*

Pompeium ipsi cognovimus, multos in dialecticis, pluris in iure civili: quae omnes artes in veri investigatione versantur, cuius studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit: a qua tamen fit intermissio saepe multique dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae nunquam acquiescit, potest nos

---

orat. I. 42, 188. ex.) *scientiae* adjunxerat Serv. Sulpicius, ad quem alluditur II. §. 65. De hoc ac de aliis claris Iurisconsultis vide *Brut.* 38, 133 — 42, 157. ibid. c. 20. *de orat.* I. 36, 165. ex. 37, 170. s. 39, 180. 45, 198. ss. c. 48. ex. 50, 216. s. c. 55. ss. III. 33, 135. ss. *de senect.* 9, 27. 14, 50. *Caecin.* c. 27. extr. in primis vero Pomponium *de origine juris* (e *Digestt.* I. 2, §. 35. ss.) et ad idem enchiridion Rupertum, necnon *Chronologiam Iuris Romani cum Fastis consularibus,* praemissam *Corpori Iur. civ. Rom.,* in qua sunt vett. ICTorum successiones, nomina, scripta et leges excerptae.

cujus studio a rebus gerendis abduci] Hoc vitium Binkes diss. p. 17. tertium numerat. At vero continetur iam in altero. Sed ne Tullius officiorum, quae ex communitate, eorumque, quae ex cognitione ducuntur, comparationem, infra demum §. 152. ss. instituendam, anticipare videatur, hic et §. 28. verbo tantum attingit. Cf. Lucianus in *Hermotimo* c. 79. *ἡ μὲν ἀρετὴ ἐν ἔργοις δήπου ἐστίν* etc. *N. D.* I. 40, 110. *virtus* dicitur *actuosa.* Atque huc quidem Gernhardo in *praef.* p. XVIII. revocanda videtur hujus loci de sapientiae ac prudentiae munere brevitas: quippe cum veri indagatio ab agendo negotiisque rei publicae administrandae animum abducat. Ipsum scribendi consilium ab auctore et temporis miseriae et M. filii aetati suaeque auctoritati esse accommodatum, proptereaque eas virtutes maxime commendari, quibus ornatum vellet virum fortem, eumque, cujus opera maxime esset ad rem publicam recuperandam necessaria.

fit intermissio saepe] Sic *saepe* in clausula ponitur II. 49. Vid. Goerenz ad *Fin.* II. 15, 49. *Ego autem hoc etiam turpe esse s a e p e, iudico.* IV. §. ult. pr. *Hoc idem faciamus s a e p e.*

agitatio mentis] III. §. 4. iungitur cum *investigatione earum rerum, quas cogitando consequimur.* Cf. supra ad §. 17. Inconsiderate autem Schütz mox v. *cogitationis* glossatori adscripsit. At vero *studia cogitationis* sunt ea, *agitationi mentis,* quae mox explicatur *omnis cogitatio motusque animi,* propositae: quem ad modum *pro Coel.*

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura es laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tan quam faciem honesti vides: *quae si oculis cerner tur, mirabilis amores*, ut ait Plato, *excitaret sc*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsu per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *d tracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 4 pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non e eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homine vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset speciequ laudabile*: sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὐτ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπου et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τ ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hi *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestun rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis ess cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* II 21, 56. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concin etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *G ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blossen B griff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quer virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomin *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbration* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48 *Habes undique expletam et perfectam ... forma honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetu* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune ob versatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfect autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantu saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitu dinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atqu absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximequ laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Facrno

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id **quatuor partium** oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae:* facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de **sapientia**, excitaret **sui**.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus.“ Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt *κατορθώματα*, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, *μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως.* Alias enim addit *σκιαγραφίαν τινὰ* fore virtutem *καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν.* Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores*, ut ait Plato, *excitaret sa*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 45 pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile*; sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὐτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθὸν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum*. Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Begriff gefällt*. Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione*. Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur*. Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", inquit Plato, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Facino

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id **quatuor partium** oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae:* facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de* s a p i e n t i a, *excitaret* s u i. Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt *κατορθώματα*, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, *μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως.* Alias enim addit *σκιαγραφίαν τινὰ* fore virtutem *καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν.* Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura es laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tan quam faciem honesti vides: *quae si oculis cerner tur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret s*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsu per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *d tracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 4 pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non e eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homine vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset speciequ laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὐτ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπου et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τ ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hin *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis ess cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* II 21, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinn etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gu ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Be griff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48 *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune ob versatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfect autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato,* „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Fatmo

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus.“ Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura es laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tan quam faciem honesti vides: *quae si oculis cerner tur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret sa*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsu per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *d tracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 4 pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non c eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homine vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieq laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὐτ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπου et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθὸν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τ ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὐτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hin *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis ess cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinn etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gu ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blossen Be griff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quen virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48 *Habes undique expletam et perfectam ... forman honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune ob versatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfect autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantu saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitu dinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Fabro

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui*. Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt *κατορθώματα*, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδέ τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blossen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato,* „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae,* cum Fabro

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui*. Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — · ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus* IX.

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blofsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Facmo

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de s a p i e n t i a, excitaret s u i.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat* i. e. *fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabiles amores*, ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὐτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδέ τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc Fin. III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes u n d i q u e e x p l e t a m e t p e r f e c t a m ... f o r m a m h o n e s t a t i s: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet f o r m a m honestatis et s i m i l i t u d i n e m. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius a d u m b r a t a o p i n i o n e laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φ ρ ό ν η σ ι ς οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*“, *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus s a p i e n t i a m non cernimus. Quam illa ardentis a m o r e s e x c i t a r e t s u i, si videretur!*“ In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Facno

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui.* Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae:* facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus.“ Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur,* (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia,* de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores*, ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile*: sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc Fin. III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum*. Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione*. Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Faerno

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt *κατορθώματα*, quae *omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 15. Videndum, ait, *μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως.* Alias enim addit *σκιαγραφίαν τινὰ* fore virtutem *καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν.* Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores*, ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*“, *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*“ In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Facino

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat* i. e. *fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδε τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blofsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*“, *inquit Plato,* „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*“ In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae,* cum Facino

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus.“ Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt *κατορθώματα*, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, *μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως.* Alias enim addit *σκιαγραφίαν τινὰ* fore virtutem *καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν.* Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat* i. e. *fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* junxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores*, ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile*: sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδέ τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blossen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*“, *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*“ In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Faerno

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui.* Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae:* facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus.“ Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 15. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη. καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores*, ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari*, ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset speciequo laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδέ τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den blofsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Facmo

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae:* facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de s a p i e n t i a, excitaret s u i.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt *κατορθώματα*, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, *μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φ ρ ό ν η σ ι ς, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως.* Alias enim addit *σκιαγραφίαν τινὰ* fore virtutem *καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν.* Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt.

Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur,

---

contraria; ex quo l. simul hic liceat vindicare Indicativum, *quae nocitura videntur,* ut est in codd. Oxon. λ. μ. ψ. cui Conjunctivum *videantur* propterea praefert Gernhard, quod non eadem nocitura videantur omnibus.

omniaque, quae sunt ad vivendum necessaria] Sic e Guelph. 1. libris Langii et duobus Guilielmi se recepisse ait Gernhard in notis; sed edidit *omniaque, quae ad v. sunt n.*, eodemque modo Schütz. At vero sic nulli codd. MSS., nisi quod Facciolatus edidit *quaeque ad vivendum sint necessaria*, et Graevius, *omnia, quaecumque ad v. sint n.* Plerique: *omniaque, quae sint ad v. n., a. et paret.* Cf. §. 17. in. *ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur.* Alia ratio est loci §. 12. *parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* Ibi enim quantitas, hic autem qualitas vel genus spectatur.

Commune autem] Hanc omnium librorum MSS. lectionem in nota retinere videtur Schütz. In textu autem ipse edidit *item*, quod commendat Davis ad *II. de divin.* c. 1. Sed eodem modo Graeci loquuntur κοινὸν δ' ἐπὶ etc. praecedente in priori enunciatione μὲν: quo significatur: *eadem ratione commune esse.* Saepe enim particula *autem* est continuativa et pro *porro, praeterea,* sic frequentatur, ut novum quiddam addatur, praesertim, ex Gernhardi ad h. l. et F. Heusingeri ad c. 28. §. 9. (100.) observatione, in rebus non tam comparandis, quam ordine quodam enumerandis, ut h. l. pro *deinde* post *principio*, sic §. 17. extr. 44. Ambrosius I. 27. expressit hoc modo: *Succedit quoque, ut omnium genera animantium congregabilia natura sint.* *Commune* sic cum Genitivo *Fin.* V. 9, 25. s. 23, 65. ex. ut supra §. 2. ex. *proprium.* Cf. *Partit.* §. 130. Ad *commune* intelligi *aliquid* monet Bauer ad Sanctii *Minervam* II. p. 190. Sic Graece ξυμβαίνειν δικαιοσύνῃ ἰδίᾳ Plato *de rep.* II. p. 368. C. Similiter Exc. Krug in *Aesthetica* p. 37. s. et in *Aretologia* §. 35. c. *not.* 1. in prima et communi commendatione naturae ponit triplicem appetitum, primum quidem sui conservandi, deinde genus suum propagandi, denique sympathicum illum consociationis atque communitatis.

Sed — interest] Cf. §. 105. Deinceps, *quod adest quodque praesens est* non differunt. Sed non est, quod

ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque

---

cum Schellero alterutrum abesse malis. Junctim enim significant, *quod cum maxime adest ac se insinuat illecebris suis.* In proximis Schützio placuit reducere *paululum.* Sed hoc deminutivum scribis imputat Goerenz ad *Fin.* V. 20, 55. p. 602. et *Acad.* II. 41, 128. pr. ubi tamen Schütz (sic parum ubique sibi constat,) cum Goerenzio facit. *Paullum oppido* usurpatur *Fin.* III. 10, 33.

Homo autem (quod rationis est particeps etc.] Distinxi parentheseos signis, ut, quomodo cohaereant longius disjuncta, appareret. Sed glossematum suspicionem movet varietas lectionis. Alii enim: *qui rationis est particeps*, vel, trajecto verbo, *particeps est.* Alii vero: *quoniam r. e. p.* Quid, si, eliminato verbo una cum pronomine conjunctioneve, legatur: *Homo autem, rationis particeps, — ?* Rationis hic comparanda imago magnifica in *Fin.* II. 14, 45. Qua praerogativa hominis, Telluris domini, perfectionem in infinitum contineri, eleganter docet Krug, cujus libros (*Fundamentalphilosophie* §. 81. *n.* 1. et *Metaphysik* §. 143. a.) adisse juvabit. Notabile est etiam vocum Germanicarum *Mann* et *Mensch* (pro *Männisch*) veriloquium a Lat. *mens*, Gr. *μένος*, unde *μενάω*, *μνάω*, et *Man*, quod in sacra Brachmanum lingua significat *cor*, *principium sensationum et rationis.* Vid. *Oupnekhat* I. p. 12. et doctissimus philosophus idemque grammaticus Car. Chr. Fr. Krause *von der Würde der deutschen Sprache* (Dresdae 1816.) p. 60.

causas rerum v. earumque progressus et quasi antecessiones] Illustr. Schütz conjecit *eventorumque progressus et quasi antecessiones*, cl. *de divin.* I. 56, (128.) *qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt.* At *eventorum antecessiones*, id vero foret *ἰξύμωρον*. Potius comparasset vir celeb. ibid. 55, 125. *ordinem seriemque causarum, cum causa, causae nexa, rem ex se gignat.* Scilicet, quod statim ibi adjicitur, *nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil esse futurum, cujus non causas, id ipsum efficientis, natura contineat.* — *Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, itemque, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint*, ab eo quidem, qui colligationem

quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt.

Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur,

---

contraria; ex quo l. simul hic liceat vindicare Indicativum, *quae nocitura videntur,* ut est in codd. Oxon. λ. μ. ψ. cui Conjunctivum *videantur* propterea praefert Gernhard, quod non eadem nocitura videantur omnibus.

omniaque, quae sunt ad vivendum necessaria] Sic e Guelph. 1. libris Langii et duobus Guilielmi se recepisse ait Gernhard in notis; sed edidit *omniaque, quae ad v. sunt n.,* eodemque modo Schütz. At vero sic nulli codd. MSS., nisi quod Facciolatus edidit *quaeque ad vivendum sint necessaria,* et Graevius, *omnia, quaecumque ad v. sint n.* Plerique: *omniaque, quae sint ad v. n., a. et paret.* Cf. §. 17. in. *ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur.* Alia ratio est loci §. 12. *parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* Ibi enim quantitas, hic autem qualitas vel genus spectatur.

Commune autem] Hanc omnium librorum MSS. lectionem in nota retinere videtur Schütz. In textu autem ipse edidit *item,* quod commendat Davis ad *II. de divin.* c. 1. Sed eodem modo Graeci loquuntur κοινὸν δ' ἐστὶ etc. praecedente in priori enunciatione μὲν: quo significatur: *eadem ratione commune esse.* Saepe enim particula *autem* est continuativa et pro *porro, praeterea,* sic frequentatur, ut novum quiddam addatur, praesertim, ex Gernhardi ad h. l. et F. Heusingeri ad c. 28. §. 9. (100.) observatione, in rebus non tam comparandis, quam ordine quodam enumerandis, ut h. l. pro *deinde* post *principio,* sic §. 17. extr. 44. Ambrosius I. 27. expressit hoc modo: *Succedit quoque, ut omnium genera animantium congregabilia natura sint.* *Commune* sic cum Genitivo *Fin.* V. 9. 25. s. 23, 65. ex. ut supra §. 2. ex. *proprium.* Cf. *Partit.* §. 130. Ad *commune* intelligi *aliquid* monet Bauer ad Sanctii *Minervam* II. p. 190. Sic Graece κοινὸν δικαιοσύνης Plato *de rep.* II. p. 368. C. Similiter Exc. Krug in *Aesthetica* p. 37. s. et in *Aretologia* §. 35. c. not. 1. in prima et communi commendatione naturae ponit triplicem appetitum, primum quidem sui conservandi, deinde genus suum propagandi, denique sympathicum illum consociationis atque communitatis.

Sed — interest] Cf. §. 105. Deinceps, *quod adest quodque praesens est* non differunt. Sed non est, quod

ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque

---

cum Schellero alterutrum abesse malis. Junctim enim significant, *quod cum maxime adest ac se insinuat illecebris suis.* In proximis Schützio placuit reducere *paululum.* Sed hoc deminutivum scribis imputat Goerenz ad *Fin.* V. 20, 55. p. 602. et *Acad.* II. 41, 128. pr. ubi tamen Schütz (sic parum ubique sibi constat,) cum Goerenzio facit. *Paullum oppido* usurpatur *Fin.* III. 10, 33.

Homo autem (quod rationis est particeps etc.] Distinxi parentheseos signis, ut, quomodo cohaereant longius disjuncta, appareret. Sed glossematum suspicionem movet varietas lectionis. Alii enim: *qui rationis est particeps,* vel, trajecto verbo, *particeps est.* Alii vero: *quoniam r. e. p.* Quid, si, eliminato verbo una cum pronomine conjunctioneve, legatur: *Homo autem, rationis particeps, —?* Rationis hic comparanda imago magnifica in *Fin.* II. 14, 45. Qua praerogativa hominis, Telluris domini, perfectionem in infinitum contineri, eleganter docet Krug, cujus libros (*Fundamentalphilosophie* §. 81. *n.* 1. et *Metaphysik* §. 143. a.) adisse juvabit. Notabile est etiam vocum Germanicarum *Mann* et *Mensch* (pro *Männisch*) veriloquium a Lat. *mens*, Gr. *μένος*, unde *μενέω, μνάω*, et *Man*, quod in sacra Brachmanum lingua significat *cor, principium sensationum et rationis.* Vid. *Oupnekhat* I. p. 12. et doctissimus philosophus idemque grammaticus Car. Chr. Fr. Krause *von der Würde der deutschen Sprache* (Dresdae 1816.) p. 60.

causas rerum v. earumque progressus et quasi antecessiones] Illustr. Schütz conjecit *eventorumque progressus et quasi antecessiones,* cl. *de divin.* I. 56, (158.) *qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt.* At *eventorum antecessiones,* id vero foret ὀξύμωρον. Potius comparasset vir celeb. ibid. 55, 125. *ordinem seriemque causarum, cum causa, causae nexa, rem ex se gignat.* Scilicet, quod statim ibi adjicitur, *nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas, id ipsum efficientis, natura contineat.* — *Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, itemque, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint,* ab eo quidem, *qui colligationem*

quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt.

Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur,

---

contraria; ex quo l. simul hic liceat vindicare Indicativum, *quae nocitura videntur,* ut est in codd. Oxon. λ. μ. ψ. cui Conjunctivum *videantur* propterea praefert Gernhard, quod non eadem nocitura videantur omnibus.

omniaque, quae sunt ad vivendum necessaria] Sic e Guelph. 1. libris Langii et duobus Guilielmi se recepisse ait Gernhard in notis; sed edidit *omniaque, quae ad v. sunt n.,* eodemque modo Schütz. „At vero sic nulli codd. MSS., nisi quod Facciolatus, edidit *quaeque ad vivendum sint necessaria,* et Graevius, *omnia, quaecumque ad v. sint n.* Plerique: *omniaque, quae sint ad v. n., a. et paret.* Cf. §. 17. in. *ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur.* Alia ratio est loci §. 12. *parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* Ibi enim quantitas, hic autem qualitas vel genus spectatur.

Commune autem] Hanc omnium librorum MSS. lectionem in nota retinere videtur Schütz. In textu autem ipse edidit *item,* quod commendat Davis ad *II. de divin.* c. 1. Sed eodem modo Graeci loquuntur κοινὸν δ' ἐπὶ etc. praecedente in priori enunciatione μὲν: quo significatur: *eadem ratione commune esse.* Saepe enim particula *autem* est continuativa et pro *porro, praeterea,* sic frequentatur, ut novum quiddam addatur, praesertim, ex Gernhardi ad h. l. et F. Heusingeri ad c. 28. §. 9. (100.) observatione, in rebus non tam comparandis, quam ordine quodam enumerandis, ut h. l. pro *deinde* post *principio,* sic §. 17. extr. 44. Ambrosius I. 27. expressit hoc modo: *Succedit quoque, ut omnium genera animantium congregabilia natura sint. Commune* sic cum Genitivo *Fin.* V. 9, 25. s. 23, 65. ex. ut supra §. 2. ex. *proprium.* Cf. *Partit.* §. 130. Ad *commune* intelligi *aliquid* monet Bauer ad Sanctii *Minervam* II. p. 190. Sic Graeco ἔμφυτον δημιουργὸν ἔρωτος Plato *de rep.* II. p. 368. C. Similiter Exc. Krug in *Aesthetica* p. 37. s. et in *Aretologia* §. 35. c. *not.* 1. in prima et communi commendatione naturae ponit triplicem appetitum, primum quidem sui conservandi, deinde genus suum propagandi, denique sympathicum illum consociationis atque communitatis.

Sed — interest] Cf. §. 105. Deinceps, *quod adest quodque praesens est* non differunt. Sed non est, quod

ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque

---

cum Schellero alterutrum abesse malis. Junctim enim significant, *quod cum maxime adest ac se insinuat illecebris suis.* In proximis Schützio placuit reducere *paululum.* Sed hoc deminutivum scribis imputat Goerenz ad *Fin.* V. 20, 55. p. 602. et *Acad.* II. 41, 128. pr. ubi tamen Schütz (sic parum ubique sibi constat,) cum Goerenzio facit. *Paullum oppido* usurpatur *Fin.* III. 10, 33.

Homo autem (quod rationis est particeps etc.) Distinxi parentheseos signis, ut, quomodo cohaereant longius disjuncta, appareret. Sed glossematum suspicionem movet varietas lectionis. Alii enim: *qui rationis est particeps*, vel, trajecto verbo, *particeps est.* Alii vero: *quoniam r. e. p.* Quid, si, eliminato verbo una cum pronomine conjunctioneve, legatur: *Homo autem, rationis particeps*, — ? Rationis hic comparanda imago magnifica in *Fin.* II. 14, 45. Qua praerogativa hominis, Telluris domini, perfectionem in infinitum contineri, eleganter docet Krug, cujus libros (*Fundamentalphilosophie* §. 81. *n.* 1. et *Metaphysik* §. 143. a.) adisse juvabit. Notabile est etiam vocum Germanicarum *Mann* et *Mensch* (pro *Männisch*) veriloquium a Lat. *mens*, Gr. *μένος*, unde *μενάω, μνάω*, et *Man*, quod in sacra Brachmanum lingua significat *cor*, *principium sensationum et rationis.* Vid. *Oupnekhat* I. p. 12. et doctissimus philosophus idemque grammaticus Car. Chr. Fr. Krause *von der Würde der deutschen Sprache* (Dresdae 1816.) p. 60.

causas rerum v. earumque progressus et quasi antecessiones.] Illustr. Schütz conjecit *eventorumque progressus et quasi antecessiones*, cl. *de divin.* I. 56, (158.) *qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt.* At *eventorum antecessiones*, id vero foret ἰξόμωρον. Potius comparasset vir celeb. ibid. 55, 125. *ordinem seriemque causarum, cum causa, causae nexa, rem ex se gignat.* Scilicet, quod statim ibi adjicitur, *nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas, id ipsum efficientis, natura contineat.* — *Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, itemque, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint*, ab eo quidem, *qui colligationem*

praesentibus adjungit atque annectit futuras) facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias.
12 Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem; ingeneratque in primis praecipuum

---

causarum perspiciat animo. Neutiquam vero, ut opinatur Gernhard, hic significantur causae, quae afferunt quaedam per se adjuvantia, etsi non necessaria, atque, *perfectis* oppositae, *de fato* c. 15. — 19. *causae antecedentes* dicuntur. Quasi vero non item *perfectae* i. e. *efficientes causae* ibidem dicantur *antegressae* potiusque doceatur, *quibusdam* dumtaxat *in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut aliud aliter eveniat.* Insuper, cum hic non de fato agatur, non video, cur de causis occasionalibus potissimum cogitari velit. Immo opponitur hic simpliciter *origo,* quae continet significationem futuri eventus, quo res quaeque progreditur et tendit, *progressibus causarum* vel *consecutionibus* i. e. effectibus consequentibus (cf. *Rhetor.* II. c. 12. extr.) in serie causarum aliarum ex aliis prorsus, retro nexarum. Vid. de progressu et regressu causarum in rerum natura Exc. Krugii *Metaphysic.* §. 77. *n.* 2. et pag. 409. Eandem, opinor, rem auctor exornarat lib. IV. *de rep.* e quo Nonius: *ubi accusativus pro genitivo,* citat haec: *Atque ipsa mens, quae futura videt, praeterita meminit.*

§. 12. *natura*] hic intelligitur Deus vel ὀρθὸς λόγος, διὰ πάντων ἐρχόμενος i. e. *ratio, per omnem naturam rerum pertinens,* quam Zeno libris suis, *ut divina sit, effectum* (scil. argumentis) *putat.* (Sic desperati loci *N. D.* I. 14, 36. postrema verba e codd. vestigiis videntur posse refingi, ut inchoata Accusativi cum Infinitivo constructio relinquatur, ut alibi.) Haec *universae natura mens et ratio, toti mundo et partibus ejus inserta,* ita quidem, ut divina *consummata,* nostra ex illa sit *consummabilis,* (ut ait Seneca *de beneff.* IV. 7. cl. *ep.* 92.) elementa ingenuit homini earum virtutem, quae notae illustresque sunt. *Fin.* V. 15, 43. Etenim *fecit hominem hominum appetentem cumque his natura et sermone et usu congruentem, ut ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani et communiter ad justitiam apti videamur. Fin.* IV. 2, 4. cl. ibid. III. 19, 63. ex. Hinc apud Plutarch. *de Stoic. repugn.* (p. 284. Opp. T. X. ed. Reisk.) Chrysippus: Οὐ γάρ ἐστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ Διὸς καὶ ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως. Cf. *Krug's System der prakt. Philosophie* T. I. §. 9. n. 1. T. II. p. 23. s. De societate hominum conjunctioneque vid. infra §. 50.

quendam amorem in eos, qui procreati sunt; impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat. Quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. In primis- 13
que hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere; cognitionemque rerum aut occultarum aut ad-

---

in primis praecipuum quendam] Haec addita sunt, ut hominis, qui rationis est particeps, *amor in eos, qui procreati sunt*, distinguatur a *communi* bestiarum quoque *cura quadam eorum, quae procreata sunt*. Nam ut nimius atque insanus parentum amor in natos proverbialiter simiolorum assimiletur στοργῇ: tamen homines prolixo et perpetuo omnium ac singulorum charitatis pignorum amore prorsus singulares esse constat. Vid. *Fin.* III. 19, 62. s. et Garvii *adn.* ad h. l. p. 44. s. Mox *celebrationes* ut §. 149 ex. *conciliatio et consociatio* dicuntur pro *conciliis*. Cf. *Somn. Scip.* c. 3. in. *Nihil — est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur.* Harum quidem, quae vitam, libertatem, salutem fortunasque nostras continent, originem e naturae rationisque desideriis derivat Exc. Krug *Dicaeolog.* §. 71. 72. c. *not.* 1. et *Aretolog.* pag. 256.

§. 13. *veri inquisitio*] est omnino studium, quid in quaque re verum sit, perspiciendi, *veri investigatio* autem indicat difficilem et operosam veri perscrutationem, dum vestigia veritatis passim latentia legimus ac persequimur.

cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium] i. e. rerum coelestium, quarum tum magnitudo pulchritudoque, tum etiam efficientia *animum admiratorem contemplatoremque mundi* (ut ait Seneca *consol. ad Helv.* c. 8.) debet ad exquirendas causas excitare, ut in his inesse excellentem rationem et haec tanta opera divina providentia esse constituta arbitremur, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possimus. Sic haec illustranda videbantur ex insignibus locis *N. D.* II. 37, 95. ss. Leg. II. 7, 16. *Tusc. D.* I. 28, 68. ss. de admirabili magnificentia mundi et ornatu. Etenim infra §. 154. *cupidus in perspicienda*

mirabilium ad bene beateque vivendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex

---

cognoscendaque rerum natura dicitur *tractare contemplarique res cognitione dignissimas. In rebus occultis et ab ipsa natura involutis occupati* fuisse dicuntur *omnes ante Socratem philosophi* i. e. physici *I. Acad.* 4, 15. et 5. 19. *de natura et rebus occultis philosophandi ratio* i. e. physica. Hinc *de divin.* I. 18, 35 *causa* dicitur *latere obscuritate involuta naturae.* His illustrantur *Acad.* II. 41, 127. *Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem.* Cf. *Fin.* II. 14, 46. III. 11, 37. *scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quo modo moveantur quibusque de causis ea versentur in coelo. Quis autem — contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat?* IV. 7, 18. *contemplatio rerum occultiorum,* ubi alii libri melius *occultarum.* V. 19, 51. *eorum omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones.* Ergo ibid. I. 19, 64. ubi e *physicis* Epicuri sumi dicitur constantia contra metum religionis et sedatio animi, *omnium rerum occultarum ignoratione sublata,* Goerenz his, quae deserta ab interpretibus omnibus clamat, ingenii sui prorsus singularis lumen admoturus, sed ne memor quidem, proxime (§. 63.) antecedere, *omnium — rerum natura cognita, — non conturbamur ignoratione rerum,* lucem eripuit, mire interpretando: *omnibus iis, quae sola rationis ope, qua nihil certi erui potest, explicantur, rejectis,* cl. *I. N. D.* 18, 49. quem locum si fugitivo dumtaxat oculo inspexisset, ab errore sibi cavisset. Quippe ibi *Epicurus* praedicatur *res occultas et penitus abditas non modo vidisse animo, sed etiam sic tractare, ut manu nos ducat!*

ad bene beateque vivendum] Revocavimus lectionem Oxoniensis ψ aliorumque plurimorum codicum, olim volgatam, quam, non video, cur mangonis figmentum dixerit Frid. Heusinger, qui e Gothano, Vinar. Guelph. 1. 2. 4. 5. edit. Mogunt., Venet. 1. et incerto exemplari edidit *ad beate viv.* Cf. §. 19. ex. L. II. §. 6. *Parad.* I. extr. *Cat. Maj.* c. 2. in. *Quibus enim nihil* [*opis*] *est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnibus gravis est aetas,* ubi binorum MSS. fide *opis* delendum et pro *iis* legendum *his* videtur Hermanno, viro Magnif., in indicibus literariis Lips. a. 1819. n. 122. pag. 970. Quam belle vero recepta lectio Stoicorum rationi disciplinaeque conveniat, explicatur *Excursu VIII.*

ex quo intelligitur, etc.] Est argumentatio ab universali ad particulare. Nam qui omnino veritatis studiosus est: eandem praesertim in dictis conventisque desiderabit. Aliter enim fides haberi nequit. (Vid. §. 23. pr.) Bene

sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa 14
parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat, in factis dictisque qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab ocu-

---

h. l. explanavit Hottinger T. II. p. 121. ss. cl. *Fin.* II. 14, 46. *Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi: his initiis inducti omnia vera diligimus* (h. e. magni facimus, tum in aliis, tum in nobismet ipsis), *id est, fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus* (i. e. odiosa putamus), *ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam:* ubi Goerenz laudat *Tusc.* I. 19, 44. *Natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi.*

animus bene a natura informatus] i. e. *paullo erectior* (105. ex.), *in quo est virtutis indoles* (III. §. 16. in.): *optimo quisque et splendidissimo ingenio* (III. §. 25. ex.). Eodem modo dicitur *animus bene constitutus* in *Lael.* 18. §. 8. (47.) ex. εὐφυής.

praecipienti aut docenti] Haec sic iunguntur, ut *Fin.* III. 10, 66. extr. *prodesse docendo rationibusque prudentiae tradendis.* Scheller observat, *praecipere* esse amici quoque i. e. *monere.* Cf. §. 68 ex. Plato in *Menexeno* p. 239. A. ἡ ἰσογονία ἡμᾶς ἡ κατὰ φύσιν ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον καὶ μηδενὶ ἄλλῳ ὑπείκειν ἀλλήλοις, ἢ ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήσεως. Hic autem adjungitur etiam, *aut utilitatis* (scil. communis) *causa:* ut in re publica.

§. 14. *Quam similitudinem*] scil. *ordinis et moderationis in formarum specie ac dignitate perspectam.* Vid. *Fin.* II. 14, 47. ad quem l. Goerenz monet, *pulchritudinem* de interno animi decore ad Graecorum philosophorum, maxime Platonis, exemplum dici, ut κάλλος de *honestate* saepissime. Ex Stoicorum autem ratione ad hoc quartum virtutis genus

lis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat: cavetque, ne quid indecore effeminateve faciat; tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinose aut faciat aut cogitet,

---

(σωφροσύνη) escendere animum a pulchritudinis externae sensu, qui ex animadversa partium convenientia nascitur, ad sensum internae, quae in consiliorum factorumque constantia, ordine, convenientia inest. Sic etiam Exc. Krug *Eusebiologia* p. 51. eorum, quae aspectu sentiuntur, convenientiam agnosci volt tamquam παράδειγμα et symbolum typicum ordinis rerum agendarum (*ein Vorbild der sittlichen Weltordnung*), et honestatis cum praeparandae, tum adjuvandae adminiculum commendat, pulchri sensus elegantiaeque ut nutriatur, augeatur, excolatur, *Aesthetica* §. 66. n. 3. extr. et *Aretolog.* p. 358.

pulchritudinem, constantiam, ordinem — conservandum putat] Sic Schütz. In nota autem: „*conservanda* cum aliquot MSS. et Edd." Quam Goerenz ad *II. Acad.* 1, 1. pag. 2. proposuit regulam, qua *plura substantiva, ad unam velut notionem juncta, simplici verbi numero comprehenduntur*, eadem regula etiam ad epitheta pertinet, plurium substantivorum communia, sed ad ultimum accommodata. Cf. *de orat.* I. 44, 196. nostrae patriae *primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet.* Esse autem illa substantiva vi paria, agnoscit Gernhard.

ne quid — faciat: tum in o. o. e. factis, ne quid l. a. faciat] Libri MSS. consentiunt, non editores. Facciolatus *tum* etc. — *faciat* ut glossema alia typorum forma expressit. J. F. Heusingero auctore Schütz vv. *faciat* etc. — *factis* expulit. Sed tum nescio, an Cicero, ut solet, per anaphoram scripsisset, *ne quid indecore, ne quid effeminate, ne quid libidinose.* Perelegans est conjectura, quae sagaci debetur Gernhardi ingenio: *opinionibus et dictis, ne quid libidinose aut dicat aut cogitet.* Monet Gernhard, ut e *consiliis facta* proficiscantur, sic *dicta* nasci ex *opinionibus:* quo utroque fonte omisso, Cicero scripsit paullo ante *in factis dictisque qui modus.* Cf. §. 14. 98. 126. pr. *Fin.* II. 14, 47. ex. Adde IV. 7, 126. ubi eadem haec ex eodem fonte Graeco exponuntur: *hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps ... animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ut ne quid ab eo fieret, nisi honeste et decore:* ex quo tamen loco videmur recte posse argumentari, in *factis* inesse et *actionem* et *dicta*. Certe, admissa Gernhardi conjectura, desiderabimus concinnitatem, nisi desit verbum,

cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum; quod, etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum est,[1] quodque

---

verbum, quod referatur ad *consilia*, ut *cogitet* refertur ad *opiniones*. Itaque facimus cum perspicacissimo Hermanno, qui monet, quae inde a vv. *cavetque* sequuntur, proximis explicationis causa addita esse, ita, ut *indecore* v. *effeminatene* opponatur *pulchritudini* et *constantiae*, *ordini* autem *libidinose* i. e. sic, ut nec certum ordinem quis conservet nec perpetuam legem sequatur, faciatque, quidquid venit in appetitum, i. e. licenter. Huic igitur ultimo membro is subest sensus: *cavet, ne violet homo ordinem, qui est conservandus.* Pro eo autem, quod ante dictum; *in consiliis factisque*, observat Hermannus repeti iam *in omnibus opinionibus et factis*, quibus respondeat *aut faciat aut cogitet*. Assentior autem J. M. Heusingero, in priori membro ante *tum* excludendum esse *faciat*, quod facile a glossatore potuit adscribi. *Tum* vero inservit gradationi. Majus est enim, *in opinionibus*, quam *in consiliis* verecundiam conservare.

Quibus ex rebus etc.] i. e. *His principiis*, (v. *initiis*, *tamquam seminibus*) *a natura datis*, *omnis honestas perfecte absoluta est* (Fin. IV. 7, 18.): scilicet, quatenus *primo nos sapientiae commendamur ab initiis* v. *principiis* s. *primis elementis naturae* ab iisdemque *officia proficiscuntur*, *quae omnia eo referuntur*, *ut adipiscamur principia naturae.* (Ib. III. 6, 19. 6, 20. 7, 22. s.) Hinc infra §. 22. *Naturam debemus ducem sequi* et III. 52. *cum ea habeas principia naturae, quibus parere, et quae sequi debeas.* Cf. in primis *Fin.* V. 15, 43. Ceterum *res* hic et §. 18. c. 8. pr. *quatuor loci* indefinitius dicuntur *quatuor* illae *partes*, de quibus mox c. 5. pr. *Honestum* vero *aut ipsa virtus est aut res gesta virtute.* Vid. *Fin.* V. 23, 66.

etiam si nobilitatum non sit] Haec opponuntur eorum sententiae, quibus, *ut consuetudo loquitur*, *id solum dicitur honestum*, *quod est populari fama gloriosum et multitudinis rumore laudatur.* *Fin.* II. 15, 48. 49: de qua opinione cf. Plato *de re publ.* II. 358. A. ubi de justitia: δοκεῖ τοῖς πολλοῖς — τοῦ ἐπιπόνου εἴδους, ὃ μισθῶν ἕνεκα καὶ εὐδοκιμήσεων διὰ δόξαν ἐπιτηδευτέον· αὐτὸ δὲ δι' αὑτὸ φευκτέον, ὡς ὂν χαλεπόν. Ib. 361. C. 363. *A.* Sed, ut egregie Tullius *Tusc.* III. c. 2. *Fama popularis simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit.* Continuo Gernhard recte e Gu. 2. recepetur, *tamen honestum est.* Schütz retinuit: *t. h. sit.* Tum quidem non spernenda videatur MSpti ψ lectio: *quodque vere dicatur.* Sed *vere dicimus* affirmatius dicitur, quod recte dixerimus II. *N. D.* 26, 52. in [illegible]

vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: *quae si oculis cerneretur, mirabilis amores,* ut ait Plato, *excitaret sa-*

---

natura esse laudabile] ut Fin. II. 15, 50. extr. *ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile* i. e. *detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse iure laudari,* ut explicatius dicitur ib. 14, 45. pr. et 15, 49. *ipsum per se rectum atque laudabile; non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile:* sicut Plato loquitur l. l. p. 366. E. τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, et in princ. lib. II. τοιόνδέ τι ἀγαθόν, ὃ δεξαίμεθ' ἂν ἔχειν, οὐ τῶν ἀποβαινόντων ἐφιέμενοι, ἀλλ' αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα ἀσπαζόμενοι. Hinc *Fin.* III. 7, 14. tamquam synonyma iunguntur *honestum, rectum, laudabile, decorum.* Commune hoc Stoicis esse cum multorum aliorum philosophorum sententiis e *Fin.* III. 11, 36. ss. probat Lilie *commentat.* I. p. 28. Concinit etiam Cantii definitio (*Kritik der Urtheilskraft* p. 10.): *Gut ist, was, vermittelst der Vernunft, durch den bloſsen Begriff gefällt.* Vid. L. F. O. Baumgarten-Crusii, quem virum S. Ven. antiquae amicitiae et honoris causa nomino, *de Philebo Platonico diss.* I. n. 1. extr.

C. V. *Formam*] male Hottinger accipit pro *adumbratione.* Imo est παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα. Cf. *Fin.* II. 15, 48. *Habes undique expletam et perfectam ... formam honestatis: quae tota his quatuor virtutibus ... continetur.* Longe alia ratio est loci, qui Hottingero importune obversatus esse videtur *Fin.* V. 24, 69. ex. *Non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur?*

ut ait Plato] *Phaedro* c. 65. Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν: quae verbo tenus expressit Cic. *Fin.* II. 16, 52. „*Oculorum*", *inquit Plato*, „*est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur!*" In nostro etiam loco pro eo, quod scriptum est *sapientiae*, cum Faerno

pientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur aut in hominum

---

sine ulla codicum et libb. vett. auctoritate Schütz reposuit *sui*. Sed recte Gottleber: „In Platonico loco et in ejus interpretatione apud Ciceronem sermo est de sapientia, h. l. vero *sui* refertur ad honesti formam, citra Platonis sententiam, cujus auctoritas tamen laudatur. Sed locum correctioni dedit, quod Cic. Platonis sententiam ad suam rem accommodaret. Nec intelligi facile potest, quo modo pro *sui* illatum sit in codd. et vett. edd. *sapientiae*: facilius vero perspicitur, unde *sui* in recentiores edd. fluxerit; nempe quod Faërnus hunc locum ex alio interpolavit. Auctoritas hujus lectionis et inde apparet, quod Pearcius pariter ac Facciolatus eam retinuerunt, ita textum refingentes: *mirabiles amores, ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Sed non opus est hac correctione. Mihi quidem vulgata recte se habere videtur, quae etiam in Graeviana expressa est. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiae, quae vel mater est virtutis vel virtus ipsa. Qui enim secundum Stoicos sapiens est, idem et summa virtute praeditus est et perfectus." Eodem fere tendit Garve *Obss.* L. I. p. 61. s. et 66. nec non Degen, vir Summe Ven., cujus editione altera in superioribus uti nondum potui. Scilicet *sapientiae perfectae* propria sunt κατορθώματα, quae *omnis numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est.* Vid. *Fin.* III. 7, 24 ex. cl. infra II. §. 35. III. §. 13. ex. 14. ex. 16. ubi *a sapientibus* et *fortitudinis* et *justitiae peti exemplum* dicitur. Sed ne haec a Platonis mente aliena videantur, audiatur ipse de virtutum separatione aliusque per aliam compensatione in *Phaedone* c. 13. Videndum, ait, μὴ — οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετήν — ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν — φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως. Alias enim addit σκιαγραφίαν τινὰ fore virtutem καὶ οὐδὲν ὑγιὲς καὶ ἀληθὲς ἔχειν. Vid. *Excursus IX.*

honestum — quatuor partium oritur ex aliqua] *Quatuor partes, a quibus omnis honestas manat i. e. fontes honestatis, a quibus officia* i. e. laudes s. specimina virtutum (cf. *Excurs.* IV. extr.) *ducuntur*, (cf. §. 152. III. 96.) sunt eadem illa *naturae studia*, de quibus paullo ante extr. c. 4. Male deinceps Hottinger *solertia* cum Genitivo *veri* iunxit; et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consecutus est.

societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. Quae quatuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt; tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur: velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua

---

rerum contractarum] i. q. §. 23. pr. *dictorum conventorumque;* ut apud Platon. *de Legg.* XI. p. 922. B. τῶν ξυμβολαίων, ὅσα πρὸς ἀλλήλους ἄνθρωποι ξυμβάλλουσι. Cf. §. 53. *res rationesque contractae.* III. 61, *res contrahendae.*

in quo inest] i. e. *posita est* v. *cernitur.* Nam, ut recte observat Hottinger interpretat. T. II. p. 124 — 127. *modestia et temperantia* hic definitur *omnium, quae fiunt quaeque dicuntur,* *ordo et modus* i. e. ordinis conservatio, εὐταξία (cf. §. 17. ex. 142. pr.) et moderatio. Vid. ad §. 93. pr.

§. 15. *Quae quatuor q — implicata sunt; tamen ex singulis certa quaedam o. g. nascuntur*] i. e. *Haec, quae dico,* (honestorum genera) *cogitatione quidem inter se differunt, re vero conjuncta sunt* (uti *Tusc.* IV. 11, 24. item de vitiis loquitur et ibid. III. c. 8. de virtutibus: *omnes inter se nexae et jugatae sunt.*) Tamen *singularum virtutum sunt certa quaedam officia et munera* (II. *de or.* c. 85. in. ed. Schütz c. 84. med.). Vide de hac *conspiratione consensuque virtutum* II. *N. D.* 61, 153. cl. Plutarcho *de virtute morali,* qui unam ac simplicem virtutem variis nominibus insignitam videri memorat, et Krugio in *Aretalog.* §. 11. n. 2. qui laudat *Fin.* V. 23, 65. ss. maxime 67. *Atque haec conjunctio confusioque virtutum tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam cum ita c o p u l a t a e c o n n e x a e q u e sint, ut omnes omnium participes sint nec alia ab alia possit separari: tamen proprium suum cujusque munus est: ut f o r t i t u d o in laboribus periculisque cernatur, t e m p e r a n t i a in praetermittendis voluptatibus, p r u d e n t i a in delectu bonorum et malorum, j u s t i t i a in suo cuique tribuendo:* quibus fere respondent Graeca apud Diog. Laërt. VII. 125. 126. Cf. *Rhetoric.* II. c. 54. *ad Herenn.* III. c. 4. Parum acutus Binkes *diss.* p. 18. primas binas partes confundit per tautologiam: „*Primum* hominis est officium, investigare, quid sit veri falsique, *quid virtutis,* quid vitii: *deinde* normam, secundum quam actiones ad *virtutis praecepta* dirigere debeat. Tertia virtus etc.“ Vide *Excursum* X.

sapientiam et prudentiam ponimus, indagatio atque inventio veri; eiusque virtutis hoc munus est pro-

---

ex ea parte, —, in qua —, ponimus,] Libri, de quorum quidem lectione constat, omnes: *ex ea parte, —, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri:* in qua verborum constructione expedienda, intt., quod miserandum sit, laborant, de sententiarum nexu securi. Sed arbitratur Hermannus, *indagationem atque inventionem veri* esse ipsum illum fontem, ex quo oriatur sapientiae virtus, neque vero contra. Praeterea cum antea iam dictum esset, id, quod quatuor illarum partium oriatur ex prima, honestum *in perspicientia veri solertiaque versari:* hic, ubi idem tantummodo per repetitionem quandam commemorandum erat, ex volgari lectione potius ut novum quiddam adjici, exempli causa *ex ea parte, quae prima descripta* (i. e. in divisione proposita, v. ad §. 51.) *est, inest indagatio atque inventio veri.* De quo autem nondum monitum fuisset, id, quasi iam constitutum esset, interseri, *in qua sapientiam et prudentiam ponimus.* Absurda fore etiam, quae sequuntur, quasi *indagatio atque inventio veri* sit *virtus;* cujus *munus sit proprium sapientia et prudentia,* cum potius dicendum esset, *verum indagare atque invenire esse munus sapientiae et prudentiae.* Cf. *Acad.* 8, 26. *Quaestio est appetitio cognitionis, quaestionisque finis inventio.* Itaque, ordinem verborum, transpositione facta, esse turbatum, cum librarius iam olim ex superiori versu aberrasset in proximum et praetermissa verba statim subjecisset, ordine appositis in margine numeris aut notis indicato, his autem signis ab alio deinceps scriba neglectis, errorem propagatum esse, judicat Hermannus. Cujus viri Summi solertiam emendandi cum equidem veterum exemplarium vicariam agnoscam, non refrager restituenti eum verborum ordinem, quem et constructionis ratio efflagitare et sententiarum nexus ei videtur: *in qua inest i. a. i. v., sap. et pr. ponimus.* Garve tacite interpretatur sic, quasi emendatio illa, quam Degen notam habuisse videtur, sed repudiat, in libris volgaribus iam legeretur. Eadem transpositionis medela ut aliis etiam desperatis locis adhibeatur, auctor sum: e. c. N. D. I. 10, 24. *Terra enim profecto, *** quoniam mundi pars est, pars est etiam dei. Atqui terrae maximas regiones — incultas videmus, quod pars earum — exarserit, pars obriguerit —; quae [si mundus est deus], quoniam mundi partes sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.* Asteriscis indicavimus, quo verba, a nobis uncis notata, transferenda videantur. Cum eadem propemodum verba ibi iterentur, facile fugitivus scribae oculus a superioribus ad inferiora aberrare potuit: suppletaque in margine lacuna

16 prium. Vt enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. Quocirca huic, quasi materia, quam tractet et in
17 qua versetur, subiecta est veritas. Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur: ut et societas hominum coniunctioque servetur

---

ejusque signis alieno loco annotatis, turbae eodem modo ortae, quo videntur nostro hoc loco. Iam omnia hic apte cohaerent: *velut ex prima parte natam* (hoc subauditur, intelligendum ex praecedenti *nascuntur*) *sapientiam et prudentiam ponimus* i. e. *tamquam exemplum commemoramus. Ponere* enim pro *exempli causa dicere, afferre* frequentatur, e. c. II. §. 11. Sed satius videbatur, sustulisse *inest*, glossam verbi *ponimus*. Cf. §. 152. 153. pr.

§. 16. *Vt — quisque — quique —, is*] De hac complexionis conformatione vid. ad §. 1. His autem verbis *prudentiae* et *sapientiae*, quae virtutum §. 155. accuratius distinctarum nomina hic latiori sensu tamquam synonyma iunguntur (ut *or*. III. c. 15. pr.) continetur definitio, quae disertis verbis fere sic exprimenda sit: *Solertia, quae rerum honestarum et cognitione dignarum* (§. 19.) *scientia pollet.* Vid. *Partit. or.* c. 22. Theod. Jo. Abr. Schütze in Progr. a. 1786. Gerae evolgato nobisque a Spohnio, Celeberrimo et amicissimo viro benevole communicato: quo Garvii versionem examinat, p. 4. *prudentiam* h. l. omnino explicat *scientiam*. Binkes *diss.* p. 17. hebeti ingenii acumine secum ipse pugnat, iam auctorem de sola *prudentia*, quae proprie dicatur, hic loqui autumans, iam latius haec patere. Continuo istius definitionis annectitur corollarium quoddam: *Quocirca huic — subjecta est veritas*, τὸ ἀληθές.

§. 17. *Reliquis a. tribus v. — actio vitae continetur*] Ex *insito menti cognitionis amore* cum *etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequatur* (*Fin.* IV. 7, 18), reliquis autem tribus virtutibus proposita sit *actio rerum*, quae *cognitionem prudentiamque sequitur* (infra §. 153. ex. 160.): *totam philosophiam* veteres illi *tris in partes diviserunt: quam partitionem Zeno retinuit. Fin.* IV. 2, 4. extr. Sed cum duarum partium, *physicae* et *dialecticae*, sint θεωρήματα: partitio illa proprie duplex esse reperitur: unde exsistit philosophia et θεωρητικὴ et πρακτική: quem ad modum *motus animorum duplices sunt* §. 101. pr. 132. pr. et *Partit.*

et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. 31

---

or. c. 22. pr. *vis virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus aut actione. Actio* secus, quam debebat, explicatur a Goerenzio *agendi ratio* III. *Fin.* 17, 58. *Est autem ejus generis* (in mediis rebus) *actio quoque quaedam;* adeoque *recte agendi ratio* II. *Acad.* 12, 39. extr. *qui aut visum aut assensum tollit, is omnem actionem tollit e vita.* At vero est potius *usus vitae in agendo* (i. e. *res gerendo*) *positus*, *Werkthätigkeit*, opponiturque h. l. *investigationi veri*, et extr. hac §. *mentis agitationi* i. e. *cogitationi motuique animi* (§. 19.), ut in *Cat. Maj. de senect.* c. 7. §. (7. extr.) 23. *An in omnibus iis* (rectius cum Gernhardo legi videtur *his*) *studiorum exercitatio et agitatio vitae aequalis fuit?* Sic enim hunc locum e cod. emendat Hermannus, quem honoris causa nominamus, in *Leipz. Lit. Zeitungen* a. 1819. n. 122. p. 971. In corruptis autem Epicurei verbis *N. D.* I. 17, 45. extr. *Anquirit animus et formam et vitam et actionem mentis atque agitationem in deo*, legendum conjicio *vitae actionem mentisque agitationem.* Ad haec enim vv. respicitur 19, 51. pr. *quae vita deorum sit quaeque ab iis degatur aetas*, et 37, 103. *quae demum* (est dei) *actio vitae?* quo sensu *actio vitae* occurrit etiam II. *de div.* 42, 89. ex. Miror autem Schneiderum, in edendis Epicuri fragmentis occupatum, non vidisse, ausui verba illa hunc in modum transponendi, *et actionem atque mentis agitationem*, obstare κυρίαν δόξαν ibid. §. 51. expressam: *Nihil agit* (deus). Nihilo minus ea conjectura et Heindorfi et Moseri assensum impetravit. Paullo ante *necessitates* dicuntur pro *rebus necessariis ad vitam degendam* (§. 11. extr.): Hae *virtutibus propositae sunt*, ut *appetantur, quaerantur*. Cf. §. 38. pr. *Fin.* V. 13, 37. Degen cum Maturantio *necessitates* explicat *actiones necessarias*, quae incumbant virtutibus. Verum enim vero seqq. *ad eas res — continetur* non nisi explicandi causa adjecta quodam modo abundant. De ceteris monuit Lilie p. 59. s. Ciceronem paulo altius recondidisse vinculum, quo cum communitatis principiis coniuncta sint reliquarum virtutum, *fortitudinis* in primis et *temperantiae* initia; sed, si animum adverteris, satis declarare videri, qua societate hae virtutes cum vita communi jungantur. *Laudis studium*, quod ad res magnas illas quidem et maxime utiles, sed vehementer arduas suscipiendas (§. 66. s.), in quo *fortitudinis*, propugnantis pro salute communi (§. 62.), splendor est omnis (61. 67.), adeoque ad pericula adeunda vocat, et *pudor*, qui revocat a turpitudine, in societate primum

Ordo autem et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis
18 agitatio. His enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes, honestatem et decus conservabimus.

VI. Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in

---

et excitari et viam ad virtutem munire videbatur. *Laus* enim, quam vel sibi vel aliis tribui vident, advertit animos puerorum ad ea *indaganda* et magno animo elatoque excellenter *gerenda*, quae per se laudanda sunt: at *verecundia* nascentem cupiditatem coërcet, dum adulta ratio melioribus incitamentis locum det.

Ordo autem et constantia et modus et ea, quae sunt his similia] Haec cuncta continentur in quarta parte, quae tribus partibus, modo commemoratis, adjicitur per *autem* (v. supra ad §. 11.). *Ordo* hic dicitur pro *ordinis conservatione*, εὐταξία. Vid. c. 40. pr. Deerat autem in Lat. linguae copiis vox, qua exhauriretur vis σωφροσύνης. Quapropter pluribus eam nominibus effert Cicero etiam c. 27. pr. III. c. 33. pr. *Tusc.* III. 8, 16. ubi Nostro rectè *ea virtus f r u g a l i t a s appellari posse* videtur. Quae quia praesertim in actione rerum elucet, iccirco ad hanc ipsa quoque revocatur, licet etiam in mentis agitatione posita sit, bene observante Facciolato.

§. 18. C. VI. *honesti naturam vimque*] Goerenz ad *Fin.* V. 15, 43 (*Est naturâ sic generata v i s hominis,*) ait *vim* poni pro *facultate.* Sic fere *vis divina* pro divinitate *N. D.* I. 13, 35. 15, 39. et 40. extr. Similiter *vis et natura* cum Genitivo quasi circumloquendo designat rem, qualis est ipsa per se, quatenus ejus indoles spectatur (v. c. *N. D.* I. 13, 32. 44, 122.) Etenim *vis* dicitur tum pro notione, quam late patet ambitu (*Partit. or.* 37. §. 129. s.), tum pro iis omnibus, quae una cum rei notione comprehendimus. Hinc *N. D.* I. 11, 27. *aperta simplexque mens, nulla re adjuncta, qua sentire possit, fugere intelligentiae nostrae v i m e t notionem videtur,* interpretando Wyttenbachius falsa (*intelligi non potest*) miscuit veris: *et repugnat esse aliquam mentem.* Creuzer autem confugit ad conjecturam: *notationem,* cl. *ad Herenn.* IV. 50. ubi tamen *notatio,* quod cum bona Summi viri venia dixerim, significationem habet ab h. l. alienissimam, quem sanissimum esse, nemo dubitabit, animadvertens, *intelligentiae* esse objecti Genitivum, non subjecti. *Fugere*

veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus hisque

---

ibi valet, *non cadere in intelligentiae nostrae naturam, abhorrere ab, non concordare, non comparari posse cum intelligentiae, qualis est in nobismetipsis, vi et notione.* Iam intelligitur, apte hoc modo Epicureum ibi disputare contra Anaxagoram, cum ex ipsius Anaxagorae sententia *intelligentia* eadem esse debeat et in deo et in nobis, referente Simplicio *in Physica Aristot.* p. 33. b. νοῦς δὲ πᾶς ὅμοιός ἐστι· ἕτερον δὲ οὐδέν ἐστιν ὅμοιον οὐδενὶ ἄλλῳ i. e. *nulla natura praeter intelligentiam habet aliam sui comparem vel est alii cuidam compar.* Aberravit igitur Tennemann (*Geschichte der Ph.* I. p. 318.) sic accipiens: *intelligentiae cum alia re ne minimum quidem esse commune.*

maxime naturam attingit humanam] i. q. §. 13. pr. *in primis hominis est proprius. Attingere* enim valet, alicui rei convenire. Cf. *Fin.* V. 9, 24. Seneca *ep.* 121. pr. Schütz. *Lex. Cic.* s. v. p. 156. n. 7.

trahimur et ducimur] Vv. *et ducimur*, in codd. Goth. et Vinar. omissa, melius abfore, iudicat J. M. Heusinger et Schütz. Volgatam, si vera sit, sic explicat J. F. Heusinger, *non modo necessariam, sed iucundam etiam nobis esse istam ad cognoscendum propensionem.* Similiter Degen: *trahimur* scil. *inviti:* quando multa, quae cognitu necessaria sunt, non sine molestia ediscuntur. Sed verior Goerenzii interpretatio ad *Fin.* I. 16, 50. „*trahimur* naturali impetu, *ducimur* rationis iussu.“ Sequitur enim: *In hoc genere et naturali et honesto* etc. quae item pervertit Degen interpretando. Sensus est, *quod non modo naturam attingit, sed etiam ad virtutem tendit.*

in qua excellere] ut *de or.* I. c. 50. *in aliqua arte et facultate excellens.* Cf. S. Ven. Matthiae ad *or. p. Mur.* 26, 54. ex. *Catoni, homini in omni virtute excellenti.* Deinceps *labi*, quod pessime Degen interpretatur *festinare*, metaphorice intelligitur, ut alibi, ubi etiam additur: *opinione* v. *mente, a vera ratione, per errorem* et *propter imprudentiam.* Cf. II. §. 9. et Schütz *Lex. Cic.* s. v. 9, p. 259. *Decipi*, i. e. aliena fraude et malitia falli, est imbecilli animi. Cf. c. 10. ex. III. §. 67. ex. cl. 70. in. et Schütz s. v. p. 14.

temere assentiamur: quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent), adhibebit ad consideran-
19 das res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium audimus, in geometria Sex.

---

ne — temere assentiamur] i. e. *ne, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendamus*, ut loquitur *N. D.* I. pr. *prudenter Academicos a rebus incertis* *assensionem cohibuisse* praedicans. Cf. infra II. §. 8. et I. Acad. 12, 45.

§. 19. *astrologia*] e. q. *astronomia*. Cf. II. *de divin.* 42, 87. s., ubi, rejecto Chaldaico praedictionis genere *ceterae* *astrologiae* *partes* probantur. De *C. Sulpicio Gallo*, COS. a. V. 587. cum M. Claudio Marcello vid. Ernestinae *clavis ind. histor.* cujus in citatis errores propagavit Schütz *ind. histor.* p. 581. qui omnia ab initio usque ad finem exscripsit, non addito tamen Ernesti nomine. De studio ac de doctrina hujus astronomi, qui rationem defectus solis et lunae primus Romani generis in volgus extulit, vid. Wetzel et Gernhard ad *Cat. Maj.* XIV. §. (11.) 49. extr. Livius XLIV. 37. Harduinus ad *Plin. Histor. Nat.* II. c. 12. sect. 9. Iste igitur quia Ciceronem aetate antecedit, propterea scriptor dicit: *ut in astrologia* (e praecedd. intellig. *operam curamque posuisse*) *C. Sulpicium audimus*, cui opponitur *ipsi cognovimus*, quod pessime Hottinger accepit pro *omnibus notum est.* At *S. Pompejum*, S. F., Magni patruum, qui, ut est in *Bruto* c. 47., *praestantissimum ingenium contulerat ad summam* *iuris civilis* *et ad perfectam* *geometriae* *et rerum Stoicarum scientiam*, *ipse* cognorat Cicero, tiro in fratris, Gn. Pompeji Strabonis, COS. a. V. 664., exercitu. Vid. *Philipp.* XII. c. 11. Eadem oppositio *Fam.* I. 10. (al. 9) §. 32. *sicut et meis temporibus* *scimus* *et nonnullis aliis accidisse* *accipimus* ex Martyni-Lagunae, ingeniosissimi philologi atque admirandi, emendatione. Miror autem Goerenzii negligentiam, qui *Fin.* III. 20, 66. ne commemorata quidem lectionis varietate, ediderit *accepimus*; cum ad II. *Leg.* 26, 64. p. 205. a. ex duobus suis codd. restituerit: *ut de Hercule et de Libero* *accipimus*. *Dialecticam iuris civilis* (nempe positivi s. statutarii, v. *de*

Pompeium ipsi cognovimus, multos in dialecticis, pluris in iure civili: quae omnes artes in veri investigatione versantur, cuius studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit; a qua tamen fit intermissio saepe multique dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae nunquam acquiescit, potest nos

---

orat. I. 42, 188. ex.) *scientiae* adjunxerat Serv. Sulpicius, ad quem alluditur II. §. 65. De hoc ac de aliis claris Iurisconsultis vide *Brut.* 38, 133 — 42, 157. ibid. c. 20. *de orat.* I. 36, 165. ex. 37, 170. s. 39, 180. 45, 198. ss. c. 48. ex. 50, 216. s. c. 55. ss. III. 33, 133. ss. *de senect.* 9, 27. 14, 50. *Caecin.* c. 27. extr. in primis vero Pomponium *de origine juris* (e *Digestt.* I. 2, §. 35. ss.) et ad idem enchiridion Rupertum, necnon *Chronologiam Iuris Romani cum Fastis consularibus*, praemissam *Corpori Iur. civ. Rom.*, in qua sunt vett. ICTorum successiones, nomina, scripta et leges excerptae.

cujus studio a rebus gerendis abduci] Hoc vitium Binkes diss. p. 17. tertium numerat. At vero continetur iam in altero. Sed ne Tullius officiorum, quae ex communitate, eorumque, quae ex cognitione ducuntur, comparationem, infra demum §. 152. ss. instituendam, anticipare videatur, hic et §. 28. verbo tantum attingit. Cf. Lucianus in *Hermotimo* c. 79. ἡ μὲν ἀρετὴ ἐν ἔργοις δήπου ἐστὶν etc. *N. D.* I. 40, 110. *virtus* dicitur *actuosa*. Atque huc quidem Gernhardo in *praef.* p. XVIII. revocanda videtur hujus loci de sapientiae ac prudentiae munere brevitas: quippe cum veri indagatio ab agendo negotiisque rei publicae administrandae animum abducat. Ipsum scribendi consilium ab auctore et temporis miseriae et M. filii aetati suaeque auctoritati esse accommodatum, propterea que eas virtutes maxime commendari, quibus ornatum vellet virum fortem, eumque, cujus opera maxime esset ad rem publicam recuperandam necessaria.

fit intermissio saepe] Sic *saepe* in clausula ponitur II. 49. Vid. Goerenz ad *Fin.* II. 15, 49. *Ego autem hoc etiam turpe esse saepe, iudico.* IV. §. ult. pr. *Hoc idem faciamus saepe.*

agitatio mentis] III. §. 4. iungitur cum *investigatione earum rerum, quas cogitando consequimur.* Cf. supra ad §. 17. Inconsiderate autem Schütz mox v. *cogitationis* glossatori adscripsit. At vero *studia cogitationis* sunt rea, *agitationi mentis*, quae mox explicatur *omnis cogitatio motusque animi*, propositae; quem ad modum *pro Coel.*

in studiis cogitationis etiam sine opera nostra continere. Omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum aut in studiis scientiae cognitionisque versabitur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

§. 46. voluptates dicuntur *studia delectationis*. Recte J. F. Heusinger interpretatur: Ad veri investigationem non semper otium ac secessus requiritur; animus potius, qui *numquam, insistens, agitatione et motu esse vacuus potest* (II. *de divin.* 62, 128.), quamvis rebus agendis occupati simus, vel inter ipsa negotia (*sine opera nostra* i. e. aliud agendo, vel, ut eleganter Facciolatus: etiam si opera nostra alio spectet pro suscepto rerum gerendarum instituto), quid honestum ac verum sit, deliberate multaque cogitando consequi potest. Recteque monuit Gottleber, *studia cogitationis* in exquirendo vero et consilio capiendo contineri: unde statim ponuntur *consilia* et *studia*, genera *cogitationis*.

in studiis scientiae cognitionisque versabitur] Inverso ordine 6, 18. ubi inutili subtilitate Degen *cognitionem* rerum obscurarum, *scientiam* incognitarum esse censet; §. 158. *totum se in cognitione et scientia collocare*, et, *officium, quod cognitione et scientia continetur*. Neque tamen h. l. ὑστερολογία statuenda. Etenim *cognitio* rei est multiplicis *scientiae*. Vid. *de or*. I. c. 3. *qui omnem illarum artium paene infinitam vim et materiam scientia et cognitione comprehenderit*, cui codd. pll. lectioni non praeferre debebat Schütz *scientia et cogitatione*. Sed male ibid. paucis ante editur contra concinnitatem: *qui ... omnia ... vel scientia et pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderint*. Sed recte volgatam *scientiae pervestigatione* periphrasi pro *scientia*, *quatenus pervestigatione nititur*, explicat Matthiae, vir S. Ven., ad c. XV. *pro leg. Man.* §. 43. in. Etiam *Fin*. III. 6, 21. pro eo, quod Schütz cum Goerenzio edidit: *ita cognitione et ratione collegit, ut statueret*, revocanda verior Davisii lectio, *cogitatione*, ut *Leg*. I, 7, 22. *particeps rationis et cogitationis*. Cf. *Acad*. II. 46, 142. extr. Similiter iungitur *ratione animoque lustrare*, infra §. 57. pr. *tenere ratione et intelligentia* III. c. 17. pr. — Recte h. l. Heusinger e suis scriptis et impressis, Venett. tribus et Argentorat., praeter quos Mogunt. Lugd. Paris., Basileenses etc. testes citat Gottleber, et Gernhard e codd. λ. μ. receperunt *versabitur* i. e. versari debet: ut §. 18. ex. *adhibebit*. §. 45. 86. 159. *non suscipiet* 186. II. 85. pr. III. §. 31. ex. 61. ex. 90. passim. *Partit. or*. c. 38. s. §. 135. ss. Tamen Schütz tacite h. l. revocavit volgatam *versatur*.

VII. De tribus autem reliquis latissime patet 20
ea ratio, qua societas hominum inter ipsos et vitae

C. VII. §. 20. *societas hominum inter ipsos*] ut §. 51. in. et II. *Leg.* 7, 16. *societas civium inter ipsos*, atque alibi iterato eodem substantivo. Vid. III. 69. Mox particulae *quasi* significationem Degeri obscuravit magis, quam illustravit: innuit auctor, quod §. 50. illustrat, *esse naturalem quandam universi generis humani societatem.* Ceterum universa haec *ratio*, *qua vitae quasi communitas continetur*, videtur quodam modo dici posse *aequitas*. *Aequitatis* enim, ut *Partit. or.* 37, 130. describitur, *vis est duplex: cujus altera directa et veri et iusti et, ut dicitur, aequi et boni ratione* continetur; *altera ad vicissitudinem* (ineundae et) *referendae gratiae pertinet.* Ita quidem a *justitia*, quae, sensu angustiori accepta, continet et *innocentiam*, ἀβλάβειαν, i. e. *affectionem talem animi*, *quae noceat nemini* (*Tusc.* III. c. 8.) et *animi habitum*, *communi utilitate conservata*, *suum cuique tribuentem* (cf. *Rhetor.* II. c. 54.), sic distinguetur *beneficentia*, ut *prosit*, *quibus potest.* Noster quidem Clodius, vir Summus et Exc., *diss. de virtutibus cardin.* p. 4. notat philosophum Romanum, rem omnem ad quatuor genera, e quibus honestas oriatur, paullo violentius detorquentem, ut etiam beneficentiam seu liberalitatem, quasi quintam aliquam virtutem una cum justitia in hunc quatuor virtutum chorum non satis commode intruderet. Verum tamen Cicero hic, a communitatis principiis profectus, sequitur Stoicos, qui eam benevolentiae illius, quae ab amore parentum erga liberos profecta, latius serpat, esse docent naturam, ut omnium virtutum quasi igniculos excitet: qua de re Lilie (*comment. I.* p. 69. s.) laudat Arrian. p. 106. ed. Schweigh. Add. *Fin.* V. 23, 65. ex. Atque etiam apud Platonem *benignitas*, quem nos appellamus *amorem*, jungitur δικαιοσύνῃ, quae trium reliquarum virtutum, σοφίας, σωφροσύνης, ἀνδρείας est quasi concentus et trias harmonica. Cf. Aristot. *Eth. ad Nic.* V, c. I. §. 9. κρατίστη τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη καὶ οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός· καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν,

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν.

Scilicet, *aequitas* (cf. §. 30. ex.) vel ea, quae latius patet, *justitia*, cuncta in alios officia complectitur, quod monitum est iam a Gernhardo. Lepidum vero Binkesii caput *diss.* p. 18. laudat *Leg.* I, 18. ubi Ciceroni *justitia* dicatur *causa atque s e n t e n t i a omnium virtutum.* Ea vero est insulsae interpretationis *sentina*. Scilicet ibi §. 48. ex. legitur: *Iustitia — per se — expetitur. Eademque omnium virtutum causa* (i. e. conditio, ratio,) *atque sententia est* i. e. *idem de omnibus virtutibus sentiendum*, nempe: *eas per se expeti.*

quasi communitas continetur. Cuius partes duae sunt: iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua viri boni nominantur; et huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel

---

ex qua viri boni nominantur] Haec repetuntur II. §. 38. Et *viri boni* iidem dicuntur, qui *justi* I. §. 41. ex. Cf. 46. ex. III. 62. *Parad.* III. 1, 5. s. §. 21. ubi vid. Gernhard. Loquitur autem h. l. scriptor sic, ut §. 31. *justo homine, eoque, quem virum bonum dicimus*, et III. §. 17. 75. *ii, qui habentur boni* i. e, qui communibus officiis satisfacere putantur et tales sunt, quales humana societas, quae fide justitiaque contineatur, postulat: quo innuitur simul, volgares homines esse prodigos in *viri boni* nomine largiendo, cujus formam et notionem ex Stoicorum ratione sic, ut *vir bonus* idem sit ac *perfectus homo*, describit auctor III. 64. 75—77. 81. s. *Fin.* III. 19, 64. *Tusc.* V. 10, 28. *Lael.* 5. §. 6. 9. 11. c. 6. §. 15. Est autem vocabulorum, quae in una notione coaluerunt, solennis hic ordo, ut substantivum praecedat, sequatur adjectivum, ut *vir bonus* §. 41. ex. 46. ex. 48. ex. 55. III. 50. 54. pr. 57. ex. 60. ex. 91. nisi forte substantivum cum aliquo adjectivo copuletur, ut II. §. 27. 42. pr. 63. pr. III. §. 31. 50. aut in oppositione aliqua sive emphasi, ubi item dicitur *bonus vir*, ut II. c. 17. pr. 20, 69. 71. III. §. 18. 38. ex. 62. 77. 80. pr. 82. 89. pr. *Lael.* 18, 7. *Parad.* III. 1, 5. (§. 21.) *Leg.* I. 14, 41. ex quo loco utriusque collocationis elucet discrimen. Eandem esse monet Gernhard exceptionem, qua scribatur II. 57. *optimi viri* pro *optimatibus* et I. 67. *magni viri*.

huic conjuncta beneficentia] ut *N. D.* II. 61, 153. *pietas, cui conjuncta justitia est*, ubi e stribligine *cui cum* Moser frustra eruit *quicum*. Vitiosa autem forma est, quae etiam in Schützii editione et hic et §. 45. 68. III. §. 28. resedit, *beneficientia*. Etenim in —*ientia* terminantur ea substantiva, quae a verbo in — *io* derivata sunt, ut *audientia*, vel ex verbo praepositioneque coaluerunt, ut *efficientia*, *desipientia*, *despicientia*; in — *entia* autem exeunt substantiva ab adjectivis adverbiisve ducta. Dicitur autem *bene*, *male* et *magni facere*, non *beneficere*, *magnificere* etc.; ergo ne *beneficientia* quidem, nec *maleficientia*, *magnificientia*, *munificientia*; sed *beneficentia* et similiter cetera a *beneficus* etc. Quid, quod ipse Schütz c. 14. pr. et II. *de or.* c. 84. p. 235. edidit *beneficentia?* Haec notavimus, Ill. Schützio reverentiam testificantes. Degenium in talibus missum facimus: neque enim veremur, ne apud quemquam ejus valeat auctoritas. Triplex autem hujus virtutis nomen etiam apud Graecos εὐποιΐα, εὐεργεσία, ἐλευθεριότης, inde ductum videtur Gernhardo, quod in beneficio spectetur, quid facias, qua mente atque an sponte.

liberalitatem appellari licet. Sed iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria; deinde, ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. Sunt autem privata 21
nulla natura: sed aut vetere occupatione, ut qui

---

justitiae primum munus est] i. e. justitia, ubi ea ab hominibus colitur, primum in eo observando posita est, *ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria* i. e. *nisi, ut, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus vim atque iniuriam:* ut est apud Herodianum *Histor.* III. 6, 4. (9.) Ὥσπερ δὲ ἄδικον τὸ ἄρχειν ἔργων πονηρῶν, οὕτως ἄνανδρον τὸ μὴ ἀμύνεσθαι (vel, ut ibid. VI. 4, 4. (8.) τοὺς ὀχλοῦντας ἀποσείεσθαι) προαδικούμενον. Hoc idem sibi volt Noster et hic et III. 76. non de ulciscendo aut de injuria referenda loqui videtur: quo sensu ipsius verba acceperunt etiam interpretes quidam, ut Muretus, Facciolatus, Pearcius, qui nostrum vitae magistrum liberare voluerunt ab invidia, in quam vocatus fuerat ab Ecclesiae patribus, a Lactantio VI. 18. 15. ss. Ambrosio I. c. 28. et Tertulliano *de patientia.* Rectius de iure et moderamine inculpatae tutelae secundum ius civile intellexit Lucius Joann. Scoppa *Collectaneor.* c. IX. (in Gruter. *Lampad.* I. p. 906.) laudans inter alia *Digestt.* I, 1, 3. IX. 2, 4. et 5. pr. cum ibi notatis et glossis. Eadem sententia est Graevii et Rachelii.

ut communibus — ut suis] i. e. rebus publicis pro indivisis uti licet ita, ut ceteri quoque condomini participare possint (§. 51. ss.): si quae privatae res nostrae sunt, ut nostris i. e. ita ut a possessione nostra excludamus alios (§. 154.). Ergo solitario tantum modo dominio uti licet ut pleno: verum etiam ibi, ubi dominium commune est vel pro diviso vel mixtum. Vid. Wendtii *Grundzüge der phil. Rechtslehre* §. 48. s. et Krugii *Dicaeol.* §. 44.

§. 21. *Sunt autem privata nulla naturâ* etc.] Negat Cicero, fuisse dominium originarium rerum extra nos positarum, (quae enim natura sunt sua cujusque, ut corpus, internae possessioni accensentur;) sed pro eo, quod res primitus fuerant nullius omninoque dominis carebant, indulsit poëtarum figmentis primaevi *consortii* i. e. indivisae bonorum externorum communionis: qua dissoluta exstiterit rerum dominium proprium aut occupatione aut conventione: occupationem esse aut inventionem rei a nemine possessae aut bellicam iure fortioris. Reliqua pertinent ad ius civile. Ad *sed* e praecedd. facile suppleri potest *privata facta sunt;* pro eo autem per synesin subauditur *privatis homines utuntur* vel *possident homines privata;* cui ellipsi accommodata sunt seqq. *ut* (ii,) *qui* etc.

quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, pactione, conditione, [illegible] sorte

1. Schütz hic cum aliis edidit *vetere occupatione*: sed c. 35 ex. cum Nonio et Gernhardo: *vetere disciplina*. In eadem forma consentiunt libri II. *Catil.* 10, 21. *in vetere aere alieno.* Nannius *Miscellan.* l. IX. c. 9. (in Gruteri *Lamp.* I. p. 2363.) cum in vetustis exemplaribus scriptum reperisset: *aut lege, aut consuetudine, aut pactione, conditione et sorte*, sub *consuetudine* comprehendi usucapionem et praescriptionem putabat." At vero hoc refellit usus loquendi. ICTi enim *legi* i. e. populi suffragio publicoque omnium consensui opponunt *longam, diuturnam, inveteratam consuetudinem* i. e. tacitam civium conventionem. Vid. *Digestt.* I. 3, 32. ss. Cic. *Partitt. or.* 37, 130. *Propria legis* (nempe sensu latiori) *et ea, quae scripta sunt, et ea, quae sine literis ... retinentur. Scriptorum autem — publicum lex* (nempe sensu strictiori), *senatus consultum, foedus; privatum tabulae, pactum conventum, stipulatio. Quae autem scripta non sunt, ea aut consuetudine aut conventis hominum et quasi consensu continentur.* Cf. *ad Herenn.* II. c. 13. Praeeunte autem Donato *ad Terent. Andr.* I. 1, 52. intt. *conditionem* sic definiunt, ut sit *pactio, certam* (i. e. peculiarem) *legem in se continens.* Itaque *pactio* erit conventum etiam μονόπλευρον i. e. alterutri tantum parti beneficum, ut donatio; *conditio* autem conventum δίπλευρον i. e. onerosum, quo ultro citroque aliquid conceditur. Sic *Topic.* §. 82. *a naturane ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione.* Cf. Schützii *Lexic. Cic.* II. I. p. 340. n. 6. Sed potest *conditio* usu venire etiam extra *pactionem*, ut si in testamentis legata fuerit dos. Male vero distinguit Binkes *diss.* c. p. 18. n. 23. *conventionem publicam*, cum ex *lege*, et *privatam*, cum ex *contractu sorteve* dominium transfertur. Enimvero *sorte* publice potius, in coloniis deducendis, assignabantur agri, centuriae singulae certo militum numero, missis in urnam eorum nominibus. Nam, quae pars cuique evenerat, sortitio ejus censebatur, docente Turnebo *Adversar.* XXVI, 32. Ceterum Cicero hic nec omnes titulos et modos acquirendi enumeravit et confudit possessionem cum dominio. Praeter auctores, quos laudat Ill. Hauboldi eruditio in *Instit. iur. Romani priv. historico-dogmatt. lineamentis* p. 214 — 230. et 436. s. vid. Heumanni *Poecile* T. I. XIII. commentatio *de origine dominii.* Mellin's *Wörterbuch der krit. Philos.* T. II. p. 407 — 444. *de acquisitione.* Amadei Wendt *de fundamento et origine dominii diss. iuris naturalis.* Lips. 1708. (1808.) 4. ejusdemque elegantissimi philosophi *Grundzüge d. ph. R.* §. 21 — 23. 38. s. 41. 47. Krugii *Dicaeolog.* §. 30. 37. et de occupatione bellica p. 353. 401. 497. s. et D. Gust. Frid. Haenel *de adquirendo rerum dominio diss. iur. civilis.* Lips. 1817. 4.

sorte. Ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatium dicatur, Tusculanus Tusculanorum: similisque est privatarum possessionum descriptio. Ex quo, quia suum cuiusque fit eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. Si qui sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis. Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a 22
Platone, non nobis solum nati sumus ortusque no-

---

similisque — descriptio] i. e. quo modo condominii inter civitates, tamquam personas iuridicas, morales sive mysticas, distributio facta est, ut a communis dominii usu excludantur extranei: eodem modo in singulis civitatibus dominii solitarii assignatio facta est inter personas physicas s. privatas, ita ut singulis liceat a suo excludere ceteros cives. Cf. Seneca *de benef.* VII. 4.

quia suum cujusque fit eorum] Editur *fit* etiam ab Heusingero, non, ut Goerenz ad I. *Fin.* 10, 32. p. 44. memorat, *sit*: quod agnoscit quidem Oxon. ψ; sed exempla a Goerenzio allata nihil valent, cum in his omnibus Conjunctivus in obliqua oratione subjective sit accipiendus, e cogitatione suspensus. *Suum* i. esse q. *proprium*, plurimis exemplis illustrat Mich. Heusinger. Cf. modo II. 78. ex. III. 53. *num ista societas talis est, ut nihil suum cujusque sit? Fin.* III. 20, 67. ex. *In urbe mundove communi, non adversatur ius, quominus suum quodque cujusque sit.* Ad Genitivum partitivum *eorum* ex Graecismo subauditur *aliquid.* Cf. intt. ad Taciti *German.* 17. *conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod, pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.* Infra II. c. 21. pr. *Eorum autem ipsorum partim ejusmodi sunt.* Hujus fere generis sunt eorum, quae ad Sanctii *Minervam* II. p. 131. n. 77] et δ] allata sunt.

Si qui sibi plus appetet] Moriger Görenzio ad *Fin.* III. 12, 41. extr., sustuli ante haec verba *Eo*, cujus loco codd. multi *Ex quo* exhibent, scribarum fulcrum ad orationis nexum indicandum. Grut. et Gronov. ediderunt *E quo.* Alii legunt *Et.* De usu formularum *si qui* et *si quis*, quae in codd. permutantur, post Burmannum ad *Sueton. Aug.* 79. et ibid. *ad Caes.* 56. Oudendorpium non satis liquida docuit Gernhard ad *Paradox.* I. 1, 8. multum aurium comprobationi tribuens, quae non dubia sit *ad Famil.* IV. *ep.* 5. *Quod si qui etiam inferis sensus est.* At vero ibi editur *Quod si quis inf.* etc. Vellem, hac de re subtilius quiddam erueretur.

§. 22. *scriptum est a Platone*] *epist.* 9. "Ἕκαστος ἡμῶν

stri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici, atque, ut placet Stoicis, quae in terris

---

οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ λοιποὶ φίλοι. Ergo hic recte se habet *nobis solum*, ut in l. a Schellero l. *Philipp.* XII. c. 32. *nuntiationem solum habemus.* Nam *Fin.* II. 14, 45. perspicuitatis causa scripsit auctor: *Ratio fecit hominem hominum appetentem, — ut — se implicet primum civium, deinde mortalium omnium societati atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur.* Voci *ortus* affixa *que* pro *potiusque* posita fere i. valet q. *sed.* Vide ad §. 3. Ceterum hoc tertium numeratur *justitiae* munus, *ut communi utilitati serviatur.* Cf. §. 31. ex. Nam si qui fuerit iners terrae pondus, fruges i. e. patrimonia, alieno labore et sudore parta, consumere natus, hic non modo a *beneficentia* alienus est, sed etiam *iniuriam* facit, nihil reddens societati hominum, cui plurimum debeat ipse. Cf. §. 29. pr.

ut placet Stoicis] et prae ceteris quidem Chrysippo. Cf. *Fin.* III, 20, 67. *N. D.* II, 14, 37. 62, 154. ss. (cl. ibid. I. 2, 4.) *Leg.* I. 8, 25. *Tusc.* I. 28, 69. Porphyrius *de abstin.* III, 20. p. 259. s. ed. Rhoer.: Ἀλλ' ἐκεῖνο νὴ Δία τοῦ Χρυσίππου πιθανὸν ἦ; ὡς ἡμᾶς αὐτῶν καὶ ἀλλήλων οἱ θεοὶ χάριν ἐποιήσαντο, ἡμῶν δὲ τὰ ζῶα; et quae praeterea ad Cic. *N. D.* II. 64. notarunt Davisius et Perill. Creuzer p. 477. s. quos locos respicit Lactantius VII. 4, 2. et *de ira dei* c. 13. pr. nostrum hunc locum Ambrosius I. c. 28. et Vincent. Bellovac. *VI. speculi historialis* c. 7. Ab his verbis *ut placet St.* per Graecismum, quo post ὡς, cum aliquo verbo sentiendi junctum, sequi solet pro finito verbo Infinitivus, pendent Accusativi cum Infinitivis, *omnia creari, homines autem — esse creatos*, ut oratio careto verbo et prorsus abrupta esse videatur, duabus rationibus loquendi confusis, cum superius *quoniam* efflagitet *omnia creantur, homines autem sunt generati.* Nempe, ut bene notat Gernhard, vir S. Rev. in *Excursu* p. 449. quae primaria esse debebat sententia, formam accepit secundariae. Ut *creari* scriberet auctor, invitabat etiam proxime praecedens *quae — gignuntur*, ne, si addidisset, *ad usum hominum omnia creantur*, verborum structura evaderet impeditior atque ex duplicis Indicativi concursu ac diversitate etiam molestior. Cf. §. 33. Minime opus est, ut ante *ut* cum Degenio glossatore suppleas, *sic*, *ita est.* Vid. de hac ratione Bauer ad *Sanctii Minervam* II. p. 517. Hermanni ad *Vigeri Idiotismos* adnot. 156. et, quem cum pari reverentia nomino, Schaefer ad Sophocl. *Trachin.* 1240. ἀνὴρ ὅδ' ὡς ἔοικεν οὐ νέμειν ἐμοὶ φθίνοντι μοῖραν. Heindorf ad Cic. *N. D.* II. 37, 94. *Isti autem* (Epicurei) *quemad-*

gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, communis utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, acci-

---

modum asseverant, ex corpusculis ...., concurrentibus temere atque casu, mundum esse perfectum vel innumerabilis potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire: ubi ex praegressis verbis ita nectitur oratio, quasi non praecessisset *quemadmodum.*

quae in terris gignuntur] Nollem a nuperis editoribus ex Gu. 1. et Oxon. ψ. receptum *in terra.* Comparari nequit N. D. II. 48, 124. *bestiis aquatilibus iis, quae gignuntur in terra* i. e. *extra aquam,* quod statim sequitur: quo modo ib. 64, 162. sibi opponuntur: *Nec vero supra terram, sed etiam in intimis ejus tenebris.* Solenniter autem dicitur, *quae gignuntur e terra,* ut II. §. 11. *N. D.* II. 47, 120. *de senect.* 15, (5.) 52. *Fin.* V. 9, 26. vel, ut ib. 11, 33. *N. D.* I. 2, 4. II. 14, 37. *ea, quae terra gignit* v. *parit,* aut denique, *ea, quae terrae fetu profunduntur,* ut *Leg.* I. 8, 25. In primis utriusque usus diversitas perspicitur e *Tusc.* I. 27, 66. *Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil est enim in animis — ex terra natum.* Exstat *in terris* etiam apud Calphurnium, qui, suppresso auctoris nomine, haec affert *ad Terent. Heautont.* I. 1, 25.

ut — alii aliis prodesse possent] Volgatum verborum ordinem *aliis alii* invertimus, Gu. 1. 5. excerpta Bedae atque Eybi omnesque editiones vett. itemque Calphurnium secuti. Est autem hic ordo fere solennis, ut praecedat in his subjectum, objectum postponatur, *alii aliis, singuli singulis, unus uni.* Cf. *N. D.* I. 4, 9. II. 28, 71. *Fin.* IV. 24, 68. Ibid. Goerenz ad III. 19, 50. p. 349. et ad I. *Leg.* 19, 52. Quamquam Livius XLV. 39. *victimas — alias alio caedente mactare.* Imperfectum Subjunctivi adhibetur vel propter Stoicorum orationem obliquam, ut *Lael.* V, 12. *Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnis esset societas quaedam,* vel optative, quia *ut* valet *eo consilio, ut.* *Ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnis ius homines natura esse factos,* docetur *Leg.* I. 12, 33. pr. Cf. *Fin.* V. 23, 65.

communis utilitates in medium afferre] i. e. q. §. 52. *semper aliquid ad communem utilitatem afferre.* Cf. III. §. 31. ex. Idem Plato *de re publ.* VII. p. 520. *A.* expressit: μεταδιδόναι ἀλλήλοις τῆς ὠφελείας, ἣν ἂν ἕκαστοι τὸ κοινὸν δυνατοὶ ὦσιν ὠφελεῖν.

mutatione officiorum] i. e. mutua off. vicissitudine,

piendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus 23 devincire hominum inter homines societatem. Fundamentum autem iustitiae est fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sunt ducta, credamusque, quia

---

tum et dando et accipiendo vicissim alii de aliis bene meremur:" interprete Turnebo *Adversar.* XXVI. 32. Ambrosius I. 28. variatis verbis quasi interpretatus est: *invicem nobis auxilio esse debemus, certare officiis.* Vocabulum a mercaturae veteris ratione desumptum, observante Gottlebero. Cf. §. 56. ex. II. c. 4. ex. *Rosc. Am.* 38, 111. ex. *Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur.*

§. 23. *Fundamentum autem justitiae est*] Sic ex Goth. Vinar. Gu. 2. Beda et Eybo scribendum monet Gernhard in *Addendis* et ad II. 71. ex. *Fundamentum enim perpetuae commendationis et famae est justitia.* Schütz in priori loco edidit: *Fundamentum est autem*; in altero e tribus Aldi libris atque Eybo: *Fundamentum est enim*, pro quo alii vitiosius *enim est* peccant. Sed cf. *Lael.* 18. §. 2. Atque etiam I. §. 42. ubi pro volg. *Id enim est justitiae fundamentum* Beda atque Eyb transposite *Id est enim* legunt, Gu. tertio verbum *est* ignorante, reponendum: *Id enim justitiae est f.* Vide ad §. 9. pr. 54. et 76.

Stoicos] Hi *in enodandis nominibus*, (i. e. etymologiis, notationibus,) *quod miserandum sit, laborare* dicuntur *N. D.* III. 24, 62. de quo exposuit Wyttenbachius ad *Plutarchi Moralia* p. 385. et Menagius in *Iuris Civ. Amoenitat.* Nam Stoicos imitabantur ICTi Romani.

unde verba sunt ducta] Sic e Gu. 2. et 4. et ed. Facciolati Gernhard reposuit, quia Stoici non quaerant solum, sed aperiant etiam vocc. originem. Schütz revocavit *sint.* Anceps hac de re est iudicium. Cf. *N. D.* l. c. §. 63. *Magnam molestiam suscepit — primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, — vocabulorum, cur quisque* (deus) *ita sit appellatus, causas explicare:* cujus tamen loci alia est ratio. Et de frequenti Indicativi ad interrogativas indefinite positas usu post Ruhnken. ad *Rutil.* II. 6, 98. egit Goerenz ad *Fin.* IV. 24, 67. in. (*At, quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare*) et ad V. 10. ex. §. 30. ubi tamen recte Ill. Schütz retinet: *si, — quem admodum affecti simus, nihil nostra arbitrabimur interesse.* Sed cf. *Attic.* VII. *ep.* 12. sub fin. *quid nobis agendum est, nescio.*

fit, quod dictum est, appellatam fidem.

Sed iniustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam. Nam qui iniuste impetum in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus videtur afferre socio: qui autem non defendit

---

quia fit, — appellatam fidem] Non sine causa veretur auctor, ne hoc videatur fortasse cuipiam (pro *alicui* i. e. *nonnullis* h. l. accipies) durius. Ipse de hac originatione iocatur *ad Fam.* XVI. 10. quam ad Tironem epistolam, cum *Pompejum apud Ciceronem*, cum haec scriberet, *hilare et libenter fuisse*, in ipsa memoretur, Schütz a. U. 699. scriptam putat. Sed locum illum prava distinctione corrupit. Antea enim recte distinguebatur: *Pompejus* (Ragazonius legendum putabat *Pomponius* i. e. Atticus) *erat apud me. Hilare et libenter ei cupienti audire nostra dixi, sine te omnia mea muta esse.* Sed ipse Schütz in *indice Epistolarum* p. 474. eandem epistolam intra a. 706. et 709. scriptam exhibet. Potest tamen ante Tironis manumissionem, quae in ea promitti putatur, scripta esse, cum verba, huc comparanda, (*Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, fides quod ἔτυμον haberet*) non ad h. nostrum. l. respiciant, sed ad IV. *de re publ.* librum, cujus fragmentum opportune servavit Nonius s. v. *Fides: „Fides enim nomen ipsum mihi videtur habere, cum fit, quod dicitur.“* Salmasius autem *de usuris* docuit, Latinum *fides* esse ex Gr. πίστις, pro quo Aeoles dixerint πίττις. Vid. de hoc more στ in ττ mutandi ad Gregor. Corinth. p. 454. Stirps est πίθω. Fortassis a Stoicis habet sua Etymol. Magn. 668, 10. πείθω σημαίνει — ἀπείζω, ἐξ οὗ καὶ πίστις.

iniustitiae genera duo sunt] opposita duplici justitiae muneri, innocentiae et communium commodorum studio. Nam quod praeterea (20. s.) distinguebatur justitiae munus, *ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis*, re conjunctum est innocentiae. Etenim, quod alteri extr. §. 21. opponebatur: *si qui sibi plus appetet*, scil. *quam quod ei obtigit*, idem vitium, ex avaritia proficiscens, extr. hoc capite ad primum iniustitiae genus refertur.

quasi manus videtur afferre socio] Hunc verborum ordinem cum Mich. Heusingero praetuli ex Goth. Vinar. Venetis et aliis. Favent etiam praeter Gud. 4. exc. Bedae, in quibus modo variatur *inferre*; nec non exc. Eybi

nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentis aut amicos aut patriam deserat.
24 Atque illae quidem iniuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur,

et edd. vett. etiam Rom. in quibus praemittitur glossema: *violenter.* Fr. Heusinger et recentiores cum Graevio e Gu. 1. 2. (qui variat *inferre*) et 5. inverso ordine: *afferre videtur.* Sed ita ambiguitas quaedam exsistit: *videtur socio. Manus afferre cuipiam* proprie dicitur pro *violare.* Vid. Schütz *Lex. Cic.* s. v. *Manus* 3). Injuria autem, quae infertur, cum latius pateat, locutio ista pariter, ut *impetum facere*, quod praecessit, hic quodam modo tropice usurpatur. Proptèrea duplex mitigatio adhibetur, quae ad totam sententiam *manus afferre socio* pertinet. Mihi igitur non item, ut Gernhardo, *quasi* ad similitudinem alterius membri et verborum *quam si* adscriptum videtur: imo propter hanc ipsam similitudinem retinendum.

qui non defendit] i. e. propria significatione *fendendo declinat et arcet, propulsat,* scil. *iniuriam*, quae intelligitur e seqq. *obsistit iniuriae.* Vid. III. 74. Sic *Muren.* 2, 3. ex. *defensor periculi.* 3, 5. *civium periculis defendendis.* Cf. S. Ven. Matthiae ad or. *p. Rosc. Am.* 1, 1. *iniuriam — putant oportere defendi, defendere ipsi —, non audent.* *Cat. Maj.* 15. §. (7.) 53. ibiq. Wetzel et Gernhard. In prox. etiam usurpatur v. militare. Nam *deserere* proprie dicuntur milites, qui, *serie* i. e. acie relicta, diffugiunt: qui ordinem derelinquunt periculo mortis. De sententia cf. Lactant. VI. 11, 19. *Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* Tametsi vero Stoicis aequalia esse peccata videbantur, tamen vv. *tam* (scil. aperte) *est in vitio, quam,* hic et 94. non de eadem vitii mensura, sed de similitudine esse accipienda, ut §. 42. ex. *in eadem sunt injustitia, ut si* etc. contra Caelii Calcagnini *Disquis.* VI. monuerunt Majoragius et Griffolus. Exemplis non dubiis comprobat auctor, esse omnino quoddam genus injustitiae eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam, ut insinuet, non aliam esse reliquorum hominum causam, quam civium, quam fratris aut parentis. Cf. III. §. 28. in primis autem geminum l. *Fin.* III. 19, 64.

§. 24. *saepe a metu*] Ejusmodi exemplum in causa M. Tullii usu venit, pro quo habitae orationis fragmentum servatum a Quinctiliano V. 13. adscribam. „*Quis hoc statuit unquam aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo, metuisse se, dicat, ne ipse posterius occideretur?* Timori remedia a crudelitate mutuata commemorantur III. §. 46. ex.

cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea, quae concupiverunt: in quo vitio latissime patet auaritia.

VIII. Expetuntur autem divitiae tum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates.

---

nocere alteri cogitat] i. e. *n. a. meditatur, volt.* Nam *cogitare* non solum versatur in mentis agitatione, qua esse aliquid intelligas, existimes, censeas; sed versatur etiam in consilii capiendi deliberatione atque in ipso consilio et voluntatis decreto. Itaque ut *cogitare de re* (*Catil.* I. 4, 9. 7, 17. IV. 5, 10. Sueton. *Claud.* 31.), sic etiam *cogitare* vel cum Infinitivo, ut III. §. 6. pr. vel cum nudo Accusativo objecti i. e. q. intendere animum ad aliquid, consilium agitare, *Agrar.* I. 7. (§. 22.) ex. II. 53, 90. (130.) *Catil.* I. 3, 8. II. 3, 5. ex. 5, 10. 9, 20. ex. III. 9, 21. (33. 35. ed. Beck.) *Mur.* §. 45. c. 21. ex. *Phil.* V. c. 9. ex. *Attic.* IV. *ep.* 3. X. 1. Liv. XXII. 53. post med. Juvenal. XIII. 209. Aemil. Probus in *Datame* 6, 8. Sed non huc pertinet, quod ut exemplum, quo *cogitare* sic absolute positum sit, huc retulit Frid. Günther *Athenaei* Vol. I. P. I. p. 98. s. ex eod. 7, 1. *qui eum cogitasset, facere auderet.* Sequitur enim: *et prius cogitare, quam conari, consuesset.* Ergo *cogitare* ibi i. e. q. *deliberare.* Iam infra §. 27. *cogitata injuria* ead. e. atque h. l. *quae de industria infertur* et §. 30. *cogitatio injuriae* est consilium de inferenda iniuria: cum quis prope abest, quin inferat iniuriam. Cf. Liv. XXIII. 2. *cogitati facinoris particeps*, ubi praecedunt synonyma, *spectare ad* et *velle.*

Maximam — partem — aggrediuntur] Haec, in universum intelligenda, certo subjecto carent: qua de re Gottleber laudat Dukerum ad Thucyd. VII. 69. ὅπερ πάσχουσι ἐν τοῖς μεγάλοις ἀγῶσι, ubi Schol. οἱ ἄνθρωποι δηλονότι. Cf. II. 73. *ut sua tenerent* (scil. *cives*), *res publicae civitatesque constitutae sunt.* H. l. in vv. *maximam partem* i. e. *plerumque* latent *plurimi* v. *plerique; maxima pars.*

C. VIII. *Expetuntur autem*] *Autem* inservit non modo digressioni, sed omnino transitioni, ut §. 21. pr. 23. pr. et repetite poni observat Goerenz ad *Fin.* I. 18, 61. pag. 85. a. Infra c. 32 — 34. identidem iteratur. — *Voluptatibus perfruentes degere omnem aetatem* velle dicuntur asoti *Fin.* II. 35, 118.

25 In quibus autem maior est animus, in iis pecuniae cupiditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps vellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus vitaeque cultus cum elegantia et copia; quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniae cupiditas esset. Nec vero rei

---

§. 25. *In quibus autem major est animus*] scil. *ad rem gerendam.* Cf. §. 12. ex. et §. 26. ex. *in maximis animis splendidissimisque ingeniis.* Inepte igitur Hottinger accepit de liberaliori honestatis sensu. En virtus pecuniae cupida! In seqq. *ad opes et ad gratificandi facultatem* explicandi vim habet *et.* Nam Degen facit ὕστερον πρότερον, *opes* cum *potentia* confundens. Cf. ad §. 9.

ut nuper] i. e. ante plus decem annos. Nam M. Crassus iam a. U. 699. cum exercitu perierat, avaritiae poenas luens. Facinorosa ejus avaritia notatur III. 75. ss. *Fin.* III. 22, 75. *Parad.* VI. (in primis cf. §. 45. pr. c. 1, 8.) Plutarcho in *Ciceron.* 25. et in ipso *Crasso* c. 1. 2. ubi extr. c. idem hoc dictum refertur: ibid. 6. ex. Floro III, 11. et Plinio XXXIII. c. 1. §. 5. c. 10. §. 47. *M. Crassus negabat, locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset:* ut Cic. *pro Dejot.* 8, 22. ex. *antea quidem majores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest.* Ceterum fallit Degen, qui hunc P. Licinii Crassi, Pontif. M., nepotem perhibet. E Plinii *h. n.* VII. c. 19. constat, ejus avum fuisse illum ἀγέλαστον.

effectum est, ut — esset] Haec ἀοριστῶς ponuntur, ut intelligatur: *atque etiamnunc sit,* ut II. c. 4. ex. *effectumque, ut esset vita munitior.* Eadem est ratio loci N. D. I. 3, 8. ex. *tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur:* quam constructionem non satis illustravit Summus Wolfius in *Analectis* II. cl. *N. D.* II. c. 28 ex. *Videor mihi —, quales essent, ostendisse* At vero ibi est oratio aliqua, cujus alia reperitur ratio. Ad *magnificos apparatus* autem quae pertineant, recensentur *Catil.* II. 8, 18. 9, 20. qui posterior locus luculenter manifestat, accidere viris doctis interdum, ut, cum eos, semel addubitata lectionis veritate, corruptelae suspicio attonitos habet, quidquid tentare malint, quam de vera ratione circumspicere, quod ibi evenisse videmus Mureto, Manutio, Lambino, Görenzio aliisque. Quid multa? Pro Garatonii conjectura, quam, Schützio probatam,

familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda;
sed fugienda semper iniuria. Maxime autem addu- 26

---

nuper recepit Matthiae, *praediis latis*, restituenda verissima MSS. lectio, quam, Graevio, Ill. Beckio et Möbio agnitam, hac opportunitate usi, vindicabimus: *praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur.* Nimirum *lecticae* et post Claudii quidem tempora sellae gestatoriae et cathedrae erant fere invidiosae iis, qui sive delicate peregrinantes sive ad desidiam urbanam utebantur his luxuriae instrumentis, praesertim, si qui pauperculi vana opum luxusque ostentatione beatorumque aemulatione vitae cultum et magnificentiam quandam prae se ferebant. Vid. *Verr.* V. 11, 37. *Rosc. Am.* 46, 134. *Juvenal.* I. 32. (cl. VII. 129.) I. 159. III. 239. s. X. 35. Martial. III. 51. VI. 77. IX. 23. Quod in illo Ciceronis loco continuo adjungitur *familiis magnis*, id egregie convenit, cum una cum *lecticis* intelligantur servi lecticarii, et ita quidem sentire videtur etiam Franco-Gallus interpres, qui non inepte substituit *équipages.* Proprie fere i. e. q. in nostra lingua: *Parade-Bett.* Primum igitur commemorantur *lecticae* (sc. una cum lecticariis) deinde omnino servi, qui *familias* constituunt. Eadem, quae a Cicerone, delectamenta conjuncte commemorari vides a Seneca *epist.* 110. sub. fin. cl. *ep.* 80. sub fin. Eligebant autem lecticarios cum dilectu fere formae et magnitudinis, spectabiles et proceros, in primis Liburnos, Germanos, Syros, Medos, Cappadoces. Atque isti quidem geruli erant fere paenulati in elegantioremque militum cultum subornati. Interdum lecticam delicatulorum hominum ferebant octo bajuli, comitantibus insuper pluribus servis, ut vicissim succollarent. Quae monenda videbantur propter b. Weiskium, qui lecticis quamvis elegantibus negat illos Catilinarios decoctores tam insanos sumptus facere potuisse, ut rei publicae conversione rebus suis succurrendum putarent, omninoque de luxu in pretiosis lecticis plura prodita desiderabat, si illae ibi recte commemorarentur. Si nihil aliud desiderabat, satis multa collecta ipsi suppeditare potuit uberrimus de his auctor Lipsius *Electorum* I. I. c. 19.

Nec vero — vituperanda: sed fugienda semper iniuria] Post *vituperanda* cum Graevio, Oliveto, Facciolato, Ernesto exclusimus *est*, auctoritate etiam codicum μ. ψ. In alterius membri clausula post *injuria* sustulerunt iam novissimi edd. cum Gu. 1. Balduino, H. Wolfio. Fr. quidem Heusingero, qui utroque loco tuetur, favere quidem videatur maxime consimilis locus III. 42. pr. Sed in v. substantivo certatim inculcando prorsus intemperantes fuerunt scribae, ut vel uni codici, citra orationis obscuritatem illud ignoranti, plus auctoritatis tribuendum cen-

cuntur plerique, ut eos iustitiae capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud Ennium,

---

seamus, quam centum aliis, id tuentibus, praesertim in praeceptis tradendis ad Futuri Pass. Participia et ad Gerundia, quae Graecorum verbalium in — *τέον* vice funguntur. Cf. ad §. 10. ex. et 26. ex. Quamquam hac de re aliter iudicant critici, ii quidem, qui numerare magis solent codices, quam quasi aurificis statera ponderare ipsas lectiones. Vide hujus ellipseos exempla 68. ex. plura per 150. cujus §. extr. verbis: *Minimeque artes hae probandae*, *μ* adspergit *sunt*, ut 100. extr. verbis: *multo etiam magis animi motus probandi*, et 88. pr. post: *Nec vero audiendi*, cum Gu. 5. omnibusque editionibus vett. praeter Magont., quae cum rell. codd. et cum Nonio (s. v. *Grave*) illud omittit. §. 33. verbis *Ne noster quidem probandus* Gu. 5. omnesque impr. vett. adjiciunt *est;* *videtur*; et 123. verbis *danda vero opera* Pith. *est:* quo modo 135. editur: *Danda igitur opera e s t.* §. 35. verbis, *conservandi ii* a permultis interponitur et ibid. post *Et cum iis — consulendum est*, *tum ii — recipiendi* volgo additur *sunt*, ubi Gu. 1. 2. 3. 5 et exc. Bedae facessere jubent. Schützio id obliteranti operae non paruisse videntur. II. 64. *Habenda autem ratio e s t rei familiaris*, in codd. v. *est* instabilem habet sedem. Cf. *Cat. Maj.* 15, §. 5. (al. 55. s.) ubi passim codd. alii aliis locis v. *est* infarciunt. Ceterum haec omnia de injustitiae illecebris praepostere occupat auctor, tertio demum libro tractanda.

§. 26. *cum — inciderunt*] Hanc a superioribus edd. receptam lectionem probat Schütz quoque in notis: in textu autem, ut videtur, invito editore, remansit *inciderint*, quod retinuit Facciolatus. *Cum* pro *ubi* Indicativo iungitur. Cf. III. 81. pr.

Quod enim est] *Est*, loco non suo positum (v. ad §. 9. pr.), videtur hoc modo in ordinem revocandum: *Quod enim apud Ennium e s t.* Cf. §. 18. *quod apud Platonem e s t in philosophos dictum.* 64. *Ut enim apud Platonem e s t.* I. *de divin.* 47, 108. *quod apud te in Mario e s t.* Sed nullum illustrius exemplum reperiri potest, quam quod me pro arbitrio nugis atque ineptiis indulgere arguere videatur, in I. Tusc. 23, 54. ex. ubi omnes libri in hac conspirant lectione: *Inanimum e s t enim omne, quod etc. — Quod a u t e m e s t animal, id etc.* Nihilo minus emendabam: *quod autem animal e s t.* Sed non poenitet, cum hoc ipsum repererim in *Somn. Scip.* c. 9. pr. unde locus ille desumptus est. Desinat igitur superstitio codicum corruptelis certas regulas labefactare.

Nulla sancta societas
Nec fides regni est:

id latius patet. Nam quidquid eiusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit, servare sanctam societatem. Declaravit id modo temeritas C. Caesaris,

---

Nulla sancta societas etc.] In Balduini codice, nisi forte impostor quidam hujus codicis auctoritatem commentus est, tertiarius habetur senarius: *Societas nulla sancta regni est nec fides.* Ad Eteoclen et Polynicen refertur, ut sensus sit idem: quem expressit Lucanus, laudatus iam Aldo Manutio, I. 92. s.: *Nulla fides regni sociis omnisque potestas Impatiens consortis erit.* Cf. Eurip. *Phoeniss.* 69 — 74. in primis 486 — 493. Hinc 559. τυραννίδα appellat ἀδικίαν εὐδαίμονα. Vid. ibi Porson. Cf. infra III. 82. extr. cl. 41. Livius I. 13. scribit, cum Rex Tatius a Laurentibus interfectus esset, *eam rem minus aegre, quam dignum erat, tulisse Romulum, — ob infidam societatem regni.* Aliud insigne exemplum Gorbis et Orsuae est apud eund. XXVIII. 20. ex.

servare sanctam s.] Sic Gernhard e Gu. 1. 2. excerptis Bedae atque Eybi. Schütz retinuit rell. librorum lectionem *sanctam servare s.* At vero Ennius non hoc sibi volt, *nullam societatem nec fidem regni sanctam esse;* sed, quod ipsa verborum structura arguit, *nullam regni esse nec sanctam societatem nec fidem:* quod discrimen acute expedivit Hermannus, vir Magnif., de ipsa lectione ambigens. Cf. 64. e cod. Gu. 3. *Difficile est enim, cum praestare omnibus concupiveris, servare aequitatem.*

Declaravit id modo t. C. C.] *Modo* h. l. et *nuper* (de quo cf. §. 25. pr.) II. §. 20. 23. capitur de paucorum annorum spatio. *Temeritatem Caesaris* detestatur Cicero 43. ex. 57. ex. II. §. 2. s. 23. 27. ss. 84. ex. III. c. 21. et hujus tyranni caedem laudat mirifice III. §. 19. Mitius loquitur *N. D.* I. 4, 7. ne videlicet offenderet vivum: qua de re v. Muret. *Oper.* T. III. p. 784. *ad Tusc. Q.* I, 1. Sed II. *de divin.* 2, 6. negat Tullius, *se, cum esset in unius potestate res publica, ita aut adulatum aut admiratum fortunam esse alterius, ut se suae poeniteret.* In *oratione pro Lig.* ad salutem civis obtinendam quod aliquid auribus tributum est a μισοτυράννῳ, iniquum foret, mirari. De inexpiabili arrogantia Caesaris vid. Sueton. 76. ss., de ejus ambitione malisque artibus Dan. Heinsii oratio XVIII. *de C. Caesare*, paullo ab in. p. 201. sq. ed. Amstel. 1657. 12. Dicitur hic *omnia jura, divina atque humana,* (sic distinguendum, cum haec quasi ad explicandam vocem *omnia* adjiciantur,) *pervertisse* i. e. totum rei publicae

qui omnia iura, divina atque humana, pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque exsistunt honoris, imperi, potentiae, gloriae cupiditates. Quo magis cavendum est, ne quid in eo genere peccetur.

27 Sed in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat iniuria.

---

statum: quando quidem etiam divinos sibi haberi voluit honores. Similiter I. *ad Att. ep.* 16. sect. 3. iudices corrupti, qui Clodium incestus et violatarum religionum reum absolvunt, dicuntur *ius ac fas omne delere.*

Est autem in hoc genere molestum] i. q. *Sed illud odiosum est* 64., ubi haec de *ambitione* (φιλοτιμίᾳ) repetuntur. Intelligenter Gernhard in *Praef.* p. XVII. s. observat, uberius explicari ea officia, quae tum videbantur a plerisque negligi, cum unus omnia licere sibi putaret: ejusque generis vitia notari acerbius. Idcirco *de gloria*, cujus studio esset filii animus juvenilis incendendus in L. II. (c. 9. ss. 24, 85.) plura disputari eorumque, qui dominationem affectassent, novarum rerum studiosi, saepius et severius perstringi turpitudinem. Vid. II. §. 21. s. III. §. 36. ex. 79 — 85. Notantur autem hic cupiditates *honoris* scil. in toga, *imperii* in paludamento, ut supra *imperiorum* et *Lael.* 17, 6. Male igitur hoc de principatu civitatis interpretatur Degen. §. 71. iunguntur *imperia et magistratus.* Paullo post Gud. 3. transponit: *quo magis est cavendum:* unde v. *est* insititium esse suspicor. Respicitur huc 68. *Cavenda est etiam gloriae cupiditas, ut supra dixi*, ubi alii transponunt v. *est*, Gu. 4. omittit, quod glossema idem codex cum Gu. 3. §. 80. pr. addit post vv. *expetenda quidem magis est decernendi ratio* —, *sed cavendum.* 89. pr. verbis *Cavendum etiam* interpositum *est* Gu. 1. et μ excludunt. Etiam in *Lael.* 21, 8 pr. post vv. *Cavendum vero* cum libris quibusdam exterminandum *est*, quod volgo additur. Legitur quidem infra 134. *Nihil autem magis cavendum est senectuti.* Sed adversativa oratio, quippe fortior, non tam facile verbo substantivo carere potest (cf. §. 131. pr.), quam placida et leniter fluens: quae tamen et ipsa illud adsciscit 91. *iisdemque temporibus cavendum est.* Sed 110. in vv. *Sic enim est faciendum*, recte μ excludit *est.* Cf. 156. *id agendum etiam*, et ad §. 10. ex. 25. ex.

Leviora enim ea sunt, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur. Ac de inferenda quidem iniuria satis dictum est.

IX. Praetermittendae autem defensionis deserendique offici plures solent esse causae. Nam aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt; aut etiam negligentia, pigritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. Itaque videndum est, ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum: 28

§. 27. *Leviora enim ea sunt*] Impr. incert. apud Heusing. ignorat *ea*, quod etiam abest ab edd. Graeviana, Ernestina, Schütziana. E rell. libris suis F. Heusinger edidit: *Leviora enim sunt ea*, idemque recepit Gernhard. Sed hanc verborum collocationem Ciceronis Latinitas respuit. Vid. ad §. 9. pr. Itaque vagum pronomen in locum suum revocavi, his exemplis: 51. pr. *Ac latissime quidem patens — societas haec est, in qua* etc. 56. ex. *Magna etiam illa communitas est, quae* etc. II. *de divin.* 49, 103 *Conclusio autem rationis ea probanda est, in qua* etc. Ceterum *repentinus aliquis motus* proprie dicitur *impulsio*, cui opponitur *ratiocinatio*. Vid. *Rhetor.* II. c. 6. (al. 5.) §. 17. s.

C. IX. §. 28. *suis studiis quibusdam occupationibusve*] Est *coniunctio* (IV. *ad Herenn.* 27, 38.), qua *suis quibusdam*, proxime quidem cum voce, cui additum, iungendum, intelligentia tamen ad posterius etiam substantivum refertur, quemadmodum in exemplo contrario, quod Hermannus, vir Magnif., comparavit, in II. *de or.* c. 3. (ap. Schütz. c. 2.) *pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti*, adjj. etiam ad prius substantivum referuntur. Interpunctione vero talium nexum non puto dirimendum. Ceterum quemlibet significationis verborum ignarum cum horum collocatio, tum particula *ve* poterat docere, *occupationes* a *studiis* distingui. Frustra igitur Degen commentus est figuram hendiadys *occ. studiorum*. Ut autem v. *impediuntur* recte ad superiora illa vitia referri docerent intt., in re non dubia testimoniis minime necessariis usi, perinepte compararunt *Fin.* I. 18, 59. ubi *libidinibus et aegritudinibus vitae iucunditas impediri* dicitur.

videndum est, ne non satis sit id, — in philosophos dictum] *In* cum Accusativo ad vv. *dicendi* valet *in alicujus*

quod in veri investigatione versentur quodque ea, quae plerique vehementer expetunt, de quibus inter

---

laudem: quam significationem Heusingeri illustrant exemplis *Leg.* I. 19, 51. ex. *Brut.* c. 44. *in legem Caepionis oratio* i. e. legis a Caepione latae laudatio. Sueton. *Tiber.* 11. Plaut. *Mostell.* I. 3, 82. et *videndum* interpretantur *verendum.* Cf. III. 106. ex. *Tusc.* IV. c. 23. pr. Sensus est: Caute expendi, animadverti debet (ὁρᾶν δεῖ, μὴ οὐ), non probabilem, non idoneam esse rationem illam. Non satisfacit argumentum: quo Plato philosophis justitiae laudem deberi, effectum putat. Quae Platonis vv. respexerit Cicero, nullus adhuc interpres satis accurate indicavit. Quem,[1] praeeunte Gottlebero, Gernhard citavit locum, ad §. 69. potius comparandus. Mihi quidem videtur Cicero libri VI. de re publica disputationem in angustum conclusisse. p. 485. B. de philosophis: μαθήματός γε ἀεὶ ἐρῶσιν. Hinc D. colligitur: τὸν ἄρα τῷ ὄντι φιλομαθῆ πάσης ἀληθείας δεῖ εὐθὺς ἐκ νέου ὅτι μάλιστα ὀρέγεσθαι, vel, ut statim ante, τὴν ἀλήθειαν στέργειν. E. Ὧι δὲ πρὸς τὰ μαθήματα καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον ἐῤῥυήκασι (αἱ ἐπιθυμίαι) — σώφρων ὅγε τοιοῦτος καὶ οὐδαμῆ φιλοχρήματος. 486. B. Ἧι οὖν ὑπάρχει διανοίᾳ μεγαλοπρέπεια καὶ θεωρία παντὸς μὲν χρόνου, πάσης δὲ οὐσίας, οἷόν τε οἴει, τούτῳ μέγα τι δοκεῖν τὸν ἀνθρώπινον βίον; Ἀδύνατον. C. Τί οὖν; — ἔσθ᾽ ὅπῃ ἂν — ἄδικος γένοιτο; Οὐκ ἔστι. Quae eadem strictim repetuntur p. 490. B. C. Cf. *Gorg.* c. 82. pr. Nimius autem vitae umbraticae, cui interdum veteres philosophi, animum et a rebus aliis cum corpore coniunctis et a re publica, ut Cic. *Tusc.* I. c. 30. dicit, atque ab omni negotio sevocandum putantes, indulserunt, amor efficiens, ut a negotiis publicis omnino abstinerent, vitium est, quod ex nimia et stulta mortis philosophicae, de qua supra p. 15. nonnulla attigi, derivat Jo. Henr. Mücke *de meditatione mortis Platonica* (Lips. 1793. 4.) p. XIII. quae tota commentatio elegantissima egregie confirmat ea, quae ex religionis disciplina delibavi, praesertim p. XIV. s. apposite collectis S. S. oraculis. Cf. praeterea Hieron. *ep. I. ad Heliodor.* Recordare tirocinii tui diem, quo, *Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba jurasti.* Add. Plat. *Gorg.* c. 47. p. 493. *A. B.*

quae plerique v. expetunt] Ad distinguendam constructionem obliquae orationi, cujus proprius est Conjunctivus, interponuntur Indicativi, praedicatorum loco per circumlocutionem quandam cum pronomine relativo, quod, praecedente demonstrativo, rem definit et determinat, iuncti, ut III. 96. pr.; et hic quidem etiam propterea, quod auctor non ipsa Platonis verba retinuit. Videtur autem respicere ad l. VII. de re publica p. 520. D. νῦν αἱ πολλαὶ (πόλεις, quia in iis non regnant philosophi) ὑπὸ σκιαμαχούντων τε πρὸς ἀλλήλους καὶ στασιαζόντων περὶ τοῦ ἄρχειν

se digladiari solent, contemnant et pro nihilo putent, propterea iustos esse. Nam alterum genus assequuntur, in inferenda ne cui noceant iniuria; in alterum incidunt: discendi enim studio impediti,

---

ἀκούοντας, ὡς μεγάλου τινὸς ἀγαθοῦ ὄντος. *Digladiari*, proprie *strictis gladiis inter se depugnare*, metaphorica significatione fere contemptim dicitur de omni decertatione. Hic autem non de altercationibus vel philosophorum concertationibus dicitur: quem huic l. sensum satis alienum tribuit Schütz in *Lex. Cic.* s. v.

in alterum incidunt] h. e. *incurrunt:* quo modo de male cautis dicitur: *Incidit in Scyllam, qui volt vitare Charybdin:* pro quo Horat. I. *sat.* 2, 24. *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* Huic explicationi favent etiam tum illa exempla, e quibus aliam significationem elicere tentavit Frid. Heusinger, tum illud, quod Schütz in *Lex. Cic.* III. I. p. 110. repetita Ernesti nota, comparat, Verr. I. 12. 32. extr. Locus c. est L. I. in Verr. 11, §. 32. extr. *Qua stultitia fuissem, si in eam diem* (scil. reo eripiendo accommodatissimam) *ego, cum potuissem vitare, incidissem!* Sed cum in priori membro verbis *alterum genus* volgo interpositum legatur *justitiae:* ut ita vitaretur absurditas exsisteretque oppositio, Bauer ad Sanctii *Minervam* II. p. 357. vel ex vocabulo proximo *iniuria* intelligi voluit *iniuriae* vel e diverso *iustitiae* repeti *iniustitiae*, quod ipsum v. ex uno Abbatiae Parcensis alteroque Duisburg. libro Gernhard, quem sequitur Degen, adjecit post vv. *in alterum incidunt.* At vero cum et hoc a reliquis libris et in priori membro voc. *justitiae* a cod. Cantabrig. absit, et cum, teste Schützio, in cod. Lubecensi sit: *Nam dum alterum genus assequuntur* —, *in alterum incidunt*, superscripto tamen voc. *justitiae:* cum Hermanno interpretamenta agnovimus: quae ejusmodi sunt, ut vix aliter fieri potuerit, quam ut ad sensum explanandum a glossatore adjicerentur. Contra admodum improbabile est, planissimam, si ista interpretamenta tueare, lectionem a scribis plerisque omnibus, omissa voce *injustitiae*, mutatam esse in difficiliorem. A glossatoribus conjunctionem quoque post *nam* suspicamur additam in aliis libris *cum*, in aliis et vett. edd. *dum*, quae particulae hic a MS. Balduini, duobus optimis Langii, Gu. 2. 4. (a prima manu) et λ exclusae a Graevioque tacite omissae, etiam §. 29. in multis libris per interpolationem praemittuntur eotundem oppositorum comparationi: *altero genere injustitiae vacant, in alterum incurrunt.* Et hic quidem locus glossas illas suppeditasse videtur. Pearcius iam et Mich. Heusinger vv. *injustitiae genus* proscribere voluerunt.

quos tueri debeant, deserunt. Itaque eos ne ad rempublicam quidem accessuros putat, nisi coactos. Ae-

---

Sed *genus* librorum consensu confirmatur. Ceterum post haec vv. puncti loco distinxi colo, Hermanno monente, dici pro, *in alterum incidunt, ut, discendi studio impediti, eos — deserant.* Graeco more: ἐμπίπτουσι εἰς τοῦτο· οὓς γὰρ etc. Potest etiam sic expediri: *in alterum eorum, qui — deserunt.* Praepositio *in* ante *inferenda* satis defenditur Fr. Heusingeri exemplis apud Caesar. *B. G.* V. 19. *in agris vastandis incendiisque faciendis hostibus noceretur. pro Ligar.* 11, 32. pr. Idemque quinque MSS. Guelphh. auctoritate restituit *I. ad Fam. ep.* 9. (al. 8.) extr. *Nullam partem tuorum meritorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem in gratia consequi possum.* Quae emendatio editoribus adhuc neglecta iacet. Cf. ibid. II. *ep.* 6, 4. Sic supra §. 9. bis adfuit *in* cum abundantia quadam positum; et II. 63. *injuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri putant* I. 76. *profuit in.*

Itaque eos ne ad rem publicam quidem accessuros putat, n. c.] Indignatur auctor, quod philosophi isti ne publicis quidem utilitatibus inservituri dicantur: commemoratque hoc officium, ut primarium quoddam. Scite Gernhard, ut multa: „Platonici illi ut suos deserunt, sic ne rem publicam quidem gerere volunt, quam si vellent curare, quid aliud facere possent, quam munus aliquod publicum petere vel suscipere (*ad rem publicam accedere*), quae una via relicta est? Scribendum igitur est cum optimo cod, scripto P. Balduini (Gu. 1. et 2. *nec* corrupte pro *ne*) *ne ad r. p. quidem a.* Idem integrum servarunt Goth. in marg. Impr. incert. Lamb. Ald. Alii prope accedunt, ut Gu. 3. *nec eos ad r. p. quidem* et 4. qui *nec* omittit.“ Hocne pro nihilo habuit Schütz, cum, ne admonito quidem lectore, reduceret volgatum verborum ordinem, quem Degen etiam iterum edidit: *eos ad r. p. ne accessuros quidem — ?* Plato VII. de re publ. p. 519. *C.* τοὺς ἐν παιδείᾳ ἐωμένους διατρίβειν διὰ τέλους negat ἱκανῶς ἄν ποτε πόλιν ἐπιτροπεῦσαι, ὅτι ἑκόντες εἶναι οὐ πράξουσιν, ἡγούμενοι ἐν μακάρων νήσοις ζῶντες ἔτι ἀπῳκίσθαι. Alia adscripsit F. Heusinger e L. I. p. 378. ed. Hopper (347. *C.* Steph.) δεῖ δὴ αὐτοῖς (τοῖς ἀγαθοῖς) ἀνάγκην προσεῖναι καὶ ζημίαν, εἰ μέλλουσιν ἐθέλειν ἄρχειν. Alia denique, quae tamen nihil huc pertinent, Gottleber et Gernhard e L. VI. p. 681. ed. Frcf. 499. *B.* ed. Steph. Otium philosophorum cum eorum, qui se ad rem publicam accommodaverunt, vita actuosa comparabitur infra 69 — 73. ubi plura afferam. Ceterum hic praeluxisse Tullio videtur Chrysippus, qui otiosum esse philosophum noluit. V. Plutarch. *de Stoicor. repugn.* p. 1033. Diog. Laert. VII. 121. Cic. *Fin.* III, 20, 68.

Aequius autem erat, id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est voluntarium. Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris 29
tuendae aut odio quodam hominum, suum se nego-

Aequius autem erat] „Indicativus rem sine ulla dubitatione propositam, Conjunctivus rem cogitatam tantum, et quae fieri possit, significat.“ *Matthiae* ad *or. p. leg. Manil.* 17, 50. pr. Eadem hujus modi Enallage §. 44. *aequius est.* II. §. 2. ex. *Lael.* 4, 8. *fuerat aequius.* *Flor.* I. 18. *Actum erat, nisi elephanti conversi in spectaculum belli procurrissent.* II. 6. sub fin. *Actum erat procul dubio, si vir ille se cum fratre iunxisset.* Sed fortassis expellenda *autem.* Quamquam enim in collocando v. *erat, erant* etc. non eadem regula servatur, quae in monosyllabis *est* et *sunt:* solet tamen in hac formula conjunctio repudiari, e. c. III. 94. *Quanto melius fuerat* etc. *N. D.* I. 30, 84. *Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius* etc. Quinctil. *Inst. or.* I. 2, 6. *Corrumpi mores in scholis putant.* — *Facile erat hujus metus remedium. Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus!* quo exemplo utitur Grotefend *Grammat. Lat.* Vol. I. §. 243. Alia est ratio, ubi aliud quiddam nobis placere ante significavimus. Tum sequitur: *sed erat aequius,* ut *Fin.* III. 35, 119. ubi statim ante similiter Indicativus usurpatur: *quamquam aliquid ipse poteram, tamen invenire malo paratiores familiaris nostros.*

hoc ipsum ita justum est etc.] Officium tibi imputari nequit, nisi si laetabundus rationis legi, divinitus insitae, morem gesseris, mera majestatis reverentia virtutisque amore ductus. Rachelius comparat Aristotelis *Eth. ad Nicom.* II. 4. §. 7. τὰ κατὰ τὰς ἀρετὰς γινόμενα οὐκ, ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ, δικαίως ἢ σωφρόνως πράττεται, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πῶς ἔχων πράττῃ, — ἐὰν προαιρούμενος καὶ προαιρούμενος δι' αὐτὰ et L. VIII. c. 13. ex. τῆς ἀρετῆς γὰρ καὶ τοῦ ἤθους ἐν τῇ προαιρέσει τὸ κύριον.

§. 29. *odio quodam hominum*] *qualem fuisse Athenis Timonem,* memorat Cic. in *Lael.* 23, 5. Vv. *ne facere aliquam videantur iniuriam* a Garvio, Hottingero et Degenio pro obliqua illorum hominum oratione accipiuntur, qui πολυπραγμοσύνης suspicionem a se remotam vellent. At vero tum debebat dici *viderentur.* Ipsa verborum structura hunc sensum, recte a Franco-Gallo interprete *Du Bois* expressum, efflagitat: *ne, cum communi utilitati non serviant, ullam societatem deserendo in alterum injustitiae genus incurrere videantur,* excusationis causa dicunt, *non tantum esse ab re sua oti sibi, aliena ut curent eaque, nihil quae ad se attinent;* ut Terentius loquitur *Heautont.* I. 1, 24. Infra

tium agere, dicant, ne facere cuiquam videantur iniuriam. Qui altero genere iniustitiae vacant; in alterum incurrunt: deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studi, nihil operae, nihil facultatum. Quoniam igitur, duobus generibus iniustitiae propositis, adiunximus causas utriusque generis easque res ante constituimus, quibus iustitia contineretur: facile, quod cuiusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde ama-
30 bimus, iudicare. Est enim difficilis cura rerum

---

123. pr. opponuntur *nihil praeter suum negotium agere*, et, *de alieno inquirere*, *esse in aliena re curiosum*. Cf. *Lael.* 23, 3. *ii*, *qui suum negotium gerunt otiosi* i. e. interprete Wetzelio, *rem familiarem*, *non publicam*, *administrant*, ut τὰ ἑαυτοῦ πράττειν ap. Xenoph. *Memorab.* II. 9, 1. ubi tamen rectius Schneider interpretatur: *suas res curare*, *lites fugere*, *vitam quietam et commodam agere*, *non* πολυπραγμονεῖν.

altero genere injustitiae] Hoc ordine ediderunt Heusinger et Gernhard e. Gu. 1. 2. 3. Schütz tacite revocavit volgatum, *a. injustitiae genere.* Sed nulla hic est oppositio, ut §. 23. *Sed injustitiae genera duo sunt.* Imo *genera injustitiae* inter se comparantur: eodemque ordine sequitur: *duobus generibus injustitiae propositis.*

nihil conferunt in eam studi] i. e. consilii, lucubrationibus solerter excogitati. Cum recte expressisset Garve, inepte Hottinger interpretatus est: *Insofern als sie weder durch ihr gemeinschaftliches Interesse, noch durch ihre Bemühungen nützlich werden.* At vero *opera*, quam praestant opifices, opponitur hic *studio*, ut §. 22. ex. *artibus* i. e. doctrinae.

§. 30. *Est enim difficilis*] Pearcius conjecerat: *Est quidem*; non, ut Schütz notavit, *et quidem.* Gottleber ut exemplum particulae *enim* vel cum asseverandi vi, ut idem sit ac *profecto*, vel pro *autem* ab initio positae laudat Caesar. *B. G.* V. 7. ex. Sed ibi potius Ellipsis statuenda. *Caesar retrahi* (profugum) *imperat: si vim faciat neque pareat, interfici iubet, nihil hunc, se absente, pro sano facturum arbitratus, qui praesentis imperium neglexisset.* (Scil. Neque praeter necessitatem hac imperii severitate usus est Caesar.) *Ille enim revocatus resistere ac se manu defendere coepit.* Recte vero monet Gernhard, haec accommodata esse ad suspicionem illam, in qua insit admonitio quaedam, *nisi nosmet ipsos valde* (λίαν, ἄγαν, pro *nimis*) *amabimus*

alienarum. Quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putat: sed tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus, quae nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa, quae ceteris, quae quasi quodam longo intervallo videmus interiecto: aliter de illis, ac de nobis,

---

i. e. *nisi forte nos communis φιλαυτία decipit* (*Attic.* XIII. *ep.* 13.). Infra III. §. 31. praecipitur cavendum esse, *ut ne quis, ipse de se bene existimans seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam.*

Terentianus ille Chremes] ad πολυπραγμοσύνης opprobrium responsurus in *Heautont.* I. 1, 25. *Homo sum: humani nihil a me alienum puto:* quae auctor h. l. explicat per *curam eorum, quae ceteris* (hominibus) *aut prospera aut adversa eveniunt,* vel, ut Juvenal. XV. 142. *nulla aliena sibi credit mala.* Eodem Terentiano versu utitur Cic. *Leg.* I. 12, 33. et Seneca *ep.* 95. Vid. Idem *de vita beata* 24. *Ubicunque homo est, ibi beneficio locus est;* cl. infra III. §. 27. pr.

quasi quodam longo intervallo videmus interjecto] *Quodam,* quod in reliquis libris deest, addit Gu. 3. Vulgatum ordinem *interjecto videmus,* Gudianum 2. vel Guelph. secuti, invertimus: ut c. 17. pr. Utramque emendationem post F. Heusingerum commendavit Gerhard in *Addendis* p. 460. Exempla particularum *quasi* et *tamquam,* pronominibus *quidam, aliquis* etc. junctarum, cff. §. 71. *quasi quandam ignominiam. pro Scauro* (ap. Schütz. *fragm.* p. 38.) *defensionis q u a s i q u a e d a m iacere fundamenta. pro Plancio* 6, 15. *illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt q u o d a m q u a s i aestu. Verr.* V, 20, 51. *q u a s i q u a e d a m nota servitutis. Tusc.* I. 12, 27. *mortem — esse — q u a n d a m q u a s i migrationem commutationemque vitae,* IV. 11, 24. *q u a s i q u a e d a m Socratica medicina.* V. §. 30. ex. *Ex hoc Platonis q u a s i q u o d a m sancto augustoque fonte.* §. 46. *viae q u a s i q u a e d a m sunt ad oculos. Partit. or.* 37, 131. pr. *aperti sunt fontes q u a s i q u i d a m aequitatis. Leg.* I. 5, 21. *Hominem esse — q u a s i partem q u a n d a m civitatis. Fin.* V. 23, 65. *q u a s i q u a e d a m societas et communicatio utilitatum. Acad.* II. 14, 45. *q u a s i praestigiis q u i b u s d a m.* 49, 127 pr. *naturale q u o d d a m q u a s i pabulum. Somn. Scip.* c. 6. *terram, q u a s i q u i b u s d a m redimitam et circumdatam cingulis. Topic.* c. 5. pr. *t a m q u a m elementis q u i b u s d a m. Verr.* II. 3, 8. *q u a s i a l i q u o fato.* V. 14, 35. *q u a s i in a l i q u o orbis terrae theatro. Fam.* IV. *ep.* 3, §. 7. *Lael.* 17, 3 ex. Cf. Goerenzium ad I. *Fin.* 11, 39. p. 54. a. et ad Ejusd. editionem *Acad.* et ad Heindorfi editionem ll. *de Nat. deor.* indices, a nobis conscriptos, s. v. *Quasi,* Add. ib. II. 29, 73. extr.

iudicamus. Quocirca bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod, dubites, aequum sit, an ini-

---

aliter de illis, ac de nobis, iudicamus] Hic Cicero prope abfuit, quin erueret principium Ethices formale, cuius inventor haberi voluit Cantius, hac proposita formula: in omnibus rebus, quibus de iure, et quid fas sit, quaeritur, rem eo redire, ut expendamus, utrum, quam quasi quandam normam singulari facto sequi decernimus, hanc eandem velimus communem et universam legem constitui. Sed memini, Hermannum, virum Magnif., observare, anticipatum id esse a simplici Graecorum ratione et multis scriptorum Graecorum argumentis expressum, sed paene nullo apertius, quam hoc Sophoclis in *Electra*, quae (579. ss), Agamemnonem propterea, quod filiam immolasset, iure ab uxore necatum, negat, interrogans: ποίῳ νόμῳ; ὅρα, τιθεῖσα τόνδε τὸν νόμον βροτοῖς, μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάγνοιαν τίθῃς. Cf. supra ad §. 24. pr. Lycurg. *in Leocrat.* p. 156, 16. s. 157, 10. ss. Quid vero? ipse Christus apud Matth. VII. 12. efficacissime insinuavit eam legem, quae agendi studium nostrum quasi e pigritiae ac socordiae sopore suscitet et semper alacre retineat, nos admonens officiorum, quae societati, huic quasi cuidam cordi materno generis humani, debeamus: ut ne appetenter vitae commoda, aliorum laboribus parta, desideremus iisque otiosi perfruamur, sed ipsi quam plurimum in communes utilitates conferamus. Eademque lege admonemur conditionis nostrae veraeque rationis, quae nos inter aliosque intercedit, ut agnoscamus ἰσονομίαν, qua ceteri consortes in aequo et pari nobiscum iure sunt constituti: quemadmodum coram Deo aequales et pares sumus omnes inter omnes. Sed, eheu! quam multi, multi? imo vero plerique omnes, ignari sortis ac conditionis suae, evertunt communitatis fundamentum, sibi ea ut praestentur, poscentes, quae ipsi ut aliis praestent, aequius est; aut abutuntur immoderate facultate sua agendi cum licentia, ut pro lubitu dominentur. Sed inter hanc impotentiam non ferendam et inter illam negligentiam medium tenet amor, qui *humani nihil a se alienum putat.* Igitur ne φιλαυτία iudicium nostrum corrumpat, ut inique cum aliis agamus, bene praecipitur: *Quod dubitas, ne feceris*: quae Plinii sunt verba I. *epist.* 18. Susurramina conscientiae, quo recti admonemur et a peccatis revocamur, semper auscultandum. Quae enim cupiditati abnuit, est fere ipsius honestatis vox. Restringit hoc praeceptum Garve Annot. T. I. p. 103. 111. Cf. Exc. Krugii Aretologia §. 32. p. 169. 172. s. Ad prox. perquam apposite Ammon, vir Magnif. et S. Rev., in diss. *de veritate, honestatis matre* p. 10. comparat Apostoli *ad Roman.* XIV. 23. Alio sensu dicitur infra III. §. 37. *in ipsa enim dubitatione facinus inest*: quem locum confert Facciolatus. De v. *cogitatio* vide ad §. 24. p. 55.

quum. Aequitas enim lucet ipsa per se; dubitatio cogitationem significat iniuriae.

X. Sed incidunt saepe tempora, cum ea, quae 31
maxime videntur digna esse iusto homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria, ut reddere depositum, promissum facere: quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare fit iustum. Referri

C. X. §. 32. *ut reddere depositum*] Plerique codd. adiiciunt: *etiamne furioso?* al. *sed etiam ne furioso;* al. *etiam nec furioso;* al. *et non furioso.* Putatur hoc additamentum ex III. 95. huc venisse. Possit quidem facile corrigi, *etiam non furioso:* ut significetur: hoc praeceptum, positum in una re, transferri in multas posse, ut III. 91. extr. verbis, *In mancipio vendendo dicendane vitia,* itemque c. 24. pr. verbis, *Pacta et promissa semperne servanda sint,* annectitur similis exceptionis amplificatio. Sed glossae suspicionem confirmat h. l. cod. *μ*, qui illud additamentum non agnoverit.

quaeque pertinent — fit iustum] i. e. *potiusque* (v. §. 92. et ad §. 3.) *fit justum, interdum ea, quae* etc. quod, ut ceteros intt., sic latuit Bauerum, qui ad Sanctii Minervam II. p. 351. ad *quaeque* intelligit *alia* vel *omnino*, necnon Gernhardum, cui pro *et quaecunque* positum videtur. Schütz revocavit volgatum *sit* pro *fit*. At si Coniunctivum suspensum voluit a superiori *ut*, quod Degenio placet: scribendum fuit in superioribus cum Extero, Bipontino editore, *ut non* (quam negationem hic inculcant codd. *μ*. Goth. Vinar. Gu. 1. 2. cum vett. edd. Lugd. Paris. Basileensibus, Frobenii et Operini, Venet. etc.) *reddere depositum, etiam promissum non facere* etc. Fieri enim vix potest, quod Gernhard censet, ut *ea migrare* sensu complectatur etiam illa: *reddere depositum, prom. f.* quale Zeugma excogitaverat etiam Bauer l. c. Imo *ut* ibi valet *exempli causa*. Quod si autem Schütz *sit* absque particula dubitanter adhibitum voluit, ut §. 32. *non sit contra officium — magisque ille — ab officio discedat,* non habeo, quod contra moneam, nisi quod III. 95. ubi, quae hic anticipantur, repetuntur, legitur: *Malta, quae honesta naturâ videntur esse, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta* i. e. (ib. §. 19. pr.) *saepe tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe.* Cf. ib. 103. ex. cl. 110.

enim decet ad ea, quae posui fundamenta iustitiae: primum, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati serviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium et non semper est idem.
32 Potest enim accidere promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset:

Referri enim decet] i. e. Temporibus convenit, atque aptum est, consentaneumque personis, ut referantur *ad ea, quae posui*. Post haec vv. cum Gu. 3. exclusi *in principio*, scil. disputationis de justitia c. 7. pr. glossema iam a Gernhardo uncis notatum. Praepositio *in*, quam cum Gu. 1. 2. edt. Gryph. post H. Wolfium et Pearcium excluserat Heusinger, abesse non posset. Nam *principio* i. foret q. *primum*, non *a principio*.

Ea cum — commutantur, commutatur officium] Frequens est ejusdem verbi per chiasmum collisio, ut II. 79. pr. *cui res erepta est, est inimicus. De provinc.* 7, 17. *Ego idem, qui nunc consulibus — Syriam Macedoniamque decerno, decernam easdem praetorias.* Plura exempla petenda a Goerenzio ad V. *Fin.* 32, 95. p. 654. b.

§. 32. *id effici*] Excusanda haec constructio per negligentiam quandam familiaris sermonis. Cum enim proprie dici debuisset aut, *Potest enim accidere, ut promissum aliquod et conventum effici* etc. aut, *Potest enim acc. prom. al. et conventum ejus modi, ut id* vel *tale, quod effici* etc.: auctor utramque rationem coniunxit. Ex quo oratio deflexit, ac si nihil aliud praecessisset, quam, *potest accidere.* Non satis apta ad explicandam hanc rationem sunt exempla, quibus utitur Gernhard. Ne illud quidem huc facit, quod Conr. Heusinger in *praef.* p. XXXXV. adhibet *de or.* I. 55. pr. Aptiora sunt, quae idem Heus., laudans Oudendorpii ann. ad Sueton. *Aug.* p. 276. *n.* 4. praeterea attulit exempla abundantiae pronominis *is* e XV. *Famil. ep.* 2, 2. *erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi — conarentur, iter eos per Cappadociam — esse facturos.* Thucyd. III. p. 151. Steph. extr. τῷ δὲ Ἱπποκράτει — ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη — —, πέμπει. et Xenoph. *Cyrop.* I. 3, 13. Vid. Commentatores ad Vigeri *Graec. idiotismos* ed. Herm. p. 171. Heindorf ad Cic. *de N. D.* II. 10, 27. ex. et Matthiae ad *or. pro l. Manil.* 14, 40. ex. Cf. infra §. 137.

Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium,

---

Ex t. e. optatis — tertium, quod — optavit] Sic coniugata copulantur extr. hac §. *promissis standum* —, *quae — quis — promiserit*, ut apud Plaut. *Amphitr.* III. 2, 66. *quae vota vovi*, ex pervolgato Graecismo εὔχεσθαι εὐχὴν s. εὐχὰς (Aeschin. *in Ctesiphont.* p. 56, 22.) δεῖσθαι δέησιν (ib. p. 62, 24.), τὰ αἰτήματα, ἃ ᾐτήκαμεν (in Joann. *ep.* I. 5, 15.) ἀρὰς ἀρᾶσθαι (Eurip. *Phoen.* 65.) itemque ὁμολογεῖν ὁμολογίαν (apud Platon. in *Critone* c. 14. in.) Cf. infra §. 38.

ut scribitur] Haec vv. offendunt Gernhardum, cum praesertim praegressum sit, *ut in fabulis est.* Sed solet Noster ejusmodi admonitiones in iis, quae finguntur, repetere, anilis superstitionis suspicionem detestaturus: ut III. c. 9. pr. *Hinc ille Gyges inducitur a Platone: qui — ut ferunt fabulae* etc. Ad nostrum h. l. cf. Euripidis *Hippolytus* 24 — 46. 887. (898. Brunck. 900 Musgr.) sqq. 895. (906. Br.) 1297 Br. (1301. Mus.) ss. 1306 — 1334. Br. (Mus. 1310 — 39. al. 1296. ss.) 1359. s. Br. (Mus. 1364. al. 1349. s.) Scholiast. ad 887. et 1349. Εἰσὶ δὲ αἱ εὐχαὶ Θησέως πρὸς Ποσειδῶνα τρεῖς· πρῶτον ἀνελθεῖν ἐξ ᾅδου, δεύτερον ἐκ Λαβυρίνθου, τρίτον Ἱππολύτου θάνατος: a quibus discrepat Seneca *Hippol.* maximam partem ad Euripidei Hippolyti Velati, cujus, multis post Euripidem seculis lecti, fragmenta quaedam etiamnunc exstant, exemplar efformato, 940 — 956. binas alteras optationes ignorans. Cf. Ovid. *Metamorph.* XV. 497 — 549. Hygin. *fab.* 47. et Diodor. Sic. IV. 64. Alludit Plato *de legg.* X. p. 931. C. Fabulam esse astronomicam, indigitavit Creuzer in elegantissimae eruditionis cornu copiae, *Symbolik u. Mytholog.* IV. p. 163. s. §. 35. pr. Heindorf apud Cic. *N. D.* III. 31, 76. ex. verbis, *Theseus Hippolytum perdidit*, parum eleganter adiunctum ait hoc additamentum, *cum ter optandi a Neptuno patre habuisset potestatem.* Utinam hodiernorum librorum eadem esset conditio, quae antiquorum! Tum ingenii laudem mihi quaererem conjectura, Heindorfii commentariis notam illam a sciolo librario additam esse ex annotatione Gernhardi, qui hoc exemplum *Nam si — in maximos luctus incidit* huc translatum putat e lib. III. §. 94. ex quo translatum ex nostro hoc loco suspicatus fuerat Valckenarius ad Eurip. *Hipp.* 887. Itaque divinarem, etiam Gernhardi notas ad utrumque l. interpolatas esse glossematis e Valckenarii commentario petitis. Ipsius enim editoris praestantissimi acumen haud dubie animadvertisset, mutilato hoc loco, exsistere jejunam battologiam. Quippe horum, *Potest enim accidere — vel ei, qui promiserit*, continua repetitio, variatis modo verbis, *Nec promissa igitur —, quam illi, cui promiseris,*

quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato, in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur servanda sunt ea, quae sunt iis, quibus promiseris, inutilia; nec, si plus tibi noceant, quam illi prosint, cui promiseris, contra officium est, maius anteponi minori. Vt, si constitueris cuipiam,

---

hic non haberet excusationem, nullo interjecto *promissorum, quae sunt iis, quibus promiseris, inutilia*, exemplo, quod eo magis desideratur, cum deinceps ex altero genere adjiciatur exemplum *promissorum, quae ei noceant, qui promiserit.*

in maximos luctus incidit] i. e. luctus sibi contraxit. Cf. *Attic.* III. *ep.* 15, 2. *Hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quemquam, neque in tantas miserias incidisse.* Phil. II. c. 10. med.

ea, quae sunt — inutilia] Sic cum Gernhardo e Gu. 4. *μ*, Beda et Erybo. Revocavit Schütz volgatum *sint.* Sed cf. III. c. 25. pr. Haec certe immerito ut nimis laxa reprehendit Binkes p. 57. n. 66. ubi in partes vocat Puffendorfium *de Jure N. et G.* III. 5, 9. et ex ejusd. l. V. c. 12. §. 22. affert argumentum, quod non semper sit promissoris, judicare, resne utilis sit futura ei, cui promissa est. At iam J. Fr. Gronov. *not.* 2. ad Grotii L. II. *de Jure B. et P.* c. 16. §. 27. monuit, *inutilem* rem dici nocituram, quae perniciosa sit ex judicio hominum omnium sanae mentis, neque vero rem, quae ex errore tantum promittentis nulli sit usui. Ipse autem Puffendorf l. IV. c. 2. §. 14. concedit, promissione adeoque jure jurando non excludi tacitas conditiones et exceptiones, quae ex ipsa rei natura rite fluant. Ergo si iniqua aut absurda promiseris, minime tenebere. Talis enim promissio per se irrita est, quippe turpis.

maius anteponi minori] i. e. si maioris momenti res anteponatur rei minoris momenti; ergo, si, vitam ad certam rationis normam dirigens et diligentissime perpendens momenta officiorum omnium, minima de malis eligas, potiorem utilitatem secutus. Iure autem Ammon, Vir Magnif., diss. l. *de veritate* etc. p. 8. honestatem a temporum utilitatumque vicissitudine pendere, negat et pernegat, omnemque dictorum conventorumque fidem et constantiam Ciceronis sententia tolli et everti, arguit. Laxius controversiam dijudicat etiam Garve p. 112. ss.

Vt, si constitueris —: non sit etc.] Est eadem Optativi in comparato exemplo constructio, quae §. 144. ex. *N. D.* II. 53, 86. *Vt, si qui — dicat —: non intelligat.*

te advocatum in rem praesentem esse venturum, atque interim graviter aegrotare filius coeperit: non

---

Virgulam, ab Heusingero ante *cuipiam* positam, transtuli post pron. *si constitueris cuipiam*, scil. ad statum diem, ex utrorumque commodo sumptum, qui ex iure manu consertum vocant et revocant in rem, de qua vindicanda agitur. *Constituere alicui* valet cum aliquo pacisci, ei promittere *pro Quinct.* §. 18. *Attic.* XVI. 2. pr. Juvenal. III. 12. Dicitur etiam, *constitutum habere cum aliquo* VII. *Famil.* 4. *pacta et constituta cum aliquo dies* I. *Catil.* 9, 24. pr. Cf. Schütz *Lexic. Cic. T. II. P. I.* p. 377. sq. cl. Cortio ad Sallust. *Jug.* c. 46, 2. quem laudat Mich. Heusinger. Geminus est locus Senecae *de benef.* IV. 35. *In rem praesentem venturus fui: sed aeger filius, sed puerpera uxor tenet. Omnia esse debent eadem, quae fuerunt, cum promitterem, ut promittentis fidem teneas.* Cf. ib. c. 39. De ritu iudiciali Turnebus *Adversar.* XXVI. 32. „Qui vindicabant, et cum de possessione lis erat, *in rem praesentem* litigatores veniebant, ut deductio fieret moribus, quod satis apparet ex oratione Ciceronis *pro Caecina*" (c. 1. §. 2. ubi v. D. Gothofredus, et c. 7.): ad quem l. c. 8. pr. suae ed. Schütz citat Gell. *Noct. Att.* IX, 20. Sed locus classicus de his legitimis actionibus exstat ibi XX, 10. Praeter l. a Gernhardo c. *de or.* I. 58, 250. vid. inprimis *pro Murena* 12, 26. ubi *advocati* litigantibus amici dicuntur solenni vocabulo *superstites.* Nam *superstitibus, id est*, ut ait Festus, *praesentibus testibus, ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur;* scilicet in ipso fundo, de quo ambigeretur, re transacta, unam glebam in ius in urbem ad Praetorem deferre et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicare. Nimirum ista omnia dicis causa fiebant, ut servaretur antiquus vindiciarum dicendarum ritus: qua de re erudit. Matthiae ad l. c. laudat: De Savigny in l. *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* Vol. III. T. III. p. 421. ss. Sed etiam reus violati sepulchri: *Eamus in rem praesentem*, ait apud Quinctil. *declam.* 369. ubi v. Burmann. Omnino *in rem praesentem* dicitur pro *ad locum* (ut §. 33.), unde praesens rem inspicias. Vlpianus *de operis novi nunciatione D.* 5, §. 2. ss. *in re praesenti* explicat *in ipsa re* et usurpat pro *eo loci, ubi opus fiat.* Sic Plin. X. *epist.* 24, 3. *in rem praesentem excurrere.* Ibid. ep. 69, 1. *in re praesenti* i. e. q. inspecta et oculis subjecta ipsa re et materia, de qua agitur; apud Quinctil. *Instit.* VI. 2. Liv. XL. 9, i. q. tunc, cum illud ipsum, quo de nunc agitur, accideret. Tropice Seneca *ep.* 6. post med. *in rem praesentem venias oportet;* et *ep.* 30. sub fin. (ut Quinctil. IV. 2, 123.) *tamquam in rem praesentem perductus.* Praeterii alia, quae habet Gesner *Lat. Thes.* III. 1034, 31 — 45.

sit contra officium, non facere, quod dixeris; magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Iam illis promissis standum non esse, quis non videt, quae coactus quis metu, quae, deceptus dolo, promiserit?
33 quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, nonnulla legibus.

---

non facere, quod dixeris] i. e. promiseris. Sic *dictorum conventorumque constantia* §. 23. Vid. *pro Quinct.* §. 18. cl. Nonio in v. *Dicere.* Hottomanno *de rit. nuptiarum* c. 5. Mich. Heusingero ad Corn. Nep. *Milt.* 2, 4. Mox *magisque* pro *potiusque* positum. Vid. Schütz in *Lex. Cic.* et Meiner l. l. de particulis p. 247.

Iam illis promissis standum non esse] *Iam* gradationem adjuvat. Nam III. c. 24. pr. haec pacta et promissa, partim ipso jure nulla, auctor ne in contentionem quidem admittit. Perperam autem ethica confunduntur cum juridicis. Non debent omnino leges aequae permittere, ut vi aut dolo malo quaerantur jura; quia alias sancirent injuriam. Vid. *l.* 206. *D. d. R. J.* cl. Krug. *Dicaeologia* p. 192. 195. s. Sed nihilo minus, modo ne turpe facinus promiseris, honestate alienum videtur, abuti refugiis inhonestis. Injuria Cic. III. 107. his conventis ne si iuratus quidem non steteris, negat esse perjurium. Quanto melius ib. 112. Pomponius! Cf. I. 13, 39. Valent hac de controversia eadem, quae II. 63. de ingratis disputantur. Nam qui fidem datam fallit, quasi non debeat ratum esse, quod est actum per vim, communis hostis eorum est, qui postea aliquando in violentorum hominum potestatem inciderint, omnibusque calamitate afflictis injuriam in deterrenda fiducia facit. Contra fieri potest, ut vel nefarius et facinorosus nebulo, constantiae justi rectique tenacis exemplo commotus, seram tandem aliquando injuriarum poenitentiam agat ad melioremque mentem et sibi et ceteris salutarem redeat. Praeclare enim agitur, quod rara sunt humani generis monstra illa et prodigia, in quibus tam efferata sit immanitas, ut magnanimae virtutis auctoritatem a stolida et timida simplicitate ne discernant quidem.

§. 33. *nonnulla legibus*] XII. tabularum, Plaetoria et Aquillia: v. III. 14, 60. 61. 65. Ad legum defectum supplendum subsidiario primitus utebantur *jure praetorio.* Cf. ibid. 67. 91. sq. Paulus, Vlpianus etc. *ad Edictum* in *D.* XLIV. *tit.* IV. *de doli mali et metus exceptione.* Scilicet propter hanc Praetores dabant actori restitutionem in integrum, aequitatis ratione habita. Huic adversatur calumnia. De hac igitur deinceps.

Exsistunt etiam saepe iniuriae calumnia quadam et nimis callida, sed malitiosa, iuris interpretatione. Ex quo illud: *Summum ius summa iniuria*, fa-

---

Exsistunt etiam saepe iniuriae calumnia] Sedes incerta adverbium in suspicionem peregrinitatis adduxit Fr. Heusingero. Nam Gu. 3. transponit *saepe etiam*, 4. et impr. vett. *etiam injuriae saepe:* quem ordinem equidem praetulerim; solet enim adv. *saepe* sic altius rejici, ut p. 45. III. 56. 107. pr. *Fin.* I. 13, 43. ex. II. 15, 48. ex. III. 2, 7. Statim post Gernhard et Schütz receperunt *et malitiosa*, probante Goerenzio ad IV. *Fin.* 16, 43. p. 476. *a.* qui *et — et* accipit pro *non solum, —, sed etiam*, sic ut posterior, cum intentione posita, *et adeo* valeat. Schütz mallet, si quid mutandum esset, cum Facciolato reponere *sex malitiosa.* Nos quidem Hermanni, viri Magnifici, iudicio confisi, praetulimus *sed.* Injuriam enim Goerenz facit Heusingeris, eos prave sic correxisse perhibens. Imo est volgata lectio, quam F. Heusinger, laudato Gesnero ad Columellam XII. 44, 7. idoneis defendit exemplis, docens, *sed*, ut apud Graecos ἀλλὰ, augere sententiam et vicem particularum *imo vero*, *quin etiam*, *et quidem* sustinere *Famil.* XIII. *ep.* 31, 3. *sed praeterea. ep.* 64. ex. ut Plaut. *Cas.* III. 5, 51. Ovid. *Met.* XIV. 385. Phaedr. IV. *fab.* 17, 19. Adde Burmannum ad Petronii c. 128, 3. pr. *Dic, — sed verum.* Ea particula h. l. eo aptior videtur, cum *callida* alibi etiam bono sensu dicatur. Prior autem *et* post *calumnia q.* valet *id est*, ut I. *Leg.* 7, 23. *parent — huic coelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti deo.*

summum jus summa injuria] h. e. „Tum maxime disceditur ab aequitate, cum maxime superstitiose haeretur literis, cum de verbis juris contenditur neque spectatur, quid senserit is, qui scripsit", interprete Erasmo *adag.* p. 328. qui tamen argutatur, voces ac literas quasi legum summam cutem esse: qua figura Seneca L. I. (c. 16.) *de ira* dixerit, *non ex alto venire, sed summo, quod ajunt, animo inhaerere.* Cf. quae ex Ernesti clavi Schütz inseruit suo *Lex. Cic.* T. III. P. I. p. 251. B. 2. Nimis urgere jus strictum vetuit simili ὁξυμώρῳ iam Salomo *Ecclesiast.* VII. 16. Stobaeus *Serm.* XLII. p. 288. ed. Gesn. (ed. alt. p. 277.) laudat Menandri versus: Καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσίν, ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς συκοφάντης φαίνεται, a quo habet Terentius *Heaut.* IV. 5, 48. Hieronymus *ad Innocent. de muliere septies icta:* „*O vere ius summum summa malitia! Post tanta miracula adhuc saeviunt leges!* Cic. *p. Caecin.* 24, 65. *Si contra verbis et literis et, ut dici solet, summo jure contenditur: solent ejusmodi iniquitati boni et aequi nomen dignitatemque opponere.* Tum illud,

ctum est iam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur: ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste factae induciae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium, induciae. Ne noster

---

quod dicitur, *Sive Nive*, *irrident; tum aucupia verborum et literarum tendiculas in invidiam vocant; tum vociferantur, ex aequo, ex bono, non ex callido versutoque iure rem iudicari oportere; scriptum sequi, calumniatoris esse; boni iudicis, voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.* Ib. c. 27. med. *Iuris igitur retineri sententiam oportet; non verbo ac litera ius omne torqueri.* Cf. *Muren.* 12, 27. *D.* X. l. penult. *Non oportere ius civile calumniari neque verba captari, sed, qua mente quid diceretur, animadvertere convenire.* XLV. *t.* I. *l.* 91. §. 3. L. *t.* XVII. *l.* 85. §. 2. et *l.* 90. et 183. Exemplum, ubi scriptum et severum ius urgebatur cum injuria, occurrit infra III. 67. Mich. Heusingero et ad Columellam I. 7, 2. Schoettgenio fucum fecit Crenius part. 10. p. 59. comparans ἄκρατον δικαιοσύνην apud Platon. L. VIII. *de re publ.* (p. 545. A.) At vero illud significat *meram et sinceram justitiam.* Boni viri in mente habuisse videntur ἄκραν vel ἀκροτάτην: quamquam vel sic falsi essent; nam δικαιοσύνη non i. e. q. *ius.* Recte vero comparatur Aristoteles *Ethic. ad Nic.* V. 10. ex. Ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθὸν, ἐπιεικής ἐστι. Praeclare idem paullo ante: τὸ ἐπιεικὲς δίκαιον μέν ἐστιν, οὐ τὸ κατὰ τὸν νόμον δὲ, ἀλλ' ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου etc. quicum cf. Krugii *Aretologia* p. 277. s.

in re publica multa peccantur] i. e. in negotiis gentium cum gentibus, ut §. 34. pr. Ergo hic intelligitur *contra fas gentium*, ut III. 46. *utilitatis specie in re publica saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri. Durius etiam Athenienses,* scil. *peccarunt.* Sic hic etiam ad seqq. *ut ille* cogitatione repetendum *peccavit.* Aldus Manutius: „Ephorus apud Strabonem (IX. c. 2. p. 249. ed. stereotyp. Lips.) Thracium commentum dicit. Vide proverbium: Θρᾳκία παρεύρεσις [ap. Erasm. p. 329. Diogenian. IV. *centur.* XXXVII. Paroemiograph. ed. Schott. p. 444.] Cleomenes Lacedaemonius, cum Argivis septem dierum inducias pactus, tertia nocte fidem fefellit. Plutarch. in *Apophthegm. Laconicis*" (p. 223. β'. γ'.). Add. Polyaen. VII. 45. Dujatius ad Liv. I. 24. hanc fraudulentam interpretationem foederis, cujus, sententia violata, verba tamen in speciem videbantur servari, nescio qua auctoritate, tribuit Andriis, in dies quindecim inducias pactis cum hostibus.

quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Labeonem seu quem alium (nihil enim praeter auditum habeo), arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ut ne cupide quid agerent, ne appetenter, atque ut regredi, quam

---

Ne noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium etc.] Ut facilius accommodari posset adjectio, *seu quem alium*, maluit auctor subjectum primarium in Accusativo cum Inf. pendere ab interposita enunciatione secundaria, *si verum est*, quam, praemisso, ut III. 80. pr., Nominativo *Q. Fabius Labeo*, pergere, *si verum est*, *hunc* etc. aut, ut Gernhard in *Excursu* p. 450. expedit: *seu quis alius — arbiter — datus — locutus*, (vel, ut Hottinger Vol. II. p. 259. solvit: *qui arbiter* etc.) cum vel sic ad, *si verum est*, haec omnia eodem, quo nunc sequuntur, modo fuissent intelligenda. Praeterea vehementius sic dubitari videtur Gernhardo de callido illo Labeonis facinore, quam si oratione recta narraretur. Equidem reor potius, ut subjectum primarium magis efferatur, propterea ejus exspectationem suspensam teneri, quemadmodum *Cluent.* c. 42. pr. *Sequitur id, quod illi iudicium appellant, majores autem nostri nunquam neque iudicium nominaverunt, neque perinde, ut rem iudicatam, observaverunt, animadversionem atque auctoritatem censoriam*, cui verissimae plurimorum librorum lectioni, a Beckio, viro Ill., intelligenter et comperte restitutae, Schütz denuo substituit Nominativos *animadversio atque auctoritas censoria*. Plura exempla talium attractionum sistit Goerenz ad *I. Acad.* 8, 30. pr. Qui hic notatur homo sutelosus, intelligitur Q. Fabius, Q. F., Q. N., Labeo, post duas repulsas COS. factus cum M. Claudio Marcello a. V. 570. indice Mich. Heusingero.

ad locum] i. q. *in rem praesentem* apud Valer. Max. qui VII. c. 3. n. 4. idem hoc vafrامentum refert. Cf. supra ad §. 32. Livius XL. 17. pr. *Eodem anno* (571.) *inter populum Carthaginiensem et regem Masinissam in re praesenti disceptatores Romani de agro fuerunt.*

ne appetenter] Vehementer probo et libenter amplector hanc lectionem, quam volgatae, *ne appeterent*, non festinanter, imprudenter, audenter, sed eleganter, intelligenter, sapienter praetulit Schütz, cui reverenter et obsequenter assentiens eandem et ipse non dubitanter, sed confidenter recepi et, ut vindicem, Degenio aliisque non arroganter et petulanter, sed pudenter et observanter obloquar. Turbare scribas ignoranter, negligenter, osci-

progredi, mallent. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines sic, ut ipsi dixerant, terminavit; in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicavit. Decipere hoc quidem est, non iudicare. Quocirca in omni re fugienda est talis solertia.

XI. Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus iniuriam acceperis. Est

---

tanter et intemperanter, imo furenter in his adverbiis, auctori frequenter usitatis, observat diligenter Görenz ad *V. Fin.* 9, 26. p. 561. extr. quo competenter videor uti auctore. Hujus adverbii Latinitas non latenter proba, cum Participii Superlativus legatur *Tusc.* II. c. 24. *appetentissimi*, Comparativus autem *Lael.* 14, 5. *appetentius.* Num quid insolenter formatum dicetur etiam, *cupienter*, antiquissimis auctoribus familiare, aut *esurienter* propterea, quod apud unum Apulejum reperitur, cum apud ipsum Cic. *Tusc.* IV. c. 17. pr. legatur *sitienter?* an inconstanter in his tum admittendis, tum fastidienter repudiandis versabimur licenterque errabimus? Congruenter etiam convenienterque fieri videtur, ut adverbia continenter et profluenter se excipiant, propter anaphoram, quà potenter, ardenter, eloquenter sic dicitur. Cf. ad §. 82. pr. *ne quid temere, ne quid crudeliter.* Videmur sufficienter abundanterque docuisse, adverbium illud, quod hic decenter locum suum obtineat, patienter, non repugnanter, accipiendum fuisse; sin minus scienter, luculenter, evidenter, efficienter probavimus: lectores miseranter, non simulanter et dissimulanter, oramus, ut editori, qui innocenter et immerenter in invidiam incurreret, toleranter, indulgenter amanterque ignoscant. Deinceps *atque* commode explicatur: *quin etiam.* Cf. ad c. 11. pr. II. 83. *non divellere a t q u e — continere.* De hac intensiva particulae *atque* vi v. p. 79. et Görenz ad III. *Leg.* 14, 32. p. 260. b.

utrique] i. q. *utraque pars* ap. Valer. l. c. Cf. supra §. 2. et 38. vers. 3.

Decipere hoc quidem est, non iudicare] *Quidem*, cuius vim ignorat Degen, pronomini distinguendo additur, ut valeat, *si quid aliud, profecto hoc.* Sic *Tusc.* II. c. 13. *Optare hoc quidem est, non docere* v. *disputare* (*de fat.* c. 20.) *N. D.* I. 32, 90. in. *Praecipitare istuc quidem est, non descendere:* pro inverso ordine, qui est *Fin.* II. 9, 26. *Hoc est non dividere, sed frangere. Lael.* 16, 5. pr. *Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam.*

enim ulciscendi et puniendi modus; atque haud scio, an satis sit, eum, qui lacessierit, iniuriae suae poenitere: ut et ipse ne quid tale posthac et ceteri sint ad iniuriam tardiores. Atque in republica 34
maxime conservanda sunt iura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem,

---

C. XI. *atque haud scio, an*] *Atque* in hac formula valet *imo potius* estque se ipsum corrigentis: ut *Famil.* IX. *ep.* 15, 3. *est id quidem magnum, atque haud scio, an maximum.* V. observationem Goerenzii ad *Acad.* II. §. 126. c. 40. ex. *Atque haud scio, an ita sit.* Similiter *et* infra II. 64. nec non in formula, quae plane idem valet, *et, ut equidem sentio* IV. *Fam.* ep. 3. §. 9. Item *ac*, sequente *nescio, an.* Hujus formulae, de qua v. *Excursus* XI., vim prorsus ignorat Maturantius, Marsus et Binkes, qui in diss. c. ab Academia Lugduno-Batava praemio ornata, Facciolati notam exscripserit, p. 19. „Non putat Cicero, satis esse, eum, qui laeserit, injuriae suae poenitere, *sed vult puniri*"! Detestatur, detestatur, illam atrocitatem Tullius! Imo haec verbis subest vis: *haud scio, ulciscendi et puniendi qui modus sit,* quousque progredi debeamus, quid liceat in ulciscendo et puniendo. *Aut satisne est, si is, qui injuste impetum in quempiam fecerit, sentiat injuriam non esse impunitam eaque poena affectus doleat, cujus et memoria ipsum ab inferenda injuria revocet et exemplum alios deterreat, ut poena unius sit metus multorum?* τοῦ εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον ἢ τοπαράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον, ἢ λωφῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης ξυμφορᾶς. Hoc modo Deum peccata hominum punire, ἵνα τῶν πονηρῶν κολαζομένων, οἱ λοιποὶ, παραδείγμασι τούτοις χρώμενοι, ἧττον ἐπιχειρῶσιν τούτων τι ποιεῖν, docuerat Chrysippus lib. I. περὶ δικαιοσύνης. Vid. Plutarch. *de Stoicor. repugn.* p. 1050. Plato *Gorg.* c. 81 pr. *Leg.* XI. p. 934. B.

ut — ipse ne quid tale posthac] scil. *audeat, admittat:* vel, quod hic glossatores assuerunt, *committat, faciat.* Quaevis lingua amat ejusmodi aposiopeses tum in minis, etiam si obliqua oratione proferantur, tum in deprecandi formulis, ut *Ligar.* 10, 30. *Si unquam posthac —.* Terent. *Phorm.* I. 2, 92. *Posthac si quidquam —: nihil precor:* quae comparavit Mich. Heusinger. Causam non in frequenti talium formularum usu, sed in animi affectu quaerere debebat Degen.

§. 34. *in republica*] i. e. adversus alienos populos et civitates. Cf. c. 10. ex. p. 76.

per disceptationem] i. e. per expostulationem et satisfactionem, per contentionem de eo, justumne aliquid sit,

alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius,
35 si uti non licet superiore. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur; parta autem victoria, conservandi ii, qui

---

an injustum, quae fit adductis rationibus, quae plus ponderis habeant. V. §. 64. et. c. 37. pr. Lepide Degen a δὶς et σκέπτομαι derivat. Saniora docet Gesner *Thes.* s. v. *discepto.* Apud Liv. VIII. 23. Romanorum legato, Samnites, priusquam bellum fieret, *ad disceptandum* vocanti *ad communes socios atque amicos*, respondetur: *Nostra certamina, Romani, non verba legatorum nec hominum quisquam disceptator, sed — communis Mars belli decernet.* Ib. XXVIII. 21. *quidam, quas disceptando controversias finire nequierant aut noluerant, — ferro decreverunt.* Ib. *Cum verbis disceptare Scipio vellet ac sedare iras; — ambo dicere, — Martem se iudicem habituros esse.* Cf. Schütz *Lex. Cic.* s. v. *disceptatio.* Hoc genus decertandi dicitur πόλεμός τις ἀσίδηρος. Hinc Pittaci oraculum: τὰς νίκας ἄνευ αἵματος ποιεῖσθαι, apud Diog. Laërt. I. 77. Vid. Erasmi *adagia* p. 521.

cumque illud proprium sit hominis] Gu. 2. *proprie,* probante J. F. Heusingero. Sed non perinde est, utrum cum pron. possessivo dicatur *id est proprie tuum,* ut *Fam.* IX. *ep.* 15, 3. ex. an cum Genitivo adjectivi loco; de quo v. ad §. 2.

confugiendum est — superiore] Cf. §. 80. pr. Croesus ap. Herodot. α΄. 87. lin. 18. οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἀνόητός ἐστι, ὅς τις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. Menelaus ap. Liban. Sophist. p. 196. Πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν, ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. Dionys. in *Eclog. legat.* II. p. 295. Μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων. Hinc ridicule miles gloriosus, sed subtimidus, in Terent. *Eun.* IV. 7, 19. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Contra recte etiam C. Pontius Samnis apud Liv. IX. 1. *Justum est bellum, quibus necessarium: et pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Cf. Exc. Krug. *Dicaeolog.* §. 95. et p. 417.

§. 35. *ut — in pace vivatur*] i. q. 80. *ita, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.* Sed plerumque *pax bello paritur* non alia, nisi sepulchri. Utinam hanc ob causam omnes populi essent Quaqueri! Cf. Plato *lib. I. de leg.* p. 628. E. cui non videtur quisquam unquam futurus νομοθέτης ἀκριβής, εἰ μὴ χάριν εἰρήνης τὰ πολέμου νομοθετοῖ μᾶλλον ἢ τῶν πολεμικῶν [illegible] τὰ τῆς εἰρήνης. Aristot. *Pol.* VII. 14. p. 484. *Nic.* X. 7, 26.

qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt: nollem, Corinthum; sed credo aliquid secutos,

---

ut majores nostri] V. de hac majorum laude II. c. 8. pr. *Pro Balbo* c. 13. ex: *Romulus foedere Sabino* (a. U. 12. Flor. I, 1. Liv. I. 13. et 33. Dionys. Halic. II. c. 46. Plutarch. in *Romulo* c. 19. ex.) *docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate et exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio et communicatio civitatis. Itaque et ex Latio multi et Tusculani* (universa gens a. U. 373. Liv. VI. 25. s. 33. VIII. 14. pr. Plutarch. in *Camillo* c. 38. Valer. Max. VII. 3, 9.) *et Lanuvini et ex ceteris generibus gentes universae in civitatem sunt receptae, ut Sabinorum* (sine suffragio a. U. 463. Vellej. Paterc. I. 14, 6.) *Volscorum* (Dionys. Halic. IIII. c. 49.) *Hernicorum* (sine suffragio a. U. 447. Sed *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, suae leges redditae,* teste Livio IX, 43.).

Carthaginem] urbem *Poenorum*, qui *foedifragi* (§. 38.), sed, arbitro Vellejo Paterculo (I. 12, 5.), *magis invidia imperii, quam ullius ejus temporis noxiae, invisam Romano nomini, funditus sustulit* P. Corn. Scipio Aemilianus, inde dictus Africanus Minor, a. U. 607. propter Catonis (cf. infra §. 79. ex.) inexpiabile odium. Vid. *II. agrar.* 32, 126. pr. *N. D.* III. 39, 91. ex. *Fin.* V. 24, 70. Florus II. 15. ex. *Epitom. lib. LI. Liv.* et ibi Freinshem. in *Supplementis* c. 43 — 55. Eutrop. IV. 5, 7. s. et c. 9. ex. Ea res innuitur *de fato* c. 7. Idem Africanus quarto decimo anno post exscidit *Numantiam*, Celtiberorum in Hispania munitissimum oppidum. V. infra §. 38. 76. *Catil.* IV. 10, 21. *Muren.* 28, 58. *Lael.* 3, 5. *de fato* c. 12. pr. Flor. II. 17. pr. et 18. ex. *Epitom. lib. LIX. Liv.* ibique Freinshem. c. 1 — 6. Vellej. II. 4, 2. s. 5. Orosius V. 7. Eutrop. IV. 8, 5. Romanorum in Numantiam saevitiam jure abominatur Garve ad h. l. p. 116. s.

nollem, Corinthum] intell. *funditus a majoribus nostris sublatam,* v. *majores nostri funditus sustulissent.* Nempe, ut Florus II. 16. pr. scribit, *haec* (*facinus indignum!*) *ante oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur,* a L. Mummio, inde dicto Achaico, eodem anno, quo Carthago concidit. V. infra II. 76. *N. D.* III. 38, 91. ex. *Liv. epitom.* 52. ibiq. Freinshem. *suppl.* c. 16. Vellej. Paterc. I. 13. Eutrop. IV. 6, 3. Pausanias II. 1, 2. VII. 16, 5.

aliquid secutos] Sic etiam Gu. 3. non, ut Schütz testatur, *aliquos sec.* Non tam excusans, quam peccati

opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea

---

causam indagans, dicit Cicero: *suspicor, majores nostros consilium ad utilitatis speciem quandam direxisse.* Cf. III. §. 46. *Att. IV. ep. 2. sect. 2. quaesivit, quid essent in decernendo secuti*, i. e. quam idoneam et probabilem causam habuissent, cur sic decernerent. Phil. II. c. 15. *Quod — habebat uterque, quod sequeretur, iccirco tolerabilior erat nostra dissensio. Act. I. in Verr.* c. 7. sub fin. *de divin.* II. 6, 17. ex. seq. *N. D.* I. 36, 100. *Rosc. Am.* 3, 8. ubi v. Matthiae. Aliam causam disturbationis Corinthi ipse refert Cic. *pro leg. Man.* 5, 11. legatos P. R. appellatos superbius, scil. ex interpretum quidem opinione, de qua tamen addubitare videtur egregius editor Matthiae, ut res oratorie minueretur. Nam Asconius *ad Act. II. in Verr. I. I.* c. 21. et Liv. *epit.* 51. ex. eos pulsatos, memoriae prodiderunt; Strabo VIII. c. 6. p. (381. A. 584.) 215. ed. stereot. Lips. sordes in eos de tectis injectas. Sed de verborum tantum contumeliis constare videtur Floro l. c. Vellejo I. 12. 1. et Polybio, qui modo addit, eos ejectos esse, *Exc. de legat.* 144. T. IV. p. 691. ed. Schweigh. De situ Corinthi et loci ratione v. Car. Frid. Groschii *de urbe Corintho libellus* (Jenae 1812. 8.) p. 9. s. „Sicuti Thermopylae porta inter Thessaliam et Helladem dici poterant, ita Corinthus Atticam Megaramque" [hodie Livadiam] „a Peloponneso" [nunc Morea] „seclusit. Utrumque mare, Jonicum ab hac, Aegaeum ab illa parte, hic sese coniungere velle videntur: quippe arcta et montis tantummodo jugo contenta est" [continetur] „illa terrae plaga, quae κατ' ἐξοχὴν nomen *Isthmi* gerit, cujusque latitudo in locis angustissimis non plus quam V millia passuum complectitur. Quamvis autem Corinthus in arctissima Isthmi parte haud posita esset: tamen situ tam opportuno gaudebat, ut duos haberet portus, Lechaeum et Cenchraeum" [Cenchreas] „nominatos, quorum prior ad sinum Corinthiacum" [i. e. versus Naupactum, hodie *Lepanto*], „posterior ad Saronicum" [i. e. versus Aeginam] „vergebat. Huc divitis et luxuriosi Orientis civitates merces suas — mittere solebant; illuc naves ex Occidentalibus terris confluebant, illas merces magno pretio empturae et fruges, ferrum aliasque res solidiores, quas solum genuit, venditurae." Erat praeterea tertius quidam portus, Schoenus, prope a Cenchreis septentrionem versus situs, in quem fere annona advehebatur. Cf. II. *agrar.* 32, 86. (12 5. in ed. Ill. Beckii, cujus eruditae notae cff.) 35, 129. Plutarch. in *Arato* c. 16. ex. Strabo l. c. p. 210. ss. ed. ster. Urbs, a Julio Caesare restituta, hodie vico non absimilis, antiquum nomen servat, *Corito.* Non poenit ebit adhibuisse Brockhusii *Real-Encyclopaedie* II. p. 809. s. ed. V.

quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum: si non optimam, at aliquam rem publicam, quae nunc nulla est, haberemus. Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui, armis positis, ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, re-

---

paci, quae nihil habitura sit insidiarum etc.] i. q. Nisi in pacis conditionibus ferendis sit simulatio aperta, pareturr autem bellum (*Attic.* X. *ep.* 1.): paci retinendae reconciliandaeve *opera danda* v. *prospiciendum*; proprie *consilium* nostrum *dirigendum ad* pacem. Cf. II. §. 74. et de hoc ipso pacis studio *Phil.* II. (cl. c. 10.) c. 15. (*Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus*, *ille* (Pompejus) *praesenti dignitati potius consulebat.* V. Schütz *Lex. Cic.* s. v. *consulere*, quod Degen h. l. ob seqq. *consilia dare* interpretans vereor ut satis consuluerit usum loquendi: e quo in eam, quam volt Degen sententiam, sic loquitur Cic. *pro Dejot.* 10, 29. *Cum* —, *exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fui* (Schütz ed. *fuissem*, quod in seqq. volgo legebatur pro *essem*), *post Pharsalicum proelium suasor essem armorum non deponendorum, sed abjiciendorum*. *Ligar.* 9, 28. *Fam.* IV. *ep.* 2. 6. VII. *ep.* 3. §. 6. 17. XVI. *ep.* 12. §. 2. 6. 10. *Att.* VIII. 9. *Phil.* XII. c. 3. Notat Pompejanorum *pugnandi cupidorum insanias* ad *Fam.* IV. *ep.* 1. §. 2. VII. *ep.* 6. §. 6. XVI. 11. §. 4.

si non optimam, at aliquam r. p. etc.] i. e. Quamvis iniquis legibus pacis non honestae impositis, cum unus plus valeret, quam universa res publica, tamen profecto aliquid retineremus ex pristino statu rei publicae, quae nunc eversa occidit, cum, *imperiis distributis, urbs sit sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide.* *Famil.* IV. *ep.* 1. §. 6. VII. 3. §. 12. IX. 6. §. 9. ubi iudicat *utilius rei publicae* fuisse, *cum spe si non optima, at aliqua tamen vivere.* *De orat.* I. c. 9. ex. *rem publicam, quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus,* scil. re, non verbo tantum, et dignam isto nomine. Cf. *Parad.* IV. §. (5.) 28.

quamvis murum aries percusserit] Turnebus *Advers.* XXVI. 32. e Caesaris l. II. *de B. G.* c. 32. pr. ostendit, ex militari lege deditionis nullam fuisse conditionem, nisi armis positis prius, quam aries murum attigisset. Hi enim quassabantur hac machina, cuius impetus, inventis ballistis ignivomis, bombarda compensatur. Post *incipiendi* cum Gernhardo delevi *sunt*. V. ad §. 25. ex.

cipiendi. In quo tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent
36 more maiorum. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denunciatum

---

earum patroni] Sic dediticiorum populorum patroni Marcelli Siculorum (v. Ascon. ad Cic. *divin. in Q. Caec.* c. 1.), Allobrogum, a. Q. Fabio, Aemiliani F., victorum (Liv. epit. 61.), Fabii (v. Sallust. *Cat* 41.) Macedonum, Aemilius Paullus (teste Plutarcho in ej. vita ad fin.), Cypriorum, quorum insulam in provinciae formam redegerat (Liv. 104.), M. Cato (v. *Famil.* XV. *ep.* 4. §. 41.); et Fabricius Samnites universos post redditam iis pacem in clientela habebat. Valer. Max. IV. 3, 6. Gell. I. 14. Quaedam ex his debentur Mich. Heusingero.

§. 36. *sanctissime fetiali P. R. jure perscripta*] nam ad *publicas religiones* pertinebat. Cf. III. §. 108. *Verr.* V. c. 19. pr. *Leg.* II. 9, 21. *Foederum, pacis, belli, induciarum oratores, Fetiales, iudicesve sunto. Bella disceptanto:* qua in lege vocem *Fetiales* a glossatore esse adscriptam, verissime monuit Exc. Handius (v. *Allgemeine Jenaër Literatur-Zeitung* a. 1810. n. 71.), distinguens *Fetiales legatos* s. *oratores* (cl. Nonio IV. 43. et Festo s. v. *orare*) et *Fetiales indices* (cl. Varrone ap. Nonium XII. 43.), cujus admonitionis admodum probabilis Schütz ad illum l. immemor fuit. Plutarch *Numa* c. 12. med. Οἱ — φιτιάλιοι, εἰρηνοφύλακές τινες ὄντες, — λόγῳ τὰ νείκη κατέπαυον, οὐκ ἐῶντες στρατεύειν πρότερον, ἢ πᾶσαν ἐλπίδα δίκης ἀποκοπῆναι (ubi v. Leopold.) Id. in *Camillo* c. 18. pr. et *Problem.* Dionys. Halic. II. 72. s., Liv. XXXI. 8. Varro *de L. L.* IV. 15. et *de vita P. R.* lib. III. p. 65. ed. Durdrecht et ap. Nonium p. 554. ed. Plant. 1565. Servius *ad Virg. Aen.* VII. 695. Epitome *de Praenomine*, Valerio Maximo adiecta, p. 876. ed. Torren. Plurium conspectus datur in Rosini et Dempsteri *antiqq. Rom.* III. 21. Sunt etiam singulares *de Fetialibus P. R.* diss. Jo. Jensii (*fercul. literar.* p. 49 — 88.) et Jo. Dan. Ritteri Lips. 1732. 4. Item Franc. Car. Conradi *de Fetialibus et iure Fetiali P. R.* Helmst. 1734. 4. *Gedanken von den Fetialen des alten Roms,* auctore Just. Christ. Stufs. Gotting. et Lips. 1757. 8. adj. etiam Jo. Mich. Heinzii metaphrasi germanicae lll. Cic. *de legg.* (Dessav. et Lips. 1783. 8. p. 163 — 228.) *Ius fetiale P. R.* sub censuram vocat Garve ad h. ll. p. 115. 4. Cf. Engelbronneri diss. de ll. Cic. *de leg.* p. 67. not. 3.

rebus repetitis] scil. frustra: i. e. non redditis post

ante sit et indictum. Popilius imperator tenebat provinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro

---

dies tres et triginta (tot enim solennes sunt) rebus nec deditis hominibus, quas res repetierunt aut quos homines dedier expoposcerunt *legati ad hostes clarigatumque missi*, ut Plin. XXII. c. 2. §. 3. ex. de Fetialibus loquitur, quos et *legatos* appellat quique mittebantur ad hostes repetitum, quae illi vi et injuste abstulissent. Quod si populus hostilis ius non persolvisset nec satisfecisset: bellum postea indicebatur. De *clarigatione* locus classicus est ap. Liv. I. 32. cf. ib. c. 22. med. 23. med. IV. 30. VII. 6. 32. pr. IX. 1. 45. X. 12. pr. 45. med. XXXVI. 3. Servius *ad Virg. Aen.* X. 14. Marcelli Donati *Dilucidationes in T. Liv. lib. VIII.* in Gruter. *Lampad.* VI. p. 18. et Alexander ab Alex. V. 3. Ceterum etiam emptor in causa redhibitionis dicitur eas, quae mancipi sunt, *res repetere* i. e. postulare; ut is, qui se nexu obligavit ideoque actione tenetur de evictione, vitia rei venditae praestet adeoque damnum emptori compenset, *Muren.* 2, 3. Cum igitur solennis illa formula tam late pateat et *res repetere* omnino dicantur ii, qui, ut cum Floro II. 6. paullo ab in. loquar, *prius more legitimo queri malunt, quam ad arma procurrant*, vana esse deprehenditur H. Wolfii explicatio, quam arripuit Gottleber. Dicunt enim, ut distinctio quaedam extricetur, quae iterata particula *aut* indicari videatur, non omnia bella a Romanis gesta fuisse, quod bona, a Fetialibus repetita, non essent reddita: quae causa bellorum plerumque fuerit antiquissimis temporibus. Itaque vv. *rebus repetitis* referri ad bella, quibus Romanis res, quae restitui possent, ereptae sunt, et *denunciatum* ad ea, quae aliis de causis orta sunt, veluti Samniticum, Cimbricum, Punica etc. Adeone difficile erat, intelligere, a frequentissimis clarigationis exemplis et causis fieri denominationem? De copulativa vi partt. *aut* — *aut* v. ad §. 9. cl. 66. *nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere debere;* et 68. ex. Ergo et repetitio rerum et, nisi publice satisfactum sit, indictio belli, simul requiritur, ut hostes, quod adhuc fortassis fieri potest, antequam bellum inferatur, mente mutata, aequum censeant, belli fortunam experiri paratis ius persolvere. Cf. Summus Krug *Dicaeologia* p. 406. s. De cerimonia belli indicendi v. Gellius XVI. 4. pr. et Dempster *antiqq. Rom.* X. c. 1.

Popilius imperator] Car. Langius dicit se *M.* praenomen in veteribus libris *aliquot* non reperisse. Ergone in aliis legit *M. Popilius?* Etiam M. Ge. H. Martini *comment. crit. super* h. l. (Ratisbonae 1770. 4.) p. 10. reprehendit Sam. Petitum, qui cum Pet. Balduino existimaverit, significari *C. Popilium*, non impugnata nec elevata aucto-

cipiendi. In quo tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent
36 more maiorum. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denunciatum

---

earum patroni] Sic dediticiorum populorum patroni Marcelli Siculorum (v. Ascon. ad Cic. *divin. in Q. Caec.* c. 1.), Allobrogum, a Q. Fabio, Aemiliani F., victorum (Liv. epit. 61.), Fabii (v. Sallust. *Cat* 41.) Macedonum Aemilius Paullus (teste Plutarcho in ej. vita ad fin.), Cypriorum, quorum insulam in provinciae formam redegerat (Liv. 104.), M. Cato (v. *Famil.* XV. *ep.* 4. §. 41.); et Fabricius Samnites universos post redditam iis pacem in clientela habebat. Valer. Max. IV. 3, 6. Gell. I. 14. Quaedam ex his debentur Mich. Heusingero.

§. 36. *sanctissime fetiali P. R. jure perscripta*] nam ad *publicas religiones* pertinebat. Cf. III. § 108. *Verr.* V. c. 19. pr. *Leg.* II. 9, 21. *Foederum, pacis, belli, induciarum oratores, Fetiales, iudicesve sunto. Bella disceptanto:* qua in lege vocem *Fetiales* a glossatore esse adscriptam, verissime monuit Exc. Handius (v. *Allgemeine Jenaër Literatur-Zeitung* a. 1810. n. 71.), distinguens *Fetiales legatos s. oratores* (cl. Nonio IV. 43. et Festo s. v. *orare*) et *Fetiales indices* (cl. Varrone ap. Nonium XII. 43.), cujus admonitionis admodum probabilis Schütz ad illum l. immemor fuit. Plutarch *Numa* c. 12. med. Οἱ — φιτιάλιοι, εἰρηνοφύλακές τινες ὄντες, — λόγῳ τὰ νείκη κατέπαυον, οὐκ ἐῶντες στρατεύειν πρότερον, ἢ πᾶσαν ἐλπίδα δίκης ἀπροκοπῆναι (ubi v. Leopold.) Id. in *Camillo* c. 18. pr. et *Problem.* Dionys. Halic. II. 72. s. Liv. XXXI. 8. Varro *de L. L.* IV. 15. et *de vita P. R.* lib. III. p. 65. ed. Durdrecht et ap. Nonium p. 554. ed. Plant. 1565. Servius *ad Virg. Aen.* VII. 695. Epitome *de Praenomine*, Valerio Maximo adiecta, p. 876. ed. Torren. Plurium conspectus datur in Rosini et Dempsteri *antiqq. Rom.* III. 21. Sunt etiam singulares *de Fetialibus P. R.* diss. Jo. Jensii (*fercul. literar.* p. 49 — 88.) et Jo. Dan. Ritteri Lips. 1732. 4. Item Franc. Car. Conradi *de Fetialibus et iure Fetiali P. R.* Helmst. 1734. 4. *Gedanken von den Fetialen des alten Roms*, auctore Just. Christ. Stufs. Gotting. et Lips. 1757. 8. adj. etiam Jo. Mich. Heinzii metaphrasi germanicae librr. Cic. *de legg.* (Dessav. et Lips. 1783. 8. p. 163 — 228.) *Ius fetiale P. R.* sub censuram vocat Garve ad h. l. p. 115. 4. Cf. Engelbronneri diss. de ll. Cic. *de leg.* p. 67. not. 2.

rebus repetitis] scil. frustra: i. e. non redditis pos

ante sit et indictum. Popilius imperator tenebat provinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro

---

dies tres et triginta (tot enim solennes sunt) rebus nec deditis hominibus, quas res repetierunt aut quos homines dedier expoposcerunt *legati ad hostes clarigatumque missi*, ut Plin. XXII. c. 2. §. 3. ex. de Fetialibus loquitur, quos et *legatos* appellat quique mittebantur ad hostes repetitum, quae illi vi et injuste abstulissent. Quod si populus hostilis ius non persolvisset nec satisfecisset: bellum postea indicebatur. De *clarigatione* locus classicus est ap. Liv. I. 32. cf. ib. c. 22. med. 23. med. IV. 30. VII. 6. 32. pr. IX, 1. 45. X. 12. pr. 45. med. XXXVI. 3. Servius *ad Virg. Aen.* X. 14. Marcelli Donati *Dilucidationes in T. Liv. lib. VIII.* in Gruter. *Lampad.* VI. p. 18. et Alexander ab Alex. V. 3. Ceterum etiam emptor in causa redhibitionis dicitur eas, quae mancipi sunt, *res repetere* i. e. postulare, ut is, qui se nexu obligavit ideoque actione tenetur de evictione, vitia rei venditae praestet adeoque damnum emptori compenset, *Muren.* 2, 3. Cum igitur solennis illa formula tam late pateat et *res repetere* omnino dicantur ii, qui, ut cum Floro II. 6. paullo ab in. loquar, *prius more legitimo queri malunt, quam ad arma procurrant*, vana esse deprehenditur H. Wolfii explicatio, quam arripuit Gottleber. Dicunt enim, ut distinctio quaedam extricetur, quae iterata particula *aut* indicari videatur, non omnia bella a Romanis gesta fuisse, quod bona, a Fetialibus repetita, non essent reddita: quae causa bellorum plerumque fuerit antiquissimis temporibus. Itaque vv. *rebus repetitis* referri ad bella, quibus Romanis res, quae restitui possent, ereptae sunt, et *denunciatum* ad ea, quae aliis de causis orta sunt, veluti Samniticum, Cimbricum, Punica etc. Adeone difficile erat, intelligere, a frequentissimis clarigationis exemplis et causis fieri denominationem? De copulativa vi partt. *aut* — *aut* v. ad §. 9. cl. 66. *nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere debere*: et 68. ex. Ergo et repetitio rerum et, nisi publice satisfactum sit, indictio belli, simul requiritur, ut hostes, quod adhuc fortassis fieri potest, antequam bellum inferatur, mente mutata, aequum censeant, belli fortunam experiri paratis ius persolvere. Cf. Summus Krug *Dicaeologia* p. 406. s. De cerimonia belli indicendi v. Gellius XVI. 4. pr. et Dempster *antiqq. Rom.* X. c. 1.

Popilius imperator] Car. Langius dicit se *M.* praenomen in veteribus libris *aliquot* non reperisse. Ergone in aliis legit *M. Popilius?* Etiam M. Ge. H. Martini *comment. crit. super* h. l. (Ratisbonae 1770. 4.) p. 10. reprehendit Sam. Petitum, qui cum Pet. Balduino existimaverit, significari *C. Popilium*, non impugnata nec elevata aucto-

militabat. 10 Cum autem Popilio videretur unam dimittere legionem: Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo obliget militiae sacramento: quia, priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat.

---

ritate codd. eorum, qui *Marcus* habeant: et p. 15. notavit, Paullum Manutium in margine editionis suae, quam Gryphius 1578. recusit, adscripsisse *M. Popillius:* monetque, illud *M.*, cum antecedens vocabulum in eandem literam desineret, facile a librariis potuisse omitti: cuiusmodi errores non paucos occurrere in libris docuisse laudatur, *Morellius* in Critices initiis, gallice scriptis, p. 262. Aliter quidem non satis liquet, utrum *M.* a. U. 580. COS. cum L. Postumio Albino, an frater *C.*, COS. a. 581. hic significetur. Vid. *Excurs.* XII. §. 1.

secundo obliget militiae sacramento] Ante verbum volgo additur *eum*, quod codex *μ* omittit, probante Gernhardo. Facile enim ex antecedd. intelligitur, soletque id pronomen etiam cum difficultate quadam subaudiendum relinqui, ut *Fin.* III. 2, 6. *neque, ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt,* (ea) *ad te mitto.* Nec vero plurimorum eorumque optimorum librorum lectioni *obliget* substituendum erat Imperfectum *obligaret*, quod facile a correctore nescio quo ad volgarem grammaticorum regulam potuit refingi. At non offendere debet mos ille cogitata e praeterito in praesens tempus transferendi: quoniam etiam praeterita solent ut praesentia narrari. Praeterea haec temporum mutatio hunc usum praestat, ut per Praesens Coniunctivi, debuisse aliquid fieri, indicetur. Simul distinguuntur hoc modo et desiderium et conditio, quae a diversis coniunctionibus pendent. V. quem F. Heusinger laudat, Corte ad Sallust. *Cat.* 34, 1 *respondit: si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur.* De *sacramento* v. Liv. XXII. 38. Servius *ad Virg. Aen.* VIII. pr. Iustus Lipsius *de militia Rom.* I. *dialog.* VI. et Gesner *Lat. Thesaur.* s. v.

priore amisso] i. e. *exuto*, scil. *sacramento:* quae est Taciti (*Hist.* III. 42, 4.) locutio. Vix erat, ut Degen cum F. Heusingero, distinctione mutata, coniungeret, *priore amisso iure.* Nam apud Quinctil. *declam.* 17, 18. similiter dicitur: *Ablata sunt sacramenta pereundi* i. e. rationes et causae, quibus tamquam sacramentis constrictus, perire decreveram.

Adeo summa erat observatio in bello movendo. 37
[*Marci quidem Catonis senis epistola est ad Marcum *filium, in qua scribit, se audisse, eum missum *factum esse a consule, cum in Macedonia bello *Persico miles esset. Monet igitur, ut caueat, ne *proelium ineat. Negat enim, ius esse, qui miles *non sit, cum hoste pugnare.*]

XII. Equidem illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine *perduellis* esset, is *hostis* vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam.

---

§. 37. *Adeo summa — movendo!*] *Adeo* cum Superlativo aeque ex media est Latinitate, quam *tam*. *Bellum movere* minime opus est ut contra usum loquendi explicetur *bellum gerere*. Imo belli *suscipiendi* religio, de qua modo ante sermo fuerat, illustratur memorabili exemplo religionis, qua ne singulis quidem militibus, nisi sacramento obstrictis, *proelium inire* et pugnam capessere fas erat. Iam intelligi potest, hoc epiphonema esse consectarium superiorum, ut III. 112. *Tantum temporibus illis iusiurandum valebat!* Familiare est enim Ciceroni, enarrata historiola aliqua aut facto dictove alieno praeclaro, iudicium de his rebus praeceptaque ad vitam conformandam et ad mores pertinentia cautionesque addere, ut c. 20. ex. 40, §. 144. *Tanta vis est et loci et temporis!* II. §. 26. ex. §. 29. *Ex quo debet intelligi* etc. 63. ex. 85. pr. III. §. 1. *Magnifica vero vox* etc. 38. ex. 46. ex. 47. ex. 48. ex. c. 11. ex. §. 100. ex. 113. ex. in stultae calliditatis censura. *Cat. Maj.* 5. §. (3. pr.) 14. pr. Videndum igitur, ne recte Goerenz ad *Fin.* III. 21, 69. ex. monuerit, ex auctoris usu esse, ut, transiturus ad alia, unum alterumque veluti corollarii loco addat atque tum cito et quasi ex abrupto ad alia pergat, eademque ex parte super ad hos libros peccatum esse. Non est igitur, ut tota haec clausula offendat, quae nullam difficultatem habet, notatis tamquam spuriis ex Chapmanni, Pearcii, Hermanni sententia iis, quae omnibus in libris assuta leguntur: quibus demptis, omnia apte cohaerent. Vid. *Excurs.* XII. §. 2.

C. XII. *animadverto, quod — vocaretur, — mitigatam.*] Haec lectio ab Anemoecio haud dubie codicis sui, qui omnium optimus est, auctoritate, Graevio in fine editionis a. 1691. et Ernesto iure praefertur corruptelae rell. librorum *mitigante.* Nam *illud animadverto* vel, quod Gernhard suspicatur a Cicerone scriptum, *animadverti, quod — is hostis vocaretur,* pro *eum hostem vocatum*

Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant duodecim tabulae: ut STATVS DIES CVM HOSTE; itemque,

---

esse, quo modo accipit etiam Grotefend *Lat. Grammat.* ed. III. T. I. p. 357. §. 240. ab omni Latinitate abhorret. Sic scriptum oportebat *vocabatur* vel *vocatus est*. Id quod diligenter attendenti apparebit vel ex iis locis, quibus constructionem istam h. l. defendi posse opinatur Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 504. (I. 717 — 722. ed. Bauer.). Sed recte se habet Subiunctivus, si *quod* hic explicetur καθότι, διότι, *eo*, *quod* vel *ob id*, *quod* vel, quod malim, *de eo*, *quod*, ut apud Jul. Caes. *B. G.* I. 18. ex. *Reperiebat etiam Caesar inquirendo*, *quod proelium equestre adversum — esset factum*, *initium eius fugae a Dumnorige factum esse* etc. Sequens Accus. cum Infin. ad superius *illud* apponitur per expositionem. — *Tristitia rei* h. l. est atrocitas notionis. De primitiva v. *hostis* vi, Tullio et Varroni parum perspecta, v. *Excurs.* XIII.

Indicant duodecim tabulae] a. U. c. 304. a decemviris conditae. Habentur fragmenta cum brevi commentatione Julii Pacii et Adr. Turnebi in *Juris civ. Rom. initiis* (*quint. ed.* ap. Vignon. 1597. 12. p. 6 — 64.); in Rosini *antiqq. Rom.* l. VIII. c. 6. add. *Paralipomenis* (ed. Col. 1645. p. 1247 — [illegible]. ed. Amstel. 1685. 4. p. 561. ss.) praetereaque in corpore Juris ed. Lips. 1740. p. 749 — 60. Sed qui accuratiorem et copiosam notitiam literariam de harum legum causis, historia, fontibus, argumento, serie, praestantia, fatis, reliquiis etc. desiderat, is prae ceteris consulat Hauboldi, Equitis splendidissimi, *Institutt. iuris Rom. litter.* T. I. P. II. §. 111. p. 300 — 306. et Ejusd. *Institt. I. R. privati lineamenta* p. 119 — 122. cl. 423. Hic de sermone commendasse sufficiat Jo. Nic. Funccii *Tract. de pueritia latinae linguae* (Marb. 1721. 4.) p. 82. ss. *de origine et puer. l. l.* (ib. 1735. 4.) Lib. II. c. 4. p. 255 — 297. et 331 — 355. contra Balth. Branchu *Dec. I. Obss. ad ius Romanum* L. B. 1721. 8. c. 10. et Addend. p. 255. ss.

ut STATVS DIES CVM HOSTE] *Vt* particula exempla afferentis, i. e. q. *verbi causa*. Cf. *Fin.* III. 15, 51. Exemplum depromptum est secundum seriem a Jac. Gothofredo ICTo constitutam ex Tab. I. *de in ius vocando*. *Dies status* apud Festum *vocatur*, *qui iudicii causa est constitutus cum peregrino*. Plaut. *Curcul.* I. 1, 5. Cf. Gellius XVI. 4. *Militibus — scriptis — ita concipiebatur iusiurandum*, *ut adessent*, *his additis exceptionibus: nisi harunce quae causa erit —; status condictusve dies cum hoste.* Eandem vim habet *hostis* apud Ovid. *Heroid.* IV. 6.

ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quam-

---

AVCTORITAS] i. e. ius legitimi dominii. In Ernesti *ind. Lat.* s. v. n. 23) explicatur „*ius rei suae vindicandae* s. *ipsa actio pro rei suae evictione et vindicatione. Adversus hostem aeterna auctoritas* i. e. *res semper vindicari, evinci potest, nunquam usu capi.*“ Ergo Quirites nulla peregrini hominis usucapione rebus suis defraudari possunt excluditurque longi temporis praescriptio, quae peregrino non mancipat alienam rem civis Romani. Peregrini deteriori et infirmiori possident iure et privi sunt beneficio legis, ut diuturno usu acquirere possint: quod est civium privilegium. Similia sunt verba legis Atiniae ap. Gellium XVII. 7. QVOD SVRREPTVM ERIT, EIVS REI AETERNA AVCTORITAS ESTO i. e. qui rem furtivam possident ex ea causa, quam usucapio sequi solet, non eam usu suam faciunt. V. *Digestt.* XLI. *t.* III. *l.* 33. cl. *l.* 24. *Bona fides possidenti nihil prodest.* Sed ut *auctoritas* inter cives exstinguitur usu i. e. usucapione: sic ab usucapiente acquiritur *auctoritas*, iusta causa possessionis praecedente daturque bonae fidei possessori contra actorem exceptio praescriptionis acquisitivae. Hinc *Harusp.* c. 7. ex. *Multae sunt domus in hac urbe — iure auctoritatis*, ut *Top.* c. 4. *Usus auctoritas fundi biennium est. — Ceterarum rerum annuus est usus* (cf. *Caec.* 18, 54.) h. e. si quis soli res per biennium, nemine prohibente, possederit bona fide, nulla earum postea datur evictio: ceterarum rerum per annum ubique unum. Cf. Horat. *epist.* II. 2, 159. *Institutt. lib. II. t. VI.* Jo. Henr. Berger *diss. de maturanda dominii probatione per usucapionem.* Viteb. 1709. et Christi. Franc. Max. Friderici *diss. de vindicatione rei dolo subtractae adversus tertium bonae fidei possessorem.* Lips. 1819. p. 22 — 24.

quicum bellum geras] Sic Schütz, qui tamen probare videtur lectionem *bella*, ab Heusingeris, elegantiam nescio quam ei tribuentibus, et a Degenio receptam: quandoquidem tamquam lectionis varietatem annotaverit: „Gu. 2. 3.“ [add. ψ, Duisb. Pith. Victor. P. Bald. Pearc.] „*quicum bellum geras*, quod recepit Ernestius.“ Gernhard tuetur *bellum* cl. 79. Recte. Vid. *Lael.* 21, 5. pr.

appellare] Haec nescio an sit omnium MSS. lectio. Quod a recentioribus editoribus receptum est *appellari*, ex solo Victorii ingenio profectum putat Görenz ad *Acad.* II. 18, 58. sed incommode supplet *posse* vel *licere.* Rectius F. Heusinger intellexit *mansuetudinem appellandi.* Infinitivus activi est hic quasi in appositione, ut *N. D.* III. 24, 63. pr. V. Bauer ad Sanct. *Minerv.* I. p. 599. s. Grote-

Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant duodecim tabulae: ut STATVS DIES CVM HOSTE; itemque,

---

esse, quo modo accipit etiam Grotefend *Lat. Grammat.* ed. III. T. I. p. 357. §. 240. ab omni Latinitate abhorret. Sic scriptum oportebat *vocabatur* vel *vocatus est*. Id quod diligenter attendenti apparebit vel ex iis locis, quibus constructionem istam h. l. defendi posse opinatur Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 504. (I. 717 — 722. ed. Bauer.). Sed recte se habet Subiunctivus, si *quod* hic explicetur καθότι, διότι, *eo*, *quod* vel *ob id*, *quod* vel, quod malim, *de eo*, *quod*, ut apud Jul. Caes. *B. G.* I. 18. ex. *Reperiebat etiam Caesar inquirendo*, *quod proelium equestre adversum — esset factum*, *initium eius fugae a Dumnorige factum esse* etc. Sequens Accus. cum Infin. ad superius *illud* apponitur per expositionem. — *Tristitia rei* h. l. est atrocitas notionis. De primitiva v. *hostis* vi, Tullio et Varroni parum perspecta, v. *Excurs.* XIII.

Indicant duodecim tabulae] a. U. c. 304. a decemviris conditae. Habentur fragmenta cum brevi commentatione Julii Pacii et Adr. Turnebi in *Juris civ. Rom. initiis* (*quint. ed.* ap. Vignon. 1597. 12. p. 6 — 64.); in Rosini *antiqq. Rom.* l. VIII. c. 6. add. *Paraliponenis* (ed. Col. 1645. p. 1247 — 1262. ed. Amstel. 1685. 4. p. 561. ss.) praetereaque in corpore Juris ed. Lips. 1740. p. 749 — 60. Sed qui accuratiorem et copiosam notitiam literariam de harum legum causis, historia, fontibus, argumento, seris, praestantia, fatis, reliquiis etc. desiderat, is prae ceteris consulat Hauboldi, Equitis splendidissimi, *Institutt. iuris Rom. litter.* T. I. P. II. §. 111. p. 300 — 306. et Ejusd. *Institt. I. R. privati lineamenta* p. 119 — 122. cl. 425. Hic de sermone commendasse sufficiat Jo. Nic. Funccii *Tract. de pueritia latinae linguae* (Marb. 1721. 4.) p. 82. ss. *de origine et puer. l. l.* (ib. 1735. 4.) Lib. II. c. 4. p. 255 — 297. et 331 — 355. contra Balth. Branchu *Dec. I. Obss. ad ius Romanum* L. B. 1721. 8. c. 10. et Addend. p. 255. ss.

ut STATVS DIES CVM HOSTE] *Vt* particula exempla afferentis i. e. q. *verbi causa*. Cf. *Fin.* III. 15, 51. Exemplum depromptum est secundum seriem a Jac. Gothofredo ICTo constitutam ex Tab. I. *de in ius vocando.* *Dies status* apud Festum *vocatur*, *qui iudicii causa est constitutus cum peregrino.* Plaut. *Curcul.* I. 1, 5. Cf. Gellius XVI. 4. *Militibus — scriptis — ita concipiebatur iusiurandum*, *ut adessent*, *his additis exceptionibus: nisi harumce quae causa erit — status condictusve dies cum hoste.* Eandem vim habet *hostis* apud Ovid. *Heroid.* IV. 6.

ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quam-

---

AVCTORITAS] i. e. ius legitimi dominii. In Ernesti *ind. Lat.* s. v. n. 23) explicatur „*ius rei suae vindicandae* s. *ipsa actio pro rei suae evictione et vindicatione. Adversus hostem aeterna auctoritas* i. e. *res semper vindicari, evinci potest, nunquam usu capi.*“ Ergo Quirites nulla peregrini hominis usucapione rebus suis defraudari possunt excluditurque longi temporis praescriptio, quae peregrino non mancipat alienam rem civis Romani. Peregrini deteriori et infirmiori possident iure et privi sunt beneficio legis, ut diuturno usu acquirere possint: quod est civium privilegium. Similia sunt verba legis Atiniae ap. Gellium XVII. 7. QVOD SVBREPTVM ERIT, EIVS REI AETERNA AVCTORITAS ESTO i. e. qui rem furtivam possident ex ea causa, quam usucapio sequi solet, non eam usu suam faciunt. V. *Digestt.* XLI. *t.* III. *l.* 33. cl. *l.* 24. *Bona fides possidenti nihil prodest.* Sed ut *auctoritas* inter cives exstinguitur *usu* i. e. usucapione: sic ab usucapiente acquiritur *auctoritas*, iusta causa possessionis praecedente daturque bonae fidei possessori contra actorem exceptio praescriptionis acquisitivae. Hinc *Harusp.* c. 7. ex. *Multae sunt domus in hac urbe — iure auctoritatis*, ut *Top.* c. 4. *Usus auctoritas fundi biennium est. — Ceterarum rerum annuus est usus* (cf. *Caec.* 18, 54.) h. e. si quis soli res per biennium, nemine prohibente, possederit bona fide, nulla earum postea datur evictio: ceterarum rerum per annum ubique unum. Cf. Horat. *epist.* II. 2, 159. *Institutt. lib. II. t. VI.* Jo. Henr. Berger *diss. de maturanda dominii probatione per usucapionem.* Viteb. 1709. et Christi. Franc. Max. Friderici *diss. de vindicatione rei dolo subtractae adversus tertium bonae fidei possessorem.* Lips. 1819. p. 22 — 24.

quicum bellum geras] Sic Schütz, qui tamen probare videtur lectionem *bella*, ab Heusingeris, elegantiam nescio quam ei tribuentibus, et a Degenio receptam: quandoquidem tamquam lectionis varietatem annotaverit: „Gu. 2. 3.“ [add. ψ, Duisb. Pith. Victor. P. Bald. Pearc.] „*quicum bellum geras*, quod recepit Ernestius.“ Gernhard tuetur *bellum* cl. 79. Recte. Vid. *Lael.* 21, 5. pr.

appellare] Haec nescio an sit omnium MSS. lectio. Quod a recentioribus editoribus receptum est *appellari*, ex solo Victorii ingenio profectum putat Görenz ad *Acad.* II. 18, 58. sed incommode supplet *posse* vel *licere*. Rectius F. Heusinger intellexit *mansuetudinem appellandi*. Infinitivus activi est hic quasi in appositione, ut *N. D.* III. 24, 63. pr. V. Bauer ad Sanct. *Minerv.* I. p. 599. s. Grote-

alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.
35 Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur; parta autem victoria, conservandi ii, qui

---

an injustum, quae fit adductis rationibus, quae plus ponderis habeant. V. §. 64. et. c. 37. pr. Lepide Degen a δὶς et σκέπτομαι derivat. Saniora docet Gesner *Thes.* s. v. *discepto.* Apud Liv. VIII. 23. Romanorum legato, Samnites, priusquam bellum fieret, *ad disceptandum* vocanti *ad communes socios atque amicos*, respondetur: *Nostra certamina, Romani, non verba legatorum nec hominum quisquam disceptator, sed — communis Mars belli decernet.* Ib. XXVIII. 21. *quidam, quas disceptando controversias finire nequierant aut noluerant, — ferro decreverunt.* Ib. *Cum verbis disceptare Scipio vellet ac sedare iras; — ambo dicere, — Martem se iudicem habituros esse.* Cf. Schütz *Lex. Cic.* s. v. *disceptatio.* Hoc genus decertandi dicitur πόλεμός τις ἀσίδηρος. Hinc Pittaci oraculum: τὰς νίκας ἄνευ αἵματος ποιεῖσθαι, apud Diog. Laërt. I. 77. Vid. Erasmi *adagia* p. 521.

cumque illud proprium sit hominis] Gu. 2. *propria*, probante J. F. Heusingero. Sed non perinde est, utrum cum pron. possessivo dicatur *id est proprie tuum*, ut *Fam.* IX. *ep.* 15, 3. ex. an cum Genitivo adjectivi loco; de quo v. ad §. 2.

confugiendum est — superiore] Cf. §. 80. pr. Croesus ap. Herodot. α. 87. lin. 18. οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἀνόητός ἐστι, ὅς τις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. Menelaus ap. Liban. Sophist. p. 196. Πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν, ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. Dionys. in *Eclog. legat.* II. p. 295. Μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων. Hinc ridicule miles gloriosus, sed subtimidus, in Terent. *Eun.* IV. 7. 19. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Contra recte etiam C. Pontius Samnis apud Liv. IX. 1. *Justum est bellum, quibus necessarium: et pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Cf. Exc. I. Krug. *Dicaeolog.* §. 95. et p. 417.

§. 35. *ut — in pace vivatur*] i. q. 80. *ita, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.* Sed plerumque *pax bello paritur* non alia, nisi sepulchri. Utinam hanc ob causam omnes populi essent Quaqueri! Cf. Plato *lib. I. de leg.* p. 628. E. cui non videtur quisquam unquam futurus νομοθέτης ἀκριβὴς, εἰ μὴ χάριν εἰρήνης τὰ πολέμου νομοθετοῖ μᾶλλον ἢ τῶν πολεμικῶν ἕνεκα τὰ τῆς εἰρήνης. Aristot. *Pol.* VII. 14. p. 484. *Nic.* X. 7, 26.

qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt: nollem, Corinthum; sed credo aliquid secutos,

---

ut majores nostri] V. de hac majorum laude II. c. 8. pr. *Pro Balbo* c. 13. ex: *Romulus foedere Sabino* (a. U. 12. Flor. I, 1. Liv. I. 13. et 33. Dionys. Halic. II. c. 46. Plutarch. in *Romulo* c. 19. ex.) *docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate et exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio et communicatio civitatis. Itaque et ex Latio multi et Tusculani* (universa gens a. U. 373. Liv. VI. 25. s. 33. VIII. 14. pr. Plutarch. in *Camillo* c. 38. Valer. Max. VII. 3, 9.) *et Lanuvini et ex ceteris generibus gentes universae in civitatem sunt receptae, ut Sabinorum* (sine suffragio a. U. 463. Vellej. Paterc. I. 14, 6.) *Volscorum* (Dionys. Halic. IIII. c. 49.) *Hernicorum* (sine suffragio a. U. 447. Sed *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, suae leges redditae,* teste Livio IX, 43.).

Carthaginem] urbem *Poenorum*, qui *foedifragi* (§. 38.), sed, arbitro Vellejo Paterculo (I. 12, 5.), *magis invidia imperii, quam ullius ejus temporis noxiae, invisam Romano nomini, funditus sustulit* P. Corn. Scipio Aemilianus, inde dictus Africanus Minor, a. U. 607. propter Catonis (cf. infra §79. ex.) inexpiabile odium. Vid. *II. agrar.* 32, 126. pr. *N. D.* III. 39, 91. ex. *Fin.* V. 24, 70. Florus II. 15. ex. *Epitom. lib. LI. Liv.* et ibi Freinshem. in *Supplementis* c. 43 — 53. Eutrop. IV. 5, 7. s. et c. 9. ex. Ea res innuitur *de fato* c. 7. Idem Africanus quarto decimo anno post exscidit *Numantiam*, Celtiberorum in Hispania munitissimum oppidum. V. infra §. 38. 76. *Catil.* IV. 10, 21. *Muren.* 28, 58. *Lael.* 3, 5. *de fato* c. 12. pr. Flor. II. 17. pr. et 18. ex. *Epitom. lib. LIX. Liv.* ibique Freinshem. c. 1 — 6. Vellej. II. 4, 2. s. 5. Orosius V. 7. Eutrop. IV. 8, 5. Romanorum in Numantiam saevitiam jure abominatur Garve ad h. l. p. 116. s.

nollem, Corinthum] intell. *funditus a majoribus nostris sublatam*, v. *majores nostri funditus sustulissent.* Nempe, ut Florus II. 16. pr. scribit, *haec* (*facinus indignum!*) *ante oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur,* a. L. Mummio, inde dicto Achaico, eodem anno, quo Carthago concidit. V. infra II. 76. *N. D.* III. 38, 91. ex. *Liv. epitom.* 52. ibiq. Freinshem. *suppl.* c. 16. Vellej. Paterc. I. 13. Eutrop. IV. 6, 3. Pausanias II. 1, 2. VII. 16, 5.

aliquid secutos] Sic etiam Gu. 3. non, ut Schütz testatur, *aliquos sec.* Non tam excusans, quam peccati

opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea

---

causam indagans, dicit Cicero: *suspicor, majores nostros consilium ad utilitatis speciem quandam direxisse.* Cf. III. §. 46. *Att.* IV. *ep.* 2. *sect.* 2. *quaesivit, quid essent in decernendo secuti,* i. e. quam idoneam et probabilem causam habuissent, cur sic decernerent. Phil. II. c. 15. *Quod — habebat uterque, quod sequeretur, iccirco tolerabilior erat nostra dissensio. Act. I. in Verr.* c. 7. sub fin. *de divin.* II. 6, 17. ex. seq. *N. D.* I. 36, 100. *Rosc. Am.* 3, 8. ubi v. Matthiae. Aliam causam disturbationis Corinthi ipse refert Cic. *pro leg. Man.* 5, 11. legatos P. R. appellatos superbius, scil. ex interpretum quidem opinione, de qua tamen addubitare videtur egregius editor Matthiae, ut res oratorie minueretur. Nam Asconius *ad Act. II. in Verr. L. I.* c. 21. et Liv. *epit.* 51. ex. eos pulsatos, memoriae prodiderunt; Strabo VIII. c. 6. p. (381. A. 584.) 215. ed. stereot. Lips. sordes in eos de tectis injectas. Sed de verborum tantum contumeliis constare videtur Floro l. c. Vellejo I. 12. 1. et Polybio, qui modo addit, eos ejectos esse, *Exc. de legat.* 144. T. IV. p. 691. ed. Schweigh. De situ Corinthi et loci ratione v. Car. Frid. Groschii *de urbe Corintho libellus* (Jenae 1812. 8.) p. 9. s. „Sicuti Thermopylae porta inter Thessaliam et Helladem dici poterant, ita Corinthus Atticam Megaramque“ [hodie Livadiam] „a Peloponneso“ [nunc Morea] „seclusit. Utrumque mare, Jonicum ab hac, Aegaeum ab illa parte, hic sese coniungere velle videntur: quippe arcta et montis tantummodo jugo contenta est“ [continetur] „illa terrae plaga, quae κατ' ἐξοχὴν nomen *Isthmi* gerit, cujusque latitudo in locis angustissimis non plus quam V millia passuum complectitur. Quamvis autem Corinthus in arctissima Isthmi parte haud posita esset: tamen situ tam opportuno gaudebat, ut duos haberet portus, Lechaeum et Cenchraeum“ [Cenchreas] „nominatos, quorum prior ad sinum Corinthiacum“ [i. e. versus Naupactum, hodie *Lepanto*], „posterior ad Saronicum“ [i. e. versus Aeginam] „vergebat. Huc divitis et luxuriosi Orientis civitates merces suas — mittere solebant; illuc naves ex Occidentalibus terris confluebant, illas merces magno pretio empturae et fruges, ferrum aliasque res solidiores, quas solum genuit, venditurae.“ Erat praeterea tertius quidam portus, Schoenus, prope a Cenchreis septentrionem versus situs, in quem fere annona advehebatur. Cf. II. *agrar.* 32, 86. (12 5. in ed. Ill. Beckii, cujus eruditae notae cff.) 33, 129. Plutarch. in *Arato* c. 16. ex. Strabo l. c. p. 210. ss. ed. ster. Urbs, a Julio Caesare restituta, hodie vico non absimilis, antiquum nomen servat, *Corito*. Non poenit ebit adhibuisse Brockhusii *Real-Encyclopaedie* II. p. 809. s. ed. V.

quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum: si non optimam, at aliquam rem publicam, quae nunc nulla est, haberemus. Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui, armis positis, ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, re-

---

paci, quae nihil habitura sit insidiarum etc.] i. q. Nisi in pacis conditionibus ferendis sit simulatio aperta, paretur autem bellum (*Attic.* X. *ep.* 1.): paci retinendae reconciliandaeve *opera danda* v. *prospiciendum*; proprie *consilium* nostrum *dirigendum ad* pacem. Cf. II. §. 74. et de hoc ipso pacis studio *Phil.* II. (cl. c. 10.) c. 15. *Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus; ille* (Pompejus) *praesenti dignitati potius c o n s u l e b a t.* V. Schütz *Lex. Cic.* s. v. *consulere*, quod Degen h. l. ob seqq. *consilia dare* interpretans vereor ut satis consuluerit usum loquendi: e quo in eam, quam volt Degen sententiam, sic loquitur Cic. *pro Dejot.* 10, 29. *Cum* —, *exercitu amisso, ego, qui p a c i s a u c t o r s e m p e r f u i* (Schütz ed. *fuissem*, quod in seqq. volgo legebatur pro *essem*), *post Pharsalicum proelium s u a s o r essem armorum non deponendorum, sed abjiciendorum.* *Ligar.* 9, 28. *Fam.* IV. *ep.* 2. 6. VII. *ep.* 3. §. 6. 17. XVI. *ep.* 12. §. 2. 6. 10. *Att.* VIII. 9. *Phil.* VII. c. 3. Notat Pompejanorum *pugnandi cupidorum insanias* ad *Fam.* IV. *ep.* 1. §. 2. VII. *ep.* 6. §. 6. XVI. 11. §. 4.

si non optimam, at aliquam r. p. etc.] i. e. Quamvis iniquis legibus pacis non honestae impositis, cum unus plus valeret, quam universa res publica, tamen profecto aliquid retineremus ex pristino statu rei publicae, quae nunc eversa occidit, cum, *imperiis distributis*, *urbs sit sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide.* *Famil.* IV. *ep.* 1. §. 6. VII. 3. §. 12. IX. 6. §. 9. ubi judicat *utilius rei publicae* fuisse, *cum spe s i n o n o p t i m a, at a l i q u a t a m e n vivere.* *De orat.* I. c. 9. ex. *r e m p u b l i c a m, quam nunc vix tenemus, iam diu n u l l a m h a b e r e m u s,* scil. re, non verbo tantum, et dignam isto nomine. Cf. *Parad.* IV. §. (5.) 28.

quamvis murum aries percusserit] Turnebus *Advers.* XXVI. 32. e Caesaris l. II. *de B. G.* c. 32. pr. ostendit, ex militari lege deditionis nullam fuisse conditionem, nisi armis positis prius, quam aries murum attigisset. Hi enim quassabantur hac machina, cujus impetus, inventis ballistis ignivomis, bombarda compensatur. Post *recipiendi* cum Gernhardo delevi *sunt.* V. ad §. 25. ex.

cipiendi. In quo tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent
36 more maiorum. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denunciatum

---

earum patroni] Sic dediticiorum populorum patroni Marcelli Siculorum (v. Ascon. ad Cic. *divin. in Q. Caec.* c. 1.), Allobrogum, a. Q. Fabio, Aemiliani F., victorum (Liv. epit. 61.), Fabii (v. Sallust. *Cat* 41.) Macedonum Aemilius Paullus (teste Plutarcho in ej. vita ad fin.), Cypriorum, quorum insulam in provinciae formam redegerat (Liv. 104.), M. Cato (v. *Famil.* XV. *ep.* 4. §. 41.): et Fabricius Samnites universos post redditam iis pacem in clientela habebat. Valer. Max. IV. 3, 6. Gell. I. 14. Quaedam ex his debentur Mich. Heusingero.

§. 36. *sanctissime fetiali P. R. jure perscripta*] nam ad *publicas religiones* pertinebat. Cf. III. §. 108. *Verr.* V. c. 19. pr. *Leg.* II. 9, 21. *Foederum, pacis, belli, induciarum oratores, Fetiales, iudicesve sunto. Bella disceptanto*: qua in lege vocem *Fetiales* a glossatore esse adscriptam, verissime monuit Exc. Handius (v. *Allgemeine Jenaer Literatur-Zeitung* a. 1810. n. 71.), distinguens *Fetiales legatos* s. *oratores* (cl. Nonio IV. 43. et Festo s. v. *orare*) et *Fetiales iudices* (cl. Varrone ap. Nonium XII. 43.), cujus admonitionis admodum probabilis Schütz ad illum l. immemor fuit. Plutarch *Numa* c. 12. med. Οἱ — φιτιάλιοι, εἰρηνοφύλακές τινες ὄντες, — λόγῳ τὰ νείκη κατέπαυον, οὐκ ἐῶντες στρατεύειν πρότερον, ἢ πᾶσαν ἐλπίδα δίκης ἀποκοπῆναι (ubi v. Leopold.) Id. in *Camillo* c. 18. pr. et *Problem.* Dionys. Halic. II. 72. s. Liv. XXXI. 8. Varro *de L. L.* IV. 15. et *de vita P. R.* lib. III. p. 65. ed. Durdrecht et ap. Nonium p. 554. ed. Plant. 1565. Servius *ad Virg. Aen.* VII. 695. Epitome *de Praenomine*, Valerio Maximo adiecta, p. 876. ed. Torren. Plurium conspectus datur in Rosini et Dempsteri *antiqq. Rom.* III. 21. Sunt etiam singulares *de Fetialibus P. R.* diss. Jo. Jensii (*fercul. literar.* p. 49 — 88.) et Jo. Dan. Ritteri Lips. 1732. 4. Item Franc. Car. Conradi *de Fetialibus et iure Fetiali P. R.* Helmst. 1734. 4. *Gedanken von den Fetialen des alten Roms*, auctore Just. Christ. Stufs. Gotting. et Lips. 1757. 8. adj. etiam Jo. Mich. Heinzii metaphrasi germanicae ll. Cic. *de legg.* (Dessav. et Lips. 1785. 8. p. 165 — 228.) *Ius fetiale P. R.* sub censuram vocat Garve ad h. l. p. 115. 4. Cf. Engelbronneri diss. de ll. Cic. *de leg.* p. 67. not. b.

rebus repetitis] scil. frustra: i. e. non redditis post

ante sit et indictum. Popilius imperator tenebat provinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro

---

dies tres et triginta (tot enim solennes sunt) rebus nec deditis hominibus, quas res repetierunt aut quos homines dedier expoposcerunt *legati ad hostes clarigatumque missi*, ut Plin. XXII. c. 2. §. 3. ex. de Fetialibus loquitur, quos et *legatos* appellat quique mittebantur ad hostes repetitum, quae illi vi et injuste abstulissent. Quod si populus hostilis ius non persolvisset nec satisfecisset: bellum postea indicebatur. De *clarigatione* locus classicus est ap. Liv. I. 32. cf. ib. c. 22. med. 23. med. IV. 30. VII. 6. 32. pr. IX. 1. 45. X. 12. pr. 45. med. XXXVI. 3. Servius *ad Virg. Aen.* X. 14. Marcelli Donati *Dilucidationes in T. Liv. lib. VIII.* in Gruter. *Lampad.* VI. p. 18. et Alexander ab Alex. V. 3. Ceterum etiam emptor in causa redhibitionis dicitur eas, quae mancipi sunt, *res repetere* i. e. postulare, ut is, qui se nexu obligavit ideoque actione tenetur de evictione, vitia rei venditae praestet adeoque damnum emptori compenset, *Muren.* 2, 3. Cum igitur solennis illa formula tam late pateat et *res repetere* omnino dicantur ii, qui, ut cum Floro II. 6. paullo ab in. loquar, *prius more legitimo queri malunt, quam ad arma procurrant*, vana esse deprehenditur H. Wolfii explicatio, quam arripuit Gottleber. Dicunt enim, ut distinctio quaedam extricetur, quae iterata particula *aut* indicari videatur, non omnia bella a Romanis gesta fuisse, quod bona, a Fetialibus repetita, non essent reddita: quae causa bellorum plerumque fuerit antiquissimis temporibus. Itaque vv. *rebus repetitis* referri ad bella, quibus Romanis res, quae restitui possent, ereptae sunt, et *denunciatum* ad ea, quae aliis de causis orta sunt, veluti Samniticum, Cimbricum, Punica etc. Adeone difficile erat, intelligere, a frequentissimis clarigationis exemplis et causis fieri denominationem? De copulativa vi partt. *aut — aut* v. ad §. 9. cl. 66. *nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit,* **aut** *admirari* **aut** *optare* **aut** *expetere debere;* et 68. ex. Ergo et repetitio rerum et, nisi publice satisfactum sit, indictio belli simul requiritur, ut hostes, quod adhuc fortassis fieri potest, antequam bellum inferatur, mente mutata, aequum censeant, belli fortunam experiri paratis ius persolvere. Cf. Summus Krug *Dicaeologia* p. 406. s. De cerimonia belli indicendi v. Gellius XVI. 4. pr. et Dempster *antiqq. Rom.* X. c. 1.

Popilius imperator] Car. Langius dicit se *M.* praenomen in veteribus libris *aliquot* non reperisse. Ergone in aliis legit *M. Popilius?* Etiam M. Ge. H. Martini *comment. crit. super* h. l. (Ratisbonae 1770. 4.) p. 10. reprehendit Sam. Petitum, qui cum Pet. Balduino existimaverit, significari *C. Popilium*, non impugnata nec elevata aucto-

militabat. 10 Cum autem Popilio videretur unam dimittere legionem: Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo obliget militiae sacramento: quia, priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat.

---

ritate codd. eorum, qui *Marcus* habeant: et p. 15. notavit, Paullum Manutium in margine editionis suae, quam Gryphius 1678. recusit, adscripsisse *M. Popillius:* monetque, illud *M.*, cum antecedens vocabulum in eandem literam desineret, facile a librariis potuisse omitti: cuiusmodi errores non paucos occurrere in libris docuisse laudatur *Morellius* in Critices initiis, gallice scriptis, p. 262. Aliter quidem non satis liquet, utrum *M.* a. U. 580. COS. cum L. Postumio Albino, an frater *C.*, COS. a. 581. hic significetur. Vid. *Excurs.* XII. §. 1.

secundo obliget militiae sacramento] Ante verbum volgo additur *eum*, quod codex *μ* omittit, probante Gernhardo. Facile enim ex antecedd. intelligitur, soletque id pronomen etiam cum difficultate quadam subaudiendum relinqui, ut *Fin.* III. 2, 6. *neque, ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt,* (ea) *ad te mitto.* Nec vero plurimorum eorumque optimorum librorum lectioni *obliget* substituendum erat Imperfectum *obligaret*, quod facile a correctore nescio quo ad volgarem grammaticorum regulam potuit refingi. At non offendere debet mos ille cogitata e praeterito in praesens tempus transferendi: quoniam etiam praeterita solent ut praesentia narrari. Praeterea haec temporum mutatio hunc usum praestat, ut per Praesens Coniunctivi, debuisse aliquid fieri, indicetur. Simul distinguuntur hoc modo et desiderium et conditio, quae a diversis coniunctionibus pendent. V. quem F. Heusinger laudat, Corte ad Sallust. *Cat.* 34, 1 *respondit: si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur.* De *sacramento* v. Liv. XXII. 38. Servius *ad Virg. Aen.* VIII. pr. Justus Lipsius *de militia Rom.* I. *dialog.* VI. et Gesner *Lat. Thesaur.* s. v.

priora amisso] i. e. *exuto*, scil. *sacramento:* quae est Taciti (*Hist.* III. 42, 4.) locutio. Vix erat, ut Degen cum F. Heusingero, distinctione mutata, coniungeret, *priore amisso iure.* Nam apud Quinctil. *declam.* 17, 18. similiter dicitur: *Ablata sunt sacramenta pereundi* i. e. rationes et causae, quibus tamquam sacramentis constrictus, perire decreveram.

Adeo summa erat observatio in bello movendo. 37
[*Marci quidem Catonis senis epistola est ad Marcum *filium, in qua scribit, se audisse, eum missum *factum esse a consule, cum in Macedonia bello *Persico miles esset. Monet igitur, ut caueat, ne *proelium ineat. Negat enim, ius esse, qui miles *non sit, cum hoste pugnare.*]

XII. Equidem illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine *perduellis* esset, is *hostis* vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam.

---

§. 37. *Adeo summa — movendo!*] *Adeo* cum Superlativo aeque ex media est Latinitate, quam *tam*. *Bellum movere* minime opus est ut contra usum loquendi explicetur *bellum gerere*. Imo belli *suscipiendi* religio, de qua modo ante sermo fuerat, illustratur memorabili exemplo religionis, qua ne singulis quidem militibus, nisi sacramento obstrictis, *proelium inire* et pugnam capessere fas erat. Iam intelligi potest, hoc epiphonema esse consectarium superiorum, ut III. 112. *Tantum temporibus illis iusiurandum valebat!* Familiare est enim Ciceroni, enarrata historiola aliqua aut facto dictove alieno praeclaro, iudicium de his rebus praeceptaque ad vitam conformandam et ad mores pertinentia cautionesque addere, ut c. 10. ex. 40, §. 144. *Tanta vis est et loci et temporis!* II. §. 26. ex. §. 29. *Ex quo debet intelligi* etc. 63. ex. 85. pr. III. §. 1. *Magnifica vero vox* etc. 38. ex. 46. ex. 47. ex. 48. ex. c. 11. ex. §. 100. ex. 113. ex. in stultae calliditatis censura. *Cat. Maj.* 5. §. (3. pr.) 14. pr. Videndum igitur, ne recte Goerenz ad *Fin.* III. 21, 69. ex. monuerit, ex auctoris usu esse, ut, transiturus ad alia, unum alterumque veluti corollarii loco addat atque tum cito et quasi ex abrupto ad alia pergat, eademque ex parte nuper ad hos libros peccatum esse. Non est igitur, ut tota haec clausula offendat, quae nullam difficultatem habet, notatis tamquam spuriis ex Chapmanni, Pearcii, Hermanni sententia iis, quae omnibus in libris assuta leguntur: quibus demptis, omnia apte cohaerent. Vid. *Excurs.* XII. §. 2.

C. XII. *animadverto, quod — vocaretur, — mitigatam.*] Haec lectio ab Anemoecio haud dubie codicis sui, qui omnium optimus est, auctoritate, Graevio in fine editionis a. 1691. et Ernesto iure praefertur corruptelae rell. librorum *mitigante.* Nam *illud animadverto* vel, quod Gernhard suspicatur a Cicerone scriptum, *animadverti, quod — is hostis vocaretur,* pro *eum hostem vocatum*

Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant duodecim tabulae: ut STATVS DIES CVM HOSTE; itemque,

---

esse, quo modo accipit etiam Grotefend *Lat. Grammat.* ed. III. T. I. p. 357. §. 240. ab omni Latinitate abhorret. Sic scriptum oportebat *vocabatur* vel *vocatus est.* Id quod diligenter attendenti apparebit vel ex iis locis, quibus constructionem istam h. l. defendi posse opinatur Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 504. (I. 717 — 722. ed. Bauer.). Sed recte se habet Subiunctivus, si *quod* hic explicetur καθότι, διότι, *eo, quod* vel *ob id, quod* vel, quod malim, *de eo, quod*, ut apud Jul. Caes. *B. G.* I. 18. ex. *Reperiebat etiam Caesar inquirendo, quod proelium equestre adversum — esset factum, initium ejus fugae a Dumnorige factum esse* etc. Sequens Accus. cum Infin. ad superius *illud* apponitur per expositionem. — *Tristitia rei* h. l. est atrocitas notionis. De primitiva v. *hostis* vi, Tullio et Varroni parum perspecta, v. *Excurs.* XIII.

Indicant duodecim tabulae] a. U. c. 304. a decemviris conditae. Habentur fragmenta cum brevi commentatione Julii Pacii et Adv. Turnebi in *Juris civ. Rom. initiis* (*quint. ed.* ap. Vignon. 1597. 12. p. 6 — 64.); in Rosini *antiqq. Rom.* l. VIII. c. 6. add. *Paralipomenis* (ed. Col. 1645. p. 1247 — 1262. ed. Amstel. 1685. 4. p. 561. ss.) praetereaque in corpore Juris ed. Lips. 1740. p. 749 — 60. Sed qui accuratiorem et copiosam notitiam literariam de harum legum causis, historia, fontibus, argumento, seris, praestantia, fatis, reliquiis etc. desiderat, is prae ceteris consulat Hauboldi, Equitis splendidissimi, *Institutt. iuris Rom. litter.* T. I. P. II. §. 111. p. 300 — 306. et Ejusd. *Institt. I. R. privati lineamenta* p. 119 — 122. cl. 423. Hic de sermone commendasse sufficiat Jo. Nic. Funccii *Tract. de pueritia latinae linguae* (Marb. 1721. 4.) p. 82. ss. *de origine et puer. l. l.* (ib. 1735. 4.) Lib. II. c. 4. p. 255 — 297. et 331 — 355. contra Balth. Branchu *Dec. I. Obss. ad ius Romanum* L. B. 1721. 8. c. 10. et Addend. p. 255. ss.

ut STATVS DIES CVM HOSTE] *Vt* particula exempla afferentis, i. e. q. *verbi causa.* Cf. *Fin.* III. 15, 51. Exemplum depromptum est secundum seriem a Jac. Gothofredo ICTo constitutam ex Tab. I. *de in ius vocando.* *Dies status* apud Festum *vocatur, qui iudicii causa est constitutus cum peregrino.* Plaut. *Curcul.* I. 1, 5. Cf. Gellius XVI. 4. *Militibus — scriptis — ita concipiebatur iusiurandum, ut adessent, his additis exceptionibus: nisi harunce quae causa erit — status condictusve dies cum hoste.* Eandem vim habet *hostis* apud Ovid. *Heroid.* IV. 6.

ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quam-

---

AVCTORITAS] i. e. ius legitimi dominii. In Ernesti *ind. Lat.* s. v. n. 25) explicatur „*ius rei suae vindicandae* s. *ipsa actio pro rei suae evictione et vindicatione. Adversus hostem aeterna auctoritas* i. e. *res semper vindicari, evinci potest, nunquam usu capi.*“ Ergo Quirites nulla peregrini hominis usucapione rebus suis defraudari possunt excludunturque longi temporis praescriptio, quae peregrino non mancipat alienam rem civis Romani. Peregrini deteriori et infirmiori possident iure et privi sunt beneficio legis, ut diuturno usu acquirere possint: quod est civium privilegium. Similia sunt verba legis Atiniae ap. Gellium XVII. 7. QVOD SVRREPTVM ERIT, EIVS REI AETERNA AVCTORITAS ESTO i. e. qui rem furtivam possident ex ea causa, quam usucapio sequi solet, non eam usu suam faciunt. V. *Digestt.* XLI. *t.* III. *l.* 33. cl. *l.* 24. *Bona fides possidenti nihil prodest.* Sed ut *auctoritas* inter cives exstinguitur usu i. e. usucapione: sic ab usucapiente acquiritur *auctoritas*, iusta causa possessionis praecedente daturque bonae fidei possessori contra actorem exceptio praescriptionis acquisitivae. Hinc *Harusp.* c. 7. ex. *Multae sunt domus in hac urbe — iure auctoritatis*, ut *Top.* c. 4. *Usus auctoritas fundi biennium est. — Ceterarum rerum annuus est usus* (cf. *Caec.* 18, 54.) h. e. si quis soli res per biennium, nemine prohibente, possederit bona fide, nulla earum postea datur evictio: ceterarum rerum per annum ubique unum. Cf. Horat. *epist.* II. 2, 159. *Institutt. lib. II. t. VI.* Jo. Henr. Berger *diss. de maturanda dominii probatione per usucapionem.* Viteb. 1709. et Christi. Franc. Max. Friderici *diss. de vindicatione rei dolo subtractae adversus tertium bonae fidei possessorem.* Lips. 1819. p. 22 — 24.

quicum bellum geras] Sic Schütz, qui tamen probare videtur lectionem *bella*, ab Heusingeris, elegantiam nescio quam ei tribuentibus, et a Degenio receptam: quandoquidem tamquam lectionis varietatem annotaverit: „Gu. 2. 3.“ [add. ψ, Duisb. Pith. Victor. P. Bald. Pearc.] „*quicum bellum geras*, quod recepit Ernestius.“ Gernhard tuetur *bellum* cl. 79. Recte. Vid. *Lael.* 21, 5. pr.

appellare] Haec nescio an sit omnium MSS. lectio. Quod a recentioribus editoribus receptum est *appellari*, ex solo Victorii ingenio profectum putat Görenz ad *Acad.* II, 18, 58. sed incommode supplet *posse* vel *licere*. Rectius F. Heusinger intellexit *mansuetudinem appellandi.* Infinitivus activi est hic quasi in appositione, ut *N. D.* III, 24, 63. pr. V. Bauer ad Sanct. *Minerv.* I. p. 599. s. Grote-

quam id nomen durius iam effecit vetustas: a peregrino enim recessit et proprie in eo, qui arma
38 contra ferret, remansit. Cum vero de imperio decertatur belloque quaeritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paullo ante iustas causas esse bellorum. Sed ea bella, quibus

---

fend *Lat. Gramm.* §. 225. *not.* 1. 2. qui tamen aliena quaedam cum hac constructione confundit, ut *Ars est difficilis recte rem publicam regere. Finem esse rhetorices ducere homines in id, quod actor velit:* ubi Infinitivus potius pro Nominativo Substantivi est et subjecti vicibus fungitur. Sunt omnino substantiva quaedam, quae Infinitivum activi adsciscere amant (cf. III. 116. ex.), praecipue in poësi: ut *amor* apud Virg. *Aen.* XII. 282. *animus* ib. X. 717. XI. 324. s. *impetus* Ovid. *Her.* IV. 38. *potestas* Virg. *Aen.* IV. 565. *studium Ge.* I. 21. Terent. *Andr.* I. 1, 28. ss. *tempus* Virg. Aen. VI. 45. *poscere fata* intell. *te* i. e. *ut poscas.* Alibi enim subjecti Accusativus in tali constructione additur. Sed Passivum est ib. V. 638. *Iam tempus agi res.* Unde fortassis aliquis hic defendat *appellari:* quo recepto, Schütz etiam post *addi potest* interrogationis signum posuit. Sic sequentia *cum, quicum* etc. interrogando admirationem expriment: quae tamen alias magis propria est indignabundi: cum fere ubique tale quid subaudiatur, ut *estne credibile?* Mox *vetustas* dicitur pro longo et diuturno usu. Ad proxima cf. 87. *eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant.*

§. 38. *quas dixi paullo ante justas causas esse bellorum*] nempe §. 35. *ut sine iniuria in pace vivatur,* et, *si non licet uti genere decertandi per disceptationem.* Ergo videndum, ne non probet auctor gloriae cupiditatem bellum ultro inferentium, ut imperio suo exteros subjiciant: sed principatus appetitionem eorum, qui pro imperio obtinendo bella suscipere malint, quam inviti parere alieno imperio. Binkes p. 20. *not.* 28. laudat Garvium, qui p. 118. s. haec egregie explicavit. Sed Garve magis, quae fieri soleant et unde, aperuit, quam quae debeant fieri: scil. hostibus interdum, non quia doleant iniuriam acceptam, sed quia gaudeant oblatam sibi esse causam et materiam quaerendae bello gloriae, aliquem populum oppugnatum venientibus, non ultionem irae hanc, sed occasionem cupiditatis explendae esse. Multi omnino, quibus generosior indoles est, gloriae cupiditate incensi, undique materiam belli excitandi quaerunt, ut victoriis scilicet nobiles aut regni finibus promotis immortale sibi nomen pariant. Sed iure hanc gloriae cupiditatem, quae laeden-

imperi proposita gloria est, minus acerbe gerenda sunt. Vt enim cum civi aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor (cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae): sic cum Celtiberis, cum Cimbris

---

dis aliis gentibus paritur, detestatur et Cicero 74, et Hermannus *oratione in* FRIDERICI AVGVSTI *Regis Augustissimi Solennibus Regni semisecularibus habita* p. 15. ss. versionis nostrae germanicae, quae prodiit Lipsiae in Köhleri libraria. Paucissima tantum eloquentissimi rhetoris verba hic repetere liceat. „*Haec belligerandi*", inquit, „*cupiditas, mire illa solers in causis bellorum excogitandis injuriarumque turpitudinem, praetextis honestis quibusdam nominibus, callide dissimulans, postremo certissimum invenit belli inferendi praesidium, aequilibrium civitatium commenta, quae apertissima confessio est, nullam civitatibus inter ipsas intercedere sanctitatem iuris, sed omnibus ad iniuriam pronis, solo eas metu cohiberi.*"

bella, quibus imperi proposita gloria est] nempe tamquam victoriae praemium. Nam sic Seneca *epist.* 51 *Libertas proposita est: ad hoc praemium laboratur.* Cic. Philipp. XIII. 26, 47. *Hae vero quae sunt partes, cum alteris senatus auctoritas, P. R. libertas, R. P. salus proposita sit, ceteris caedes bonorum?* Cf. not. supra p. 39. Ea vero bella, quibus *gloriae causa imperium expetitur*, minus acerbe gerenda sunt propterea, quod in immanitate et saevitia non magis, quam in scelere (III. 87.), potest esse gloria.

Vt enim cum civi aliter contendimus] Sic primus Anemoecius: quam emendationem etiam Aldus Manutius in uno libro MS. reperit. Similiter oratio conformata habetur in *Lael.* 24, 7. ex. Sed e *Fam. VIII. ep.* 14. §. 9. Mich. Heusinger tuetur reliquorum librorum lectionem: *Vt enim, cum civiliter contendimus, aliter*, ut cogitatione repetendum sit *contendimus* et ad *si est* intelligatur *adversarius*. Sed duriuscula videtur haec ellipsis et facile illa, quam iure praetulerunt VV. DD., lectio sic corrumpi potuit. Addidimus deinceps parentheseos signa, ut, 107. ex.

cum Celtiberis] Intelliguntur maxime Numantini. Cf. supra ad §. 35. p. 81. vid. Flor. II. 17, 9. et 13. c. 18, 2. Vellej. II, 90, 3.

cum Cimbris] a quibus victi pluribus proeliis fuerant Romanorum exercitus. Ipsam Romam petentes internecione delevit C. Marius quintum Consul. V. Plutarch. in ejus vita c. 11. 15. ex. 23 — 27. Flor. III. 3. Liv. *epit.* 63. 65.

bellum, ut cum inimicis, gerebatur, uter esset, non, uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur.

67. s. Tacit. *German.* c. 37, Vellej. II. 12, 2 — 5. Orosius V. 16. Confusius rem narrat Eutrop. V. 1. Bellum Cimbricum gestum a. U. 640 — 652. De Cimbrorum migrationibus Degenio laudatur *Deutschlands Urgeschichte von C. K. Barth.* Baruthi 1817. 8. T. I. p. 264 ss.

cum Latinis] Latinorum primum bello petiti Albani: quorum dux cum Tullo Hostilio ad colloquium congressus Mettius, *Cupido imperii*, inquit, *duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat. — Itaque ineamus aliquam viam, qua, utri utris imperent, — sine multo sanguine utriusque populi decerni possit.* (Liv. I. 23.) Icto renovatoque a Tarquinio Superbo foedere, in quo superior Romana res erat (ib. 52.), subinde a Romanis Latini defecerunt: quae *bella Latina* enarrantur ib. 52. s. II. 19. s. VI. 2. 7. 8. 11. 32. s. maxime autem memorabile, quo, toto Latio in deditionem accepto a Camillo, pax parata est in perpetuum, VIII. 6 — 14.

Sabinis] De his post Romulum serentibus bella ex bellis v. Liv. I. 30 ex. 36 s. II. 16. 51. 53. 63 ex. III. 26. 61 ss. Postremo a Curio Dentato in deditionem accepti sunt. V. *Epit. Liv.* 11.

Samnitibus] De bello cum gente hac opibus armisque valida, pro Campanis dediticiis suscepto, saepe instaurato ac, variante Fortuna eventum, per unum et septuaginta annos gesto ab a. U. 410 — 481. v. Flor. I. 16 s. Appian. in prooem. histor. Livius XXIII. 5. Cf. VIII. 23. ubi legatis Romanorum respondetur: *Samnis Romanusne imperio Italiam regat, decernamus.* Idem singula persequitur VII. 32 — 37. VIII. 25 ss. 30. 36 — 39. IX. 1 — 23. 27 s. 31. 38. 40 — 45. X. 11 s. 14 — 21. 27 — 36. 38 — 46. XI. s. Iidem socii fuerunt *Pyrrhi*, qui Epirotarum Rex ex ipsius Degenii calculo a. U. 472. a Tarentinis in Italiam vocatus (Liv. XIII. Justin. XVIII. 1. Zonoras etc.) non a. U. 480. ut Degen scribit, sed a. 478. Italia pulsus est, ἕκτῳ χρόνῳ διελθόντας περὶ τὰς ἐκεῖ πολέμους, ut Plutarch. ait in ej. vita c. 26. pr. Posteaque Samnites defecerunt ad *Poenos* post *Hannibalis* victoriam Cannensem a. 537. (Liv. XXII. ex. XXIII. 41 s. XXIV. 20.) Fuere etiam capitales hostes in bello sociali s. Italico (LXXII. LXXV. Flor. III. 18.) et in bello civili a. 671. ad ipsam portam Collinam ita cum Sulla dimicarunt, ut ad summum discrimen et eum et rem publicam adducerent, *tunc, cum paene caput mundi rerumque potestas Mutavit translata locum*, ut ait Lucan. II. 136 s., Vid. Liv. LXXX. pr. LXXXVIII. Vellej. II. 27 pr. Appian. *Civ.* I. 90 — 93. Plutarch. *Sulla* c. 29.

cum — Poenis — de imperio] Cf. Liv. XXII. 58. ubi

Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara:

Poenus imperator Hannibal captivos Romanos alloquitur: *Non internecinum sibi esse cum Romanis bellum: de dignitate atque imperio certare.* Vt igitur excusetur nihilo minus ad Poenorum internecionem usque gestum a Romanis bellum (cf. §. 35. p. 81.), additur eius rei ratio, *fides Punica.* Cf. *or. pro Scauro* (apud Schütz. *fragm.* p. 42.) *Ab his* (Phoenicibus) *orti Poeni multis Carthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque foederibus, nihil se degenerasse, docuerunt.* Et Caesar ap. Sallust. *Cat.* 51 ait, *saepe Carthaginienses et in pace et per inducias multa nefanda facinora fecisse.* Vellej. I. 12, 6.

crudelis Hannibal] V. *Cat. Maj.* 20, 11. (al. 75.) ubi, nomine suppresso, dicitur *crudelissimus hostis: Lael.* c. 8. ex. Plin. *H. N.* VIII. c. 7. pr. Valer. Max. IX. 2, 2. et c. 6. ex.

illa praeclara] Degen: „Sc. *sententia est*": in quo male seduli glossatoris commento, testibus Heusingeris, Goth. Vinar. Gu. 4. (qui invertit *praeclara illa*) et 5. cum tota edd. veterum factione conspirant: cum potius *sunt* subaudiendum relinquatur, ut III. §. 47. *Illa praeclarà, in quibus* etc. et *est* ad Neutrum in singulari numero I. 63. pr. A Pyrrho captivos Romanis semel atque iterum redditos esse, memoriae prodiderunt scriptores; sed ille eos primum Fabricio non concessit, nisi ita, si pax conveniret; postea autem sine pretio reddidit, ut gratum se exhiberet pro cogitati veneficii indicio (cf. §. 40. ex.). Sed a Romanis totidem pro his alii Tarentinorum Samnitiumque gratis missi sunt. V. Dionys. Halic. *Roman. antiqq. a Majo restit.* XVIII, 27. XIX. 3. Plutarch. in *Pyrrho* c. 20 s. Gellius ex Valerii Antiatis historia III. 8. Liv. *epit.* XIII. Aurel. Vict. *de viris illustr* 35. Eutrop II. 6, 3. Justin. XVIII. 1. ex. Quae hic ex Ennii *annali* V. citantur, Pyrrhus inducitur respondens C. Fabricio Luscino cum P. Corn. Dolabella et Q. Aemilio Papo ad eum misso, ut de redimendis captivis ageret. V. *Brut.* c. 14. *Cat. Maj.* 15. §. 1. (al. 43.) Val. Max. IV. 3, 6. et quae Freinshem. *Supplem. Liv. decad.* II. l. III. c. 14 ss. habet ex Appiano apud Fulv. Ursin. Alias quidem Romanis, quae erat eorum severitas disciplinae militaris, non placebat, captivos redimere (cf. III. 114.); sed tunc quidem praecipue animos moverat equitum casus, quos, fortiter sustentata pugna, donec elephanti procurrerent, harum incognitarum sibi beluarum cum magnitudine, tum deformitate et novo odore simul ac stridore consternati equi proterunt, confusis ordinibus, dessores vel excussos, vel frustra renitentes, qua cuique proximum erat, abreptos in

Néc mi aurúm poscó nec mi pretium dederitis;
Néc cauponantés bellúm, sed bélligerántes,

---

fugam, caedendos capiendosque hostibus praebuerant stragemque late dederant. Itaque in prima hac pugna apud Heracleam et Campaniae fluvium Lirim a. U. 473. capti MDCCCXII. in his equites DCCCII. Vid. Freinshem. l. l. cap. 7 s. et 14. e Floro I. 18. Plutarchi *Pyrrho* c. 17. Orosio IV. 1. aliisque.

V. 2. „Quod hic dicit, *cauponantes bellum*, id ex Aeschylo videtur sumpsisse. Nam et ille in *Septem ad Thebas*, postquam Parthenopaei ferociam descripsit, haec subiungit [545 s.]: *ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην, Μακρᾶς κελεύθου δ' οὐ καταισχύνειν πόρον.* Dicuntur autem *καπηλεύειν μάχην* ii, qui more cauponum omnia pecuniae causa faciunt ac donis vel ipsi hostes corrumpunt vel ab iisdem se patiuntur corrumpi et auro denique magis, quam ferro vel viribus, bellum gerunt.“ Haec Guil. Canter *Novar. lect.* l. III. c. IX. in Gruteri *Lamp.* T. III. Sed in eandem, quae hic Pyrrho tribuitur, sententiam C. Fabricius et Q. Aemilius COSS. apud Gellium III. 8. ad Pyrrhum scribunt. Contra ipse Pyrrhus primum captivorum animos magnis promissis adortus dicitur, ut apud se stipendia facerent (v. Freinshem. l. l. c. 10.). Deinde *benevolentiam P. R. mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens*, (teste Valer. Max. IV. 3, 14.) *per legatum Cineam non virorum modo, sed etiam mulierum animos donis tentavit.* V. Liv. XXXIV. 4. Zonaras, Varro *lib. II. de vita populi Rom.* Quamquam id pace iam composita factum scribit Iustin. XVIII. 2. Verum ipsi Fabricio, ut sibi pacem cauponaretur, aurum, deinde, ut patriam desereret, quartam regni partem promisit; sed frustra. Vid. *Parad.* VI. 2, §. 4. (al. 48.) Flor. II. 7, 4. *Liv. epit.* XIII. Eutrop. II. 7, 14. Aurel. Vict. l. l. 35. Dionys. *Excerpt. legatt.* p. 744. Plut. *Pyrrh.* c. 20. Sed a poëta non veritatem exigimus, ut a teste. Verbis *cauponantes bellum* h. e. quaestum quaerentes bello, lucrum sectantes in bello gerendo, quod maxime ad conditionem captivos pretio mutandi spectat, hic opponitur *bellum belligerare* i. e. bellum fortiter armorum vi gerere, ut Lucil. ap. Donat. ad *Terent. Eun.* V. 2, 60. et *Ad.* V. 3, 57. *Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam.* Cf. Cic. *pro Mur.* 16, 34. e Graecismo *μέγαν ἀγωνίζεσθαι* vel *ἀγωνίζεσθαι ἀγῶνα* (Eurip. *Hel.* 852. Plutarch. in *Flamin.* 1. et *Nicia* 27 ex. et in *Isocrate.* Lucian. *Asin.* c. 11. pr.) *πολεμὸν πολεμεῖν* (Plat. *Menex.* p. 242 E. 244 A. Pausan. VII. 6, 3. 16, 5.), *μάχην μάχεσθαι* (*Il.* ι. 673.) *στρατεύεσθαι στρατείαν* (Plutarch. *Cat. Mai.* ap) *ἔργον ἐρέζειν* (Theocr. *εἰδ.* ι. 23.) Noli cum Bauero ad *Sanctii Minerv.* II. p. 475 talia per Hypallagen explicare: *pugnare per pugnam* etc. Cf. supra ad §. 82. n. 71

Férro, nón auró, vitám cernámus utrique,
Vósne velít, an mé regnáre hera, quídve ferát,
Fors,
Virtute éxperiámur. Et hóc simul áccipe díctum:

V. 3. *Ferro — vitam cernamus*] i. e. in dimicationem et discrimen adducamus, parati de ea decertare et decernere, *das Leben einsetzen.* Turnebus *Advers.* XXVI. 32. ex. comparavit ex ejusdem Ennii *Medea* (ap. Varr. *de L. L.* p. 60. ed. Scal. 1581. v. 37. et Nonium IV, 69.) *Nam ter sub armis malim vitam cernere, Semel quam modo parire:* quod Euripides in ead. fabula 252. dixerat: τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν etc. Cff. Virgilii intt. Servius, Cerda, Heinsius, Burmannus ad *Aen.* XII. 709. et Seneca *ep.* 58. Est formula e iudiciis petita. Eodem modo Graece *Iliad.* II. 385. XVIII. 209. στυγερῷ κρινώμεθ' Ἄρηϊ. V. Gesner *Thes.* s. v. *cernere* n. 5. et Scheller *Lex.* p. 1665. s. Sanctii *Minerva* ed. Bauer II. p. 463. 465. 470 s. 475 b. Schütz quidem *Lex. Cic.* II. I. p. 242. ex Ernesti *clavi* repetiit etiam exemplum *Fam.* VIII. *ep.* 14. §. (2.) 9. *quamdiu civiliter cernitur;* cum tamen ipse cum Benedicto l. c. edidisset frequentativum *certetur.* Utrumque coniunxit Lucretius V. 393 s. *Tantum spirantes aequo certamine bellum Magnis de rebus inter se cernere certant.*

V. 4. *hera — Fors*] Fortuna, rerum domina, maxime belli eventus moderatur in eorumque vicissitudinibus ludum insolentem ludere et iocari gaudet, cum, quae summa ratione provisa erant, eventu destituantur, temere contra coepta feliciter cadant (cf. II. §. 19. s.), unde illud Plauti *Merc.* III. 4, 12. *Divom atque hominum quae spectatrix atque hera eadem es hominibus,* allatum Turnebo *Adv.* VII. 15. Praeterea Corte ad Sallust. *Catil.* c. VIII. pr. laudatur Mich. Heusingero. Add. Horat. I. carm. 35. cum intt.

V. 5. *Accipite,* ab Anemoecio editum et ab Ernesto e Goth. codice receptum, cum Heuss. retinuit Degen. Sed correctioni ansam dedisse sequens *ducite* videtur Gernhardo. Recte se habet persona singularis, cum Pyrrhus haec legationis principi, oratori, potissimum respondeat. Comparat Fr. Heusinger Liv. V. 16, 9. *Romane, — cave.* Sed hoc est oraculum Apollinis, universis ac singulis datum, ut ap. Ovid. *Met.* XV. 637 — 640. Magis convenit Virgil. *Aen.* VII. ubi Latinus Trojanis, Ilioneum oratorem potissimum affatus, respondet 260 s. *Dabitur, Troiane, quod optas, — Non vobis — deerit.* Similiter in Aeschyl. *Agam.* 1422 ss. Clytaemnestra choro respondet: πειρᾶσθέ μου — ἐγὼ δ' ἀτρέστῳ καρδίᾳ πρὸς εἰδότας λέγω· σὺ δ' αἰνεῖν, εἴτε με ψέγειν θέλεις, ὅμοιον. Etiam in seqq.

Quórum virtuti belli Fortúna pepercit,
Eórundém me libertáti párcere cértum est:
Dóno, dúcite, dóque voléntibu' cúm magnis dis.

Regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia.

XIII. At-

---

ibi ad fabulae exitum usque et Clytaemnestra et Aegisthus fere singularem chori personam alloquuntur; et in *Eumenid.* Clytaemnestra, Furias e somno excitans, a plurali numero 94. transit ad singularem, eam, quae prior in eo est, ut expergefiat, alloquens 121 — 139. et Apollo 180 ss. χωρεῖτ', ἀπαλλάσσεσθε — μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν (i. e. *sagittam*) — ἀνῇς — ἀφρὸν, ἐμοῦσα θρόμβους, οὓς ἀφείλκυσας, φόνου. Uterque numerus in seqq. continuo alternatur, maxime 795 s. 824 ss. etc. Contraria exempla, ubi Vocativo singulari haud inconcinne subjicitur verbum plurale, collegit Conr. Heusinger in *praef.* ad Cic. *de off.* p. XXXXVII.

V. 6. Euphemismus de captivis, quos non peremit communis Mars belli, sic ut mortem assequerentur virtute sua; qui fortiter pugnando non occubuerunt; qui incolumes in victorum potestatem venerunt. Cf. *Famil.* XIII. *ep.* 4. §. 3. ex. Aemil. Probus VIII. 1, 5. *quibus in bello parsit Fortuna.*

V. 7. *Eórundem*] trisyllabum priorum synizesi, ut *Eósdem* apud Propert. IV. 7, 7 s. ubi v. Brouckhus. laudatus F. Heusingero. — *Certum est* i. e. deliberato consilio decrevi; placet; stat mihi sententia. Cf. II. §. 30. Plaut. *Amph.* II. 2, 217. et Perizon. ad Sanctii *Minerv.* II. p. 479. ex.

V. 8. *cum magnis dis*] per synizesin: ut in communi sermone dicitur *gratis*, pro eo, quod frequens est apud Plautum, *gratiis.* Turnebus *Adv.* XXVI. 32. ex. laudat veterem bene ominandi formulam patris familias apud Caton. *de re rust.* c. 141. (al. 142.) 1. *Cum divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi.*

Aeacidarum genere] Pyrrhus, rex generosissimus, cujus probitas laudatur etiam in *Lael.* c. 8. ex. maternum stemma ab Hercule, paternum deducebat a Pyrrho vel Neoptolemo, Aeaci (de quo cf. 97.) pronepote: unde apud Quinctil. VII. 9. Aurel. Victor. *de vir. illustr.* c. 35. Ammian. Marcell. XXIII. 5. Orosium IV. 1. *Aeacides* appellatur oraculo illo, cuius amphiboliam, *quamquam semper fuit, ut apud Ennium est, stolidum genus Aeacidarum,* tamen intelligere potuisset, arbitro Tullio *de divin.* II. 56, 116. Aeacidis autem inter nobilissimos semideos, a Jove oriundos, communiter principatus deferri solet, memorante Isocrate in *Evagora* p. 412. ed. H. Wolf.

XIII. Atque etiam, si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda: ut primo Punico bello Regulus, captus a Poenis, cum de captivis commutandis Romam missus esset iurassetque, se rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit; deinde, cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. 39

[*Secundo autem Punico bello post Cannensem *pugnam quos decem Hannibal Romam adstrictos *misit iure iurando, se redituros esse, nisi de red- 40

C. XIII. §. 39. *captivos reddendos in senatu non censuit*] i. e. q. *reddi captivos, n e g a v i t, esse utile; de captivis dissuasit; captivos retinendos censuit* (III. 100. 110. 111. pr.), non ut senator, (quamdiu enim iure jurando hostium teneretur, non esse se senatorem iudicabat: sed, quod de captivis rei publicae opus esse videretur, (ib. 115. ex.) non dissimulavit. Simile est *Fam.* VII. 3, 19. ex. *n o n videri, satis multos perisse.* Solet enim negatio, ad rem pertinens, cum ipso verbo sentiendi aut dicendi copulari, ex Graecae dictionis idiotismo οὐ φημὶ etc. de quo v. Viger. p. 455. s. Non est igitur, ut lectionem aut Palat. primi *capt. r. n o n e s s e in s. censuit* aut Gu. tertii *capt. n o n r. in s. censuit* arripias. — Fama de supplicio Reguli repetitur III. 99. 100. ex.

§. 40. *quos decem*] nempe ipsorum captivorum: quod ad intelligentiam addendum fuisset. Omnia, minima maxima, deinceps fusius illustrabimus, cum Grammatici certent, utrum haec omnia Ciceroni debeantur, an interpolatori. Vid. *Excursus XIV.*

adstrictos — iure jurando] Gellio VII. 18. dicuntur *deiurio vincti.* Similiter Iustin. I. 9, 18. *Sacramenti religione obstringere. Qui, velut sacramento rogati vel etiam superstitione c o n s t r i c t i, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere*, ut loquitur Quinctilianus XII. 2. sub fin. iidem *Acad.* II. 3, 8. dicuntur teneri *adstricti*, cui additur *N. D.* I. 7, 17. ex. *eiusmodi necessitate, ut sit certa quaedam tuenda sententia.* Irmisch. *diss. de h. l.* p. XVI. dici monet *adstringere iure iurando* in Liv. *epit.* lib. II. ab in. et lib. XXII. ad analogiam phrasium *o b s t r i n g e r e aliquem iure iurando* II. *Philipp.* 33. 83. [imo *religione populum,*

*imendis iis, qui capti erant, impetrassent, eos *omnes censores, quoad quisque eorum vixit, qui

---

ementitis auspiciis.] Horat. *Serm.* II. 3, 179. s. Caesar. *B. G.* I. 31. et *psephismata constricta iure iurando*, pro Flacco 149. [§. 15.] Cf. infra III. 111. *nullum vinculum ad adstringendam fidem jure jurando arctius.* Quoniam vero illa periphrasis nihil aliud significat, nisi *juratos*, sequitur h. l. Accus. c. Inf., *se redituros.* Omnino verbalia nomina verborum ipsorum constructionem participant, ut *spe* II. c. 6. ex. et *or.* II. c. 83. *promissio, si audierint, probaturos.* Ad prox. cf. III. 113. pr. *nisi de redimendis captivis impetravissent* i. e. ut permutatio fieret captivorum. Eandem constructionem v. *Fam.* IV. *ep.* 13. §. 15. ex. *Attic.* VII. *ep.* 17. med. XV. *ep.* 6.

eos —, quoad quisque eorum vixit] Minus eleganter pronomen iteratum videtur Gernhardo. Sed v. p. 7. ad §. 2. ex. Nonne autem e tota narratione, quamvis brevissima, satis intelligitur, decem illos, re a senatu P. R. non impetrata (qua de re cf. III. 114.), Romae remansisse? Minus etiam Gernhardum offendere debebat, quod antea non narratum sit, *in aerarios relatos* esse, qui dicantur *in aerariis relicti.* Haec enim videlicet jejuna foret battologia, ne interpolatore quidem digna, quippe antiquorum rituum et verborum solennium imperitiam prodens, nullo modo excusandam. Etenim exitu censurae, cum in leges jurassent censores, in aerarium escenderunt, ut eorum, quos *aerarios relinquebant*, darent nomina. Vid. Liv. XXIX. 37. ubi narratur certamen notarum inter censores C. Claudium et M. Livium, qui, a collega *aerarius relictus*, deinde ipse *in aerarium venit et praeter Maeciam tribum populum Romanum omnem, quatuor et triginta tribus, aerarios reliquit. — Inter quatuor et triginta tribus et C. Claudium aerarium fore. Quod si exemplum haberet bis eundem aerarium relinquendi, C. Claudium nominatim se inter aerarios fuisse relicturum.* Cic. *p. Cluent.* 39, 202. *Persuasi* (aedilibus), *ut scribam iurati legerent eum, quem — censores aerarium reliquissent.* Graece dicitur προστιμᾶν τῷ δημοσίῳ et plane i. valet q. *aerarium facere* (apud Gell. IV. 12. Aurel. Vict. *de viris ill.* c. 50. Liv. XXIV. 43. XLIV. 16. et XXIV. 18. de his ipsis captivis et nimis callidis exsolvendi iuris jurandi interpretibus, *in* v. *inter aerarios* v. *in numerum aerariorum referre* ap. Valer. Max. II. 9. §. 6 — 8. Ceterum annotavit Irmisch p. XVII. nihil esse aliud, quam redigere in numerum capite censorum, ut pro capite statutam pecuniam penderent nec militiae adscribi possent, quod ignominiosum fuisse constat. „Censores enim", inquit, „quos nota afficiebant, triplici poena plectere solebant. Nempe vel *aerarios faciebant* vel *tribu movebant* vel *in Caeritum tabulas referebant.* Gravior

*peierassent, in aerariis reliquerunt; nec minus
*illum, qui iuris iurandi fraude culpam invenerat.

---

erat nota, *aerarium fieri;* nam et idem suffragio privabatur, quum ex albo centuriae suae obliteraretur atque ideo in Caeritum tabulas relatus esset. Minor nota erat *referri in tabulas Caeritum.* Nam nulla alia poena hi afficiebantur, quam quod suffragandi munere privabantur: ut Gellius testatur XVI. 13. Tertia adhuc mitior nota erat, *tribu moveri;* movebantur tribu, qui ex honestiori in minus honestam migrare jubebantur, ob ignominiam et reatus alicujus poenam; quod clare Livius docet 25. lib." [imo XLV. 15. ex quo simul apparet, vanam esse Dodwelli opinionem, *prael. Camden. Append.* p. 710. ss. contendentis, eorum nomina omnino ex tribuum numero esse exempta.] „Id autem praesertim fiebat, cum ex rustica tribu in urbanam cogebantur. V. Plin. XVIII. c. 3. Gronov. *de Pec. Vet.* 4, 1. p. 263. Haec fere Marc. Donatus ad Livium XXIV. 18." Sed praeterquam quod hic propriae senatorum et equitum notae omissae sunt, male etiam distinguitur, quamquam eodem modo erravit etiam Scheller in *Lex.* s. v. *aerarius* p. 469. Nam, ut Asconius ad Cic. *div. in Caecil.* c. 3. docuit, censores cives sic notabant, ut, qui in Caeritum tabulas referretur, *aerarius* fieret, ὀφλειχάνων τῷ δημοσίῳ, aucto fere pro rationibus suis censu, e. c. octuplicato equitis cujusdam apud Liv. IV. 24. scilicet ut ex eo tributi vel poenae nomine *aera* in aerarium deferret. Hoc est *nodosam exsolvere stipem* apud Valer. Max. II. 9, 1. Cf. quae in Schützii *Lex. Cic* s. v. *aerarius* habentur anonyma, ex Ernesti *clavi* translata.

nec minus] i. e. q. *adeoque* i. e. *inter quos* vel *in iisque decem etiam illum* etc. Noli igitur, ad amussim revocans, cum Gernhardo quaerere: „Quis autem non opinetur, illum fuisse undecimum?"

qui — culpam invenerat] Haec ab aliis contorte explicandi periculum factum est, corrigendi ab aliis, ut a Schützio: *qui iuris iurandi calumnia fraudem invenerat.* Falso autem et hic et Degen Hottingero tribuunt conjecturam, *qui iuris iurandi fraude calumniam invenerat.* Sed v. *fraude* Hottingero videtur glossa vocis *calumniam* Gernhard margini suam *inventam* (contractam) *culpam* relinquere maluit. Sed *culpam invenire* pro *culpae se obnoxium reddere* a genuina Latinitate minime abhorret. Vid. *Herenn.* IV. §. 48. *vituperationem — invenistis, ut timidi atque ignavi putaremini.* Exempla, ubi *invenire* significat *efficere, parare,* collegit Besselius *Miscellan philologico-critt. syntagm.* c. 1. §. 6. De ceteris, *juris jurandi* (fallaci reditu solvendi) *fraude* i. e. q. *fraude, ut iure iurando liberaretur* III. 115.

*Cum enim Hannibalis permissu exisset de castris, *rediit paullo post, quod se oblitum nescio quid di- *ceret. Deinde egressus e castris, iure iurando se *solutum putabat: et erat verbis, re non erat. *Semper autem in fide, quid senseris, non, quid *dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum

---

Hannibalis permissu] Gernhard: „Quidni jussu Hannibalis, qui paullo ante dicebatur eos misisse?" Hoc est in verbis haerere et nimis callidi interpretis uti calumniis. Potestatem exeundi e castris habebant jurati quidem, sed non ita, ut, qui ex itinere juris jurandi solvendi causa redisset, vel (placet enim uti ipsis Livii XXII. 58. 61. et Gellii verbis) *fallaci reditu in castra jure jurando et religione se exsolvisset, ita, iure jurando satisfacto, rursum iniuratus abiret.* Nam redisse ad hostem non videtur, qui clam rediit, ut statim exiret. *Redisse* enim ita intelligi debet, ut in hostium potestate iterum sit, iudice Grotio *de J. B. et P.* XXIII. 13.

quod se oblitum nescio quid diceret] Cf. III. 113. *quasi aliquid esset oblitus.* Gellius l. c. *commenticio consilio.* Liv. 58. *velut aliquid oblitus.* 61. *per causam recognoscendi nomina captivorum.*

iure jurando se solutum] Cf. III. 113. *liberatum se esse jure jurando interpretabatur.* Gellius l. c. refert duo Romae mansisse *solutosque esse sese ac liberatos religione* dixisse. Liv. XXIV. 18. *solutum, quod iuraverant, rediturus, rebantur.*

Semper — cogitandum] i. e. *videndum, considerandum, observandum, spectandum, animadvertendum:* quae verba omnia, ut Graeca ἐννοεῖν, διανοεῖσθαι, ἐνθυμεῖσθαι, σκέπτεσθαι illi posse substitui συνώνυμα monuit Irmisch p. XVIII. Cf. Seneca *de tranq. an.* c. 8. pr. Idem Irmisch p. XXIV. commendat hunc locum a similitudine consuetudinis, qua Cicero paradigmatis allatis iudicium aliquod aut praeceptum addere soleat: cujus rationis Ciceroni solennis exempla indicata v. supra ad §. 37. pr. Sed verbis e §. 147. repetitis expressa est sententia, qua III. 107. s. reprobatur omnis in jure jurando reservatio mentalis i. e. exceptio mente atque animo retenta. *Non modo, quid locutus fueris, sed etiam, quo consilio,* quid significare, in quam opinionem alterum inducere volueris, ut consilium consequerere, omninoque non tam verba, quam sententiam et verborum intellectum, spectare et bona fide exsequi oportet. Nefas est ambages fallendae fidei exquirere et fraudi speciem iuris imponere. Hinc in foederis formula, Heusingero laudata, apud *Liv.* I. 24, 7. Ut *illa palam prima postrema*

*est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitu-
*tum, cum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus,
*se venenum regi daturum et eum necaturum. Se-

— *recitata sunt sine dolo malo utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt.* Nimirum, ut Puffendorf *de Jure N. et G.* IV. c. 1. §. 13. ss. docuit, fraude culpa invenitur mendaciique nota contrahitur, si, ubi tenemur animi nostri sententiam liquido exponere, utamur locutione ambigua, quam putetur is, qui audit, in aliam partem accepturus. Nihil enim interest, utrum simplici mendacio, an per ambiguum sermonem decipiatur. Ergo in fide sermo ita est formandus, ut, quem sensum praesens negotium aut dictionis usus popularis insinuat, idem etiam cum cogitatis nostris concordet. Cum enim institutus sit sermo, ut, quod in animo habemus, efferatur, cogitationum autem nostrarum, quamdiu non proferuntur, in vita humana nullus sit effectus: qui tacita illa et a communi usu abhorrens mens possit tollere effectum illum, quem prolata verba alias producere sunt apta? Imo orationis veritas et falsitas ex iis aestimatur, quae aperte, ut alii intelligant, proferuntur. Proinde in iuris iurandi interpretatione sensus valebit hic, quo accipere se illud profitetur is, qui alterum iuri iurando adigit: unde hujus ipsius est, concipere et praeire etiam verba iuris iurandi et quidem quam planissime, sic, ut et ipse significet, quo modo ista intelligat et iurans annuat, se istius sensum probe percipere: eaque tum ab hoc liquido sunt exprimenda, sic, ut nulla ratione eadem cavillari et eludere queat. Nihil tamen hic tribuimus lectioni, ab H. Wolfio e suo libro annotatae, *quid senserit is,* qua admissa, F. Heusinger deinceps satis speciose corrigere voluit, *cui quid dixeris, cogitandum:* quod Schütz paullo negligentius refert: nisi forte ipsius notam sphalmata corruperunt.

exemplum — constitutum] i. e. editum, nempe ad imitandum posteris in simili re. Irmisch p. XVIII. sic meliori sensu dici observat in Terent. *Prolog. Heaut.* 51. *Statuite exemplum in me;* item *constituere documentum crudelitatis* apud Ciceronem. Num forte vacillante memoria respexit *Verr.* IV. §. 26. *In Mamertinorum solo — monumentum istius crudelitatis constitutum est,* nempe crux?

et eum necaturum] Haec vv. a glossatore adjecta esse suspicatur F. Heusinger, Gernhard ab interpolatore, qui ipsius Tullii orationem III. 86. *se — in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum,* variare voluerit. „Quasi", ait mirabundus, „venenum regi detur vel non necando." At videtur hoc additamentum habere excusationem, sic acceptum: *atque* hoc modo *eum necaturum.* Nonne ipse Cicero passim *ταυτολογίας* admisit? Cf. p. 110. s. et §. 59. ex.

*natus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita *ne hostis quidem et potentis et bellum ultro inferentis interitum cum scelere approbavit*].

41 Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est. Meminerimus autem, etiam adversus infimos

---

Leg. I. 22, 59. *cum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget. Catil.* I. 6, 16. pr. *sica — excidit casu aliquo et elapsa est.* Ib. II. 1, 2. ex. *laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque proiecerit,* et millena alia. In prox. pro *dedit* Pearcius, Heusinger, Degen sine codd. reposuerunt *dedidit*, contra monente Gernhardo, relinquendam esse Pseudo-Ciceroni suam Latinitatem. Pravane videtur, si *dedit* accipiatur pro praesenti? Quamquam horum verborum permutatione nihil pervagatius esse, comprobat ipse Gernhard ad *Cat. Maj.* 13. §. 43. (al. 2.). ubi restituit *cum se voluptatibus dedidissent* pro *dedissent.* Scilicet ex palaeographia, quae geminandae essent syllabae, semel tantum, sed majusculis literis, scriptas esse, ut DEDIT pro DEDIDIT. Cf. infra ad §. 71. pr.

interitum cum scelere approbavit] Irmisch p. XVIIII. perinepte confert Taciti *Ann.* XV. 59. 4. *mortem approbare,* ubi additur *posteris*, ut idem sit ac *laudabilius perire*, quod praecessit. Similius est infra III. §. 83. *probare legum interitum* i. e. in eum consentire. Idemque monet, *cum scelere* pro *scelerose* [imo *sceleste!*] non minus ad Latinorum rationem, quam Graecorum consuetudinem, dici, solennem illam valdeque frequentatam, cl. *de or.* L. II. c. 85. (ed. Schütz. c. 84. p. 236.) *Cum fide, cum aequabilitate facere. Orat* c. 52. *oratores cum severitate audiri, poëtas autem cum voluptate.* Xenoph. *Agesil.* IV. §. 5. pr. ὅστις δὲ ἡρεῖτο καὶ σὺν αὐτῷ γενναίῳ μειονεκτεῖν, ἢ σὺν αὐτῷ ἀδίκῳ πλεονεκτεῖν, qui locus, praetermissis divinis literis *Proverb.* XV. 16. XVI. 8. egregie illustrari videtur ex Alciphronis lib. I. *ep.* 5. εἰ πλουτεῖς, σὺν δικαίῳ πλούτει i. e. καλῶς, *honeste* apud Terent. *Andr.* IV. 5, 3. ubi cff. intt. Ib. V. 3, 10. Add. infra §. 97. ex. II. 29. ex. 36. pr. 85. pr. *N. D.* II. 38, 97. ex. *Lael.* c. 21. ex. *Catil.* I. 12, 33. pr. *Sext.* §. 98. *Muren.* 1, 2. ubi v. Matthiae. *L. I. in Verr.* c. 19. *abstulit magno cum gemitu civitatis. Fam.* I. *ep.* 10. (al. 9.) §. 66. *cum dignitate otium* i. e. in quo quis dignitatem suam tuetur, ut *Fin.* III. 6, 20. *cum officio selectio* i. e. qua officium conservatur, officio consentanea. Sallust. *Jug.* 85. pr. *Neque me fallit, quantum cum maximo beneficio vestro negoti sustineam.*

§. 41. *Meminerimus*] Noli cum Degenio referre ad scriptorem, cui in mentem venerit, restare hoc praecipiendum. Imo intellige: *Si justitiae munere fungi volemus,*

iustitiam esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum: quibus, non male prae-

---

meminisse debebimus. Statim post notio primaria *conditio et fortuna* bis cogitanda, ut III. §. 44. ex. *Acad.* II. 43, 132. *aut Stoicus constituatur sapiens, aut veteris Academiae. Lael.* 5, 6. ex. Eodem modo capies *Fin.* V. 27, 81. *haec* (externa), *cum corporis bona sint, eorum conficientia, certe in bonis numerabis:* quem locum VV. DD. certatim corruperunt. Bremi v. *corporis* delevit. Görenz iungens, *cum corporis bona sint eorum conficientia*, ipse secum dissidet. *Bona* enim modo pro Nominativo habet, modo pro Accusativo. Schütz ex ingenio interpolavit, *cum bonorum sint conficientia.* Sed omnia plana erunt, sensu hunc in modum expedito: *cum corporis bona revera bona sint cumque externa sint bonorum corporis efficientia.* Sic enim plene loquitur Seneca *ep.* 71. ad fin. *Corporum bona corporibus quidem bona sunt, sed in totum non sunt bona.* Itaque etiam *Leg.* I. 19. 50. ex. *istorum philosophorum pudet, qui nullum vitium* [*vitare*], *nisi iudicio ipsum notatum, putant*, Schützii coniecturae, ante *putant* excidisse *rectum*, praeferenda Görenzii medela, *vitare* in glossa ponentis. Idem ad *Acad.* II. 46, 140. pr. monuit, Genitivum *servorum* hic cum vi postponi, qua structura *Fin.* V. 23, 67. legendum: *unam societatem esse volumus hominum.* Cf. §. 53. ex.

quibus, non male praecipiunt, qui ita iubent uti] i. e. ut recte praecipere videantur, qui monent, ut iis ita utamur. Eodem modo construes §. 136. pr. 127. (ad quem l. cf. *Fam.* XVI. ep. 10. *Tu, Musis nostris, para, ut operas reddas.*) hoc modo: *dantque operam, ut ipsi necessitati* etc. 137. *Atque etiam significandum est, illud ipsum — susceptum esse,* III. §. 9. ex. *pollicetur, se de hac parte* etc. 77. pr. *Audiebam de patre nostro puer, Fimbriam* etc. Cf. locos, quorum constructionem, membro primario ei, quod secundarium est, interposito cum eoque confuso, perturbatiorem retinebimus ipsam: fragm. *or. pro Tullio* (ap. Schütz. p. 38.) *Pueris nobis, audisse videor, Vaelium — in ius nomen Q. Muttonis detulisse.* Aliud fragm. p. 54. ad §. 24. pr. adscripsimus. *Mur.* 2. §. 3. (6. Beck.) *A quo tandem, M. Cato, est aequius, consulem defendi? Rhetor.* II. 28, 85. *ut, de his, non modo necesse sit, sed ne utile quidem, quam mox iudicium fiat, exspectare,* ubi *de his* referendum ad *iudicium. Mil.* 13, 35. *Ille, erat* (intell. satis causae), *ut odisset. Pro Coel.* 3, 6. *Accusatio, crimen, desiderat, rem ut definiat* i. e. *ut crimine definiatur res ipsa:* sed *ipsam* compensat soni vis. *Fam.* VII. 3, 19. ex. *Quibus, ego certo scio, non videri.* Sic saepe intercalatur *cave* (ib. XVI. 12, 12.), *vide* (*Tusc.* V. c. 11. pr.), *vereor* (*N. D.* I. 20, 56. *Acad.* II. 43, 134. *Fin.* III. 2, 6. pr.) etc. Haec, quam necesse fuerit, annotasse, apparebit c. 15. pr.

cipiunt, qui ita iubent uti, ut mercenariis: operam exigendam, iusta praebenda. Cum autem duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat iniuria: fraus quasi volpeculae, vis leonis videtur; utrumque homine alienissimum; sed fraus odio digna maiore.

---

ut mercenariis] Seneca *de benef.* III. 22. pr. *Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercenarius est.* Ib. 21. *Est aliquid, quod dominus praestare servo debeat, ut cibaria, vestiarium.* Cf. Id. *de tranq. an.* c. 8. ex. *de clementia* I. 18. *Iusta* sunt igitur omnino *ad victum necessaria, alimenta, demensa*, ἁρμαλιά, τὸ σιτομέτριον (Lucae *evang.* XII. 42.) τὰ ἐπιτήδεια (Theophrast. *char.* XI. 5.): de quibus v. Senecae *epist.* 80. ad fin. et Donat. cum Westerhovio *ad Terent. Phorm.* I. 1, 9. *De operis* (i. e. ministeriis) *servorum* scripsit Popma. 8. Antwerp. 1606. et in Poleni *supplem. thesauri utriusque antiquitatum* T. III.

fraus quasi volpeculae] Haec forma pro volgata *vulp.* restituenda fuit propter etymon *volupis.* Laudatur ex Aeliani *VI. histor. animal.* c. 64. ἡ ἀλώπηξ πονηρὸν ζῷόν ἐστιν (i. q. *animal solertia dirum* Plinio VIII. 28. s. 42.), ἔνθεν τοι κερδαλέην οἱ ποιηταὶ καλεῖν φιλοῦσιν αὐτήν. Cf. *Etym. Magn.* 505, 37. Κερδαλέος ὁ συνετὸς καὶ παραλογιστικός· τὰς γὰρ ἐντρεχείας (versutias) κέρδη ἐκάλουν. Ib. 35. παρὰ τὸ κερδαλέα ἡ ἀπατητικὴ γίνεται κερδὼ ὑποκοριστικῶς. Sic etiam Latine in *carm. de Philom.* v. 59. *Fallax volpecula gannit. Volpinaris* (ἀλωπεκώδης) et *volpio* (ἀλωπός) dicitur catus, vafer, qui *volpinatur* (ἀλωπεκίζει). Ἀλώπηξ dicta videtur ab ἀλᾶν, *fallere*, Angl. *to fox*, et πέκω, πείκω, unde ποίκιλος i. q. κερδαλέος, *versutus, astutus, callidus.* V. Ill. Jacobs *Animadvv. in Antholog. Gr.* Tom. XI. 107. Plato II. *de re publ.* p. 365. *C.* ex dolosi simulatoris, praestigiis atque imposturis viri boni nomen sibi quaerentis, mente: πρόθυρα μὲν καὶ σχῆμα κύκλῳ περὶ ἐμαυτὸν σκιαγραφίαν ἀρετῆς περιγραπτέον, τὴν δὲ τοῦ σοφωτάτου Ἀρχιλόχου ἀλώπεκα ἑλκτέον ἐξόπισθεν κερδαλέαν καὶ ποικίλην. V. Archilochi fragm. 38. in *Anthol. Gr.* et Jacobs T. VI. p. 175. Nimirum in fabulis Aesopeis, quae exemplorum, e brutarum animantium vita et consuetudine sumptorum, similitudinem speculi instar adhibent, in quo hominum mores simulacris quibusdam et imaginibus expressi cernantur, ut leo tyranni, vi oppressos metu coërcentis, aut vexatoris contumeliosi, sic volpes callidi veteratoris personam sustinet. Celebris est casca illa de *Reineccio* fabula, quam ingeniosissimi Göthii nostri solertia exornavit.

homine alienissimum] i. e. indignissimum, ut *de divin.* I. 38, 83. (II. 49, 102.) *alienum ducunt maiestate sua* i. e. q. 82. (101.) *non censent, esse suae maiestatis.* Tib. Gracchus pater apud Gell. VII. 19. *alienum videtur esse dignitate rei publicae.* Sic etiam cum Genitivo *Fin.* I. 4, 11. ex. Cf. Gesner *Lat. Thes.* I. p. 254, 27. ss.

Totius autem iniustitiae nulla capitalior, quam eorum, qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. De iustitia satis dictum est.

XIV. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia ac de liberalitate dicatur. Qua quidem nihil est naturae hominis accommodatius; 42

Totius autem injustitiae nulla capitalior] Subaud. *videtur injustitia*, ut dicatur pro, *Omnium injustitiae generum nullum capitalius* (quasi graviori *capitis* supplicio luendum, i. e., detestabilius, cf. III. 82. ex.). V. de hac contractiori dictione ad pr. huius §. Non opus est apponere *iniuria*: nedum *species*, aut, quod ne fieri quidem possit, legere *injustitiarum* cum Schellero in *Obss*. *Est*, volgo additum, proscripsimus, omnes Mss. Gu. μ multosque aliorum secuti. Idem glossema Gu. 5. et ψ addiderant verbis: *Fraus quasi volpeculae;* itemque μ ante vv. *homine alienissimum*, plerique Heusingerorum libri post ea. Cf. Plato II. *de re publ*. p. 593. ed. Frcf. 361. *A*. Steph. Ἐσχάτη γὰρ ἀδικία, δοκεῖν δίκαιον εἶναι, μὴ ὄντα. Cic. (*Fragm*. ed. Schütz. p. 143.) apud Augustinum: *Nullae sunt occultiores insidiae, quam quae latent in simulatione offici aut in aliquo necessitudinis nomine;* et Caecilius ap. Gellium XV. 9.

C. XIV. §. 42. *Deinceps, ut erat propositum*] i. e. *Iam, ordine sic ferente*. V. Bauer ad Sanctii *Minervam* II. 750.

de beneficentia ac de liberalitate] Praepositionem iterant praeter λ, qui *et de lib.* habet, codd. Gu. 1. 2. et quinque Goerenzii, qui v. ad *Leg*. II. 1. 2. p. 105. Cf. infra II. c. 15. pr. ubi Gernhard monet, distingui has benignitatis partes etiam extr. hac §. *non benefici neque liberales*. Legitur quidem I. §. 68. *pecuniam — ad beneficentiam liberalitatemque conferre;* sed cum reliquis copulis praepositiones Cic. saepe sic repetit, e. c. *de* II. §. 1. ex. *ad* II. §. 51. III. 100. *Ad Q. fr. I. epist.* 1. c. 3. *cum hi mores tantum iam ad nimiam lenitatem et ad ambitionem incubuerint*. *A* ibid. c. 9. (p. 354. ed. Schütz.) *remotam a fama et a fortunis et ab otio locupletum — calumniam;* supra §. 39. ex. 155. ex. Denique *cum* I. Catil. 13, 33. pr. et *in* ib. 31. *Agrar*. II. 35, 97. ed. Beck. Coniunctivum *dicatur* Degen explicat per ellipsin *necesse est*. Sed magis in promptu est ad hortandi hunc modum cogitare *age*. V. Hermanni *de emendanda ratione Graecae Gramm. Liber* II. c. 21. p. 207.

naturae hominis] Posteriorem vocem in Gu. 1. et 5. omissam contra Heusingerum tuetur Gernhard, quod intelligatur illa hominibus ab ipsa natura inposita persona (§. 97. s.), quae est *communis ex eo, quod omnes participes*

sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum, ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris; deinde, ne maior benignitas sit, quam facultates; tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim iustitiae est fundamentum, ad quam referenda sunt omnia. Nam et qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici neque liberales, sed perniciosi assentatores iudicandi sunt; et qui

---

sumus rationis praestantiaeque eius, qua antecellimus bestiis (107.) et 106. pr. simpliciter dicitur *hominis praestantia*; 110. *universa natura:* cl. 105. pr. *Fin.* V. 11, 33. ubi *natura hominis* (ut ib. 23, 66. pr. *hominis natura* et 15, 43. pr. *vis hominis*) usurpatur pro *homine.* Dicitur quidem in *Lael. de amicitia* V. 3. s. '*Nihil est — tam naturae aptum;* atque *esse secundum naturam* aut *contra naturam* III. §. 21. ex. 24. s. quod naturae incorruptae desideriis convenit aut ab iisdem abhorret. V. ad I. §. 12. pr. cll. 153. pr. 159. pr. Eatenus igitur recte ipsa natura invitari dicimur, ut benefaciendo dulcissima et limpidissima generosi animi nobis paremus gaudia. Sed eodem fere sensu c. 6. pr. de veri cognitione: *maxime naturam attingit humanam.*

Videndum est enim primum] i. e. *cavendum.* Gu. 1. *enim,* 3. *est* abjicit; quintus substituit *Videndum est autem;* item §. 43. Gu. 3. turbato ordine: *Videndum igitur est.* Fortassis utroque loco *est* irrepsit et in priori hoc etiam conjunctio. Cf. *Tusc.* III. c. 19. pr. *Quaerendum igitur, quemadmodum* etc. et supra ad §. 26. ex. Sed v. ad §. 69. pr. Deinceps videatur rectius dici potuisse *aut iis ipsis — aut ceteris;* sed, praecedente negatione, *et — et* perinde adhibetur, ut *neque — neque.* Ceterum has beneficentiae cautiones egregie illustravit Garve ad h. l. p. 120—127. Cf. Exc. Krug *Aretolog.* §. 49. n. 2. qui in multis cum Cicerone convenit, sed praecepta quaedam magni momenti addit.

Id enim iustitiae est fundamentum] Sic transponendum monuimus ad §. 23. pr. Schützio, rescribenti *Id est enim,* operae non paruerunt. Continuo post *ad quam* volgo additur *haec,* quod abest ab Exc. Bedae et Eybi, a λ et a quatuor codd. Goerenzii, qui perpetuo hac in dicendi forma auctoris more omittendum censet ad *Fin.* I. 16, 50. pr. et III. 6, 21. p. 336. s. observans, *omnia* hic cum vi sententiae clausulam occupare. Cf. ib. II. 15, 48. *si — ad honestatem omnia referantur,* et *Leg.* I. §. 52. c. 20. pr.

assentatores] proprie dicuntur, qui fictum ad aliorum

aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena convertant. Sunt autem multi, et quidem cupidi splendoris et 43 gloriae, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur: hique arbitrantur, se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abest officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Sullae et C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet libe-

---

voluntatem sermonem adhibent; hic autem, qui gratificando aliorum levitatem quasi titillant, ut largiendo *assentatores populi* II. §. 63. ex.

§. 43. *si locupletent eos quacumque ratione*] i. e. *per fas et nefas.* In prox. recentiores edd. nonnullorum ll. Mss. fide omiserunt praepos. *ab*, quam alii verbis *abest officio* inserunt. Gernhard *officio* pro Dativo habet, cui *abesse* iungatur sic, ut i. sit q. *non coniunctum esse.* Dicitur sic potius pro *non adesse.* *Abest alicui* id, quo quis caret. *Absit invidia verbo* i. e. q. vacet invidia verbum. *Abfuimus solito dolori* i. e. caruimus sensu soliti doloris. *Absum alicui*, quem desertum esse patior. Ergo eadem constructio si hic valeat, non elici poterit hic sensus: *Vacat officio*, *officio contrarium est.* Ut enim *abesse* valeat *procul*, vel *remotum esse*, non potest non cum Ablativo strui. Praepositio autem alias omittitur fere ante Ablativum loci; difficilius ut hic, ubi etiam additur *tantum* i. e. *tam longe.* Cf. *Tusc.* I. c. 31. *Tantum abest ab eo, ut malum mors sit, ut* etc. ubi *ab eo* Schütz, Ernesto, qui nunquam alibi additum reperisset, auctore, delevit, licet Scheller in *Lex.* s. v. *absum* 3 (a) p. 73. comparasset Caes. *B. G.* V. 2. *neque multum abesse ab eo, quin — possent:* ubi tamen aliqui voces *ab eo* uncis notarunt. Sed veritus sum praepositionem reducere, cum ad similes formulas, ut *abhorrere*, *alienum esse*, quod i. e. ac *dissimile esse*, omitti soleat, neque alibi defuerint scribae apponere *ab*, ut multi supra §. 41. ante v. *homine alienissimum.*

L. Sullae et C. Caesaris pecuniarum translatio] Bauero ad Sanctii *Minerv.* II. p. 397. plane incommode sic dici videtur, duobus Genitivis diversa ratione ab uno nomine pendentibus. Sed v. Wopkens *Lectt. Tull.* p. 89. Goerenz ad *Acad.* II. 41, 128. ex. *Fin.* III. 15, 51. Creuzer

ralis videri: nihil enim liberale, quod non idem
44 iustum. Alter erat locus cautionis, ne benignitas maior esset, quam facultates. Quod qui benigniores volunt esse, quam res patitur, primum in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos: quas

---

ad II. *N. D.* 63, §. 158. p. 474. *canum tam fida custodia tamque amans dominorum adulatio.* Matthiae ad I. *Cat.* 5, 12. ex. et in summae eruditionis monumento: *Ausführliche Griech. Gramm.* §. 314. *Pecunia* usurpatur pro cujusque generis bonis, ut §. 25. pr. *Leg.* II. 19, 48 — 21, 53. saepius. Scilicet a potiori fit denominatio: antiquitus a *pecore*, postea a numis. De *Sullae* proscriptionibus, ut pecuniis locupletium expleret avaritiam suorum, et de *Caesare*, qui non singulorum civium bona publicavit, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehendit, v. II. §. 27. ss. Cum Ciceronis iudicio cf. Catonis vox ap. Sallust. *Catil.* c. 52. *Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas vocatur.*

nihil enim liberale] Nuperi edd. post *nihil* retinent *est*, quod cum Gu. 3. λ. μ. ed. Lugd. 1527. recte excluserat Gernhard. Etiam §. 56. in vv. *Nihil autem amabilius* vett. edd. cum Beda Eyboque excludunt *est*, quod alii alio loco inculcant. V. ad §. 68. cl. II. 88. pr. III. 11, 46. *Sed nihil, quod crudele, utile* ubi μ post *crudele* inculcat *sit*, *est*. *Est* haud raro post *nihil* sic omitti, monet Görenz ad *Fin.* IV. 13, 35. p. 464. s. cl. III. *off.* 7, 34. *Nihil vero utile, quod non idem honestum.* Sed hic locus minime rem comprobat; cum inchoata ibi oratio sic continuetur: *nihil honestum, quod non idem utile sit*, (ubi item *sit* ob instabilem sedem excludendum) *saepe testatur* (Panaetius). Sed probat iste locus, *idem* in tali praedicatorum coniunctione valere fere i. q. *simul*, ut ib. §. 69. *quod civile, non idem gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet.* Utriusque loci mentionem fecit Gernhard. Adde I. 63. *viros fortes et magnanimos eosdem bonos — esse volumus*, cl. Görenzio ad III. *Fin.* 14, 48. pr.

§. 44. *Alter erat locus cautionis*] *Locus* in disserendi ratione saepe dicitur materia, pars, argumentum. Hic quidem, ut c. 6. pr. §. 152. 161. pertinet ad distributionem illam, quae facta est. Eodem sensu §. 45. *Tertium erat propositum.*

Quod qui benigniores volunt esse] *Quod* ante relativam sententiam valet, *quod attinet ad haec.* Itaque hic i. e. q. *nam; etenim; nimirum; nempe; quippe* etc. Cf. ad II. §. 29. ex.

primum in eo peccant] Pro eo, quod deinceps exspectatur, *deinde*, respondet: *Inest autem* etc. quicum cf. II.

enim copias his et suppeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per iniuriam, ut ad largiendum suppetant copiae.

---

§. 54. *Atque etiam sequuntur largitionem rapinae* etc. Adverbium ordinale interdum omnino supprimitur, ut *Catil.* II. 10, 21. ubi v. Celeb. Matthiae; *Leg.* III. 9, 19. ex. (tribunatus) *primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia, infima summis, paria fecit, turbavit, miscuit: cum afflixisset principum gravitatem, nunquam tamen conquievit:* ubi tamen Görenz conjicit *cumque.* Tum hic locus ex eorum genere esset, in quibus *deinde* compensatur per aliam quandam particulam, qua interveniente, inchoata rerum ordine quodam recensendarum series absolvitur aut continuatur, h. l. per *autem* (ut *Fin.* I. 6, 18. pr. de quo v. Görenz ad §. 17. pr.) alibi per *vero* e. c. *Fam.* VII. ep. 23. §. 6. aut *sed*, infra c. 28. §. 100. ad quem l. F. Heusinger comparat etiam II. *de or.* c. 57. *Sic ego nunc, Crasso audiente, primum loquar de facetiis et docebo sus, ut aiunt, Minervam, oratorem eum, quem* etc. et frustra responsionem quaerit in particula *et.* At vero *primum* ibi est ἀνανταπόδοτον. Nam Caesar ibi oratorem intelligit eum, quem allocutus est, ipsum Crassum. Sed cum alia ibi Heusinger annotavit utiliter, tum hoc, eundem esse Graecorum usum loquendi: ex quo praecedenti πρῶτον μὲν respondet δὲ ap. Xenophont. *Memor.* II. 1. §. 10. et §. 24. cl. 25. pr. et in Lucae *evang.* 12, ad πρῶτον προσέχετε ἑαυτοῖς v. 1. referuntur haec v. 4. λέγω δὲ ὑμῖν. Alibi subsequitur *etiam*, ut *de or.* I. 196. ex. 197. pr. aut *quid? Tusc.* I. 24. ubi verbis §. 57. *habet primum memoriam* respondent haec 25, 61. *Quid illa vis, quae tandem est, quae iuvestigat occulta —?* Infra III. §. 21. ad v. *principio* post longius intervallum refertur §. 23. pr. *Neque vero hoc solum — sed etiam.* Cf. ad §. 11. p. 26. Contraria ratio est II. §. 16. ex. ubi infertur *deinde*, non praecedente *primum.*

ut ad largiendum suppetant copiae] Beda *suppeditent* cum Gu. 3. et 5. in quo tamen corrector penultimam syllabam punctis notavit. Sic Liv. VIII. 13. *Materia crescendi per summam gloriam suppeditat.* Sed exemplorum copiam, quanta ad hujus v. neutraliter pro *suppetere, sufficere, abundare* frequentati usum illustrandum suppeditet, praeter Perizonium ad Sanctii *Minervam*, qui T. I. p. 528. s. ed. Bauer. inutili coniectura vexat locum Cic. *in Cat.* II. 11. §. 25. pr. et praeter Lexicographos Gesnerum s. v. n. 2. et Schellerum p. 10972. congesserunt superiores interpretes supra ad §. 12. *quae suppeditent et ad cultum*

Videre etiam licet, plerosque, non tam natura liberalis, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate, videantur. Talis

---

et ad victum: ubi item Facciolatus cum aliis legit *suppetant*, Marso autem et Wolfio non *suppeditent*, ut enotavit Gernhard, scribendum videbatur, sed *suppetitent*, quod est in ed. Venet. 1498. et Lugd. 1527. Eorundem verborum confusionem observat Bünemann ad Lactant. IV. 22, 2. Hic tamen ejusdem verbi proxime praecedentis iteratio scribae cuipiam obrepsisse videtur.

quadam gloria ductos] In pronomine aliquid vituperii latere videtur, ut §. 29. pr. *odio quodam hominum.* 49. *Multi — faciunt multa temeritate quadam. Fam.* VI. *ep.* 12, 3. *cum Caesar amentia quadam raperetur.* H. l. acceperim fere pro: *quam sibi opinionis errore finxerunt.* Similiter formula *nescio quis* etc. rei tristitiam innuit. Cf. ad §. 61. Görenzio, hunc locum comparanti ad *Fin.* IV. 7, 16. ex. pro *quodam modo* dictum videtur. Sed dissimilior est istius loci ratio et multiplex hujus pronominis usus. V. ad §. 47.

quam a voluntate] nempe *benigna* i. e. ab animo benefaciendi cupido, ut recte interpretatur M. Heusinger. Comparat Gernhard VIII. *ad Att.* ep. 9. *signa conturbantur, quibus voluntas a simulatione distingui posset. Simulatio* enim e. e. q. *ostentatio* i. e. ea vivendi aliisque gratificandi ratio, qua quis *ostendit* virtutem, quae revera ei non inest, ut laudetur propter honestatem, cujus non nisi adumbratam opinionem habeat. Sic statim ante *naturae*, i. e. verae ipsius animi affectioni, opponitur *gloria*, ut causa extrinsecus impellens. Absunt autem haec vv. *q. a. v.* a Gu. 4. F. Heusingerum, ut, alteram comparationis partem interdum omitti, doceret, cum vidissem miro usum exemplo *Fam.* VI. 8, 2. consului omnium longe praestantissimam editionem Martyni-Lagunae: a quo sagacissimo editore lacunam ibi indicatam deprehendi et agnosco. Docuit autem Görenz ad *Acad.* II. 3, 7. p. 17. saepe comparativos sic poni, „ut eorum relatio" [imo ratio] „ex contextis coniici debeat". Quae hic quidem satis superque apparet ex antecedentibus. Sed subtractis his verbis locus hiulcus erit et membrorum concinnitas desiderabitur. Facilius totam clausulam glossatori tribuerim: qui primum adscripsisse videtur, quo ordine Gu. 5. omnesque edd. vett. verba collocant: *quae videntur magis proficisci ab ostentatione:* quo facto, facile erat alii cuipiam supplere *quam a voluntate.* Iam nihil restabat, nisi ut alius elegantiae studiosior verba aptiori ordine disponeret. Facciola-

autem simulatio vanitati est coniunctior, quam aut
liberalitati aut honestati. Tertium est propositum, 45
ut in beneficentia delectus esset dignitatis: in quo et
mores eius erunt spectandi, in quem beneficium
conferetur, et animus erga nos et communitas ac
societas vitae et ad nostras utilitates officia ante collata. Quae ut concurrant omnia, optabile est; si minus, plures causae maioresque ponderis plus habebunt.

XV. Quoniam autem vivitur non cum perfectis 46
hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in

---

tus v. *proficisci* in fine posuit. Offendit iam VV. DD. battologia: *Videre licet, pleiosque —, ut — videantur, facere —, quae videantur.* Praeterea tota haec epexegesis nil nisi tautologiam superiori sententiae addit. Verum tamen non dissimulandum, passim sententiam, satis iam, ut videtur, expressam, deinceps, vel ut explicatius declaretur, vel ut efficacius insinuetur, per epexegesin quandam iterari. V. Heindorf ad *N. D.* III. 36, 87. ex. et ad locum corruptela affectum. I. 10, 24. ubi Thaletis sententiam, *deum esse eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret*, Epicureus, sic accipiens, quasi Thales mentem et materiam non distinxerit modo, sed sejunxerit, refutat hoc modo: *Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?* Schütz recepit ibi Heindorfi conjecturam: *Si — sine sensu, cur aquae mentem adiunxit, si* etc. Sed praestat cum Davisio scribere e codd. *Sic dii possunt esse sine sensu* (quippe nulla re adjuncta, qua sentire possint. Cf. ib. 10, 23. 11, 27. pr. 28. 12, 30. 13, 33. ex.) Reliqua sic correxerim: *Et menti cur aquam adjunxit* etc.? Etiam exemplum, Heindorfo ex Aristoph. *Eccles.* 218. laudatum, nullam ejusmodi continet epexegesin, quae redundare videatur.

vanitati est coniunctior] i. e. propius ad eam accedit, arctiori cognationis vinculo cum ea continetur. Cf. §. 20. p. 40.

§. 45. *plures causae majoresque*] nempe *benefaciendi*, vel cur in hunc potius, quam in alium quem, beneficium conferamus. Longe a vero sensu aberravit Degen.

C. XV. §. 46. *vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus*] Tam parum, quam ullus homo divinae Christi praestantiae comparandus, ad Stoicorum normam quisquam unquam fuit *perfectus homo*, *id est sapiens*. Non

quibus, praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse

---

enim eam *sapientiam* interpretabantur, quae videtur in hominem cadere posse, sed eam, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. Nam qui ad summum et ultimum finem finium enituntur, non ea, quae sunt in usu vitaque communi, sed ea, quae finguntur aut optantur, spectare debent. V. III. §. 13. ex. 16. s. *Lael.* 5. §. 6. ss. *Fin.* IV. 14, 37. cl. supra ad §. 20. pr. p. 46. *Doctorum hominum et plane sapientium vita* laudatur *Tusc.* V. c. 22. ex. (in Schütz. ed. c. 23. pr.)

in quibus, praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis] In Goth. legitur *a quibus non pr. agitur:* non, quod Schütz enotavit, *igitur.* Aliam varietatem e vetustis profert Nannius *Miscell.* l. IX. c. 9. in Gruteri *Lampad.* I. p. 2363. Sed sana sunt omnia: virgulaque, quam post *in quibus* inseruimus, constructionem distinguente, profecto neque Degenio accidisset, ut ipsius acumen hic hebetesceret, nec Gernhard comparasset §. 32. pr. ubi verbum *accidere* adscivit sequentis enunciationis substantivum. Sed exemplum illud tum demum recte compararetur, si eadem ejus esset ratio, quae *de or.* I. 39, 181. *Capitis nostri, saepe potest accidere, ut causae versentur in iure:* ubi a v. *accidere* sequentis enunciationis substantivum non magis est adscitum, quam h. l. Recte iam Fabritius ordinem verborum expediverat hoc modo: *Vivitur cum iis hominibus, in quibus si insunt simulacra virtutis, praeclare agitur,* cl. *Fam.* IV. *ep.* 14. §. 2. ubi item absolute dicitur: *agiturque praeclare, si nosmet ipsos regere possumus,* ut ἔχει καλῶς. Cf. II. 36. *in quibus, existimant, se excellentis quasdam et singularis virtutes perspicere. Orat.* c. 2. ex. *In oratoribus Graecis quidem, admirabile est, quantum inter omnis unus excellat* i. e. *admirabile est, quantum in* etc. In loco *Fin.* III. 20, 67. ex., supra p. 49. adscripto, construes: *Non adversatur ius, quominus in* etc. Haec sententiarum complicatio, interposito eo enunciato, unde reliqua pendent, (de qua cf. ad §. 41. p. 103. cl. §. 59. ex.) saepe consternavit Grammaticos, ut imperite integerrimas constructiones sollicitarent, ut cum apud Lactant. V. 9. pr. *de suis moribus meritisque, coniectant, abesse iustitiam,* volgo distinguatur post *conjectant,* neque vero simul ante id v., Bünemann *de* pro *ex* poni autumat. Retulit enim ad *conjectant,* cum pertineat ad *abesse.* Cic. *Catil.* I. 7, 17. *patria —, iam diu te nihil, iudicat, nisi de parricidio suo cogitare:* ubi vera constructio, quam mala distinctio occultabat, latuit metaphrasten Jördens: nam quod hujus successorem anonymum (Grofse), nemo mirabitur, qui hunc etiam ea, quae illi ipsi, quorum alibi errores verbo tenus repetiit, recte expresserant, alia aliis peius, sic, ut

esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis

---

ut passim et identidem suam ipsius et inscitiam et barbariem superare videatur, corrumpentem deprehenderit. Ne Wetzel quidem satis recte conjunxit *disputaris de* in *Lael.* 14, 11. ex. *Pergratum mihi feceris, si, quemadmodum soles, de ceteris rebus, cum ex te quaeruntur, sic de amicitia, disputaris, quid sentias, qualem existimes, quae praecepta des:* nam cohaerent haec: *quid sentias de*, ut *N. D.* I. 7, 16. *de quo libro, velim scire, Balbi, quid sentias.* 21, 57. *de te ipso, dicam, quid sentiam* *Leg.* I. 13, 32. *Hac tu de re, quaero, quid sentias.* II. *de or.* c. 85. *De quo genere, libitum est mihi, paullo plura, quam ostenderam, dicere.* Crux criticorum fuit *N D* I. 10, 25. pr. *Atque haec quidem vestra, Lucili; qualia vero sint* [hoc v. commode ignorat Oxf. u. aliis substituentibus vel *est* vel *sunt*], *ab ultimo repetam, superiorum.* Struenda sane vv. sic: *qualia vero* [*sint*] *superiorum, ab* u. r.; neque vero sic transponenda cum Döderlinio Vol. I. sylloges: *Philologische Blätter a. d. Schweiz* p. 252. Cum enim struatur *Fin.* III. 1, 3. *Stoicorum autem, non ignoras, quam sit subtile — disserendi genus:* quidni recte etiam, inverso ordine: „*Haec quidem Döderlinii; qualia vero, non ab ultimo repetam, superiorum, Davisii, Ernesti, Heindorfi* etc.“? Saepius sic Genitivus longius a verbis, quibus pendet, distrahitur, ut infra II. §. 34. ex. etiam apud Graecos, qui eodem modo struunt, ut Plato VI. *de re publ.* p. 501. A. ἆρα, κακὸν δημιουργὸν αὐτὸν, οἴει, γενήσεσθαι σωφροσύνης τε καὶ δικαιοσύνης; etc. ib. 500. B. ἐν ὀλίγοις τισὶν, ἡγοῦμαι, ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ πλήθει χαλεπὴν οὕτω φύσιν γίγνεσθαι. XI. *de leg.* p. 922. C. οὐδὲ γὰρ ἄτακτον δυνατὸν ἐς αὐτὸ ἐᾶν: ubi Apostrophus indicat, proprie a tali confusione omnem distinctionem abesse debere. Utique: sed nonne tironibus consulendum, cum ne VV. DD. quidem satis multi construere didicerint? Nam cum hic perperam iunxissent *in quibus praeclare agitur:* deinceps

simulacra virtutis] Degen mire accepit pro ipsis hominibus „*iis, qui tantum ad similitudinem virtutis formati videntur*“. Imo potius dicuntur e. q. III. §. 13. ex. *similitudines honesti*, ut *Fin.* V. 14, 69. ex. ubi explicandi causa variatur: *honestatis adumbrata opinio.* Similiter infra III. §. 69. ex. *germanae justitiae umbra et imagines.* Mox *aliqua significatio virtutis* i. e. vel levissimum signum, obscurum quoddam ac surdum i. e. tenue indicium, ut III. §. 47. ex. *nulla timoris significatio.* Hinc de minimo caloris frigorisve sensu *N. D.* I. 10, 24. *quod in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit;* ubi e sqq. verbis *quod pars — exarserit, pars obriguerit* ad vv. *minima ex parte* intelligitur *caloris frigorisve*, non, ut Schütz voluit, *corporis*. Tum enim scriptum

appareat: colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa, de qua iam multa dicta sunt, iustitia. Nam fortis animus et magnus in homine non perfecto nec sapiente ferventior plerumque est; illae virtutes virum bonum videntur potius attingere. Atque haec in moribus.

47 De benevolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur. Sed benevolentiam non adolescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudi-

---

oportuit, quod placebat Davisio, *si minima in parte sentiatur.* Hujusmodi quid, ut, *sensu percipiatur*, desiderabat etiam Heindorf. Unus Wyttenbachius, vir b. m., recte monuit, dici more Graecorum de morbis ἐπισημαίνειν. Nos similiter de levi quadam et fugiente affectione, qua obiter tantum tangimur, et de doloris aut morbi quasi quibusdam praenunciis, vix ac ne vix quidem sentiendis, dicimus: *es meldet sich an; es läſst sich eine leise Anwandlung spüren.*

colendum — ita quemque maxime, ut quisque maxime] Sic pron. *quisque* iteratur §. 21. ex. 113. ex. quorum exemplorum memor fuit Bremii eruditio ad c. 1. *de fato* p. 6. s. *quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur.* Cf. ad §. 49. ex. p. 120.

virtutibus his lenioribus] i. e. *iis, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem:* vel, *quae in communitate cernuntur et in societate generis humani.* Cf. II. §. 32. III. 118. ex. His plurimum tribuendum, primum propterea, quod magis alliciunt, cum majorem habeant utilitatem, deinde, quod non tam facile degenerant, quam prudentia et fortitudo, et, genuinaene sint, an adulterinae, facilius dignoscitur, quo minus cum vitiis confundantur. Quamquam ne harum quidem officia e limpidissimo semper fonte oriuntur.

non perfecto nec sapiente] Gernhard conjicit: *non perfecto, non s.* Valent hic, quae ipse in nota prox. scripsit: „Mallem Vir D. hanc correctionem omisisset." Nam alienus ab h. l. est anaphorae affectus. *Nec* in consecutione valet *et proinde non.*

§. 47. *ardore quodam amoris*] Servatur concinnitas, cum huic casui regenti cum suo casu recto deinceps bina

cemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia: maior quaedam cura adhibenda est. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea, quae utenda accepe- 48
ris, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam, beneficio provocati, fa-

---

opponantur substantiva per copulam iuncta. Pronomen additur ad metaphoram mitigandam. Cf. §. 50. *ratio et oratio conciliat inter se homines conjungitque naturali quadam societate.* *Timaeus* c. 5. de mundo: *ipse se concordi quadam amicitia et caritate complectitur.* *Lael.* c. 21. pr. *cum quadam similitudine amoris humani.* Sic etiam *aliquis* ib. 8, 8. *Quis est, qui C. Fabrici — non cum caritate aliqua et benevolentia memoriam usurpet?* ubi statim praecedit: *quodam modo diligamus.* Cf. ad §. 30. p. 67. Aliam ob causam paullo post dicitur: *maior quaedam cura.* Etenim pronomen illud, ut Gr. τὶς, τὶ, intendit etiam adjectivorum quantitatis vim, ut *Fin.* IV. 7, 16. ex. *animum quadam infinita laude anteponere corpori.* *Lael.* 9, 2. *Admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo.* *Acad.* II. 1, 1. *admirabili quadam laude.* §. 2. *incredibilis quaedam ingeni magnitudo,* et statim post: *divinam quandam memoriam.* Cf. Görenz ad *Acad.* lib. I. extr. et ejusd. *Animadvv. ad Cic. lib. I. de divin.* (Zwiccav. 1805. 8.) c. 1. §. 1. ubi vindicat lectionem: *Magnifica quaedam res.* Cf. ibi Hottinger. *Sin* h. l. pro *Deinde, si* p. V. p. 108. s. ad §. 44.

Nullum — officium referenda gratia magis necessarium] nimirum, ne deterreatur liberalitas. Vid. II. 63. Praeterea turpe est concedere brutis animalibus, ut iis animus sit beneficiorum memor, nobis immemor. *Fin.* V. 22, 61.

§. 48. *Hesiodus*] Ἔργ. κ. ἡμ. 349. ss. ex praestantissima Spohnii mei, viri Celeb. recensione v. 351. ss.

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ᾽ ἀποδοῦναι
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι,
A vicino aliquid capias si mutuo: eadem
Mensura ac non, si possis, sine foenore redde:

i. e. *justum est, tantumdem et paria reddere; liberale, etiam plura.* Cf. Aristotelis l. mox c. ad §. 49. pr. Cic. *ad Att.* XIII. *ep.* 12. §. 3. Idem *Bruto* c. 4. testificatus, se eum librum scripsisse *ad* Brutum *remunerandum, si non pari, at grato tamen munere,* addit: *quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis Ego autem voluntatem tibi profecto remetiar:* ubi melius legi videtur, *quae acceperis,* nempe *utenda* i. e. *mutua.*

cere debemus? an non imitari agros fertilis, qui multo plus efferunt, quam acceperunt? Etenim si

---

an non imitari —?] Volgata, quae omittit *non*, aliter
84 excusari non posset, nisi per Ellipsin, ut post praecedentem interrogationem: *quidnam, b. p., facere debemus?* subintelligeretur: *nonne idem?* et ad *an* in altera interrogatione *potius*. Tum erit *αὔξησις*. Sed satius videbatur, e cod. Vinar., uno Oxoniensi, ψ, edd. vett. (praeter Rom.), etiam Ascensii, Facciolati, Oliveti, Ernesti inserere *non*, cujus compendium *n̄* facillime omitti potuit, praesertim praecedente *an*. Recte enim a nudis interrogationibus nescii, et, quid alter responsurus sit, ambigentis, quae sunt enunciata manca et inchoata tantum nec nisi cum responsionibus coniunctae integram et perfectam efficiunt propositionem, acutissimus Hermannus distinguit interrogationis formam rhetoricam: qua quis non tam quaerit, quod nescit, quam id, quod ipse ait aut negat, ab aliis confirmari volt per negationem contrariae sententiae, quam interrogatio continet. Haec ita est conformata, ut ipsa indicet, quid alter debeat respondere. Tum *an* ita interrogat, ut responderi debeat *non*, ut hic: *An debemus imitari? Non debemus.* Contra: *An non* (debemus) *imitari —? Non debemus non imitari* i. e. *debemus imitari.* Itaque ejusmodi interrogatio, qua res, quae vel est certa vel sumitur pro certa, per quandam dubitationis significationem denotatur, ea quidem habet integrae et plenae propositionis vim et potestatem. Cum autem ea sit animi nostri cogitationisque ratio, ut absonarum maxime rerum simul dissimilitudines nobis in mentem veniant: hac ipsa dissimilium comparatione continetur ironiae vis, qua, cum, quid sentiamus, dubium esse non possit, hoc ita significamus, ut, quasi simulantes et dissimulantes, eius contrarium proloquamur, vera rei ratione inversa. Itaque cum ironice ita affirmetur aliquid, id ut potius negetur: rhetorica interrogatio per ironiam contrario modo debet institui, atque extra ironiam. Itaque ubi per figuram rhetoricam, in qua nulla est ironia, sic interrogamus, ut quaesitae sententiae contrarium abnuatur ipsaque sententia affirmetur: ibi ironice de re, quae est, tamquam de re, quae non sit, et de re, quae non est, tamquam de re, quae sit, sic interrogabitur, ut contrarii istius contrarium, itaque illa ipsa sententia, de qua quaerimus, negetur: quo facto, alter, cui responsione interrogationem nostram supplere relictum est, responsionem hanc absurdam et absonam esse sentiens, ironice interrogatum esse intelliget. Hoc modo expediri posse docuit Hermannus verba, quae intt. ad h. l. parum apte compararunt, Suetonii in *Octav* 54. *Antistius Labeo Senatus lectione, cum vir virum legeret, M. Lepidum, hostem olim eius et tunc exsulantem, legit: interrogatusque ab eo, an essent*

in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi benefici, alterum reddendi: demus, necne, in nostra potestate est; non reddere — viro bono non licet, modo id facere possit

---

alii digniores, „*Suum quemque iudicium habere*", *respondit*. Ibi enim Augustus, ironice interrogans: *An sunt alii digniores?* non potuit non omittere negationem, ut i. significaret q. extra interrogationem sic per irrisionem dicendum fuisset: *Scilicet non sunt alii digniores*, vel, *Is enim videlicet prae ceteris dignus fuit, quem legeres.* Sed etiam alio modo ista interrogatio, qua, negationis particula spreta, nihilo minus affirmandi vis retineatur citra ironiam, apte explicari posse Hermanno videtur. Nimirum si quis omnino aliquid reprobet et repudiet, tum eum simplici nescientis interrogatione uti, ut indicet, sibi non constare de eo, quod dubitari non posse videbatur alteri. Hoc igitur modo Augustum cum insolenti quadam superbia quaerere potuisse. Mihi quidem nullum aliud hujus generis exemplum notum esse, fateor; sed magna illis in verbis inest acerbitas, quae voce potuit exprimi. Recte praeterea Magnif. Hermannus monuit, minus etiam idonea ad docendum, *an* pariter ac *ne* dici pro *nonne*, comparata esse exempla, ubi *an* respondet praecedenti *numquid* ideoque nihil aliud est, quam *aut*, ἤ, ut *de leg*. II. 2, 5. aut ubi in argumentationibus a minori ad maius contrariorumve comparatione ad absurdum deducit ideoque negat, ut ap. Ovid. *Her*. XVII. 247. Speciosius comparari posset Virgil. *Ecl*. III. 1. *cujum pecus? an Meliboei?* Sed vel ibi *an* habet vim addubitandi: *doch wohl nicht gar?* quippe respondent illa Theocriteis IV. 1. τίνος αἱ βόες; ἢ ῥα Φιλώνδα;

demus, necne] i. e. praestemusne aliquid, si non reddendi necessitatem habuerimus, sed incipiendi causam et occasionem. Cf. Seneca *de benef*. V. 19. sub fin. Ceterum haec apodosis cum superioribus sic cohaeret, quasi diceretur: *intelligendum est, haec ita differre, ut — in nostra potestate sit; — non liceat.* Sic §. 41. distinctio fuit pro apodosi, laxius cohaerens cum hac protasi: *Cum autem duobus modis fiat iniuria;* itemque c. 21. pr. 36. pr. 37. pr. §. 132. et 133. pr. De sententiae veritate cf. Krug. *Aretolog*. p. 291. Rite is, ad cujus utilitates ultro officia ante collata sunt, majori obstrictus beneficio videtur.

modo id facere possit sine injuria] nempe et proximorum, ut facultas sit, qua in suos sit liberalis (cf. §. 52. ex. 58.), et ceterorum, ne his eripiat, quod aliis largiatur;

49 sine iniuria. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi; nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine iudicio vel modo, in omnis, vel re-

---

cf. §. 42. ss. *Modo* i. valet q. *dum modo.* Cf. Wyttenbach ad III. *N. D.* 8, 20. ex. ubi Heindorfi, nodum in scirpo quaerentis, licentiam corrigendi et temeritatem iure coërcuit modestior Moser p. 519. a.

§. 49. Cf. Aristot. *Eth. Nic.* VIII. 13, 7. Δυναμένῳ δὲ ἀνταποδοτέον τὴν ἀξίαν ὧν ἔπαθε. — Ἐν ἀρχῇ δ' ἐπισκεπτέον, ὑφ' οὗ εὐεργετεῖται καὶ ἐπὶ τίνι. 8. Ἆρ' οὖν διὰ μὲν τὸ χρήσιμον τῆς φιλίας οὔσης, ἡ τοῦ παθόντος ὠφέλεια μετρὸν ἐστιν (οὗτος γὰρ ὁ δεόμενος) καὶ ἐπαρκεῖ αὐτῷ, ὡς κομιούμενος τὴν ἴσην. Τοσαύτη οὖν γεγένηται ἡ ἐπικουρία, ὅσον οὗτος ὠφέληται· καὶ ἀποδοτέον δὴ αὐτῷ, ὅσον ἐφεύρατο, ἢ καὶ πλέον. κάλλιον γάρ. Ἐν δὲ ταῖς κατ' ἀρετὴν — μέτρῳ ἔοικεν ἡ τοῦ δράσαντος προαίρεσις, et Horat. *Epist.* I. 7, 20 — 24.

Multi e. faciunt multa —, sine — modo, in omnis] Cum iis, qui propugnant pro stribligine, *vel morbo in omnes*, violati Ciceronis Manes sic agunt et quodam modo indignabundi loquuntur: „*Quis misericordiam morbum solet dicere?*“ (*Fin.* III. 10, 35.) „*In consuetudinem nostram non cadit*“ (ista Batavitas Gronovii, Graevii, Wyttenbachii etc.) *Tusc.* IV. c. 3. Ne Graeci quidem sic loquuntur νόσος εἰς πάντας. Jure Hermannus redarguit C. G. Fladii suspicionem, nostrum hunc locum obversatum esse Pseudo-Sallustio *declam. in Cic.* pr. *iudicio magis, quam morbo animi, petulantia — uti*, cujus loci longe alia est ratio propter additum Genitivum *animi* et, cum vesania quaedam notetur. Non minus vera est ejusdem Hermanni, errorem in Forcellini Lexico propinatum refutantis, admonitio, in populari dicendi usu magis etiam sequendam esse consuetudinem, quam in erudita disserendi ratione, ideoque minus etiam in orationibus Ciceronis tropicum istum vocis *morbus* usum obtinere potuisse: animique motum et perturbationem tum demum *morbum* dici, si aut quaevis omnino animi affectio ex aspernatione rationis conturbatior vituperetur aut certa quaedam, quae iam ante notata fuerit, ut vocabuli sensus non possit non esse perspicuus, aut omnino in metaphora, si cum corporis morbo et aegrotatione comparetur, ut *Tusc.* IV. 10. 13. s. Frustra autem Degen suadet, ut particulam *vel* transponamus ejusque loco substituamus *et*, hoc modo: *faciunt multa vel temeritate quadam, sine iudicio et modo, in omnes, vel* etc. Schütz autem, Pearcii, Heumanni, Oliveti, Er-

pentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda atque ea, quae iudicio, considerate constanterque delata sunt. Sed in collocando beneficio et in refe-

---

nesti exemplo deleta posteriori particula *vel*, vv. *in omnes* traxit ad seq. v. *incitati*; in nota autem sequitur diversam rationem Mich. Heusingeri, qui posteriorem etiam particulam *vel*, quae uni μ deesse videtur, retinuit, interpretatus hoc modo: „*Multi faciunt multa temeritate quadam* (ut quisque fortuna et casu occurrit) — *in omnes* (non proximos tantum, necessarios aut alienae opis maxime indigos), *vel* (si in hos quidem praecipue liberales esse velint) *repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati* (in paribus causis haud pariter affecti, sed, prout animi impetus tulerit, modo profusiores, modo restrictiores).“ Praeterea Schützio *iudicium* ut oppositum referri ad *temeritatem*, *considerate* opponi *modo* videtur. De genio autem, invicem obstare primum *sine iudicio* et *inconsiderate*; deinde *sine modo* et *constanter*. Utraque ratio paullo confusior est. Nam, ut observavit Hermanni perspicientia veri, haec potius inter se opponuntur: *sine iudicio* (i. e. delectu dignitatis; cf. II. 62. 69. ss.) et *iudicio* scil. *adhibito*: deinde *sine modo* (immoderate, prodige, inconsulte largiendo, quod taxatur §. 44. pr. 47. 51. pr. 52. ex. 58. pr. 59. II. 52. ex. 54 — 60. 64.) *in omnis* et *considerate* (i. e. *diligenter atque moderate, modo adhibito eoque relato ad facultates* II. 54. 55.); denique *repentino quodam impetu animi incitati* et *constanter.*

Beneficentia ea, quae, ut loquitur Cic. *Rhet.* II. c. 5. (ap. Schütz. c. 6.) §. 17. s. *impetu quodam potius, quam cogitatione facit* et *impulsionem*, non *ratiocinationem sequitur*, quasi quaedam naturae virtus esse existimatur, sed plerumque imbecillitati potius et recusandi timiditati aut horrori cuidam, miseriae adspectum repellenti, debetur, quam amori et voluntati benignae. Quos homines vituperans, philosophus, *faciunt multa*, inquit, ut §. 44. Non enim haec debent *beneficia* videri. Cf. Exc. Krug *Aretolog.* p. 68. s. 289. s.

Sed in collocando beneficio et in referenda gratia] *Collocare beneficium*, ut supra *dare beneficium* dicuntur ii, qui ineunt, non, qui referunt, provocati beneficio, gratiam. Post *sed* facile excidere potuit *et*: quam copulam equidem desidero geminatam, ut opposita rite distinguantur: quem ad modum *Fin.* II. 35, 107. primum per anaphoram: *tollitur beneficium, tollitur gratia*; deinde: *Nec enim — beneficium illud habendum est —: nec gratia deberi videtur.* *Sed et* sic orationem inchoat *Phil.* II. c. 15. post med. *Tusc.* V. c. 2. pr.

renda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi is non eget, tamen ei potissimum inserviunt.

50 XVI. Optime autem societas hominum coniunctioque servabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed, quae natura principia sint communitatis et so-

---

ut quisque maxime —, ita ei potissimum] et 50. pr. *ut quisque coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur*, ut *Fat.* c. 15. *Non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat*, aeque frequens constructio, quam eiusdem pronominis iteratio §. 46. p. 114. Ceterum de hoc opitulandi praecepto cf. II. 61. s. 69. ss. Lactantius VI. 11, 13. et 16. s. *Ei potissimum tribue, a quo nihil speres.* Deinceps nota anastrophen ad pron. relat. *quod contra*, ut *Attic.* VI. *ep.* 1. med. *Statuo satis laxam diem: quam ante si solverit. Manil.* 16, 47. *De invent.* I. §. 27. *De or.* I. c. 48. *quo de agitur. Mur.* 4, 9. *quem contra veneris*, ubi v. Cel. Matthiae. *Etiamsi* cum Indicativo redit §. 56.

C. XVI. §. 50. *quae naturâ principia sint communitatis*] *Natura* scil. *conciliatrice*. V. ad §. 12. pr. Sic *Fin.* III. 19, 64. *ex quo illud naturâ* (sc. *duce* i. e. naturali via) *consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus.* Cf. Görenz ad *Fin.* V. 16, 24. ex. Sequentium cum prioribus nexus, quem indicat particula *enim*, sic capiendus; *repetendum videtur altius* (i. e. ut res rite explicetur, ab ultimo, ab origine ordiendum), nimirum ab eo, *quod cernitur in universi generis humani societate. Est enim primum* (nempe *id*), quod non in singulis quibusdam hominum coniunctionibus cernitur, sed est maxime universale. Degen *not.* 3. cum J. F. Heusingero distinxit hoc modo: *Est enim primum, quod cernitur in universi generis humani societate, ejus autem vinculum est, ratio et oratio*, scilicet *principium;* ut *autem* dicatur pro *atque* totaque enunciatio pro: *Ratio et oratio primum principium et vinculum est societatis universi generis humani.* At vero sic abundaret *universi*, in quo vis sententiae est. Quodnam enim alterum aut tertium est *universi generis humani* principium et vinculum? Praeterea vel sic, aeque ac si cum Gernhardo parenthesin statueris, ut intelligenter, sed Degenium, quem, cum *not.* 2. ejusdem philologi interpretationem clam exscriberet,

cietatis humanae, repetendum videtur altius. Est enim primum, quod cernitur in universi generis humani societate. Eius autem vinculum est ratio et oratio, quae docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate: neque ulla

---

non tamen, quantum utraque ratio distaret, intellexisse, vix satis mirari queas, frustra monuit Hermannus, scribendum fuisse: *est autem ejus vinculum*, ut *Tusc.* V. 23, 65. et quidem post illa demum verba: *ratio et oratio*. Parenthesis enim ad illam ipsam notionem applicari solet, ad quam proxime pertinet. Verissime interpretatus fuerat Mich. Heusinger: „Prima est illa societas, quae inter omnes, qui sunt ubique homines, animadvertitur. Haec enim ab ipsa natura profecta, non hominum aliquo consilio et consensu constituta est. Hujus autem naturalis societatis *vinculum est ratio et oratio*, qua utraque homines hominibus conciliantur." Simili orationis conformatione dicitur §. 54. pr. *Nam cum — naturâ — habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est.* Et cum ibi praecesserit: *Arctior — colligatio est societatis propinquorum*, addit etiam extr. illa §. quodnam eius vinculum sit: *Sanguinis autem coniunctio benevolentia devincit homines et caritate.* Haec autem *universi generis humani societas infinita* §. 53. ubi *gradus plures societatis hominum* distinguuntur, *propiori* cuique atque *interiori* opponitur hominum quorundam coniunctioni. Cf. §. 51. ubi vv. *omnibus inter omnis*, quam maxime necessaria opportunaque ad ea, quae hic dixit auctor, temere sollicitata sunt: et III. 69. ubi horum omnium summa paucis verbis repetitur. Ceterum quod *Acad.* I. 5, 21. dicuntur Peripatetici censere, *hominem esse quasi partem quandam civitatis et universi generis humani eumque esse coniunctum cum hominibus humana quadam societate*: id annotavit Görenz esse a Platone, eam autem sententiam a Stoicis praecipue exornatam. V. Christi. Aug. Guintheri *de lege naturae ex mente Ciceronis commentatio* (Lips. 1785. 4.) cap. III. §. 1. ubi *de naturali hominum coniunctione Ciceronis iudicium* enarratur cll. I. *Legg.* 7, 23. 12, 33. 15, 35. *Fin.* III. 19, 63 — 21, 69. *N. D.* II. 31, 78. *Offic.* I. §. 22. 149. ex. 157. i. De *rationis et orationis*, *quae conciliatrix est humanae maxime societatis*, communione cf. §. 12. pr. *Leg.* I. 10, 30. cl. 9, 27. et Engelbronneri diss., qua Cic. *ll. de legg.* illustravit, p. 34.

communicando] h. l. i. e. q. mutua cogitationum permutatione.

re longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus; iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus: sunt enim rationis et orationis expertes.
51 Ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnis, societas haec est, in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas: ut, quae descripta sunt legibus et iure civili, haec ita tenean-

---

Neque ulla re longius absumus a natura ferarum] i. e. *a feris*. V. ad c. 6. pr. Sic autem loquitur philosophus de interna dissimilitudine; aliter de externa II. §. 15. *quibus* (artibus) *exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum*. De hominis praestantia cf. I. §. 11. 105. 107. et praeclaram sententiam Hesiodi Ἐργ. κ. ἡμ. 276 — 280. Plato *Menex*. p. 287. extr. ed. Steph. de homine: συνέσει τε ὑπερέχει τῶν ἄλλων (ζώων) καὶ δίκην καὶ θεοὺς μόνος νομίζει. Hinc Chrysippus: μηδὲν εἶναι ἡμῖν δίκαιον πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα διὰ τὴν ἀνομοιότητα i. e. *homini nihil iuris esse cum bestiis*. Diog. Laërt. VII. 129. Cic. *Fin*. III. 20, 67. pr. Cf. tamen Ch. A. H. Clodii *Apologia Ulpiani sive de notione iuris gentium a iure naturali distinguendi diss*. Lips. 1811. 4. §. 2. pr. qua vir Summus admirabili ingenio defendit definitionem ab Vlpiano, Zenonis et Cleanthis vestigia premente, *Instt*. I. c. 2. propositam, iam prope vetustate contritam et a novissimis quoque Justiniani discipulis non sine despectu decantatam, hanc scilicet, *ius naturde* esse, *quod Natura omnia animalia docuerit* (scil. ut cupide sequerentur). Intelligendum est autem, hunc idem significare, quod ad c. IV. pr. *communem commendationem Naturae* diximus i. e. naturae ordinem in appetitu, quem volgo *instinctum* vocant.

§. 51. *ut, quae descripta sunt legibus et iure civili*] i. e. privata, quae cuique obtigerunt eorum, quae natura fuerant communia. Sic §. 21. *privatarum possessionum descriptio*. *Describere* i. e. q. distributione facta, assignare singula singulis, e. c. *regiones, quam quisque partem tueatur*, XVI. *Fam. ep*. 11, 9. cl. *Catil*. I. 4, 9. Sic §. 15. *quae* (pars) *prima descripta* (i. e. in partitione primo loco posita) *est*. Praeter fas autem Degen *ut*, particulam apodoseos, cum vi consecutiva elliptice pro *ita tamen*, *ut* positam, sollicitat, arrepta Mich. Heusingeri conjectura, *at*. Altera deinceps *ut*, quae refertur ad *ita* (i. e. ea conditione) *teneantur*, est comparativa, ut significet, *quemadmodum sit constitutum*. Pearcius non, ut te-

tur, ut sit constitutum: e quibus ipsis cetera sic observentur, ut in Graecorum proverbio est, *Ami-*

---

statur Schütz, emendabat, *ut sit constitutum legibus ipsis*, quae est Guilielmi conjectura; sed, *ut constitutum est civibus ipsis.* Probabilius foret; *ut constitutum sit a civibus ipsis* vel *c. s. aequis legibus ipsis*, ut est II. §. 15. *Iuris aequa descriptio.* Facciolato, vv. *e quibus ipsis* facessere iubenti, assentitur Degen et Schütz: cui tamen, si codex aliquis addiceret, omnium maxime probaretur Gernhardi ratio: *h. i. teneantur, ut sit constitutum,* [neglexit Schütz virgulam, quae hic magni momenti est] *aeque omnibus ipsis*, ut *Leg.* I. 12, 33. *coleretur ius aeque ab omnibus.* Sed circumspectior iudex Hermannus monuit, sic abundare *ipsis*, quod non dici possit pro *cuique suum* §. 21. ex. Neque haec scriptor tam longe a verbo suo remota in clausulam rejecisset. Utitur etiam Gernhard ad pervagatum Dativi usum cum Passivo *teneri* probandum minime omnium idoneo exemplo *Epist.* IV. 13, 16. (15.) *ab iis ipsis, quibus tenetur.* Ibi enim potius Ablativus est, non iterata praepositione: de qua Ellipsi v. ad Cornel. Nep. *Att.* 22, 1. *Cimon.* 3, 1. et Stallbaumium meum ad Platonis *Philebum* §. 20. p. 54. *E quibus* proprie est *secundum quae; quibus convenienter; ad quorum exemplum; nach Maaſsgabe dessen.* Comparavit iam Mich. Heusinger, quae statim sequuntur: *Una ex re satis praecipitur*, et, §. 23. 52. *ex quo* §. 21. *ex quo, quia* etc. Add. 97. *ex persona iudicabunt* (cf. 146.) 107. *persona, ex qua ratio inveniendi officii exquiritur.* 119. *ex eo, quo modo quisque natus est —, quid deceat, exquiritur.* III. c. 6. ex. *Fin.* II. 14, 47. *ex his tribus laudibus — temeritatem reformidat.* Sic ib. IV. 11, 26. *e virtute*; saepe alibi *ex aequo et bono* (cf. III. §. 70. 61.); *ex causa est; ex fide, fama reque mea; ex praecepto; ex usu* etc. Incommode autem Görenz ad *Fin.* III. 18, 60. ex. et IV. 5, 13. ad relat. *e quibus* subintelligit *legibus civilibus*, hoc sensu: *quoad* vel *per has leges ipsas cetera sic observari liceat.* Longe probabilius Mich. Heusinger refert ad utrumque genus et eorum, *quae ad communem hominum usum natura genuit*, et eorum, *quae descripta sunt legibus et iure civili.* Itaque *cetera* esse volt, quae nec communia proprie sunt, nec privata: ergo *publica*: quibus ita utamur, ne iisdem fruendis alios prohibeamus. Talia §. 53. recensentur: *forum* etc. Verum hic ea praeceptio praepostere occuparetur. Equidem sic explico: *Quae cum ita a consortio exempta sint, ut a quoque privata teneantur ut sua.* Itaque hic perinde esse videtur, ac *quibus exceptis* vel, ut Ascensius et Marsus interpretantur, *extra* vel *praeter quae* (i. e. privata). Quae tamen significatio praepositioni *ex* proprie plane contraria est, hic autem ut vicaria admitti potest propter singularem sententiae rationem, quae ex-

corum esse communia omnia. Omnia autem communia hominum videntur ea, quae sunt generis eius, quod, ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest:

---

actius sic explanari potest: *quorum descriptione servata: ita, ut ne violentur ea nec discedatur ab iis, quae legibus sunt constituta, ceteris,* nempe, *quae non sunt legibus et iure civili descripta, pro communibus utendum.* Nimirum Plato, qui etiam in *Phaedro* dialogum finit hoc proverbio, κοινὰ τὰ τῶν φίλων, *lib.* V. *de leg.* p. 739. *C.* conatur docere, optimum rei publicae statum omnium rerum communione constare, ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα. Λέγεται δὲ, ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων, τοῦτ᾽ οὖν εἴτε που νῦν ἐστιν, εἴτ᾽ ἔσται ποτὲ, κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινοὺς δὲ εἶναι παῖδας, κοινὰ δὲ χρήματα ξύμπαντα· καὶ πάσῃ μηχανῇ τὸ λεγόμενον ἴδιον πανταχόθεν ἐκ τοῦ βίου ἅπαν ἐξῄρηται. Aristoteles autem, qui ad hoc proverbium provocat etiam *Eth. ad Nic.* IX. c. 8. sect. 1. §. 2. temperat Platonis sententiam. Placet enim ei, ut proverbii illius sensus non amplificetur, sed ut possessio privata sit sua cujusque, ib. VIII. 9, 1. *Polit.* II. c. 2. (al. 3.) §. 4. ex. ad q. l. vid. Giphanius. Ab hac Stagiritae sententia propius abesse videtur Cicero h. l. et Seneca *de benef.* VII. 4. et 12. Ceterum hoc proverbium, quod explicat Zenobius *Centur.* IV. 79. et a quo Erasmus p. 14. *Adagiorum* recensum auspicatur, Plutarchus in libro: *Ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta* p. 1102. ex. ad Diogenem auctorem refert; sed Pythagorae, cuius sectatores inde κοινόβιοι dicti, tribuit Malchus (Porphyrius) *de vita Pythagorae*, Timaeus apud Diog. Laërt. VIII. 10. (ubi v. Menagius.) Hieronymus *advers. Rufin.* Donatus ad Terent. *Adelph.* V. 3, 18. qui comicus, ut annotarunt interpretes, expressit Graeca Menandri, Τὰ τῶν φίλων κοιν᾽, οὐ μόνον τὰ χρήματα·

Καὶ νοῦ δὲ καὶ φρονήσεως κοινωνία.

Utitur hoc ipso proverbio Pylades in Euripidis *Oresta* 725. Alludit Martialis II. 43, 1. 16. atque ipse Cic. *in Verr.* lib. II. 37, 89. *iste Dorotheum sic diligebat, ut diceres, omnia inter eos esse communia.*

quod, — positum in una re, transferri in multas potest] ut *Fin.* II. 16, 52. ex. *Hoc, dictum in una re, latissime patet.* Explicatur deinceps: *Una ex re* (i. e. unius exempli similitudine) *satis praecipitur.* Hanc enim Passivam verbi formam praeferendam existimavi cum Man. Lamb. Grut. Wolf. Oliveto, et Mich. Heusingero e Goth. Vinar. Gu. 4. 5. et ed. Venet. a. 1470. Non longe recedunt vett. edd. eae, quae cum codd. quibusdam corrupte habent *percipitur*, ut Magont. Venet. 1484. alia s. l. et a. apud Heusingerum. In nonnullis libris (ut in ψ) est *praecepit*;

Homó qui erranti cómiter monstrát viam,
Quasi dé suo lumine lúmen accendát, facit.
Nihiló minus ipsi lúcet, cum illi accénderit.

Vna ex re satis praecipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aqua 52
profluente; pati ab igne ignem capere, si qui velit; consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis uti-

---

in reliquis (etiam in λ, μ) *praecipit:* quod tuentur F. Heusinger, Schütz, Degen, ut intelligatur *Ennius.* Gernhard recepit *praecipitur;* notavit autem haec: „*Vna ex re praecipit* tuentur optimi et plurimi libri scripti." Sed nota Passivae formae facile potuit obliterari.

Vs 1. *comiter*] quod ipse Tullius *pro Balbo* c. 16. interpretatur, *benigne et non gravate*, servant hic vetusta Nannii (*Miscellan.* IX, 9.) Ad h. vs. cf. III. §. 55. pr. — Seqq. olim male iuncta legebantur sic: *facit, ut nihilominus ipsi luceat.* Sed *ut* in optimis libris Mss., ne alias auctoritates repetamus, non reperit Turnebus *Advers.* XXVIII. 39. Gu. 2. autem non, ut Schütz notavit, *lucet* habet, sed *luceat.* Statim post Degen, nescio qua negligentia, omisit *illi.*

§. 52. *aqua profluente*] Al. *aquam profluentem*, quod Pearcius tuetur cl. Ovid. *Met.* VI. 349. Sed Nannius *Miscell.* IX. 9. „In vetustis: *N. p. aqua profluente.* Et id rectius. Non enim agitur de aqua arcenda, sed de homine prohibendo, ne ex fluvio (id enim vocant *profluentem*) usum aquae petat, nam a domesticis fontibus et rivis arcere licet." Turnebus *Adv.* XXVIII. 39. pr. „In justitiae" [volgaris liberalitatis] „praeceptis numerat Cicero, *non prohibere aqua profluente:* in quo *profluentem aquam* interpretor, quae in cisterna non est, nec in puteo, (ea enim non *profluit*,) sed quae vel rivi est vel fluminis fluentis. Quamquam humanitatis est, non magis puteo aut cisterna prohibere, quam profluente." Exceptionem v. II. §. 56. Cf. Hirtius de *B. G.* c. 40. *aqua fluminis prohibebat oppidanos* et 41. *fonte prohiberi.*

si qui velit] Sic pro volgato *si quis v.* recentiores e Gu. 2. Constructionem Graecam esse, cum εἴ τις pro ἐάν Atticis perquam familiare sit, cl. Malaspina ad IV. *Att.* ep. 2. monuit Görenz ad *Leg.* II. 19, 49. ex Erlangensi restituens in *Pis.* 29, 70. *si qui velit.* Sed Schütz in his omnibus, ne commemorata quidem lectionis varietate, retinuit *quis.* Cf. ad §. 21. ex.

deliberanti] Interpretatur Ambrosius I. c. 8. pr. utile

lia, qui accipiunt, danti non molesta. Quare et his utendum est et semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiae parvae singulorum sunt; eorum autem, qui his egeant, infinita est multitudo: volgaris liberalitas referenda est ad illum Enni finem: *Nihiló minus ipsi lúcet:* ut facultas sit, qua in nostros simus liberales.

53 XVII. Gradus autem plures sunt societatis hominum. Vt enim ab illa discedatur infinita: propior

---

consilium ac fidele desideranti dare. Degen laudat intt. ad Corn. Nep. I. 1, 2. Cf. ibid. II. 2, 6. ubi *deliberar* i. e. q. *consulere oraculum.*

Quare et his utendum etc.] Interpretes inde a Facciolato omnes praeter Garvium, qui haec omnia omisit, hunc sensum eliciunt: „*Quae modo memoravi, relinquere quisque debet in omnium hominum usu; et praeterea de suo aliquid in commune bonum et ad aliorum utilitatem conferre.*" At vero hoc est non verborum vim eruere; sed optare. *Utendum,* ad quod Degen supplet *cuique,* ad idem subjectum referatur, necesse est, cui *semper aliquid ad communem utilitatem afferendum.* Sensus igitur est: *Ut ipsi haec ab aliis capiendi veniam habemus: sic invicem nos quoque — afferre debemus.* Binkes p. 21. praeeunte Noodt *Probab.* I. c. 7. observat, ex communi veterum oppinione bona privata, quae habent utilitatem domino non gravem nec damnosam, inter *communia* recenseri.

qui his egeant] Gu. 3. et Facciolatus pronomen omittunt. Sed recte monet Hermannus, cum in praecedd. non hic sit verborum ordo, *parvae copiae singulorum sunt,* quod foret μικραί εἰσι κτήσεις ὀλίγων, sed *copiae parvae sing. sunt,* quod est αἱ κτήσεις μικραί εἰσιν ὀλίγων, substantivum etiam ad alterum membrum pertinere, in quo compensetur pronomine, cum alias dicendum fuisset: *Copiae parvae singulorum sunt, nullae innumerabilium.* Proximorum sensus, ab interpretibus recte constitutus, hic est: „Luminis exemplum modum praescribit ceteris ejus generis largitionibus. Quemadmodum enim, cum alicui de nostro lumine lumen accenderimus, nihilo minus nobis lucet: sic liberalitas illa, quae promiscue omnibus impertit, ad eum modum revocanda est, quem Ennius praescribit, nec longius progredi debet. Videndum, ut reliquae sint copiae, quas nostris suppeditare possimus, ubi usus fuerit." Post *referenda* cod. μ omittit *est.* Probabiliter. V. ad §. 25. ex.

C. XVII. §. 53. *Vt — ab illa discedatur infinita*] Hunc ordinem, quem monstrant etiam edd. vett. apud F. Heu-

est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur. Interius est etiam, ejusdem esse civitatis: multa sunt enim civibus inter se communia, forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea et familiaritates multisque cum multis res rationesque contra-

---

singerum, quae tamen corrupte habent *infinitate*, recepimus e Gu. 5., decem Aldi codd. et uno Tertii. Idem placuit Hermanno. Gernhard cum aliis: *ab illa infinita*, ut paullo post: *ab illa enim immensa societate*. Sed ibi adjectivum eam, quam debet, soni vim accipit, interposita conjunctione a pronomine disterminatum. Quodsi cum Degenio, Schützio et superioribus edd. transponere placuerit, *ab infinita illa*: tum lector quasi admoneretur, in superioribus societatem illam dictam iam esse *infinitam*. Sed dicebatur tantum 51. pr. *latissime patens*. Alia est res in *Lael*. 5. ex. ubi *infinita societas generis humani* declaratur adjectis vv. *quam conciliavit ipsa natura*. Haec est autem verborum vis: *Vt — ab illa discedatur, quae infinita est.* Nam quae adiectiva, cum in iis sententiae vis sit, substantivo suo praeponi debebant, ea tum, cum postponuntur, singularis enunciati instar esse, observat Görenz ad II. *Fin*. 2, 5. pr.

Interius est etiam] Hunc ordinem pro volgato *I. etiam est* restitui e Gu. 1. 2. Reliqua intacta reliqui, cum *interius* satis exquisite dictum videretur, ut §. 50. *Est enim primum* etc. ideoque non facile scribis tribui posse, licet lectionis varietas, quae interpolatorum glossas prodere videbatur, me duceret ad suspicionem, legendum esse ad similitudinem loci III. 69. *interior ejusdem civitatis*. Goth. exhibet: *interior est autem etiam*. Unus etiam Ox. Gu. 4. duo Aldi et Guilielmi codd. *interior*, quod cum Grutero ita probat Mich. Heusinger, ut cum ed. Rom., uno Ox. codice et Gu. 5. (quibus accedit λ) *est* omittatur legaturque *interior etiam ejusdem civitatis*. Sed Gu. 3. conjunctionem *etiam* excludit. Proxima Gu. 1. transponit sic: *esse ejusdem civitatis*. Nimirum etiam superioribus vv. *eiusdem gentis* Gu. 3. interponit ex glossa *esse*, atque etiam ante illa ipsa vv. insititium videatur *est*, quod Gu. 1. non agnoscat. Deinceps praetuli cum Schützio ordinem verborum, a Mich. Heusingero servatum: *multa sunt enim*. Gernhard et Degen cum F. Heusingero: *multa enim sunt*. V. ad §. 9. pr.

multisque cum multis] Noli propterea, quod in μ et aliis plerisque legitur *multaeque*, cum Gernhardo conjicere *cum multisque*. Amat quaevis lingua, in primis Graeca,

ctae. Arctior vero colligatio est societatis propinquorum: ab illa enim immensa societate humani 54 generis in exiguum angustumque concluditur. Nam cum

---

talia per abundantiam quandam conjugare: quae conjugatio utrimque adiuvat significationem e. c. §. 49. *Multi enim faciunt multa.* 104. *multaque multorum facete dicta.* II. 64. *multa multis de iure suo cedens.* Rosc. *Am.* 45, 130. *multa multos — commisisse.* *Fam.* XIII. 2, 2. Sophocl. *El.* 520. s. πολλὰ πρὸς (coram) πολλούς με δὴ 'Εξεῖπας. Plato *de leg.* XI. p. 934. *D.* φαίνονται — πολλοὶ πολλοὺς τρέποντες. Accedit Nostratium sermo, ut in Werneri tragoedia illa de die intercalari: *Ja — Mancher kann es weit mit — Manchem bringen!* Similia sunt haec §. 57. *Omnes omnium caritates.* *Epist.* V. 13. (al. 12.) §. 24. ex. *Omnes omnium imagines statuasque superavit.* Saepe alibi: *omnes omnium generum, ordinum* etc. *homines.* *Fin.* V. 2, 6. *Nos omnes omnia ad hujus adolescentiam conferamus.* Virgil. *Ecl.* VIII. 63. *Ge.* II. 109. Haec quidem exempla conveniunt lectioni *multaeque.* Sed in recepta lectione apertior est reciprocatio, ut Aeschyl. *Agam.* 652. πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων Ἄνδρας. Sophocl. Oed. Col. 1626. καλεῖ γὰρ αὐτὸν πολλὰ πολλαχῇ θεός. Lucian. *Asin.* c. 35. ἡ πολλὰ πολλάκις δινουμένη καὶ μεταπίπτουσα Νέμεσις. §. 51. pr. *omnibus inter omnis.* 155. *multique multos (erudiverunt).* II. §. 64. *patera domus hominum illustrium illustribus hospitibus.* *Fin.* III. 1, 3. *imponendaque nova novis rebus nomina.* *N. D.* I. 19, 50. *ut omnia omnibus paribus paria respondeant.* Plaut. *Asinar.* I. 3, 20. *Par pari datum hostimentu'st;* et *Trinum.* I. 2, 164 *solus solum me obsecravit* (ut Plato *Gorg.* p. 522. *D.* ἐξελεγχόμενος μόνος ὑπὸ μόνου.) Terentius *Hec.* III. 2, 15. et *Ad.* IV. 5, 34. ubi v. intt. Praeterea alia, quae magis Graecismum redolent, ut *Verr.* V. 64, 166. *ignoto apud ignotos.* Plaut. *Rud.* I. 5, 17. Horat. *Sat.* II. 2, 39. 6, 78. s. Propert. IV. 10, 2.

Arctior — colligatio est societatis] Nomen regens duplici ratione cogitetur, ut ap. Paulum in *Digest.* XVII. 2, 70. *Nulla societatis in aeternum coitio est.* Cf. ad §. 41. pr.

in exiguum angustumque concluditur] Neutro genere dictum puto, ut non magis opus sit ellipsi, quam *Lael.* V. ex. §. 15. *Locum* supplet Görenz ad I. *Leg.* 5, 17. *Nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum, ut hoc civile, quod dicimus, in parvum quendam et angustum locum concludatur.* At vero *locus* ibi (fere ut supra §. 44. pr.) proprie dicitur pro *disputatione:* id quod apparet e gemello loco *Partit.* c. 22.

cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi: prima societas in ipso coniugio est; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. Sequuntur fratrum

---

c. 22. pr. Mataphora sumpta est ab orbibus, qui magis magisque ab extremitate recedunt contrahunturque, sic, ut exteriores sint latiores, interiores (i. e. a nobismet ipsis, tamquam a centro, propiores) sint angustiores. Itaque sensus est hic: *Propinquitas exiguam tantum partem immensae illius societatis efficit, ipsa tota continetur in illa.*

§. 54. *commune animantium*] His nonnulli inserunt *omnium* non male, arbitro Mich. Heusingero. At vero tum, inverso ordine, scripsisset Noster, ut §. 11. *animantium omnium.* In prox. Schütz et Degen cum Heusingeris, suorum libb. auctoritatem hic spernentibus, scripserunt *lubidinem.* Sed *N. D.* II. 51, 128. summo omnium librorum consensu legitur: *in mare et in femina commiscendorum corporum mirae libidines.* Ad seqq. Vrsinus comparat Aristot. I. *Polit.* Ἀνάγκη δὴ, πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄῤῥεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν.

Id autem est — rei publicae] Requiritur vel hic verborum ordo: *Id autem principium est urbis* (v. ad §. 23. pr.), vel *Id autem pr. urbis est*, vel *Id est autem* etc. V. II. 78. ex. Görenz ad *Fin.* I. 7, 21. *id est autem malum. N. D.* II. 15, 36. pr. volgatur: *Is autem est gradus, qui* etc. sed, tribus codd. mutantibus *gradus est*, Heindorf transposuit: *Is est autem gradus, qui* etc. *Fin.* III. 22, 75. *Rectius* (sapiens appellabitur) *magister populi* (*is enim est dictator*), *quam Sulla*, Gud. 2. et Erl. cum Bas. transponunt, *dictator est*: ut legendum videatur *is est enim dictator*, sicut IV. 11, 26. *honeste vivere* (*id est enim vel e virtute vel naturae convenienter vivere*). II. *de or.* §. 105. *Id est igitur genus primum causarum.* In *Lael.* 15. §. (11.) 55. quasi parenthesis est: *ejus enim est istorum quodque, qui vincit viribus.* Sed non dubito, quin, codd. diligentius exquisitis, reperiri queat: *ejus est enim* etc. V. §. 67. Sunt quidem, quibus et tota haec sententia et, quae subsequitur, *Quae propagatio — rerum publicarum*, insititia videatur, ut Facciolato, Martinio *comment. crit. super cap.* 12. *extr.* p. 13. Gernhardo et Schützio. Sed satis haec vindicavit Hermannus, Eques splendidissimus, quae e nullo codice exsulant ac consulto ab ipso Cicerone sunt addita. Nam ut supra philosophus ab ea, quae latissime patefet, coniunctione hominum inter homines descenderat ad propiores atque interiores; sic nunc redit, ut doceat, *quo modo*

coniunctiones; post consobrinorum sobrinorumque.
Qui cum una domo iam capi non possint, in alias
domos, tamquam in colonias, exeunt. Sequuntur
connubia et affinitates: ex quibus etiam plures pro-
pinqui. Quae propagatio et suboles origo est re-
rum publicarum. Sanguinis autem coniunctio bene-
55 volentia devincit homines et caritate. Magnum est

ipsa caritas, nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur et tota *d o m u s c o n i u g i o et stirpe coniungitur, serpat sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis; post vicinitatibus; tum civibus* (*Fin.*- V. 23, 65.) Itaque omnium societatum gravissima est *civitas* §. 57. Cuius quae natura principia et simplicissima maximeque necessaria elementa essent, *repetendum* videbatur *altius* (§. 50. pr.). Itaque ut auctor ad disputationem, quam omnis haec oratio spectat, de *patria, omnis omnium caritates complexa*, praeparet, iam hic in domestica societate ad primariae istius societatis tenuissima quaedam germina animadvertere iubet: e quibus, tamquam radicibus, pullulat postmodum *suboles* i. e. *subolescunt* (alii post alios crescunt) quasi surculi vel palmites: quem ad modum cum vinitores vetulam vitem in *propagines* deprimunt, ut ex ea una plures novellas faciant. Quibus propaginibus in latius spatium diffusis quem ad modum sensim sensimque vinea vel arbustum exsistit: sic ex illo progeniei incremento civitas. Itaque, continuato ordine, inferius, postquam auctum affinitatibus propinquorum numerum memoravit scriptor, suo loco addit: *Quae propagatio et suboles* (n. plurium familiarum affinitatibus iunctarum) *origo* (i. e. ipsum initium) *est rerum publicarum*, quae iam revera conduntur. Antea nondum fuere res publicae; sed modo *principium* et quasi stirps ac semen, e quo saltem possent oriri futurae. Ante ipsum enim ortum fuerit necesse est *seminarium* rei publicae.

tamquam in colonias] In hac comparatione praeiverat Plato VI. *de leg.* p. 776. *B.* de novis maritis: χρὴ τὰς αὑτῶν οἰκήσεις, οἷον εἰς ἀποικίαν ἀφικνουμένους αὐτούς, — οἰκεῖν· γεννῶντάς τε ἅμα καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων.

benevolentia devincit homines et caritate] Fortassis ante haec cum Perizonio inserenda *et*, quam praeter Gu. 5., qui solus h. l. omittit, rell. Mss. Guelpherbb. ex inferiori loco huc revocant: in quibus est *e t benivolentia devincit homines caritate*; itemque omnes edd. vett. *et b. d. caritate homines*. Scilicet, cum *benevolentia* in Ablativo casu post

enim, eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. Sed omnium

---

conjunctio et haberetur pro Nominativo, alteram copulam tamquam importunam abjectam esse, ut in Vinar. Cf. *Fam.* XII. *epist.* (*Trebonii*) 16. §. 6. pr.

§. 55. *eadem — monumenta majorum*] ut *codices et rerum in magistratu gestarum monumenta*, quibus tablina implebantur; *numi* familiarum; *imagines majorum* cum *stemmatis* in parte prima aedium collocari solitae, quae comitabantur gentilicia funera: ita ut semper, defuncto aliquo, totus adesset familiae eius, qui unquam fuerat, populus; nec non *clypei* imaginum in sacro vel publico privatim sacrati. V. Plinius XXXV. c. 2. 3. sect. 2 — 4. Seneca *de benef.* III. c. 28. Lipsius *Elector.* I. c. 29.

eisdem uti sacris] Sic cum F. Heusingero edere voluit Schütz, teste nota; sed in textu remansit *iisdem*: quod tenent Gernhard et Degen. Cf. §. 128. III. 96. pr. et index noster ad Görenzii ed *ll. de Finibus* s. extr. v. *Idem.* De sacris autem domesticis et gentiliciis, quae cujusque gentis propria, stato die ac certo loco facienda, perpetuitatis causa e iure Pontificio una cum hereditate tradebantur successoribus, vid. *Verr.* l. IV. §. 7. ex. *De harusp. resp.* §. 32. *Pro domo* §. 34. ex. *Leg.* II. c. 19. ss. ubi c. 19. ex. §. 47. recte quidem *De sacris* accipitur, nempe *privatis*, e lege proposita 9, 22. ex. *Sacra privata perpetua manento.* Non tamen Görenzio, *privatis* ibi excidisse, credo: tum quia praecessit §. 45. ex. *de sacris perpetuis et de manium jure restat*, tum quia §. 47. *locus* de *sacris* ad *ius civile* pertinere dicitur. Igitur quid attinet inculcare, de *privatis* agi? quae per se intelliguntur etiam in seqq. saepius et *pro Mur.* 12, 27. Non feliciori conjectura, idem beavit Tullium suum ib. 22, 52. *sacra cum pecunia pontificum auctoritate, nulla lege* (i. e. *nulla lege civili*, quae potius, pecuniam sacrorum molestia liberans, ea disjungit, ut ipse Görenz recte proxima interpretatur, *sed pontificia auctoritate*) *conjuncta sunt.* Tentat enim V. D. *nulla pontif. auctoritate*, omni sensu perverso: qui hic esse debet: ius pontificium nulla lege civili niti. Cf. ib. §. 53. Quatenus per nuptias uxor particeps fiebat sacrorum mariti, in *D.* XXIII. *t.* 2. *l.* 3. a Modestino *nuptiae* describuntur *divini et humani iuris communicatio.* Sacrificii anniversarii exceptio excusabat militem, quo minus praefinito die adesset et citanti Consuli responderet. Gell. XVI. 4. Liv. V. 46. cl. Valer. Max. I. 1, 11. Festus citat M. Catonis verba in L. Veturium de sacrilegio commisso, cum ei equum Censor adimeret: *Quod tu, quod in te fuit, sacra stata, solennia, capite sancta, deseruisti.* E recentioribus praeter Gutherium *de vet. iure Pontificio* p. 175. (in Graev. *Thes.* *T.* V.)

societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Illud enim honestum, quod saepe dicimus, etiam si in alio cernimus, tamen nos movet atque illi, in quo id inesse videtur, amicos facit.
56 Et quamquam omnis virtus nos ad se allicit facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit. Nihil autem amabilius nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem

---

et R. Streinnium praefat. *de gentibus et familiis Rom.* (ib. *T.* VI.) v. Car. Christ. Woog diss. *de hereditate sacrorum privatorum.* Lips. 1738. 4. Henr. Heissen diss. T. II. *de iure privatornm sacrorum apud Rom.* Brem. 1744. aliosque, quos censet Haubold, Eq. Illustris, *Institt. J. R. pr. lin.* §. 128. p. 71. 6. — De religione *sepulcrorum* familiarium v. *Leg.* II. 22, 55. Apud Paulum, Görenzio ibi laudatum *de sepulcro et lugendis*, nihil ejusmodi reperire potuimus. Sed cf. Cic. *p. Rosc. Am.* 9, 24. *Digestt.* XI. 7, 5. 10. et *tit.* 8. XIX. 1, 53. §. 1. *Cod.* III. t. 44. *l.* 4. 8. 15. et M. Heusingero laudatus Gutherius *de iure Manium lib.* III. c. 9. in Graev. *Thes.* T. XII.

etiam si in alio cernimus] Reiz confert *pro Arch.* 7, 17. *Movere* autem varie usurpatur ut §. 98. *pulchritudo* — *movet oculos et delectat:* — *decorum* — *movet* (i. e. excitat) *approbationem. Fin.* III. 2, 8. *eius memoria moveor* (*nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem*). *Mur.* 2, 3. *Cuius reprehensio me vehementer movet* (i. e. animum meum advertit), — *ut ipsi* .., *gravissimo atque integerrimo viro, rationem facti mei probem.* De tota sententia cf. II. §. 32. *Lael.* 8, 6. ss. (al. §. 27. s.) 9, 1. 14, 4. ss. 27, 1.

§. 56. *Nihil autem amabilius nec copulatius*] Post *autem* cum exc. Bedae atque Eybi omnibusque edd. vett. expunxi *est*, quod Gu. 5. transponit post *amabilius*. V. ad §. 43. ex. Deinde quidam ex uno alterove codice legunt *copulantius*: quod placuit etiam Schellero in *Lexico* s. v. extr. p. 2381. Sed Gernhard ipsi Adjectivo verbali *copulatius* activam vim tribuit: ut *consideratus homo* (*pro Caec.* 1) est, qui considerare, *cautus*, qui cavere solet. Addimus *circumspectus, falsus, tacitus.* V. commentatt. ad Sanctii *Minervam* I. p. 142. s. 159 — 162. De sensu cf. 58. ex. *Lael.* 20, 11. Quinctil. *declam.* CCCVII. *Jungit* — *amicitias similitudo morum.*

In quibus enim eadem studia sunt etc.] Cf. Corn. Nep.

studia sunt, eaedem voluntates, in his fit, ut aeque quisque altero delectetur ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras volt in amicitia, ut unus fiat

---

Att. 5, 3. ex. Cic. p. *Planc.* 2, 5. *Lael.* 4, 9. Ib. 6, 1. *amicitia* definitur *omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio*, et 17, 1. *cum emendati mores amicorum sint*, — *inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas:* nimirum ex Stoicorum decreto ap. Diog. Laert. VII. 124. τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα: quod demonstratum fuerat iam a Platone *Gorg.* c. 66. pr. Abutitur igitur hac sententia Catilina ap. Sallust. 20. *Vobis eadem, quae mihi, bona malaque intellexi. Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* V. III. 44 ex. Etiam quae deinceps de amicis dicuntur, eadem apud Epicurum, cujus tamen de amicitiae vinculo a Pythagora nimium quantum discreparet sententia propiusque ab Aristotelica (de qua cf. not. prox.) abesset, in honore erant, ut intelligitur e *Fin.* I. 20, 68. pr. *Eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum.*

quod Pythagoras volt in amicitia] i. e. necessarium censet, anquirit ad amicitiam. Simili modo *velle* usurpatum Fin. II. 22, 72. s. observat Gernhard. Nonius s. v. *ultimum* h. l. citat hoc modo: *quod P. ultimum in amicitia putavit.* Sed in recepta lectione omnes Cic. codd. Mss. conspirant sic, ut unus fiat ex pluribus. Pythagoras Porphyrio in ejusd. vita dicitur πρῶτος ἀποφηνάμενος τὸν φίλον ἄλλον ἑαυτόν. Cf. Jamblichus *in Arithmeticam Nicomachi:* Ἐρομένου τινὸς, „τί ἐστι φίλος;" εἶπεν, ἕτερος ἐγώ, vel ἄλλος ἐγώ, ut est apud *Auct. de poësi Homer.* p. 226. Ernest. — Diogenes Laërt. VII. 23. idem Zenoni Cittieo et 124. Stoicis hanc amicitiae notionem tribuit, eam κοινωνίαν τινὰ εἶναι τῶν κατὰ τὸν βίον, χρωμένων ἡμῶν τοῖς φίλοις, ὡς ἑαυτοῖς. Aristot. *Eth. ad Nic.* IX. c. 9. §. 9, 3. Ὡς δὲ πρὸς ἑαυτὸν ἔχει ὁ σπουδαῖος, καὶ πρὸς τὸν φίλον· ἕτερος γὰρ αὐτὸς ὁ φίλος ἐστί (ib. c. 4. 4. ἐστὶ γὰρ φίλος ἄλλος αὐτός.) Id. c. 8. §. 1, 2. αἱ παροιμίαι πᾶσαι ὁμογνωμονοῦσιν (n. ὅτι ἀπ' αὐτοῦ πάντα τὰ φιλικὰ καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους διήκει), οἷον τὸ μία ψυχὴ καὶ κοινὰ τὰ τῶν φίλων καὶ ἰσότης φιλότης. Prius Porphyrio ad Horat. *Carm.* I. 3, 8. sic laudat: φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασι. Duo postrema eidem Pythagorae tribuit Diog. VIII. 10. Eadem Aldus adhibuit lacunae explendae in gemino Nostri loco *Leg.* I. 12, 34. *Vnde etiam illa Pythagorae vox* [τὰ τῶν φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα]. *Ex quo perspicitur, cum hanc benevolentiam* [contra analogiam editur *benivolentiam*], *tam late longeque diffusam, vir sapiens in aliquem pari virtute praeditum contulerit: tum illud affici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium,*

ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quae conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis: quae

---

ut nihilo sese plus, quam alterum, diligat. Quid est enim [sic cum Davisio scribendum, frustra Görenzio retinente, *Quid enim est*], *quod differat, cum sint cuncta paria? Quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit, amicitiae nomen occiderit: cujus est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla sit.* Quae postrema verba favere videntur Aldi coniecturae, quam abnuit Görenz. Malim tamen καὶ ἰσότης φιλότης. Cf. *Laelius* c. 22. ex. (Homo) *et se ipse diligit et alterum anquirit, cujus animum ita cum suo misceat, ut efficiat paene unum ex duobus*, vel, (in quo *amicitiae vis* ponitur ib. 25, 3.) *ut unus quasi animus fiat ex pluribus.* Quinctil. *Declam.* XVI. c. 6. ex. *Amicitia plurimorum corporum unus animus.* Ovid. *Trist.* IV. 4, 72. in exemplo commemorat Pyladen et Oresten, *qui duo corporibus, mentibus unus erant.* Lepide igitur Phaedria amico in Terent. *Eun.* I. 2, 116. *Meus fác sis postremo ánimus, quando ego súm tuus.* Nimirum ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς λόγοις ἴσμεν λέγοντα τὸν Ἀριστοφάνην, ὡς τῶν ἐρώντων διὰ τὸ σφόδρα φιλεῖν ἐπιθυμούντων συμφῦναι καὶ γενέσθαι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα, scribit Aristoteles *Polit.* II. 1, 16. Meleagri c. VII. (*Anal.* Brunck I. p. 5.) Ἥμισύ μευ ψυχᾶς expressit Horatius *Carm.* I. 3, 8. ubi v. Mitscherlich cl. II. 17, 5. ss. Ovid. *ex Ponto* I. 6, 15. s. Stat. *Sylv.* III. 2, 7. V. 1, 177. Est autem amoris hic enthusiasmus religionis quoddam simulacrum, certe ei conjunctus: nascitur enim ex obscuro illo atque augusto desiderio, quo animos suos cuncti, in quibus erectior est indoles, ad absolutam divinae imaginis unionem redintegrare student: quem ad modum colorum in Iride conspicuorum varietas omnis, in quam lux dispescitur, confluentibus radiis in unimodi iubaris candorem redit. Sed propter hoc ipsum per ὑπερβολὴν in *Laelio* 21, 14. amicus dici videtur *alter idem.* Is quidem non magis posset amari; quam Magnetis poli pares se attrahunt, quorum alter potius alterum repellit. Imo in utroque amico, servata animorum cognatione, debent tamen quaedam apparere, quae alteri desunt.

beneficiis, ultro citro datis acceptis] Recte hanc superioribus editoribus probatam lectionem servat Schütz, notans Gernhardum dedisse *acceptisque*. Sed tum aequitatis fuerat, tum diligentiae, addere, Gernhardo quoque in *Add.* p. 460. copulam delendam videri, ut dictio sit proverbialis; de qua v. obss. C. Langii ad h. l. et Donati ad Terent. *Eun.* V. 9, 29. Potuit quidem h. l. *que* facile absorberi, sequente *quae:* sed in contrariorum, quae aequaliter et promiscue locum habere dicuntur, consociatione, sine copula, quae alias geminanda foret, alterum alteri respondet

et mutua et grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma devinciuntur societate. Sed cum omnia ra- 57
tione animoque lustraris, omnium societatum nulla

---

sic, ut par quoddam inde exsistat. E. c. §. 22. ex. *dando accipiendo* i. valet q. *tum dando, tum accipiendo.* II. 64. pr. *vendendo emendo, conducendo locando* (cf. III. 70. ex.) Liv. I. 24. *prima postrema.* XLII. 49. *adversa secunda.* Cic. *Tusc.* V. c. 39. *discernere — bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva.* *Lael.* 21, 15. pr. *Phil.* XIII. 20. pr. §. 45. ex. *Ad Q. fr.* III. *ep.* 1. med. *omnia, minima maxima,* ut Seneca *cons. ad Helv.* c. 8. *omnia, maxima minima,* In Cic. *or.* 22, 73. etiam in nov. ed. Schütz retinuit: *in omnibus dictis et factis, minimis et maximis.* Sequitur ibi *cum in factis —, tum in dictis:* ex quo magis etiam apparet, recte utramque illam *et* optimi ibi codicis fide facessere jussam esse et a Görenzio ad I. *Leg.* 9, 26. p. 38. et a Gernhardo infra ad c. 35. pr. *in omnibus factis dictis,* ubi volgo interpositam *et* sustulit Heusinger. *N. D.* I. 7, 17. ex. *velim nolim.* Ib. 33, 84. *Naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citro* [*que*] *commeantibus, mundi partium conjunctio continetur:* ubi recentiores Edd. copulam, et plurimorum et optimorum codd. consensu a Davisio recte deletam, male tuentur. Etiam *Rosc. Am.* 22, 60. ubi adhuc volgatur, *cursare ultro et citro non destiterunt,* Prisciano ap. Putsch. p. 1011. *ultro citroque* legente, copula exterminanda; quamquam bonos auctores etiam dicere *ultro et citro* vel *ultro citroque, huc et* vel *atque illuc,* exemplis docet Mich. Heusinger ad h. l., de ἀσυνδέτοις l. Cortio ad Sallust. *Cat.* XI. 2. *Jug.* XVII. 5, LX. 4. Sed maximam fidem habent poëtarum exempla Plauti *Asin.* I. 3, 94. *Bacch.* III. 2, 16. s. Virgil. *Aen.* XII, 764. 811. Horat. *Epist.* I, 7, 72. Degen *ultro* h. l. etiam pro *sponte* accipiens, viderit, quo modo sibi ipse consentiat.

inter quos ea sunt, — devinciuntur] Subauditur pron. demonstr. *hi.* Hunc l. et *Rabir.* 1, 3. ex. comparat Matthiae ad *or. pr. Rosc. Am.* 40, 117. *qui — socium offici metuere non debuerunt,* (intell. *hi*) *ejus malitiam non viderunt.* Infra §. 102. *qui appetitus longius evagantur et — non satis a ratione retinentur, hi — modum transeunt,* λ omittit *hi,* aliis substituentibus *ii.* Ad sententiam cf. Aristot. *Eth. ad N.* VIII. 8, 4. ex. οἱ χρήσιμοι δὲ καὶ ἡδεῖς ἐπὶ πλεῖον διαμένουσιν (φίλοι)· ἕως γὰρ ἂν πορίζωσιν ἡδονὰς καὶ ὠφελείας ἀλλήλοις.

§. 57. *ratione animoque*] Cf. §. 117. *complecti animo et cogitatione;* et quae notavimus p. 44. Mox *caritates* dicuntur passive, qui cuique cari sunt, ut ap. Ammian. Marc. XXIV. 1, 2. *Reliqui — cum caritatibus suis.* Cf. Schütz s. v. extr. Eodem modo Lysiae *epitaph.*

est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum re publica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnis omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam et in ea funditus delenda
58 occupati et sunt et fuerunt. Sed si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum offici; principes sint patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus; proximi liberi

---

p. 194, 8. Graeci, qui conjuges cum liberis in insula abdiderant, dicuntur οἱ μέλλοντες ναυμαχήσειν ὑπὲρ τῆς φιλόντος: quae dictio insolentior Reiskio accidit, non item nobis. De patria, quae *in Catil.* I. 7, 17. *communis omnium nostrum parens* nuncupatur, ubique magna cum reverentia loquitur Cic. ut *Phil.* V. 2. ex. §. 6. Cf. Plato in *Critone* 12. p. 51. *B.*

istorum immanitas] Notantur contemptim, ut videtur, Gracchi et Catilinarii (cf. §. 76. s.), Clodius, Caesar (v. §. 26.), tum vero maxime Antonius aliique *homines non tam commutandarum, quam evertendarum, rerum cupidi* II. §. 3. III. §. 1. ex. — 3. Hinc illa indignatio Nostri reip. quondam conservatoris, dolorem suum ex publica calamitate et miseria retractantis.

§. 58. *contentio q. et comparatio*] ut §. 152. Gernhardo explicatur e I. *de Invent.* c. 12. *comparatio, in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quaeritur.* Cf. *Planc.* 2, 5. ex. Statim post Vinar. *sit tribuendum.* Goth. quatuor Oxx. et ed. Rom. cum omnibus F. Heusingeri scriptis ac vett. impr. *tribuendum sit* et sic Pearc. Facciol. etc. *Sit*, quod cum Graevio et Ernesto omisimus, Jac. Gronovio temere excidisse videbatur. Sed hanc, praecedente pronomine relativo, ellipsin vindicabimus ad §. 61. pr. Simillima est illa §. 152. post *utrum.* De ipsis his gradibus officiorum cf. 160. ex. III. 90. ex. Lycurg. *in Leocrat* p. 154. l. 34. τί δεῖ πάσχειν, ὅστις, ἀνὴρ ὢν οὐκ ἀπέδωκε τὰ τροφεῖα τῇ πατρίδι; de parentibus ibid. p. 159, 34. ss.

quorum beneficiis maximis obligati] Hermannus Graece interpretatur ὧν εὐεργεσίαις ταῖς μεγίσταις, quod, cum Lat. sermo careat articuli usu, aliter exprimi non potuerit. Nam *maximis beneficiis* idem monuit fore μεγίσταις εὐεργεσίαις.

totaque domus, quae spectat in nos solos neque aliud ullum poteist habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibuscum communis etiam fortuna plerumque est. Quam ob rem necessaria praesidia vitae debentur iis maxime, quos ante dixi; vita autem victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam obiurgationes in amicitiis vigent maxime estque ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugavit.

XVIII. Sed in his omnibus officiis tribuendis 59
videndum erit, quid cuique maxime necesse sit et

Nihilo minus Degen, ubique Heusingerorum vestigiis inhaerens, retinuit *maxime obligati*, ne audito quidem Gernhardo, qui citasset *Epist.* XI. 16, 7. pr.

vita — victusque communis] i. e. ὁμιλία τε καὶ συνουσία. *Tusc.* V. 23, 63. iunguntur haec: *consuetudo amicorum, societas victus, sermo familiaris.* Quatenus vero *obiurgationes* i. e. admonitiones, si quis quid minus recte fecisse videatur (cf. §. 136.), in officiis sint amicorum, docetur *Lael.* 24, 8 25, 1.

estque ea iucundissima amicitia etc.] Satis vindicavit hanc clausulam Hermannus, Eq. Magrif., a superioribus hoc nexu aptam, quem ipse auctor ex familiaris sermonis imitatione paullo negligentius significavit: *in amicitiis vigent maxime, idque in ea certe amicitia, quam* etc. Vel *Haec, quae amicis debentur maxime, officia facere tanto iucundius est in ea amicitia, quam* etc. aut *Haec officia eo libentius tribuuntur amicis, qui morum similitudine nobis coniuncti sunt.* Hoc quidem modo corollarium istud non prorsus sine consilio additum videtur. Sin autem ei hunc, qui primo intutu videatur inesse, tribueris sensum, supra §. 56. copiosius expressum: nihil reperietur, quod glossatorem invitare potuerit, ut eandem sententiam tam inepte alieno loco repeteret.

C. XVIII. §. 59. *videndum*] hic et §. 147. i. e. q. *considerandum*, ut 134. *Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur*: quo eodem sensu 135. sequitur: *Animadvertendum est etiam, quatenus* etc. Cf. *Tusc.* III. 33, 79. ex. Sic paullo inferius: *Haec — circumspicienda sunt.* V. Perizon. ad Sanctii *Minervam* ed. Bauer. II. p. 477. s.

quid quisque vel sine nobis aut possit consequi aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui temporum; suntque officia, quae aliis magis, quam aliis debeantur. Vt vicinum citius adiuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem: at, si lis in iudicio sit, propinquum potius et amicum, quam vicinum, defenderis. Haec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio [et consuetudo exercitatioque capienda],

---

Ita — erunt] *Ita* in consecutione positum futurum post se habet, ut III. §. 31. ex. *Fin.* V. 13. 38. *Ita fiet, ut — anteponatur.*

suntque officia] Observavimus ad §. 3. pr. p. 9. *que* dici pro *potiusque*. Ceterum in h. l., quem imitatus est Ambrosius I. c. 34. pervidit Garvius p. 126. s. latere hoc praeceptum, ut beneficentiam accommodaremus ad illud ipsum consilium honestum, quod unicuique communitati propositum esset quodque ipsa natura ratioque, cum homines hac vel illa societatis coniunctione inter se conciliaret, spectasse videretur.

Vt vicinum etc.] *Vt* hic quoque est *exempli causa.* V. ad §. 32. p. 72. ex. Ipsum exemplum esse ab Hesiodo Ἔργ. 343. ss. observat Gottleber. Cf. Cato *de re rust.* c. 4. 2. ubi Gesnero praeter alia memoratur etiam Themistoclis dictum ap. Plutarch. *ἀποφθεγμ. στρατηγ.* c. 38. XII. p. 185. E.

et consuetudo exercitatioque capienda] Causa satis probabili Facciolato, Gernhardo, Hermanno, Schützio vv. haec videntur spuria et in margine adscriptum summarium argumenti proximi §. 60. *Sed rei magnitudo* (i. e. difficultas, ut *Rosc. Am.* 45. 130. ex.) *usum quoque* (haec particula excluditur a Gu. 5. et λ) *exercitationemque desiderat:* ubi eodem modo *exercitatio* citra ὑστερολογίαν postponitur, cum i. sit q. *facultas, dexteritas, quam re saepius iteranda consequimur.* Latinitatem in exquisitiori usu verbi *capere* vindicat Burmann ad Ovid. *A. A.* II. 346. laudatus Ernesto in *clavi* s. v. Equidem, tuentibus haec vv. et Gottlebero et F. Heusingero, quem sequitur, silentio servato, Degen, tamen ea abjecissem, nisi, relictis scrupulis quibusdam, adhuc haesitarem. Ac primum quidem, qui cepit consuetudinem exercitationemque *videndi*, quantum cuique debeatur, is tamen potest adhuc claudicare in officio ipso, cujus *conservandi* usus et exercitatio majorem habet difficultatem: quemadmodum §. 160. *agere considerate pluris est, quam cogitare prudenter.* Deinde vero *sed*, quae particula §. 60. pr. arguit, eam sententiam ante non fuisse tactam;

ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus et, addendo deducendoque, videre, quae reliqui summa fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed ut nec medici nec imperatores nec oratores, 60
quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna

---

facile corrumpi potuit e compendioso aenigmate particulae *scilicet*, per sigli obscuritatem scriptae: quae sic explicative usurpatur a Propertio II. 11, 7. Similiter *Tusc.* III. 33, 79. ex. ejusdem, quam scriptor modo innuerat, sententiae subsequitur explanatio: *Nimirum igitur ut —: sic* etc. Sed, proscriptis his verbis, non minus recte diceretur: *Haec — circumspicienda sunt —, ut — p o s s i m u s*, quam §. 119. ex.

addendo deducendoque] Haec, volgo cum seq. verbo *videre* iuncta, Facciolatus interpretatur: *calculatorum more.* Du Bois: *que tout pesé et balancé, nous puissions voir précisment.* Hottinger: *durch Eintrag und Abzug der Gründe, die Summe derselben — bestimmen.* Nescio, an praestet Ablativos hos Gerundii passiva vi accipere. V. Sanctii *Minerva* I. p. 647. ss. ed. Bauer. Constructio hoc modo explananda: *videre, quae addendo* (si quid addatur) *deducendoque* (si quid deducatur) *reliqui summa fiat:* ubi proprie non nisi *addendo* convenit *summa*, *reliqui fiat* non nisi *deducendo*; sed per Zeugma quoddam utrumque ad utrumque pertinet. Exemplis constructionum hunc in modum complicatarum, ad §. 46. p. 112. s. allatis, iam haec addamus. Quem ad modum ap. Columellam II. 3, 6. ex. obliquae orationi medium interponitur verbum regens *existimamus:* sic infra §. 120. *nisi forte se i n t e l l e x e r i t errasse.* Cf. ead. §. ex. et 118. pr. *quod, Herculem Prodicium, d i c u n t, — exisse.* III. 93. *id, a r b i t r o r, fuisse gravitatis.* 100. *reddi captivos, n e g a v i t, esse utile.* *Fat.* c. 5. *Socratem, n o n n e l e g i m u s, quemadmodum notarit Zopyrus, qui, se, p r o f i t e b a t u r, hominum mores — pernoscere?* Ib. c. 7. *id, d i c i t, fieri necesse esse; — id, n e g a t, fieri posse.* P. *leg. Manil.* 19, 58. *ego, me, p r o f i t e o r, relaturum.* Lucian. in *Hermotimo* c. 28. ἡμᾶς δέ γε περὶ τῶν οὕτω μεγάλων, οὐκ οἶμαι, δεῖν παραβόλως ἀναρρίπτειν i. e. οἶμαι δὲ, οὐ δεῖν ἡμᾶς γε etc. 31. ex. Ἀλλὰ τὸ μετὰ τοῦτο, οὐκ ἔτ' οἶδα, εἰ ὁμοίως καὶ σοὶ δόξει i. e. οὐκ ἔτ' οἶδα, εἰ τὸ etc. 42. pr. Ἀλλὰ σὺ ὁ Ἑλλανοδίκης, ἐθέλω εἰδέναι, ὅ τι καὶ πράξεις i. e. Ἀλλὰ ἐθέλω εἰδέναι, ὅ τι καὶ σὺ etc.

§. 60. *quamvis a r t i s p r a e c e p t a perceperint*] i. e. θεωρήματα, quae Latine *praecepta* verti posse, paullo confidentius negant Victorius ad principium l. *de fato* et ibid. Bremi ad c. 6. ubi, quia eadem ex animi perceptionibus constant, dicuntur *p e r c e p t a artis.* Cf. P. Faber ad *Acad.* II. 7, 22.

laude dignum sine usu et exerercitatione consequi possunt: sic offici conservandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi; sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Atque ab iis rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quem ad modum ducatur honestum, ex quo aptum est officium, satis fere diximus.

61 Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quatuor, ex quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod a n i m o m a g n o

---

*offici conservandi praecepta traduntur **i l l a q u i d e m** — sed*] Pron. *ille* ante particulam *quidem* cum pleonasmo quodam ponitur, ut 66. ex. *res geras magnas **i l l a s q u i d e m** —, **s e d*** etc. 103. *Ludo autem et ioco uti **i l l o q u i d e m** licet: sed* etc. III. 71. pr. 118. *Etiam temperantiam inducunt, non facillime **i l l i q u i d e m**, sed* etc. Cf. *Lael.* 18. 9. pr. De *sed* continuo repetita v. Görenz ad V. *Fin.* 29, 89. s. De controversia, ἀρετὴ num sit διδακτόν, exstat Plutarchi Chaeronensis libellus singularis. Cf. X. *ad Att. ep.* 12. ex. Krug *Aretolog.* §. 27. *n.* 2.

ab iis rebus, quae sunt in iure societatis humanae] Bauer ad Sanctii *Minervam* II. p. 272. interpretatur: *in quibus cernatur, positum sit, quibus censeatur ius soc. hum.* Degen cum Mich. Heusingero *in iure societatis esse* i. esse volt, q. *in societate iustum esse.* Facillime explicabitur: *ab iis rebus, quae pertinent ad ius.* Sic autem per periphrasin dici videtur pro *a iure*, idque e Graecismo τὰ τῆς δίκης vel τὰ περὶ τὸ δίκαιον.

*ex quo **a p t u m** est*] i. e. *pendet; ad quod dirigitur officium.* V. de hoc verbi *apisci*, i. e. cum aliqua re coniungi, participio Görenz ad *Fin.* II. 14, 47. p. 194. a. cl. Schütz. *Lex. Cic.* s. v. p. 103. Sensus est: *Satis expositum videtur, quo modo inveniatur officium, quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet.* Cf. §. 158.

§. 61. *splendidissimum videri*] Hottinger e praecedd. intellexisse videtur *genus, e quo* etc. Degen subaudit: *illud honestum* invitoque usu loquendi *quod factum sit* interpretatur, *quod oriatur* (ex) *animo magno.* Facilius suppleri posset *officium.* Sed sufficit, cogitare pron. indefinitum *id* ante seq. pron. relat. *quod animo magno elatoque, humanas res despiciente, factum* (i. e. gestum) *sit.* Sic optime edidit Gernhard. Sed cum unus Goth. transposite exhiberet *elato magnoque*, F. Heusinger, Degen,

elatoque, humanas res despiciente, factum

Schütz *elatoque*, quod in omnibus, etiam Balduini, libris legitur, expulerunt et deinceps scripserunt *humanasque* etc. Sed eam copulam recte delevit Gernhard cum Gu. 2. 4. μ et vett. edd. Lipss. Nam in Gu. 5. corrector eam adscripsit. Görenz ad *Acad.* II. 41, 127. pr. cum Mich. Heusingero suadet *animo elato humanasque r. d.* nam *magno* ex glossemate adhaesisse videri. Monuit tamen Gernhard, in definitionibus plura similia vv. iungi solere, *ut 64. pr. Cf. etiam §. 13. ex. 5, 14. *in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore.* §. 17. *animi excellentia magnitudoque — in opibus utilitatibusque despiciendis eluceat.* 67. *fortis animi magnique.* II. 37. III. §. 24. 100. pr. Paullo inferius, ubi Degen et Schütz cum F. Heusingero ex edd. vett. revocarunt *magno animo et elato fortiter excellenterque gesta*, vv. *et elato*, quibus Vinar. substituit *elatoque*, in Gu. 2. a correctore expunctum, Gernhard, et Balduini et Anemoecii exemplari scripto reliquisque libris fidem habens, omisit monuitque vocibus *magno animo*, quae tantum non forma in unam coaluissent, duo advv. addi, ut §. 49. *iudicio, considerate constanterque.* — *Res humanas*, quarum vis et potestas §. 90. ex. explicatur adjecto synonymo *fortuna*, Columella I. 2, 5. dicit *fortuitos casus*, Hyperides apud Stobaeum *Serm.* CXXIII. τὰ προσπίπτοντα εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον. Hinc *despicientia rerum humanarum* (vel *externarum* §. 66. ubi subsequitur explicatio: *tum vitae, tum multarum aliarum rerum, quae ad vitam pertinent*) §. 73. adhibenda dicitur iis, in quorum vita *multa patent, quae Fortuna feriat.* Stoicique, ut est apud Diog. Laërt. VII. 13. pr. τὴν μεγαλοψυχίαν (*magnanimitatem*, infra §. 152.) definiebant ἕξιν ὑπεράνω ποιοῦσαν τῶν συμβαινόντων κοινῇ, φαύλων τε καὶ σπουδαίων i. e. *et eorum, quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, et eorum, quae eximia plerisque et praeclara videntur.* Haec sunt igitur *humana*, quae *ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi magnique* dicitur §. 67. II. 37. Praecipue autem *humana* dicuntur adversa propter hanc communem hominum conditionem, *ut nemo in perpetuum esse possit expers mali.* Vid. *Tusc.* III. c. 24. ex. et 7. IV. c. 23. pr. *Negligenda mors est, patibiles et dolores et labores putandi.* Cf. ib. c. 24. fortitudinis definitiones. Videtur autem hic post *factum* claudicare in clausula *sit*, exsulans e Gu. 1. Vid. not. ad §. 43. ex. et 58. pr. cl. III. 112. ex. Ibid. §. 61. *in eo, quod melius* * *aequius* μ ante postremum v. * inculcat *sit et*, Gu. quarto, Vinar. omnibusque edd. vett. post id v. adjicientibus *est*, quod in Gu. 3. compensat *dicitur*: praepostera sane diligentia! I. 103. ex. in vv., *Vt — non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestis actionibus non sit aliena*, μ ignorat *sit*. *Fat.* c. 7. med. *Si illud vere connectitur — primumque, quod* * *in connexo „Natus es oriente canicula", necessarium est*: in hac protasi cod. Erl. post *quod* * inculcat *est*.

sit. Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:

Vos etenim iuvenes animum geritis muliebrem;
Illa virago viri,

et si quid eiusmodi:

— — *Salmaci! da spolia sine sudore et sanguine.*

---

in probris] i. e. *cum probra inferuntur*: quo sensu Plutarchus περὶ παιδ. ἀγωγ. c. 2. §. 2. πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις. Opponitur *in laudibus*. Pessime igitur Degen subaudit *poni*. Idem ellipsin commentus est etiam in seqq.: *Vos juvenes* (*estis*, *at*) etc. quam perverse, apparet e prox. *Illa virago viri*, ubi non *est*, *at* subauditur, sed e praecedd. *animum gerit*. Erroris causa fuit virgula, post *iuvenes* posita. Vt appareat, in primis ignominiosam esse ignaviam, philosophus utitur primum hoc exemplo probri, quo milites ob imbellem socordiam increpari videntur. *Virginem* intelligunt plerique Cloeliam, *quae Thybrim*, *quae fregit Lydia* (i. e. a Porsena, Etruscorum rege, illata) *bella*, *Nondum passa marem*, *quales optabat habere Quondam Roma viros*, ut ait Silius Ital. XIII. 828. ss. Cf. Seneca *ad Marciam* c. 16. Liv. II. c. 13. Plutarch. in *Poplicola* c. 19. Dionys. *lib.* V. p. 223. Valer. Max. III. 2, 2. Gottleber intelligit Artemisiam ap. Herodot. VIII. 88. ex. cujus intt. Gronov. et Wesseling observaverunt hujus Enniani loci (in *fragmm.* ap. Columnam ed. Hessel. p. 150.) similitudinem cum Xerxis ibi verbis: Οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες. De eadem Justinus II. 12. *in muliere virilem audaciam cerneres.*

Salmaci! da spolia] Male haec in nonnullis libris iunguntur *Salmacida spolia*, ut sit versus senarius, in quo utcunque interpretando laboravit Turnebus *Adv.* XXVIII. 39. Sed is error satis refutatus a Graevio. Cf. Gesner *Thes.* IV. p. 276. s. v. Fallitur autem Gernhard, Mich. Heusingerum insimulans falsum, quod tradat, Fr. Maturantium legi voluisse: *Salmaci*, *spolia da*. Imo non nisi de interpretatione Maturantii loquitur Heusg. *Vnde sit infamis*, *quare male fortibus undis Salmacis enervet tactosque remolliat artus*, poëtae ex eo explicant, quod Salmacis concreta sit nympha semiviro Hermaphrodito, eius fontis undis formosos perluente artus. V. Ovid. *Met.* IV. 285. ss. XV. 317. ss. Auson. *epigr.* LXIX. 11. CI. Historicam fabulae originem quaerit Vitruv. II. 8. Strabo XIV. c. 2. p. 656. (200. ed. stereotyp. Lips.) a natura fontis ad indolem accolarum rejicit; alii denique ad atticum ingenium referunt, qui una eaque ambigua androgyni facie pulchri-

Contraque in laudibus, quae magno animo, fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quo modo quasi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de

---

tudinem masculam cum venustate muliebri conflare voluerint. Itaque *Salmaci!* hic compellare videtur aliquis semivirum. Cf. opprobria ap. Homer. *Il.* B. 235. H. 96. Virgil. *Aen.* IX. 617. Aristoph. *Nub.* 354. 674. (669. ed. Wolf.) ubi v. Schol. 676. (cl. 352.) 688. s. ed. Hermann. 682. s. ed. Wolf. a quo Summo viro in responsione ad vv. ἰξῆς; γυναῖκα τὴν 'Αμυνίαν καλεῖς nollem pro libri Ravennatis lectione: οὔκουν δικαίως, ἥ τις οὐ στρατεύεται revocatum ὅστις: quo sarcasmus evanuit. *Spolia sine sudore et sanguine* item proverbialiter usurpantur, ut Graeco paroemio ἀναιμωτὶ νικᾶν, ubi victoria contingit citra caedem. V. Erasmi *adagia* p. 521. Sed obscoenum sensum innuere videtur *Festus* p. 202. *Salmacis nomine nympha, Coeli et Terrae filia, fertur causa fontis Halicarnassi aquae appellandae fuisse Salmacidis, quam qui bibisset, vitio impudicitiae mollesceret, ob eam rem, quod ejus aditus, angustatus parietibus, occasionem largitur iuvenibus petulantibus antecedentium puerorum puellarumque violandarum, quia non patet refugium. Ennius: Salmaci, da spolia sine sanguine et sudore.* Qui Grammaticus si suam explicationem accommodasse censendus sit reliquis, quibuscum hoc probrum nexu cohaerebat: videantur illa vv. ipsi iuveni libidinoso tribui ab aliquo convictatore in ludibrium, quasi in Salmacidis undis Nympham imploret, ut iamiam *spolia* sibi annuat et concedat per stuprum. Tales enim victoriae parantur *sine sudore et sanguine.* Acerbe sic notaretur expugnator non quidem castrorum hostilium, sed alienae pudicitiae. *Coel.* 18, 42. *Parcat iuventas pudicitiae suae, ne spoliet alienam, — ne probrum castis — inferat.* Cf. Vibius Sequester *de fontib.* p. 22. ed. Oberlin. *Salmacis Cariae, ex quo qui bibit, mollescit, id est obscenus fit,* et ad e. l. *not.* p. 237 —, 240. Cinaedum intelligas e Liv. XXXIX. 15.

nescio quo modo] i. e. non semper rectum iudicium sequentes. Cl. §. 46. ex. vid. ad §. 146. ex.

pleniore ore] Talis παρηχήσεως exempla citat Gottleber Caes. *B. G.* (imo *Civil.*) III. 49. *summaque aquae copia* et illum versum Cic. *O fortunatam, natam me Consule, Romam!* ap. Juven. X. 122. et Quinctil. XI. 1. In primis vero vid. ib. IX. 4, 4. cll. interpp. Egit de eo versu singulari progr. 4. quo *Solemnia magistrorum creandorum indicit* Aug. Guil. Ernesti (Lips. 785.), cll. Phil. II. 36. *quos nos vi — repulimus.* 38. *An Caesaris decreto Creta — potuit liberari?* Horat. A. P. 22. *cur urceus exit?* Juven. X. 1. *a Gadibus usque.* Liv. IV. 7. *magistratus eius ius.* XL. 58. *neque enim imbre tantum.* Lucret. II.

Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris;

1035. (corr. 1653.) *innumerò numerò.* Exemplis his et quae collecta sunt in Andr. Schotti *Cicerone patre a calumniis vindicato* (ad calcem *Vitae Ciceronis Filii*, a Sim. Vallamberto conscriptae, edit. J. A. Fabricii. Hamb. 1730. 8.) et in Mureti *Varr. Lectt.* I. 15. add. *Verr.* III. 7, 16. *ante te tenuerunt.* 61, 141. *tute de te profiterere.*

rhetorum campus] i. e. loci communes, quibus, cum in his maxime triumphare et exsultare possit oratio, tractandis delectantur *declamatores*, qui *sophistae* dicuntur Isocrati *Panegyr.* c. 23. ubi v. Exc. Spohn. Scripsimus de horum ostentatione in Brouckhusii *Real-Encyklopaedie* T. VIII. p. 265. ss. ed. V. Cf. cum toto h. l. *Tusc.* I. c. 46. pr. et Pausan. VIII. 52, 2. Celebrabant igitur rhetores maxime funebribus orationibus (de quibus v. Dionys. Hal. *Antiqq. Rom.* V. 17. et Taylori *Lectiones Lysiacae* c. 3. in. *Orat. Graec.* T. VI. p. 238.) Graecorum de Persis victorias, quibus illi καταφανῆ ἐποίησαν, τὴν ἀνδρείαν τοῦ πλούτου καὶ τὴν ἀρετὴν τοῦ πλήθους περιγιγνομένην. Lycurg. *in Leocrat.* c. 28. Isocrat. *Paneg.* c. 20 — 27. (ubi v. interpp.) Demosthen. *epitaph.* p. 1391. l. 23 — 26. Id. *in Neaer.* p. 1377. s. περὶ συντάξ. p. 172, 14. ss. *in Aristocr.* p. 686, 5. ss. *pro cor.* p. 297, 11. ss. cl. Aeschin. *in Ctesiph.* p. 59, 34. ss. et 90, 29. et π. π. παραπρεσβ. p. 37. ex. s. Taylor. ad Lysiam p. 44. (*Or. Gr.* T. V. p. 80. s. ed. Reik.) Plato in *Menexeno* p. 240. D. E. 241.

de Marathone] campo inter Athenas et Carystum Euboeae medio, in quo belli spectaculo a. V. c. 264. Olymp. 72. a. 3. duce Miltiade eluxit, οἷοι ἄρα ἐτύγχανον ὄντες τὴν ἀρετὴν οἱ Μαραθῶνι δεξάμενοι τὴν τῶν βαρβάρων δύναμιν καὶ κολασάμενοι τὴν ὑπερηφανίαν ὅλης τῆς Ἀσίας, ut ait Plato l. c. V. Herodot. VI. 111 — 117. IX. 27. l. 26 — 31. Lysias *epitaph.* 192, 26 — 193, 12. (ed. Steph.) Heraclid. Pont. ap. Athen. l. XII. pr. Diodor. Sic. lib. XI. pr. Pausan. I. 15, 4. 32, 3. s. IV. 25, 2. ex. Plutarch. in *Aristid.* c. 5. Aemil. Probus (Corn. Nep.) I. 4, 2 — 6, 3. II. 5, 3. 6, 3. Justin. II. 9. Sulpic. Sever. *Hist. Sacr.* II. 9. Valer. Max. V. 3. *extern.* 3. — De pugna *Salaminia* v. infra §. 75. — Ad *Plataeas*, Baeotiae urbem, caesus Mardonius, victore Pausania d. 22. m. Sept. a. V. c. 275. (478. a. Ch.) Ol. 75. a. 2. Herodot. IX. 49 — 74. Plutarch. in *Arist.* c. 11 — 21. Diod. XI. 31. Lysias *epitaph.* p. 195, 4 — 9. Lycurg. *in Leocr.* p. 157. s. Aemil. Prob. III. 2, 1. IV, 1. Justin. II. 14. In pugnae memoriam instituta Ἐλευθέρια et Simonidis elegiam in eos, qui ibi occubuerant, Graecos memorat Pausan. IX. 2, 4. De loco pugnae disputavit Stanhope in *Topography illustrative of the Battle of Plataea* (Lond. 1817.), maxime inde a p. 60. Sed prae ceteris nobilitatae sunt *Thermopylae*, fauces, per

ctris; hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Gn.

---

per quas una militaris via est ex Thessalia in Locridem, Lacedaemoniorum adversus Persas morte magis memorabili, quam pugna a. V. 274. m. Augusto. Livius XXXVI. 15. ex. Herodot. VII. 210 — 234. Strabo IX. 4. extr. Diodor. XI. 4 — 11. Lysias *epitaph.* p. 193, 28 — 53. Aemil. Prob. II. 3, 1. Justin. II. 11. Cf. Meursius *de regno Laced.* c. 12. Nobile Simonidis in trecentos Spartanos, qui cum Leonida rege ibi mortem oppetierunt, epigramma ap. Lycurg. *Leocr.* p. 163, 24. ss. aliosque et in *Antholog.* III. 5. (*Analect.* I. ed. Lips. *epigr.* 30. inter plura alia, quae ejusd. poëtae de pugna ad Thermopylas ibi exstant 29 — 34.) reddidit Cicero *Tusc.* I. c. 42. Germanice Car. Morgenstern, vir Ill., in eleganti libello: *Töne vom Lebenspfade.* (Dorpat. 1818.) — De *Leuctrica* pugna, quam initurus Epaminondas inauspicatorum ominum religioni, qua angi videbat Thebanorum animos, opposuit Homericum versum ex *Iliad. M.* 243. vid. 24, 80. ubi Degen eam pugnam *apud Leuctra* pugnatam esse memorat, rectius quam h. l. in ipso illo Boeotiae oppido (vel vico). Cf. Diodor. XV. 51 — 56. Pausan. IX. 4, 3. s. Plutarch. in *Pelopid.* c. 23. et *Agesil.* c. 28. s. Aemil. Prob. XV. 8, 3. s. et c. 10, 2. XVI. 4, 2.

hinc noster Cocles] *contra omnis hostium copias in ponte unus assistens.* V. *Leg.* II. 4, 10. Liv. II. 10. Plutarch. in *Poplicola* c. 16. ex. Dionys. lib. V. p. 218. Polyb. lib. VI. Propert. III. 9, 64. Lectionis varietatem, ab Heusingeris annotatam, repetiit Gernhard in *Addend.* p. 461. *Hinc sunt Cocles* placebat Jano Parrhasio, cuius, haec sunt ex *epistol.* XVII. in Gruter. *Lamp.* I. p. 744. „Inter exempla *fortitudinis* Horatius Cocles a Valerio Max. [III. 2, 1.] ponitur et ab ipso Cicerone *Parad.* I. [c. 2. §. 6. al. 10.] Et Virgilius in *Culice* [360.]: *Hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus:* ut, qui *Stratoque* pro *Stratocle* reposuerit, ostentandi ingenii materiam frustra captaverit.“ Notatur hic quis? nempe M. Anton. Sabellicus, cui plurimorum corruptelam sic refingendi auctor fuit Thucydides, qui II. 81. s. memoriae prodidit, octo hostiles gentes uno tempore circa Stratum ab uno populo vinci contigisse. V. *Annotatt. DD. VV. e prelo Ascens.* p. *LVII.* imà. Jo. Brodaeus *Miscellan.* l. II. c. 12. (Grut. *Lamp.* II. p. 477.) hariolatur *Cytheris.* Κύθηρα neutro genere insula est, in qua tuenda singularis Atheniensium virtus enituit, teste Plutarcho in *Nicia* c. VI. med. — *P. Decio*, filio, IIII. Cos., parentatum est more Romano laudatione a Collega Fabio Maximo. (Aurel. Vict. c. 27. Liv. X. 29.) *Decii* commemorantur iterum III. §. 16. pr. itemque *duo Scipiones*, qui secundo Punico bello prima per Pyrenaeum iugum signa Romana Poenis intule-

et P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles alii; maximeque ipse populus Romanus animi ma-

---

runt proeliisque ingentibus Hannonem et Hasdrubalem, fratrem Hannibalis, ceciderunt, sed in ipsa sua victoria oppressi Punica fraude ceciderunt terra marique victores a. V. 541. Flor. II. 6, 36. 17, 6. Liv. XXIII. 29. 49. XXIV. 41. s. XXV. 32 — 36. XXVIII. 58. Vellej. II. 90, 2. s. Silius Ital. XIII. 654 — 693. Cf. Cic. *Cat. Maj.* c. 20. §. (11.) 75. *Tusc.* I. c. 37. et 46. *Planc.* c. 25. pr. *Balb.* c. 15. *cum duo fulmina nostri imperi subito in Hispania Gn. et P. Scipiones exstincti occidissent:* ubi non debebat Ernestus conjicere *lumina.* Nam eodem modo Scipiones Africanos *duo fulmina belli* dixit Virgil. *Aen* VI. 843. ubi post Germanum Cerda comparavit illum ipsum locum: in quo frustra etiam Schütz verba sic transponi volt: *et cum subito in Hispania duo fulmina nostri imperii, Cn. et P.* etc. immemor trajectionum nominis proprii, e. g. ap. Columell. I. 3, 7. (*nisi*) *Aventini montis incola Palatinis ullum gaudium finitimis suis Cacus attulit.* Alia exempla suppeditat Heindorf ad III. *N. D.* 32, 80. qui l. huc cf. itemque *Parad.* I. 2. §. (7.) 12. ubi Gernhard edidit *Cn. et P. Scipiones*, hic autem rectius *Gn.* Natu minor erat Gn. Corn. Scipio Calvus; sed Cos. fuit a. V. 531. ergo prior, quam *Publius* frater. Hic enim, Africani Majoris pater, Cos. fuit a. V. 535. Propterea *P.* post *Gn.* nominatur, ut *Cat. Maj.* 9, 8. ubi v. Wetzelii *Excurs.* §. 7. 2) *a*) et *b*) p. 299. s. — Denique *M.* (Claudius) *Marcellus* est ille quinquies Cos., *Siculae victor telluris* dictus Propertio III. *el.* 16. vs. penult. Cf. ib. IIII. *el.* 10. ad fin. Aurel. Victor. c. 45. Memoratur *Tusc.* IV. c. 22. fortis fuisse *apud Clastidium.* Ibi nimirum *consul, occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro, opima spolia retulit* a. 531. Flor. II. 4. ex. Liv. *epitom.* 20. Plutarch in *Marcello* p. 302. C. (c. 7.) et in *Romulo* c. 16. ex. Oros. IV. 13. Virgil. *Aen.* VI. 856 — 860. ubi Heyne memorat nobilitatam memoriam Marcelli denario gentis Claudiae, in quo templum ipse ingreditur, tropaeum gestans. Ejus ad Venusiam insidiis circumventi a. V. 545. undecimo secundi belli Punici *interitum ne crudelissimus quidem hostis* (Hannibal, contra quem saepe rem bene gesserat) *honore sepulturae carere passus* dicitur *Cat. Maj.* 20. §. 11. (76.). Ut ibidem, sic *Tusc.* I. 37. pr. *saepe non modo ductores* Romani, *sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrisse* memorantur: qui totus l. huc cf. et de *animi magnitudine P. R.* infra III. §. 47. ex. *Ipse*, quod per se gradationem indicat supra §. 46. *hac ipsa, de qua iam multa dicta sunt, justitia.* V. *Fin.* 23, 68. *ut amici, ut parentes, — ut ipsa patria*, auget h. l. vim praecedentis *maxime*, cui annexa *que* inchoat novam sententiam; ut §. 13. pr. Cf. Hottinger ad *I. de divin.* 30. ex. p. 85.

gnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.

XIX. Sed ea animi elatio, quae cernitur in 62
periculis et laboribus, si iustitia vacat pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est: non modo enim id virtutis non est, sed est potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum, eam *virtutem* esse, dicunt, *propugnantem pro aequitate.* Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus. Nihil honestum esse potest,

statuas q. v. ornatu fere militari] i. e. non togatas, sed equestres. V. *Plin.* XXXIV. c. 6. Gernhard citat Vellej. Pat. II. 61, 3. ubi cf. Krause. De *studio bellicae gloriae* v. II. §. 45.

C. XIX. §. 62. *non modo enim*] Sic Balduinus et e Gu. 1 — 4. Gernhard. Volgatum ordinem *non enim modo* servant noviss. edd. Sed cf. *Att.* IX. *ep.* 15. (olim 18.) *Non modo autem nulla querela est —, sed* etc. Ad seqq. *nemo, qui — gloriam consecutus est . . ., laudem est adeptus*, notandum, *gloriam* esse non nisi simulacrum et adumbratam opinionem *laudis*, *in factis positae.* Cf. §. 65. *Fin.* V. 14, 69. ex. Post *Nihil* particulam *enim*, quam Gu. 1. 2. λ, μ, Gryph. Bald. F. Heus. excludunt, revocavit Schütz. Nec vero audiendus Hermanno videbatur Gernhard, monens, ejusmodi sententias vi sua et gravitate amplissimas, vel nulla intercedente particula, ad proxima verba sese applicare, cl. II. c. 7. [corr. 12.] ex. *Vera gloria radices agit*, ubi Goth. Gu. 3. et a corr. 5. *Vera enim glo.* qua eadem importuna verborum nectendorum cura §. 51. ex. *Una * ex re satis praecipitur* Venet. a. 1554. cum Gu. 3. * inculcat *enim*. Sed in placida oratione et tranquilla talia non solent sine copula addi, cujus e pluribus libris absentia h. l., movit Hermanno sagacissimo suspicionem, totum hoc additamentum, *Nihil — vacat*, esse insititium: nempe disputationis argumentum et capitis quasi summarium, in margine annotatum: quod cum in textum venisset, alios librarios adjuvandi nexus gratia addidisse *enim*. Certe praecessit modo: *si justitia vacat*, — *in vitio est*, et continuo idem insinuatur, auctore Pla-

63 quod iustitia vacat. Praeclarum igitur illud Platonis:
Non solum, inquit, *scientia, quae est remota ab
iustitia, calliditas potius, quam sapientia, est ap-
pellanda; verum etiam animus paratus ad pericu-
lum, si sua cupiditate, non utilitate communi,
impellitur, audaciae potius nomen habeat, quam
fortitudinis.* Itaque viros fortis et magnanimos eos-
dem bonos et simplicis, veritatis amicos minimeque
fallacis esse volumus: quae sunt ex media laude iu-
64 stitiae. Sed illud odiosum est, quod in hac elatione
et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia

---

tone. Verum tamen cum §. 43. simili corollario colligatur summa eorum, quae modo copiosius dicta fuerant, veniam oro mihi, ampliandum ducenti. *Honestum* hic proprie est *laudabile, honore dignum.*

§. 63. *remota ab justitia*] Sic Balduin. et Heus. e Gu. 2. Schütz revocavit *a*. Sed recte monet Gernhard, *ab* Ciceroni placere tum post *a*, tum ante *j*. Vid. *Fin.* III. 21, 70. *alienum esse ab justitia.* Plato *Menex.* c. 19. p. 247. *A.* Πᾶσα ἐπιστήμη (*solertia, aliquid sagaciter indagandi atque intelligendi*), χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία, φαίνεται. Non convenit, quod Mich. Heusinger comparavit e *Lach.* p. 197. C. Similiora videbuntur haec e I. *de legg.* p. 630. A. B. Ἀμείνων δικαιοσύνη καὶ φρόνησις εἰς ταὐτὸν ἐλθοῦσαι μετ᾽ ἀνδρείας — διαβάντες δ᾽ εὖ καὶ μαχόμενοι ἐθέλοντες ἀποθνήσκειν ἐν τῷ πολέμῳ τῶν μισθοφόρων εἰσὶ πάμπολλοι, ὧν οἱ πλεῖστοι γίγνονται θρασεῖς καὶ ἄδικοι καὶ ὑβρισταὶ καὶ ἀφρονέστατοι σχεδὸν ἁπάντων. Cf. infra §. 157. et Cato ap. Sallust. *Catil.* c. 52: *Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia — malarum rerum audacia fortitudo vocatur.* Ib. 11, 2.

eosdem bonos] i. e. *simul b.* V. ad §. 43. ex. *Simplices* dicuntur i. q. *aperti* §. 109. pr. III. 57. Male autem Degen *volumus* ad solum scriptorem refert. Imo de communi sic dicitur pro, *nos omnes intelligimus, interpretamur,* ut *N. D.* I. 14, 36. *deum — animantem certe volumus esse.* Seqq. Schol. Gu. recte interpretatur *ex intima laude justitiae.* Eleganter dictum de iis, *quae quam maxime sunt justa. Cf. Legg.* II. 11, 53. *hoc — e medio est jure civili* i. e. totum ad jus civile pertinet.

§. 64. *illud odiosum est, quod*] exprimit *proh dolor!* Cf. ad §. 26. ex. Si qui animum induxerit, commendare in prox. J. Gronovii conjecturam: *omnem moram* (haec ipsa vox legitur in Ms. *μ*) *Lacedaemoniorum* (i. e. unam

cupiditas principatus innascitur. Vt enim apud Platonem est, *omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi:* sic, ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime volt princeps omnium vel potius solus esse. Difficile est enim, cum praestare omnibus concupiveris,

---

quamque cohortem exercitus Laconici) *inflammatam esse* (i. e. ardere) *c. v.*, is, ne et oleum et operam perdat, ante omnia anquirat, velim, auctoritatem Platonis, qua conjecturam, quamvis elegantissimam, fulciat. P. Manutius, Stephanus et Vrsinus attulerunt haec e *Lachet.* p. 483. (182. ex. ed. St.) de Lacedaemoniis: οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες, πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. J. F. Gronovium aliosque multos non puduit comparare hominem τὸν φιλόνεικόν τε καὶ φιλότιμον κατὰ τὴν Λακωνικὴν ἑστῶτα πολιτείαν ex VIII. *de re publ.* p. 711. (545. A.) Scilicet Tullius ignarus fuit, quid differrent φιλόνεικος et φιλόνικος i. e. φιλόπρωτος: nisi forte haec ipsa vox ibi restituenda. Certe in *Alcibiad.* I. c. 38. Scholiastes legit: φιλονικίαν (*aemulationem*) καὶ φιλοτιμίας τὰς Λακεδαιμονίων. Plurimi intt. volgarem lectionem interpretantur sic: *Lacedaemonios esse iis moribus, ut nihil aeque ac victoriam expetant.* J. F. Gronov. *Obss. in scr. eccles.* c. 18. p. 189. *Lacedaemonios omni more et instituto et ratione sua inflammatos esse hac cupiditate. Mos* hic dicitur ἦθος, sed quod disciplinae debetur, non ingenio aut naturae, i. e. indoles. Bene Gernhard circumlocutus interpretatur: *commune Lacedaemoniorum studium, consuetudine et vetustate confirmatum.* Cf. §. 129. *Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam.*

ut quisque maxime — excellit, ita maxime] Iteratur alibi pron. V. ad §. 46. p. 144. Omittitur, ut hic, *Caecin.* c. 2. sub fin. *ut quaeque res est turpissima, sic maturissime, iudicanda est.* Seneca *de constant.* c. 11. ex. V. Corte ad Sallust. *Jug.* XXXI. 14. Supprimitur etiam particula *ita* §. 65. *Fin.* V. 20, 57. pr. *Excellet*, secundae conjugationis formam, ab Heusingero e Gu. 2. et Balduini vetustis codd. receptam, probat Gernhard. Retinuimus *excellit*, quod legitur et §. 61. et *Lael.* 9, 3. ex. *de or.* II. c. 54. pr. *Balb.* 6, 15. Cf. Schütz. *Lex. Cic.* s. v. Ceterum his notari videtur praeter Caesarem in primis Pompejus, de cuius ambitione v. qui nostrum hunc locum aemulatus est, Vellej. II. 33, 3. ibique Krause.

Difficile est enim] Rell. edd. *Difficile autem est.* In Gu. 4. *est* a correctore accessit; in 5. transponitur:

servare aequitatem, quae est iustitiae maxime propria. Ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se, nec ullo publico ac legitimo iure patiantur: exsistuntque in re publica plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maximas consequantur et sint vi potius superiores, quam iustitia pares. Sed quo difficilius,

---

Difficile est autem, idque rectius. V. §. 55. pr. (cl. II. §. 48. *Magna est enim admiratio*) 104. e Gu. 5. et ed. Gryph. leg. *Facilis est igitur.* 144. pr. et ib. *Turpe est enim.* (Cf. *Fin.* II. 9, 26. ex.) 137. *Rectum est autem.* Ib. vitiosum ordinem *Deforme etiam est* quidam libri damnant. 139. *Odiosum est enim.* 160. *Patefactus est enim locus ipse* II. §. 23, ex. III. 115. (et *Fin.* II. 18, 59.) *Perspicuum est enim. De or.* II. c. 44. *Facilius est enim. Divin.* I. 15, 27. ex. cum cod. Erlang. transponendum: *Necesse est enim*, ut *de fat.* c. 16. *Tusc.* III. c. 7. *Verisimile est igitur.* Corrupta est lectio *de or.* II. c. 70. pr. 281. *Bella etiam est familiaris objurgatio* et *Lael.* 21, 10. pr. *Digni autem sunt amicitia.* Utroque in loco verbum substantivum suspectum habemus. Cf. ad §. 9. pr. Praeterea e Gu. 3. recepi *enim*, cui ut §. 30. in. pro *quidem* v. *omnino* positae, respondet inferius *Sed quo difficilius, hoc praeclarius.* Deinde pro volg. *concupieris* e Gu. 3. 5. et vett. edd. revocavi *concupiveris*, quod habet etiam Facciolatus, a *concupisco.* Eadem hujus v. inchoativi forma pro volg. *concupierunt* e vett. Lambini codd. restituenda II. *Catil* 9, 19. (30.) *quae mente conscelerata ac nefaria concupiverunt:* nam continent haec repetitionem verborum praecedd. *quod cum summo furore cupiunt.* Cf. supra c. 7. ex. *Orat.* 2, 4. Sallust. *Cat.* 51. *uti quisque domum — alicujus concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset.* Etiam III. 83. pr. e Gu. 1. 2. 4. 5. atque ed. Gryph. restituendum *concupiverit:* licet excusari ibi quodam modo posset *concupierit*, ut *pro Rosc. Com.* c. 8. pr. Sed v. *leg. Man.* 10, 28. *pluris provincias confecit, quam alii concupiverunt. Fin.* V. 24, 70. Vellej. II. 88, 2. ex.

neque disceptatione] V. ad §. 34. pr. Seq. *nec ullo* pro *nec alio ullo* dictum, cl. III. §. 72., interpretatur Görenz ad III. *Fin.* 15, 49. *neque ab ulla re, quae non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest.* De ratione seq. Indicativi *exsistuntque* v. ad. §. 8. p. 20. ex. *Que* potest etiam accipi pro *sed*, ut *Tusc.* 23. pr. *Vide, ne fortitudo minime sit rabiosa sitque iracundia tota levitatis. Fin.* III. 10, 35. ex. Statim post *et* excludit *plerumque. Factiosi* proprie dicuntur ii, qui comparant sibi *factionem* i. e. asseclas, qui cum ipsis *faciant.*

hoc praeclarius. Nullum est enim tempus, quod iustitia vacare debeat. Fortes igitur et magnanimi 65
sunt habendi non, qui faciunt, sed, qui propulsant iniuriam. Vera autem et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria, iudicat: principemque se esse mavolt, quam videri. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Facillime autem ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate: qui locus est sane lubricus,

---

Nullum est enim] V. de solenni hoc vv. ordine ad §. 9, pr. Depravate igitur scribitur *Acad.* II. 30, 97. *Nulla autem est in natura rerum talis necessitas.* *Cat. Maj.* 7, 24. (§. 9. pr.) *Nemo enim est tam senex.* *Tusc.* III. c. 7. ex. *numquam igitur est perturbatus.*

§. 65. *honestum i., q. maxime naturâ sequitur*] n. *animi magnitudo*: cui haec tribuuntur per elegantem προσωποποιΐαν, ut *virtuti* in l. *pro Arch.* 11, quem inferius p. 152. adscripsi. *Naturâ*, intell. *invitante.* V. ad §. 50. pr. cl. 54. pr. *Tusc.* IV. 6, 12. *Naturâ — omnes ea, quae bona videntur, sequuntur:* ubi eodem sensu subsequitur, *ad id adipiscendum impellit ipsa Natura.* Quae hic additur sententia, eam, observat Gottleber, esse Socraticam. V. II. §. 43. Socrati praeivit Aeschylus Ἑπτ. ἐ Θ. 592. ed. Glasg. de Amphiarao: οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει, laudatus Plutarcho πῶς δεῖ τ. ν. ποιημάτων ἀκούειν c. 10. extr. Dixerat Cic. 64. *volt princeps — esse.* Hic autem *mavolt* regit Accusativum reciprocum cum Inf. quem Görenz ad II. *Fin.* 31, 102. pr. e tribus suis codd. et uno Oxon. addit in l. *Tusc.* V. 23, 66. *qui se esse non hunc mathematicum malit —?* cujus emendationis ibi immemor fuit Schütz. Cf. ib. II. c. 24. se mori, malunt. *Parad.* I. 3, 1. (al. §. 13.) Sic *velle* infra 113. pr. 117. pr. II. §. 24. pr. 62. *qui, se adjuvari, volent.* 78. pr. III. §. 17. *qui, bonos se viros haberi, volunt.* *Cat. Maj.* 20, 7. pr. (al. §. 73.). *Arch.* 5, 10. (al. 5.) ex. Itemque *studet* II. 70. pr. et *cupio* I. *Cat.* 2, 4. ex. *Legg.* I. 1, 4. *ego, me, cupio, non mendacem putari.* *Planc.* 33, 80.

ut quisque altissimo animo est] Fallunt et Gernhard et Schütz, qui ediderunt, *ut quisque est alt. an.*, ex Pearcii, ut aiunt, conjectura, quam Heusinger recepisset auctoritate codicis Gu. 1. Imo a nobis recepta lectio,

quod vix invenitur, qui, laboribus susceptis periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

66 XX. Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit,

---

in quam conjectura inciderat Pearcius, codice illo confirmatur. Volgaris lectio, *ut quisque est a. an. et gl. cupido*, vel, ut alii habent, *cupiditate*, misere exercuit Bauerum ad Sanctii *Minervam* II. p. 287. s. Est Ablativus causae pro *ob cupiditatem*. Respicit scriptor haec ipsa vv. §. 68. ex. Cf. 26. ex. Ceterum, omissa partic. comparativa *ita*, membrum comparans comparato praemittitur. V. ad 64. — Statim post *locus lubricus* proprie dicitur de *via*, *qua insistere* aut *ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix possis* (*Coel.* 17.); hinc tropice de conditione ea, ut facillime quis labi et a recta via aberrare possit; omninoque de causa ancipiti et periculosa. V. Schütz *Lex. Cic.* s. v. *Lubricus.* — Mox *gloriam* Noster dicit *quasi mercedem rerum gestarum*, alia usus mitigatione vocabuli inhonesti *pro Arch.* 11, 28. (al. §. 8.) *Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae.* Alia res est *Mil.* 35, 97. ubi verecundius loquens, *ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium gloriam*, dicit, similiter ut *in Pis.* §. 57. *justa gloria — est fructus verae virtutis honestissimus.* Miror igitur et F. Heusingero et Gernhardo placuisse Gu. primi corruptelam, e compendio particulae *quasi* natam, *sibi:* qui Dativus ad verbum cupiendi et poscendi hic non magis desideratur, quam *Cat.* III. 11, 26. pr.

C. XX. §. 66. *rerum externarum*] i. e. quae non in ipsius sapientis, sed in Fortunae potestate positae sunt. Eaedem §. 61. pr. dicuntur *humanae res.* Ea omnia sunt ἀδιάφορα. Nam *Tusc.* IV. c. 26. docetur, esse sapientiae, *ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat.* Cum ex hac ipsa praeceptione, tum e tota Stoicorum ratione et *boni* definitionibus, a Laërtio et Arriano traditis, intelligitur illud, quod docet Lilie *comment.* I. p. 40. Stoicos duabus notis *boni* naturam agnovisse, quarum altera a *libertate*, altera a *rationis* lege deprompta esset. Nihil *bonum* dicunt, nisi quod in potestate nostra sit, nihil item, nisi quod ex rationis lege omnibus numeris absolutum sit. *Fin.* III. 10, 33. Diogenes dicitur *bonum* definisse, *id quod esset natura absolutum:* quam definitionem, non video, cur Lilie dixerit non satis accurate e Graecis ex-

nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunae succumbere. Altera est res, ut, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem et maxime utilîs, sed ut vehementer arduas plenasque laborum et periculorum tum vitae, tum multarum rerum, quae ad vitam pertinent.
Harum rerum duarum splendor omnis et amplitudo 67
(addo etiam utilitatem) in posteriore; causa autem

---

pressam. Idemque p. 41. collectis locis, ubi de Stoicis disputatur in Cantii libro: *Critik der prakt. Vernunft* (quos hic, correctione quadam adhibita, indicasse juvat p. 22. 151. 153. 200. ss. 208. 227. ss.) redarguit hunc philosophum, antiquis philosophis iniquiorem, quos omnes in *boni* notione constituenda eas immiscuisse notas censeat, quae non ex ipsa ratione ductae, sed e sensu et rerum perceptarum usu efformatae essent. Contra monet p. 42. Stoicis placere, ut implicata boni notio, quam alii aliter eruodent, penitus exploretur, nec, quid in ea veri lateat, ante constituatur, quam rationis vis in homine eluceat. „Simul ac", inquit, „non solum *appetere* (ὁρμᾶν), quod statim conceditur parvis, sed appetitionum causas etiam requirere possumus; quae rationis sunt (τὰ ἴδια, τὰ προαιρετικά) ab iis, quae non sunt in potestate nostra, sejungere, illa nobis, ut sola bona vindicare, haec deorum arbitrio committere, si offerantur, grato animo accipere, sin minus, facile iis carere jubent." Verum tamen Cantius potius φιλαυτίαν Stoicorum et superbiam reprehenderat. — In seqq. Degenii negligentia, ut §. 56. vv. *eaedem voluntates*, quae tamen notae praefixa leguntur, item omisit vv. *aut expetere oportere; nullique neque homini;* sed in nota, de Ellipsi verbi *oportere* halucinans, omissa etiam verba interpretando expressit.

ut — res geras magnas illas quidem —, sed ut v. arduas] Cum vi iteratur Conjunctio, ita ut etiam vv. *res geras* cogitatione repetenda sint. De abundantia in pron. *illas* v. ad §. 60. cl. Görenzio ad III. *Fin.* X. 34. *bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi aestimandum, sed* etc. Deinceps particularum *tum — tum* potestatem bene explicat Gernhard: *nunc vitae, nunc, etiam si non vitae, certe aliarum rerum* etc.

§. 67. (*addo etiam utilitatem*)] His, quae parentheseos signis distinguere visum est, interpositam particu-

et ratio efficiens magnos viros —, in priore. In eo

---

iam unus cod. μ egregie omittere videtur Gernhardo. Sed additur *huc* et *etiam* in simili connectendi formula II. *N. D.* 39, 98. ex. Aliter se habet, ubi eadem part. iam praecessit, ut *Epist.* III. 7, 12. *homo — summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatem, quae est virtus,* aut ubi *adde* novam sententiam inchoat, ut infra II. §. 14. pr. Idem Gernhard non satis accurate indicavit h. l. exemplaris Lips., a Martino Landsbergio Herbipolensi editi; quod *incertum b* nominare solet, lectionem: *amplitudo est: addo etiam utilitatem in posteriore. Causa — est in priore.* Alii aliter turbant. Ascensius prius *est,* volgo in prioris membri clausula post *in posteriore,* in λ statim post *splendor* insertum, cum Gu. 2. ed. Magont., alia sine l. et a. apud Heusing., Rom. et Gryph. exclusit, altero item cum ed. Gryph. collocato post *in priore.* Et sic quidem, priori excluso, legi possit. Cf. p. 7. s. ubi nos cum Graevio et Gernhardo probatiores libros secuti sumus, Degenio retinente Heusingerorum lectionem; *Vis enim dicendi major est in illis.* Sed alterum *est* h. l. omisit Gernhard cum Gu. 1. 2. 3. 4. λ, μ. Soletque binorum membrorum commune verbum per conjunctionem priori subjici, ut §. 83. *tempestatem — optare, dementis est; subvenire autem tempestati, sapientis.* 132. *Contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis: — huic — qui studeant, sunt nulli, rhetorum turba referta* (μ inserit glossam *sunt*) *omnia.* II. 60. *Quamquam, quod praesens tamquam in manum datur, iucundius est, tamen haec in posterum gratiora,* edd. vett. Heusingeri addunt *sunt,* quod ψ statim post *tamen* inculcat. Ib. 79. post vv. *cui res erepta est, est inimicus; cui data,* omnes Gu. μ et edd. vett. repetunt *est.* III. §. 1. *Nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus* (Gu. 5. et μ inculcant *esset*); *nec minus solum* (μ addit *esse*), *quam cum solus esset. Fin.* V. 2, 6. pr. Facile quidem hic in utriusque membri clausula *est* potuit absorberi a praecedenti syllaba, quae exiret in *e;* sed rectius utrobique insititium videbitur. Certe, quod §. 90. verbis *Itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus,* volgo addebatur *fuit,* id dudum repudiarunt omnes libri Heuss. λ, μ, Ascensius, Facciolatus. Cf. 133. *Uberior* (μ addit glossema *erat*) *oratio L. Crassi; sed — de Catulis opinio non minor.* Item his orationis membris prioribus III. 72. ex. C. *Gracchi frumentaria magna largitio* et 73. *Capitalis oratio* ψ, ne scilicet otiosus atque beatus putetur, accinit suum *fuit,* ut III. 1. μ *erat* simili exclamationi: *Magnifica vero vox!* Ib. §. 40. ex. olim volgabatur: *At in eo rege, qui urbem condidit, non ita,* oui Gu. 5. et ψ adjiciunt *est,* μ *fuit.* Nunc recte editur *non item,* ut e praecedd. intelligatur: *utilitas valuit propter honestatem.* Etiamnum, quo minus mangonum glossas proscribas, religio est? V. ad §. 25. ex. 68. II. 54. cll. hujus ellipseos exemplis 77. ex. 84. II. §. 23. ex.

est enim illud, quod excellentis animos et humana contemnentis facit. Id autem ipsum cernitur in duobus, si et solum id, quod honestum sit, bonum

---

In eo est enim] Sic recentiores praeter Schützium, qui retinuit ordinem olim volgatum: *enim est*. Sed cf. II. 25. ex. *Lael.* c. 27. pr. *in ea est enim convenientia rerum*.

solum id, quod honestum sit, bonum] Haec sententia arx est Stoicorum. V. ad §. 6. p. 13. s. cl. III. §. 11. pr. et quae *Excursu VI.* extr. dicentur. Quae hic praeterea adjiciuntur, ea docent, ad *affectionem animi, legi summae in perpetiendis rebus obtemperantem*, (sic enim definitur *fortitudo* IV. *Tusc.* c. 24. pr.) requiri etiam invictum animi robur, ut recto mentis iudicio obtemperet voluntas. Contra vero huic ipsi praelucere debet verum illud et stabile humanarum rerum iudicium. Cf. Garve I. p. 61. s. Etenim *perturbationes nulla naturae vi commoventur* (*Fin.* III. 10, 35. ex.): *omnesque eas esse in nostra potestate, omnis iudicio susceptas, omnis voluntarias*, docetur *Tusc.* IV. c. 25. et 14. pr. Sed plenissimam haec lucem accipiunt a Lilio, cujus p. 50. ss. observatio, aliis quibusdam omissis, aliis aliunde insertis, haec est: „Vt boni terminos quasi longius removent Stoici, quam reliqui philosophi, sic mali fines propius admovent. Vt nihil in bonis habent, nisi quod honestum sit, ita in malis numerant omnia, quae libere fiunt nec tamen rationis jussu peraguntur. Qui in malis sunt, omnes *mali* et *stulti* vocantur: neque tamen omnia, quae agunt, mala vel peccata dixeris. Neminem adeo ab humanitate defecisse iudicabant, ut non interdum, rationem audiens, officio fungeretur, sed idem continuo ad peccata deflectet, simul ac peccandi illecebrae objectae fuerint. Has illecebras objiciunt res externae iisque obsequitur ratio a φαντασίᾳ susceptis. *Visa* (quae et ipsa φαντασίαι appellantur,) significant primum omnia, quae sensibus percipiuntur, deinde sensum voluptatis et doloris, quem Cicero (*Acad.* II. 7, 20. ex.) *tactum interiorem*, nostrorum philosophorum alii *Empfindung*, alii *Gefühl* vocant." Idem Lilie p. 38. impeditam Stoicorum sententiam de *libertate* explicarat, laudato Arriano l. IV. 1. p. 534. ss. qui satis perspicue libertatis vim declararit. „*Libertatis* vocabulum", ait, „virtutem ipsam ab ea parte declarat, qua cupiditatibus imperat et omnes animorum motus coërcet. Paradoxon illud, quod solos sapientes liberos judicat, ita placebat Stoicis, ut vix in iis numerari possit, quae non in vita, sed in schola tantum probabant. Nemo tamen dubitare potest, quin eam animi vim, quam nostri libertatem moralem vocant, agnoverint omnibusque et bonis et malis, item ut nostri, tribuerint. Hanc cum divisione illa, quae jungis

iudices et ab omni animi perturbatione liber sis.

---

physiologiam ethicae, tum ipso voluntatis vocabulo indicant. Interdum etiam χρῆσις φαντασιῶν vocatur libertas philosophorum nostrorum. Ea vi, quam voci *libertatis* nunc vulgo tribuimus, v. c. p. 618. homines vocantur φύσει ἐλεύθεροι." Iam his iunge haec p. 52. „Tres libertatis quasi gradus constituunt Stoici (Arrian. I, 1. et III. 112.) quorum primus in assensu tribuendo versatur, secundus regit appetitum (ὁρμήν), cui opponitur ἀφορμή, tertius vehementiorem animi motum, (ὄρεξιν καὶ ἔκκλισιν), quem bona et mala vel vera vel opinata incendunt." Hoc falsum est: nam ὄρεξις καὶ ἔκκλισις est εὔλογος, nempe βούλησις καὶ εὐλάβεια (Diog. Laërt. VII. 116.): ergo utraque pertinet ad *selectionem cum officio*; de qua v. *Excurs.* VI. Quod vero *assensus* etiam libertatis arbitrio tribuitur: hoc modo explicat Lilie p. 52. cum in visis et ea sint, quae tactui interiori tribuamus, facillime intelligi, assensu rei iucundae et molestae temere concesso significari ipsum turpis obsequii initium, quod in appetendi facultate collocant nostri, neque ignorasse Stoicos, non solum stultitiam, sed ignaviam etiam a virtutis via revocare. *Ignaviam*, quae tamen §. 102. angustiori sensu intelligitur, eatenus ait non minus late patere, quam fortitudinem eam, quam moralem vocat Cantius, i. e. ipsam virtutem in superandis impedimentis occupatam. (Haec ita intellexisse videtur etiam Plato in *Lacheta* extr. p. 199. E. ubi ἀνδρία dicitur esse σύμπασα ἀρετή.) „Non satis est scire, quid fugiendum sit, sed animo magno et firmo opus est, qui non solum erroris praestigias dispellat, sed peccandi etiam illecebras superet. Hinc *ignavi* et *serviles* (ἀνδράποδα, ἀνδραποδώδεις) vocantur a Stoicis, qui non obsistunt visis, quae vel asperitate terrent vel blanditiis alliciunt. *Vitiositas* modo *stultitiae*, modo *ignaviae* nomen habet. Multa in malis s. peccatis habent Stoici, quae nunc non solum sibi concedunt, sed etiam in concessis (licitis) numerant philosophi, hujusque regionis haud exigua pars (quam non nulli et lege et domino carere judicant) doctrina de officiis continetur. In malis est primum ipsa *opinio* (δόξα) temere concepta, deinde nata ex hoc errore *perturbatio* (πάθος)" i. e. secundum Zenonis definitionem *aversa a recta ratione contra naturam animi commotio.* Coll. §. 136. pr. v. *Tusc.* IV. 6, 11. et Schütz *Lex. Cic.* s. v. quem miror ibi e *Tusc.* III. 11. excerpsisse corruptam lectionem sensuque plane cassam, cum tamen ipse cum Wolfio veram lectionem recepisset. Nec vero hic debebat M. Heusinger quidquam tribuere iis, qui cum ed. Venet. a. 1498. et duabus Lipss. *omni* omittunt. Nimirum scribae abjecerunt, cum propter simile compendium v. *animi* opinarentur, idem vocabulum ab antecessore quodam bis scriptum esse. Sic §. 69. pr. *omni* deest in Goth. adscriptum tamen in margine, nec magis deesse potest, quam 102. pr.

Nam et ea, quae eximia plerisque et praeclara videntur, parva ducere eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi magnique dicendum est; et ea, quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est magnaeque constantiae. Non est autem consentaneum, qui metu non fran- 68
gatur, eum frangi cupiditate; nec, qui invictum

---

fortis animi m. dicendum e.] Sic restitui e Vinar. Gu. 4. λ, μ, aliquot Oxonn. Aldique codd. et Heusingerorum imprr. exemplaribus vett. (praeter unum sine l. et a.) omnibus, idque e quinque suis firmat Görenz ad IV. *Fin.* 20, 56. p. 490. b. cui volgata *ducendum* vel propter praecedens *ducere* improbatur.

a statu] per eandem metaphoram a palaestra mutuatam dicitur, quam §. 80. ex. *de gradu dejici.* *Status naturae* autem est status naturae accommodatus, qualem natura desiderat.

§. 68. *Non est autem consentaneum*] De hac inconstantiae nota cf. §. 71. ex. Solennis est autem hic verborum ordo, cujus exempla cf. *Lael.* 14, 7. c. 16. §. 9. pr. (al. 59.). *Divin.* II. 54, 111. *Fin.* II. 25, 80. *non quaeritur autem.* *Tusc.* III. c. 7. ter continuo scribitur: *Non cadunt autem haec* et *Non cadit ergo* (v. *igitur*) *in sapientem.* Vitiosus est igitur hic ordo *Fam.* IX. *ep.* 6, 5. *Non enim est idem.* *Acad.* II. 31, 100. *non enim est e saxo sculptus.* *Div.* I. 38, 83. *Non igitur sunt dii*; cl. II. 49, 102. *Non igitur dii sunt.* *Planc.* 4, 9.

eum frangi] Pronomen, quamquam h. l. significat *eundem*, tamen suspectum esse potest. Quod ni abesse posset, inserendum foret etiam altero in membro, ubi Gu. 1. peccat, *eum vinci cupiditate*, praesertim cum ibi exsistat ambiguitas propter *nec* elliptice positam, intell. *est consentaneum.* Idem pron. a glossatore accessisse videtur Görenzio *Fin.* V. 2, 6. *te hortamur omnes, ut eos* (Gud. 2. substituit *omnes*), *quos novisse vis, etiam imitari velis.* De ejusdem verbi iterati per chiasmum collisione v. ad §. 31. ex. add. *Tusc.* III. c. 7. *Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem:* ubi tamen, non dissimulamus, praecessisse: *Quae in quem cadunt, in eundem cadit;* non, *cadit in eundem.* De saevis quoque ingeniis a voluptate victis laudatur Senecae *epist.* 51. unde ista huc cff. *Si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati.*

se a labore praestiterit, vinci a voluptate. Quam ob rem et haec videnda et pecuniae fugienda cupiditas. Nihil enim tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias: nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas;

Quam ob rem et haec videnda] nempe, *ne metu frangare, ne cupiditate, ne a labore vincare, ne a voluptate.* Degenii barbaries supplet simpliciter *voluptas; vid.* i. e. *cavenda*. Sed Degenio non *cavendus* i. e. contemnendus et despiciendus erat usus loquendi, sed *videndum*, i. e. curandum et considerandum, ne Latinae linguae Genium violaret. Tum quidem animadvertisset, subaudiri *sunt:* quod glossema ex sex Manutii, libris Gron. et imprr. vett. omnibus, praeeunte Pearcio et Facciolato, recepit Gernhard, scilicet ut facilius abesse posset v. *est*, post *cupiditas* adjectum in Lipss. Sed eadem Ellipsis frequentatur deinceps. V. ad §. 25. ex. cl. notabili hujus glossematis exemplo 73. ubi vera meliorum libb. lectio, *majores motus animorum concitantur majorque cura efficiendi* (n. *concitatur*), in plerisque obliterata est striblígine, quam, iure eiectam, postliminio restituit Schütz, *majoraque efficienda*, quibus Gu. 1. addidit *sunt*, ut i. esset q. *majoresque res gerendae sunt*, quem sensum expressit et Garve et Hottinger. Apte autem his quatuor *perturbationibus* (de quibus cf. §. 69. pr.) adiicitur singulariter *pecuniae cupiditas*. Expetuntur enim divitiae *tum ad usus vitae necessarios* i. e. *metu* egestatis et *laboris*, *tum ad perfruendas voluptates* i. e. *cupiditate*. V. c. 8. pr.

Nihil enim tam] Volgo: *N. enim est tam.* Gu. 4. et 6. omittunt v. *est*, quod tamen corrector posterioris apposuit sic: *Nihil est enim*, quod recepit Schütz. Melius sane, quam e volgato ordine, quem Gernhard tuetur propterea, quod verbum ad Genitivum pertineat. Cf. 125. ex. *De or.* II. §. 178. pr. *Planc.* 23, 57. *Fin.* III. 11, 38. ex. *De divin.* I. 38, 83. pr. II. 49, 102. In eadem corruptela est *Lael.* 21, 5. pr. *Nihil enim est turpius.* (Cf. *Fin.* I. 6, 19. *quo nihil turpius.*) *Attic.* XII. 23. ex. *Nihil enim est melius.* (Cf. *Fin.* V. 8, 22. ubi Görenz in simili locutione *est* insititium iudicat.) *De div.* II. 7, 18. volgo legitur: *Nihil enim est tam contrarium rationi.* Hottinger, non admonito lectore, transposuit: *Nihil est enim.* Equidem, si unus et alter codex addicat, in his locis omnibus *est* deleverim. V. ad §. 43. 56. In primis haec Ellipsis obtinet, ubi *nihil* per anaphoram repetitur, ut 88. pr. *Orat.* 38, 132. ex. *Tusc.* V. 9, 26. *Nihil gravius, nihil philosophia dignius.* Vt in contrariorum comparatione II. c. 23. ex. *Fin.* III. 3. 10. *Ratio nostra consentit, pugnat oratio:* sic in proximis nota inversionem membrorum: *pecuniam con-*

si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Cauenda etiam gloriae cupiditas, ut supra dixi. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expetenda ac potius aut non accipienda interdum aut deponenda nonnunquam. Vacandum autem omni est 69

---

temnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam — conferre: ubi, miror, etiam Gernhardum peccare *beneficientiam.* V. ad §. 20. p. 46. — Divitiis omnino recto demum honestoque earum usu pretium suum statuendum esse, eleganter insinuat, Degenio laudatus, Horatius II. *Carm.* 2. ad quod v. Mitscherlichii et argumentum et notas, itemque de ambitione et avaritia Sallust. *Catil.* 11. — Deinceps Degen cum Heusingero: *Cavenda etiam est.* Melius Schütz *Cavenda est etiam* cum Gernhardo, cui tamen ipsi observatur Ellipsis verbi substantivi, post particip. fut. pass. in praeceptis tradendis saepe suppressi, id si fieri poterat sine obscuritate, ad numeri verborumque suavitatem. Ergo etiam in *Lael.* c. 16. pr. *Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines* etc. v. *sunt,* loco non suo positum, nobis videtur insititium. V. ad §. 26. ex. et 65. ex. quo spectant vv. *ut supra dixi.* Ad seqq. *Eripit enim libertatem* v. *Parad.* V. c. 3. §. 39. ss. — Statim post praecipitur, *imperia aut non accipienda interdum* (quod *saepius* fieri potest) *aut deponenda nonnunquam* i. e. *rarius,* non tam, ut ne ipsius sapientis tranquillitas turbetur, quo modo Degen, invito ipso auctore; §. 71. ss. ejusmodi ignaviam detestante, accipit, quam, *si non habeat efficiendi facultatem aut si aliam ob causam e re publica esse videbitur:* cujus modi exemplum P. Scipionis Nasicae memorat Aurel. Victor. *de vir. ill.* Cic. *N. D.* II. 4, 11. (ubi cff. intt.) aliud Liv. VIII. 17.

§. 69. *Vacandum autem est* depravate legitur in plerisque. Schütz eum Goth. et Gu. 3. edidit: *Vacandum est autem.* Satis bene. V. §. 42. *Videndum est enim,* ubi tamen cf. lectionis varietas. 61. pr. 99. pr. 107. pr. 129. ex. 130. *Adhibenda est praeterea* 131. pr. 132. c. 36. ex. 135. ex. 138. pr. 139. pr. III. 61. *Tollendum est igitur. Lael.* 12, 8. *Fin.* V. 24, 72. ibique Görenz p. 623. a. *Or.* II. c. 68. ex. et sic restituendum infra 102. pr. e Gu. 3. *Efficiendum est autem,* necnon 104. e Gu. 3. 4. 5. *Ludendi est etiam quidam modus.* Retinuimus tamen, re nondum ad liquidum perducta, interim elegantiorem ordinem, quem adoptavit Heusinger, Degen, Gernhard e Gu. 1. 2. 3., quos libros se secutum esse, falso ait Schütz in nota. Accedit Gu. 4. *V. autem ab omni est.* Et similiter II. 58. pr.

animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam

---

aliqui libri transponunt: *Vitanda tamen suspicio est avaritiae.* Sed facile hic quoque carebimus glossemate, mangonibus solenni. V. §. 91. pr. 110. pr. cl. nota ad 67. pr. Quid, quod etiam ad Gr. verbalia in — τέον verbum substantivum solet omitti? V. ll. Aristotelis ad §. 49. pr. et Platonis p. 33. et 104. adscriptos eundemque in *Gorg.* p. 490. C. 507. D. c. 63. pr. et 82. ex. Mox verbis *aegritudine et voluptate* adiicitur in al. edd. *animi*, quem Genitivum, ut videtur, e proximis, ubi post *tranquillitas* non, ut refert Gernh., in Gu. 5., sed in Goth. Vinar. atque in vett. et in Graev. Facciol. Olivet. editt. *animi* omittitur, huc translatum, iure Gernhard uncis notavit, cum absit a cod. Gu. 3. H. Wolf. in V. L. et Ascens. cumque *voluptas aegritudini* opponatur, omisso isto Genit. *Tusc.* IV. c. 7. ex. (ap. Schütz c. 8. pr.) et 9. pr. Adde infra §. 102. Levius est illud argumentum, quod hae perturbationes omnes ad animum pertinere dicuntur. Nam *Fin.* III. 10, 35. monetur *communi nomine corporis et animi* ἡδονὴν (*voluptatem*) *appellari.* Qua de causa mavolt ibi scriptor *laetitiam* appellare, *quasi gestientis animi elationem voluptariam.* Subest huic error, quo quis fascinatus, se opinatur assecutum esse bonum quoddam, quod homini, si non Tantali, at Danaidum supplicium perpetienti, in hac vita omnino denegatum est, nimirum perpetuam liberationem a desideriorum curarumque cruciatu, quae, cum perennis eorum fons in ipsorum insipientium stultitia sit, alia ex aliis nascentia, nunquam cessant misera mortalium corda angere. Quo errore postmodum, id quod evitari nequit, rerum vicissitudine discusso, *insolens laetitia* illa, quasi ut Ixion, qui pro Junone nubem amplexus fuerat, ex Olympo in Orcum praecipitati sint, mutatur *aegritudine:* quam eandem Cicero *Fin.* III. 9, 32. *moerendi*, saepe etiam *doloris dolendi*que vocabulis significat. „Qua translatione, etsi legitima et verecunda, commisit tamen, ut hic quoque Stoici justo majorem rationis arbitrio potestatem tribuisse viderentur. At enim non ipsum *doloris* et *voluptatis* sensum, quem natura fert, dum vel arcet pestifera vel potitur salutaribus, in vitio habebant. Non dolere, sed cogitando fovere dolorem vetant, nec improbant voluptatem, quae naturae desideriis respondeat. Voluptatis blanditiis impelluntur animalia, ut gravissimis naturae muneribus fungantur. Quam naturae machinationem cum intelligere possit ratio: indignum homine iudicabant, ita voluptatem sequi, ut nec causam, cur impellaris, explores, nec modum teneas, cum grato errore deceptus, nihil majus et melius, quod expetendum sit homini, suspiceris. Habes *cupiditatis* (τῆς ἐπιθυμίας) declarationem, eamque nasci vides, cum *appetitio*, quae nec in bonis nec in malis est, naturae modum excedit.“ Haec Lilie in *comment.* I. p. 64. Idem

etiam aegritudine et voluptate et iracundia: ut tranquillitas animi et securitas adsit, quae affert, cum constantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem

---

Idem p. 53. docuit, ex opinionis et perturbatae mentis fonte manare omnia, quae in malis habentur a Stoicis, nec solum animorum morbi (*Leidenschaften*), sed quatuor etiam vitia, virtutibus opposita: qui locus de malis et de vita misera copiose exponitur *Tusc. disp. ll.* I — IV. Vid. praecipue ib. III. c. 11. IV. 6. *Partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci et ex duobus opinatis malis: — ex bonis libidinem et laetitiam: ut sit laetitia praesentium bonorum, libido futurorum. Ex malis metum et aegritudinem nasci censent: metum futuris, aegritudinem praesentibus. Metus* etiam *formidinis* et *timendi* vocabulis designatur. Adiicitur hic praeterea *iracundia*, quae *libidini* vel, ut item dicitur, *cupiditati* subjecta pars est. *Sic enim definitur iracundia* III. *Tusc.* 5, 11. *ulciscendi libido*, aut I. *de or.* c. 51. *cupiditas puniendi doloris.* Luciano Stoici in *Hermotimo*, ubi irridetur horum magniloquentia, dicuntur μήτε ὀργίζεσθαι, μήτε λυπεῖσθαι. Cf. ibid. c. 8. et 76. et Plutarch. περὶ παιδ. ἀγωγ. 10, 7. Ceterum hoc Stoicorum praeceptum, *ut liber sis ab omni animi perturbatione*, de quo cf. not. ad §. 67. ingeniosissime illustravit et dijudicavit Arthur Schopenhauer in libro et multarum rerum oppido solerter excogitatarum et capitalium errorum, nimirum aperti atheismi et fatalismi, plenissimo: *Die Welt* etc. Lips. 1819. p. 130 — 133. 457. s.

tranquillitas animi et securitas] Haec iunguntur etiam §. 72. ex. Sed latius patet *tranquillitas*: de qua praeter Senecae librum singularem circumfertur sterilis ingenii fetus, qui Hipparcho Pythagoreo tribuitur. — Nisi seq. pron. *quae* referendum esset etiam ad *tranquillitatem:* volgato vv. ordini facile cum Facciol. praeferrem Conjunctionem vel μεσόζευγμα *tranq. an. adsit et sec.* in Gu. 5. et edd. vett. F. Heusingeri omnibus: qua de figura v. Capperonier ad Quinctil. *Instt.* IX. 3. p. 578. s. et Krause ad Vellej. Pat. II. 20. ex. Sic ἀπὸ κοινοῦ verbum interp. medium §. 14. pr. 67. ex. 71. *ignominiam timere et infamiam.* 85. ex. 92. pr. 105. *discendo alitur et cogitando.* 106. *ad valetudinem referatur et ad vires, non ad voluptatem.* III. 118. *in communitate cernuntur et in societate generis humani.*

tum etiam dignitatem] μ excludit *etiam.* Non male. Nam *tum etiam* significat *et praeterea*, ut statim ante. Cf. *Att.* IX. *ep.* 5. pr. At *constantiae* propria est *dignitas.* Perperam igitur Schütz cum nonnullis libris pro *cum* legit *tum constantiam.* — A prox. incipit disputatio de altera fortitudinis parte, *magnificentia.* De Indicativo post *multi sunt*, *qui* v. ad §. 5. p. 11.

et sunt et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis se removerunt ad otiumque perfugerunt: in his et nobilissimi philosophi longeque principes et quidam homines severi

---

otium] proprie *summa facultas vacui ac liberi temporis*, hic accipitur pro ipsa *vita otiosorum*, *qui sese suarum rerum finibus continent* (§. 92.) aut *qui requiescunt a rei publicae muneribus forensibusque negotiis*, opponiturque 156. et III. c. 1. *negotio* i. e. rei publicae administrationi. In *Lael.* 22, 3 iis, *qui ad rem publicam se contulerunt* opponuntur ii, *qui suum negotium gerunt otiosi.* Eximie vero *otiosi* vel, ut §. 73., *quieti* dicuntur ii, *qui rerum cognitione doctrinaque delectantur* s. *doctrinae studiis et sapientiae dediti*, i. e. philosophi. *Otium* hoc *sapientis et secessum* vocabant, de quo est Senecae scriptus libellus. Inde III. §. 4. *opus oti* dicitur *ingeni monumentum*, *mandatum literis.*

in his — nobilissimi philosophi] *ut Pythagoras*, *Democritus*, *Anaxagoras*, qui nominantur in compar. l. III. *de or.* c. 15. Pythagoras quidem viam ad forum, ut Schefferus *de natura et constitutione philosophiae Italicae* p. 64. ex Iamblicho docuit, ignorare suos volebat, eodemque videtur multis, nescio tamen, an speciosius, quam verius, aenigma illius pertinuisse, quo a fabis discipulos suos abstinere juberet, quod antiquitus in creandis magistratibus suffragia per fabarios calculos ferrentur. Otium hoc Stoici quoque et Epicurus, illud λάθε βιώσας, a Plutarcho singulari libello confutatum, semper in ore habens, commendabant discipulis. Haec quidem enarravit Mücke l. supra p. 62. l. p. XIII. *Sed utraque secta ad otium diversa via mittit. Epicurus ait: „Non accedet ad rem pub. sapiens, nisi si quid intervenerit.“ Zeno ait: „Accedet ad rem p., nisi si quid impedierit.“ Alter otium ex proposito petit, alter ex causa*, ut ait Seneca l. l. c. 30. vel potius 3. qui in iis, quae deinde addit, hausit e Platonis loco, mox comparando, nisi ipse Zeno, ad quem provocat, vel Chrysippus: de quo cf. supra p. 64. ex. Quo sensu deinceps dicantur *quidam homines severi et graves*, explicatur adjectis vv. *qui nec populi nec principum mores ferre potuerunt.* Huc pertinet locus Platonis, qui (*l. VI. de re publ.* p. 596. *D. E.* Steph.) causas, cur philosophi, doctrinae dulcedine et praestantia capti, se removerint a negotiis, in populi et procerum, qui rem publicam tenerent, maximam in ea potentiam et gloriam consecuti, furore quaerens, negat, ullam rem publicam exstare, philosophi ingenio dignam: quippe qui in tam corruptis moribus et sceleribus nihil ad utilitatem et salutem omnium conferre possit nec habeat, quicum defendat et tueatur justitiam: et ita ipsi, si capessere rem publicam velit, pereundum esse

et graves, qui nec populi nec principum mores ferre potuerunt, vixeruntque nonnulli in agris, delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, 70
quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur, cuius proprium est, sic vivere, ut velis.

XXI. Quare, cum hoc commune sit potentiae cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis: alteri, se adipisci id posse, arbitrantur, si opes magnas habeant; alteri, si contenti sint et suo et parvo. In quo neutrorum omnino contemnenda sententia est.

---

antea, quam aliqua re vel civitatem, vel amicos iuvet: ita et sibi et aliis inutilem fore. Quae qui diligenter consideret, eum quiete vitam acturum et suas res curaturum. Qui locus elegantissimus cum longior sit, quam qui huc adscribi posset, argumentum indicavimus Gottleberi verbis, in cujus nota citatur ed. Frcf. p. 489. quod sphalma pro p. 480. fideliter repetiit Gernhard. Laudatur praeterea Gottlebero Cic. I. *Epist.* 9. (al. 10.) §. 53. *Atque hanc quidem ille* (ipse Plato in *epist.* illa *ad Perdicc.* V. extr. p. 1275. Frf. 522. ed. Steph.) *causam sibi ait non attingendae rei publicae fuisse: quod — offendisset populum Atheniensem prope iam desipientem senectute.* Romanorum M. Piso ingenuo liberoque fastidio e medio cursu forensi ad otium perfugisse memoratur in *Bruto* c. 66. et *Atticus* Cornelio Nepoti c. 6, 1. 2. *honores non petisse, cum ei paterent.* Ceterum Schütz post *graves* pron. *qui*, ab Heusingero e Viri docti Britanni conjectura, postea Gu. tertio confirmata, restitutum, neglexit: quod pron. ex eodem cod. et duobus Oxonn. item III. §. 63. ex. accessit verbis: *etenim qui omnino tantum se negat facturum —, huic etc.* Cf. Görenz ad V. *Fin.* 24, 70. pr.

§. 70. Cf. *Parad.* V. 1, §. (4.) 34. pr. *Quid est enim libertas? potestas vivendi, ut velis:* ibique Wetzel. Fragm. Hortensii ed. Schütz p. 104. ex. Augustin. *Trin.* l. XIII. c. 5. *Omnes," aiunt, esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint.* Arrian. *diss.* IV. 1. Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν, ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστιν οὔτε κωλύειν οὔτε βιάσασθαι.

C. XXI. *cum hoc*] Degen, in interpretatione nihil e praecedd. repetens, nisi *vivere, ut velis,* non attendit ad

Sed et facilior et tutior et minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum; fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accommodaverunt.
71 Quapropter et iis forsitan concedendum sit, rem publicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, et

---

seq. *se adipisci id posse, arbitrantur.* Rectius igitur Facciol. „Tam potentiae cupidi, quam quieti et otiosi, *id propositum habent,* ut vivant ad voluntatem, nemini obnoxii.“ Idem cum ed. Lugd. 1527. et Ascens. *In quo quidem neutrorum omnino contemnenda est sententia:* non inepte inserta particula, de cuius usu v. ad c. 10. ex. cll. §. 33. pr. 42. pr. 78. *Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus — hoc tribuit.* Certe II. c. 14. pr. *non est id quidem dubium* etc. Goth. Vinar. Gu. 5. omnes edd. vett. et volgatae prave omittunt *quidem.* Volgatum verbi *est* positum cum Facc. h. l. servat Schütz. Gu. 1. 2. 4. ed. Ascens. et Bald. substantivo postponunt, Gu. 3. excludit. Fortassis rectius. V. ad §. 25. ex. et 68. In prox. Degenii ingenium impar fuit suscepto negotio distinguendi *claritatem* et *claritudinem.* Plus credimus Messerschmidio ad Ausonium Popmam p. 185., utriusque vocis differentiam mere arbitrariam esse, fatenti. Certe eodem plane sensu Sallust. *Jug.* c. 2. ex. *artes animi, quibus summa claritudo paratur.* Ciceroni autem haec vox insolens est.

§. 71. *iis forsitan concedendum sit*] ex Graecismo cum Participio, ex quo supplenda Ellipsis, *ut rem p. non capessant.* Sic enim *Epist.* IX. 6, 13. *Quis enim hoc non dederit nobis, ut — ad eam vitam revertamur?* Ib. §. 14. Schütz, non admonito lectore, e Bernhardi Rutilii coniectura edidit: *Quae igitur studia magnorum hominum sententia vacationem habent etiam* (pro lectione codd. fere omnium *eandem*) *publici muneris, iis, concedente re publica, cur non abutamur?* Legendum videtur *quandam:* quae mitigatio hic compensatur particula *forsitan.* Cf. Plato l. VI. *de re publ.* p. 496. C. Πάνυ σμικρὸν δή τι — λείπεται τῶν κατ' ἀξίαν ὁμιλούντων φιλοσοφίᾳ, ἤπου — γενναῖον καὶ εὖ τεθραμμένον ἦθος — κατὰ φύσιν μεῖναν ἐπ' αὐτῇ· ἢ ἐν σμικρᾷ πόλει, ὅταν μεγάλη ψυχὴ φυῇ καὶ ἀτιμάσασα τὰ τῆς πόλεως ὑπερίδῃ· βραχὺ δέ πού τι καὶ ἀπ' ἄλλης τέχνης, δικαίως ἀτιμάσαν, εὐφυὲς ἐπ' αὐτὴν ἀνέλθοι· εἴη δ' ἂν καὶ — χαλινὸς οἷος κατασχεῖν — ἡ τοῦ σώματος νοσοτροφία, ἀπειργοῦσα — τῶν πολιτικῶν.

dediderunt] Libri quidam *dederunt,* ut *Parad.* V. 2, §. (5.) 37. ubi alii aliter peccant, item infra II. §. 2. *nec me angoribus dedi* pro *dedidi.* Vid. supra ad. §. 40 ex. cl. Gellio III. 1. *qui sese in quaerenda undique pecunia dediderunt.* H. l. de studiis artibusque, ut apud Plin.

iis, qui, aut valetudinis imbecillitate aut aliqua graviore causa impediti, a republica recesserunt, cum eius administrandae potestatem aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant ea, quae plerique admirantur, imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum iudicium

---

V. *epist.* 16, 8. quem l. aliosque, ubi *deditus* sic dicitur, citat M. Heusinger. Add. *or.* c. 3. ex. II. *de or.* c. 15. *ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt.* In prox. observamus Ellipsin: *aut aliqua* (i. e. alia qua) *graviore* (scil. quam quae posthaberi debeat) *causa impediti.* Similis est ratio omnium illorum Comparativorum, qui volgo pro Positivis usurpati creduntur. Non satis subtiliter ea de re praecepit Degen. — Paullo post *aliis concedere* i. e. q. *aliis relinquere;* apud Plat. in *Gorg.* c. 41. ex. ἄλλοις — τοῦτ᾽ ἀφείς. V. ad §. 2. p. 6.

si despicere se dicant ea, quae plerique admirantur etc.] Sic Lugd. 1527. Ascens. Balduin. Olivet. Cf. §. 66. Goth. a prima m. Vinar. Gu. 5. cum ed. Magont. alia s. l. et a. Lipss. et Facciolati *admirentur.* Rell. *mirentur.* Conjunctivus hic probabilior videtur Gernhardo, ut haec verba sint se excusantium. At idem probaverat Indicativum §. 28. ubi V. D. tacite reposuit: *pro nihilo ducant,* ut III. §. 24. quod Schütz retinuit. Sed v. *Mil.* 24. 64. *Lael.* 23, 2. ex. *Fin.* V. 24, 72. ubi constanter, ut h. l., scribitur *pro nihilo putare.* Luciani *Hermotimus* c. 7. ex. ἃ τοῖς ἄλλοις θαυμαστὰ εἶναι δοκεῖ, οὐκ ὀρθῶς δοξάζουσιν (i. e. *plerisque, utpote insipientibus*), ἀνελθόντες ἐπὶ τὸ ἄκρον (qui Lucretio dicuntur *tenentes sapientum templa serena*) εὐδαιμονοῦσι, πλούτου καὶ δόξης καὶ ἡδονῶν ἀλλ᾽ οὐδὲ μεμνημένοι ἔτι, καταγελῶντες δὲ τῶν οἰομένων εἶναι· (Adde τι, *aliquid,* n. ἀξιόλογον v. μέγα. V. intt. ad Vigeri *idiotismos* p. 152.) Respondetur c. 9. Πλούτου ἔφησθα καταφρονεῖν σφᾶς καὶ δόξης καὶ ἡδονῶν. Horum igitur vanos praetextus elevat et refutat Cicero usque ad finem capitis. Cum intelligentiae communis fide philosophos inertiae incusat aliquis, qui omnia utilitate metitur, apud Plat. in *Gorg.* c. 40. s. et apud Gellium X, c. 22.

non modo non laudi, verum etiam vitio] Prius *non* e Gu. 5., posterius e binis aliis codd. excidit, ut 19, 62. in vv. *non modo enim id virtutis non est* e Gu. 1. et λ. Sed in magno errore fuit Mich. Heusinger, negationem aliquando iterari non solere, dicens, si illud in negativa sententia ante *sed* vel *verum etiam* fieri posse opinabatur. V. *Rhet.* II. c. 55. med. *demonstratur — non modo id non adeptus, sed in summas miserias incidisse.* II. *or.* c. 47. *non modo non miserabilis, sed etiam irridenda — oratio. Rosc. Am.* c. 47. ex. §. 138. *In Caecil.* 9, 29. *Verr.* IV, 59. 133.

in eo, quod gloriam contemnant et pro nihilo pu-

V. 62, 161. (Ernest. 162.) II. *agrar.* 33, 89. ex. (130. ed. Beck.) *Catil.* I. 12, 29. (42.) *Phil.* VIII. c. 3. *non modo non in dissensione —, sed in maxima consensione.* *Pro domo* 28, 76. *non modo non propulsanda, sed etiam emenda.* *Epist* I. 9 (al. 10.), §. 42. V. 2, 29. *Att.* XI. 6. pr. *Acad.* II. 2, 6. ex. *Fin.* III. 2, 5. *non modo non vinci —, sed esse — etiam superioris.* *N. D.* III. 24, 62. Manutius, qui, ex omnibus locis, in quibus scriptum est *non modo non*, eradendum esse *non*, contendisset, rejectus est ab Henrico Stephano in *Pseudo-Cicerone* p. 228. Substituitur enim alteri in priori membro *non* saepe alia negatio, ut *nihil*, *nullum* etc. *Verr.* III. 46, 109. ex. IV. 6, 11. *Catil.* III. 12, 28. pr. *Pro domo* 28, 76. ubi simul notare liceat senarios:

In ísto tuo maledícto probrum nón modo
Mihi núllum objectas, séd [etiam] laudem illustrás meam.

Apud Liv. XXIV. 40. *Tantus terror omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet —, sed etiam ipse rex — ad flumen navesque perfugerit*, alteram negationem latere in pron. interrogativo *quisquam* i. e. *nemo*, non vidit *M(einer)* in *Uebersicht aller ... lat. ... Partikeln* p. 318. Denique apud Apulej. *de habit. doctr. Plat.* paullo ab in. I. I. *ut primus tripartitam philosophiam copularit, sibique invicem necessarias partes neque pugnare inter se tantum modo, sed etiam mutuis adiuvare auxiliis, ostenderit*, est talis responsio, qualis particularum *nec — sed*. I. *Acad.* 10, 38. ubi v. Görenz p. 59. Sed adhuc quidam VV. DD. in talibus haerent et peccant. Corrupta remansit lectio in Schütz. ed. II. *Att. ep.* 1. *non modo excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum*, nempe, quo minus scriberet. Recte alii inseruerant *non*. Male ibi *non modo* pro *non modo non* dictum tuetur Ernestus in *Clavi* s. v. *modo:* itemque *de off.* II. 13, 45. III. 18, 74. ubi tamen Schütz (quid, quod ipse Ernestus?) recte edidit *non modo non*. Sed nihilo secius Schütz illos Ernesti errores omnes in *Lex.* suum III. I. p. 395. transtulit. *Catil.* I. §. 8. c. 3. ex. ubi cum Perizon. et Bauero ad Sanct. *Min.* IV. 7. II. p. 300. ss. Ill. Beck, intelligentissimus harum rerum arbiter, verissime restituerat, *Nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam planeque sentiam*, Cel. Matthiae in altero membro *etiam*, ut striblíginem, delevit, in priori autem cum b. Weiskio et Möbio post *non modo* expulit *non*, multis laudatis auctoribus, qui, id saepe omitti, doceant, sed quorum nullus idoneum suppeditat exemplum. Quamquam apud Donatum ad Terentii *Andr.* III. 1, 12. locus ille corruptus sic legitur: *non solum videam, sed etiam audiam pleneque sentiam:* quem locum inter *Fragmenta* incerta retulit Schütz *Opp.* T. XVI, II. p. 145. Sed ex loco il-

tent, difficile facta est, non probare. Sed videntur labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum sibi con-

lum in modum mutilato incongruus, imo absurdus hic exit sensus: *Quidquid cogitas, id, tantum absum, ut audiam, ut id potius videam:* vel, *id, multum abest, ut audiam: multum abest, ut audiam? imo vero etiam video planeque sentio.* Scilicet, in gradatione, i. e. ubi majus et minus ita opponuntur, ut minus praecedat, *non modo* non posse negative accipi; ergo, sicubi majus et minus ita opponuntur, ut utrumque negetur, minus illud non posse praecedere, sed necessario praecedere majus: ut apud Varron. *de re rust.* I. c. 47. *herba in pratis, ad spem fenifici nata, non modo non evellenda in nutricatu, sed etiam non calcanda*, ubi post *non modo* omitti potuisset *non.* Sic etiam recte diceretur in regradatione: *Multa agis, quae ego non modo videam, sed ne audiam quidem* Nam ante *ne — quidem,* quod plane idem valet atque *etiam non,* et ante alias negationes in altero membro, vel, si hoc in constructione ἀντιστρόφως praecesserit, post eas, saepe dicitur *non modo.* V. III. §. 77. Huius generis est etiam l. II. *orat.* 41, 175. *Nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi,* i. e. *ne in alio quidem genere dicendi quidquam oratorem effugere potest.* Tota sententia est negativa. Abusus est ergo dissimillimo hoc loco Görenz in Progr. *de Cic. Catil.* I. ad tuendam corruptelam nonnullorum librorum, in quibus locus ille, deleta etiam in altero membro negatione, sic legitur: *nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam.* Neque quidquam Görenzium movit praecedens negatio, quam, si contexta quaeras, affirmantis esse dicit. At non per se ipsa ea est affirmantis, sed, iterata demum negatione alteraque alteram tollente. Jure illam lectionem iam rejecerat Hottinger ad I. *de divin.* 55, 124. ex. p. 153. ipse tamen integerrimum ibi locum, male interpretatus, vexat. Omnino fraudi viris doctis fuisse videntur maxime Grr. partt. οὐχ ὅτι, οὐχ ὅπως, οὐχ οἷον, μὴ ὅτι etc. quarum tamen formularum ellipticarum aliam quandam esse rationem, subtilissime docuit Hermannus *adn.* 253. ad Viger. *de idiotism.* Etiam particulas *non modo* interdum compensat v. *mitto, non dicam.*

difficile factu est, non probare] i. e. *vix fieri potest, ut non probemus.* Idem pleonasmus supini reperitur in *Timaeo* c. 11. *difficile factu est, a diis ortis fidem non habere.* Additur etiam Accusativus cum Inf. *N. D.* III. 1, 1. ex.

in rebus contrariis] Spectant haec ad opposita, quae deinceps comparantur: unde sequitur, *atque ea quidem*

stent; voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores; gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter.
72 Sed iis, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus et gerenda res publica est. Nec enim aliter aut regi civitas aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rem publicam nihilo minus, quam philosophis, haud scio, an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum hu-

---

non satis constanter. Cf. §. 68. pr. et de his vitiis omnino II. §. 37. et 38. *qui dolorem* etc. *timet, aut qui ea, quae his sunt contraria, aequitati anteponit.* Nimium igitur quantum a vero aberravit Degen, accipiens pro *rebus adversis.* Verius pridem explicaverat Facciolatus.

in dolore sint molliores] i. e. *dolori facile succumbant,* ut *Fin.* II. 20, 64 *dolorem molliter ferre* i. e. fracto animo, ut recte Görenz interpretatur, cl. infra 129. ubi *effeminate* et *molle* iunguntur. Add. 106. ex. 131. pr. *Tusc,* II. c. 21. ubi Ulixi, gementi, illi ipsi qui ferunt saucium, dicunt: *nimis paene animo es molli.* Cf. id. cap. extr. et exempla apud Schütz. in *Lex. Cic.* s. v. n. 5. 8. 10. Similiter Graeci. Nam Thucydidi II. 42. 43. ex. μαλακισθῆναι, cui Lucian. in *Hermotimo* c. 24. addit τοῖς δυσχερέσι, i. e. q. Platoni in *Gorg.* 491. *B.* ἀποκάμνειν διὰ μαλακίαν τῆς ψυχῆς. Plutarch. *Cic.* 19. ex. *Frangantur* hic i. e. q. *frangi se patiantur:* ut *Tusc.* II. §. 20. pr.

§. 72. *iis — adipiscendi magistratus*] Breviloquentia pro *danda opera, ut adipiscantur magistratus.* Itaque in proximis hic inveniendus sensus: *Capessentibus rem publicam* (V. Sallust. *Catil.* c. 52. et Ernesti *clavis* s. utroque v.) *opiner, multo etiam magis adhibendam esse.* Bauer ad Sanctii *Min.* II. 293. *d*) et Gernhard ad h. l. atque iterum in *Excursu* p. 450. notant, Ciceronem, cum sic coepisset, *nihilo minus,* cui suggereret *adhibenda est,* verbis *haud scio, an* sic interjectis, ut ad *magis etiam* pertineant, paullo immemorem sui, structuram verbi accommodatam voluisse ad propiora *haud scio, an* ab iisque Coniunctivi formam adscivisse, quem ad modum interdum interjecta sententia secundaria successit in primariae locum, ut ex ea reliqua constructio apta sit, e. c. §. 22. ex verbis, *ut placet Stoicis,* et 33. ex vv. *si verum est.* De hoc Coniunctivi usu acutissime disseruit Bremi Vol. I. sylloges: *Philologische Blätter aus der Schweiz* p. 189. s. *ad or. pro Flacco* 26, 63. cl. Liv. XIII. 16, 15. observans,

manarum et ea, quam saepe dico, tranquillitas animi atque securitas: si quidem nec anxii futuri sunt 73
et cum gravitate constantiaque victuri. Quae faci-

---

haud scio, an natura sua proprie quidem cum verbo construendum esse, sed, cum propria locutionis significatio sensim abisset in simplicem et modestam affirmationem, obtinuisse, ut etiam aliis orationis partibus adiungeretur formula *haud scio, an*, primum quidem cum verbi obscura saltem Ellipsi, ut *dicam* etc. Quam Ellipsin nos non agnoscimus, eoque minus, quod, ipso Bremio confesso, in constructionem enunciationis illa formula non plus valeat, quam si scriptor posuisset *fortasse, meo quidem iudicio, ut opinor* etc. Cf. *Excurs.* XI. Distinguimus autem cum V. D. tertium quoddam genus idque ambiguum, mixtum ex utroque, quo formulae modestia augeatur; cum ista, quae videtur, dubitatio proprie quidem non verbum attingat, sed verbi vel subjectum vel objectum, et tamen formula ista ad verbum relata Coniunctivum arripiat. Cujus generis noster est locus. *Adhibenda est* non carebat invidia. Ergo mitigavit scriptor, modestius usus Coniunctivo. Monuit autem haec contra eos: de quibus §. 69. dixerat: *Multi — eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, — ad otium perfugerunt:* ad cujus loci, ubi *tranquillitas* iterum atque iterum laudata fuerat, similitudinem hic vv. proxima in ordinem revocarunt Pearcius, Ernestus, Gernhard cum quodam Ms. apud Verburgium et uno libro Langii, in quo pron. ea omissum est. Cum reliquis Degen et Schütz copulam retraxerunt post vv. *quam saepe dico*, ut haec designatio referatur ad v. *despicientia*, a qua tum incommode esse tam longe remotam, censemus cum Gernhardo. Ceterum quae hic *magnificentia et tranq. animi atque securitas*, eadem virtus mox 73. dicitur *magnitudo animi et vacuitas ab angoribus.* Etenim *robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, cum et mortem contemnit — et ad dolores paratus est.*

nec anxii — et cum gravitate — victuri] Sic, sententiis et affirmativa et negativa ἐκ παραλλήλου positis, respondent sibi particulae *nec* (pro *et non*) — *et* II. c. 12. ex. III. c. 14. pr. *Tusc.* I. c. 4. pr. *Fin.* I. 2, 3. V. 24, 72. *neque — et* III. §. 1. *Catil.* II. 10, 22. pr. Sallust. *Jug.* 85. *acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini et illi frustra sint.* Contraque *et — nec* (v. *neque*) §. 155. s. III. §. 3. ex. 11. ex. 95. *Fin.* III. 15, 50. *si non ullam esse* (differentiam rerum) *diceremus: et confunderetur omnis vita neque ullum sapientiae munus inveniretur.* Eodem modo *nec* (*neque*) — *que* sibi respondent *Lael.* 27, 12. pr. *Catil.* II. 13, 28. ubi v. Matthiae. Cf. Görenz ad I. *Leg.* 4, 13. pr. 15, 42. ex. *Fin.* I. 14, 48. ex. 16, 52. II. 20, 64. ex. V. 24, 72. ex.

liora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quae Fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent, et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. Quocirca non sine causa maiores motus animorum concitantur maiorque cura efficiendi rem publicam gerentibus, quam qui-

---

§. 73. *Quae faciliora sunt*] Ante Comparativum Schütz retinuit *eo*, quod in Gu. 5. post rasuram scriptum, in 3. mutatum in *ea*, cum Gu. 1. 2. 4. λ, μ, ed. Gryph. et Bald. expunxerant F. Heus. et Gernh., laudato Ruhnkenio ad Rutil. Lup. I. 4, p. 17. et cf. V. *Fin.* 13, 37. ubi Görenz p. 577. dissimilia comparans, apertam Ellipsin agnoscere noluit. Ad seqq. *tam graviter cadere non possunt*, subauditur oppositio, *quam principes*, *quorum ex alto fastigio suo dejectorum sonitu fragor intonat ita*, *ut casum universa civitas sentiat*. Sic enim de obscuris hominibus loquitur Noster *Catil.* II. 10, 21. *corruant*, *sed ita*, *ut non modo civitas*, *sed ne vicini quidem proximi sentiant*, proverbialiter, ut cognoscitur e Platon. *Alcib.* I. c. 36. ἡμῶν δὲ γεννωμένων, τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ (Platonis Comici, teste Schol.), οὐδ' οἱ γείτονες σφόδρα τοι αἰσθάνονται. Cf. Lucian. in *Charont.* v. *Contempl.* c. 16. ex. (T. I. p. 512. 13. ed. Reiz.) οὗτος μὲν (*a Parcarum tenui filo suspensus*), ἀνασπασθεὶς ἄνω, μετέωρός ἐστι καὶ, μετὰ μικρὸν καταπεσὼν, ἀποῤῥαγέντος τοῦ λίνου, ἐπειδὰν μηκέτι ἀντέχῃ πρὸς τὸ βάρος, μέγαν τὸν ψόφον ἐργάσεται. Οὗτος δὲ, ὀλίγον ἀπὸ γῆς αἰωρούμενος, ἢν καὶ πέσῃ, ἀψοφητὶ κείσεται, μόγις καὶ τοῖς γείτοσιν ἐξακουσθέντος τοῦ πτώματος.

majores motus animorum concitantur majorque cura efficiendi] Repet. ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *concitatur*. Est enim μεσόζευγμα. V. ad §. 68. et 69. Horum vv. et prox. *efficiendi facultas* vis latuit Degenium. Ne Gernhard quidem satis recte docet, *efficere* utroque loco simpliciter esse *res gerere*: imo *bene*. Cf. de praepos. *ex* in compositis ad §. 3. p. 8. Intell. πάθη τε καὶ δραστηριότης. Nam *efficiendi cura* hic est cupiditas, quae exspectatione rei futurae, quam praesagitione quadam anticipamus, continetur, cum conamine, ut eam aut, si expetenda videatur, assequamur, aut, si fugienda, vitemus. Ceterum, ut haec obiter moneamus, propter hanc ipsam causam, quod rem publicam gerentes, si cadunt, gravius cadunt ideoque *non sine causa* sunt personae παθητικώτεραι et δραματικώτεραι omninoque ad sublimitatem aptiores, tragoediae sublimitas his uti maluit heroibus, quam *quietis*. Sunt sane utrique δρῶντες, sed posteriores plerumque non tam δρασείοντες et δραστῆρες, quam τρέσαντες et δραπετίσκοι vel etiam δρασσόμενοι: nam in quibusdam

etis. Quo magis his et magnitudo est animi adhibenda et vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit; sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem: in quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet propter ignaviam aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis prius, quam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens.

---

dramatis Nostratium, quorum ineptam atque insulsam inscitiam perstrinxit Schilleri magni Genius in parodia illa de *Shakespearii umbra*, primarum partium personae cochlearia argentea *surripiunt*. Itaque δραπετίνδε potius conveniunt, quam tragoediae. Animi enim affectionum perturbationumque magnitudine et vehementia vel necessitatis potentiam vel vim libertatis (in utriusque autem rei communi imperio et contentione actio tragica posita est) metimur. De primariarum sublimitate personarum, in quibus libertatis in subeundis periculis sufferendisque malis conspicuae cum fati necessitate contentio exprimi debet, v. Hermanni commentatio, Aristotelis *de arte poëtica libro* adjecta §. 22. ss. cl. loco egregio Cic. de rerum eventorumque suorum quasi *fabula* V. *Fam. ep.* 12. (al. 13.) §. 14 — 19.

Quo magis] pro *Eo magis igitur*. Recte enim haec, quae faciant conclusionem, interpunctione a praecedentibus distinxit Gernhard. Tum eleganter Heus. et Schütz e Gu. 1 — 4. et Goth. *his et magnitudo est animi adhibenda*. Cf. ejus modi synchysis §. 4. ex. Gernhard cum reliquis: *m. animi est adh.* Gu. 5. *adhibenda est*, ut v. substantivum videatur insititium. V. ad §. 25. ex. et 68.

consideret, — ut habeat] Degen, qui *ut* hic accipit pro *quatenus*, *quo modo*, consideret, *ut* verius interpretari discat. Discet autem, si attendere voluerit ad ea, quae statim post leguntur: *considerandum* (i. e. cavendum, providendum) *est*, *ne — desperet*. Ad seqq. *In omnibus a. negotiis*, *priusquam aggrediare*, intell. *ea*. Sic *Acad.* II. 19. 64. *Aggrediar igitur* dicitur, Ellipsi e praecedd. supplenda, pro *suscipiam causam*. Haec autem, quae hic praecipiuntur, non tam ad viros fortes spectant, qui fere impetu ferantur et celeritate ad agendum, ut Facciolatus putat, quam ad homines leves, qui, ad rem publicam accedentes, id modo considerant, quam illa res honesta sit. Cf. Xenoph. *Mem.* III. 6. maxime §. 16. ss. Plato in *Gorg.* c. 70. pr. et in *Alcib.* I. c. 30. graviter reprehendens τὸ πράττειν πρὸς τὰ πολιτικά, πρὶν παιδευθῆναι (q. i. c. ac c. 32.

74 XXII. Sed cum plerique arbitrentur, res bellicas maiores esse, quam urbanas: minuenda est haec opinio. Multi enim bella saepe quaesierunt propter gloriae cupiditatem; atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit, eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum. Vere autem si volumus iudicare, multae res exstiterunt urbanae maiores clarioresque, quam
75 bellicae. Quamvis enim Themistocles iure laudetur et sit eius nomen, quam Solonis, illustrius citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae ante-

---

ἰδιωτικῶς ἔχοντα ἔρχεσθαι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως) et. 34. praecipiens μανθάνειν, ὅσα μαθήσεως ἔχεται, ἀσκεῖν, ὅσα δεῖται ἀσκήσεως, καὶ πᾶσαν παρασκευὴν παρασκευασμένον, οὕτως ἰέναι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως. Idcirco c. 41. ex. monet Alcibiadem, ad rem publicam gerendam opus esse ἐπιμελείᾳ τε καὶ τέχνῃ· ὧν σὺ εἰ ἀπολειφθήσῃ, καὶ τοῦ ὀνομαστὸς γενέσθαι ἀπολειφθήσῃ. Cujus dialogi argumentum mutuatus est Persius *sat.* IV.

C. XXII. §. 74. *res bellicas majores esse, quam urbanas*] Minuit auctor hanc opinionem monetque, arma sine consilio nihil valere. Observat Binkes p. 28. n. 4. ipsum rem militarem laudare *pro Mur.* c. 9. Verum enim vero ibi orator, ut causae suae inserviret, plus nimium coronae dedisse videtur; et, quod caput rei est, M. Tullio Murenam defendente, nondum togae cesserant arma; sed Catilinarii conjurati in foro et curia adhuc versabantur. V. Matthiae in ejus or. *argumento* p. 178. Alias tunc orator profecto nullo modo dixisset c. 10, 22. *Omnes urbanae res, omnia haec nostra praeclara studia latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis; simulatque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt.*

Multi — saepe quaesierunt] Sic Degenio videtur dictum ex Perfecti Graeci usu. At vero Graece non Perfectum, sed Aoristus usurpatur in re, cuius saepe iteratae exempla multa, *solere* ita, vel *plerumque* aliquid fieri, docuerunt. V. Hermanni *de emendanda ratione Gr. Grammaticae* L. II. p. 187. ss. Deinde Schützio in volgata lectione hoc videbatur esse ineptum, quod, qui *bella quaerunt propter gloriae cupiditatem*, iidem dicuntur *eo magis* hoc facere, *si sint c u p i d i bellorum*. Substituit igitur *c a l l i d i b. gerendorum* e coniectura F. Heusingeri, a quo dissentiens Gernhard monuerat, non necesse esse, qui *gloriae cupidus* est, ut idem sit *cupidus belli*. Cf. *Brut.* §. 239.

§. 75. Vid. *Tusc.* I. c. 46. *Non possum — dicere, — L y c u r g u m, S o l o n e m legum et publicae disciplinae carere*

ponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas: non minus praeclarum hoc, quam illud, indicandum est. Illud enim semel profuit,

---

gloria; *Themistoclem*, *Epaminondam bellicae virtutis. Ante enim Salaminam ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii* (n. in orientali Salaminis ora constituti) *tropaei memoriam.* Cf. *Lael.* 12, 9. *Acad.* II. 1, 2. Xenophonti *Memor.* III. 6, 2. Themistocles dicitur ὀνομαστὸς καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις i. e. *Persis*, quorum classem devicit, ineunte auctumno a. 480. ante Ch. (a. V. c. 274.), in freti inter Salamina (hodie *Colouri*) insulam et Heracleum sive fanum Herculis, in Attica positum, angustiis, ubi Graeci a multitudine circumiri non possent. Itaque oppotunissimo loco potiti, classiarios Xerxis ἐτρέψαντο, μέχρι δείλης ἀντισχόντας, ὡς εἴρηκε Σιμωνίδης (cuius de pugna Salaminia exstant epigrammata in *Anal.* I. ed. Lips. n. XXXVII — XL.), τὴν καλὴν ἐκείνην καὶ περιβόητον ἀράμενοι νίκην, ἧς οὐδ᾽ Ἕλλησιν οὔτε βαρβάροις ἐνάλιον ἔργον εἴργασται λαμπρότερον, ἀνδρείᾳ μὲν καὶ προθυμίᾳ τῶν ναυμαχησάντων, γνώμῃ δὲ καὶ δεινότητι Θεμιστοκλέους: de qua v. scriptores Herodot. VIII. 75. 84 — 95. cl. VII. 139. Thucyd. I. 73. s. Diodor. XI. 15 — 19. Plutarch. in *Themist.* c. 12 — 15. et in *Aristid.* c. 8. 9. Aemil. Prob. II. c. 4. 5. 6, 3. Justin. II. 12. ex. Valer. Max. V. 3. *extern.* 3. et rhetores Isocrat. *Paneg.* c. 27. Lycurg. *in Leocr.* c. 17. p. 156, 35. ss. 162. l. 12 — 17. Aristides T. I. p. 65. II. p. 222. (*Panath.* p. 58. ss.) Liban. T. I. *declam.* XXI. p. 536. *D.* Julian. *in Constant. laud.* p. 28. B. s. Lysias *epitaph.* p. 194. ubi quid l. 16. verbis κινδυνεύοντες δ᾽ ἐν ταὐτῷ συμμεμιγμένου Ἑλληνικοῦ καὶ βαρβαρικοῦ παιᾶνος significetur, Reiske putat declarari sequentibus παρακελευσμοῦ δ᾽ (idem, ne opinionis suae falsitas appareret, substitui voluit τ᾽) ἀμφοτέρων καὶ κραυγῆς τῶν διαφθειρομένων. Quasi vero morientes in pugna cycnorum more lugubre carmen cecinerint! Imo v. Aeschyl. in *Pers.* primum de paeane 388. Πρῶτον μὲν ἠχοῖ κέλαδος Ἑλλήνων πάρα μολπηδὸν εὐφήμησεν etc. Tum demum sequitur παρακέλευσμος 406. ss. καὶ παρῆν ὁμοῦ κλύειν πολλὴν βοήν, „ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε, ἐλευθεροῦτε πατρίδα" etc. De honoribus ob hanc victoriam Themistocli habitis v. Herodot. c. 124. Plutarch. in *Them.* c. 17. Justin. II. 14. ex. Demosthen. περὶ συντάξ. p. 172, 14. ss. Aeschin. in *Ctesiph.* p. 79, 35. s.

Areopagitas] De sanctissimo hoc Atheniensium consilio, cujus nocturni conventus sub dio in *Areopago* i. e. clivo Martis haud procul ab Athenarum arce habebantur, v. *Att.* I. 14, 6 pr. Isocr. in *Areop.* p. 192. ed. H. Wolf. Οἱ πρόγονοι ἡμῶν — τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας. Suidas s. v. Ἄρειος πάγος. — Ἐδίκαζε δὲ καὶ τὰ φονικὰ καὶ τὰ ἄλλα πολιτικὰ διέπει σεμνῶς. Videtur a Solone legislatore auctus

hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit; at ille reapse adiuvit Themistoclem. Est enim bellum gestum consilio senatus

---

tantum cum institutis, tum auctoritate, ut esset *senatus* i. e. *consilium publicum*, cum antea fuisset modo iudicium. Nam Plutarch. in *Solone* c. 19. ex hujus ipsius lege quadam, dubitanter tamen, colligit, iudicia de causis capitalibus iam ante Solonis tempora in Areopago exercitata esse. Gernhardo, cui laudatur Perizon. ad Aelian. *V. H.* V. 15. multa, quae de superiore ejus aetate narrantur, videntur deberi fabulis. Certe quod prima ejus constitutio ab aliis refertur ad urbis conditorem Cecropem, ab Aeschylo autem in *Eumenid.* ad ipsam Minervam, eo quidem nihil aliud significari, credimus, quam deberi eam prudentiae gubernatrici atque urbano consilio. Cff. Jo. Meursii *Areopagus* et, quos de *Solonis legibus* laudat Exc. Krug in l. *Geschichte d. Phil. a. Z.* p. 70. s. — Post seq. *non minus* subauditur *tamen*, quod respondeat praecedenti *quamquam*. Nescio vero, qua auctoritate Schütz *est* e clausula retraxerit ante *hoc*.

hoc consilio] i. e. prudenti invento et instituto Solonis. Perperam Degen intelligit *conventum* Areopagitarum. At vero tum abesse non posset praepositio. Ciceronis adhuc aetate Athenienses Solonis legibus usos esse, docet l. *Rosc. Am.* 25, 70. Plutarch. *Cic.* 24. In seqq. cavillatur Cic. sophismate: *Et Themistocles quidem nihil dixerit* etc. Itane vero? Nonne etiam ipse Areopagus latebat in praesidio et tutela rei militaris? Quid enim futurum fuisset, si Xerxes servitute oppressisset Athenas? Quamquam, quae Lysias *in Agorat.* p. 133, 3. in iudicio e XXX tyrannis eorumque assessoribus conflato nefaria facta esse taxat, ea perquam confuse Pfeiffer *antiquitt. Graec.* l. I. c. 30. extr. in Areopagitas transfert.

at ille reapse adjuvit] Verissimam hanc emendationem sagax Gernhardi, in enotanda tamen lectione hic non satis fidi atque exacti, solertia conflavit partim e lectione librorum quinque Manutii, aliquot Oxonn. et Gruteri, unius, qui patuit Vrsino, Graeviani 1. Gu. 4. 5. Vinar. et editt. Mog. Rom. Venett. Argentor. Lugd. Bas. Paris. Gen. aliarumque vett. *at ille* (cod. Palat. 1. aliique inserunt *vere*) *adiuvit Th.*, partim e volgata, quae est in Mss. Balduini, Victor., plerisque Langii, aliquibus Lambini, tribus Fabritii et in editt. Graev. Verburg. Facciol. *at ille vere* (alii *vero*), *ab* (Schütz cum Gu. 2. 3. ψ, Gryph. Jac. Gronov. Ern. et Oliv. *a*, quam praepos. Gu. 1.

eius, qui a Solone erat constitutus. Licet eadem 76
de Pausania Lysandroque dicere. Quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemonis dilata-

---

excludit) *se adjutum Th.*, in quibus, ne scilicet Ellipsis verbi e praecedd. intelligendi tironibus negotium facesseret, Gu. 3. ante *vere* inculcavit *dixerit*, quod olim post *a se* additum legebatur, ut in Lambini codd., in aliis vett. edd. mendosius etiam *dixit*. Manutii unus: *At ille dicit vere adiutum Th.;* alius: *At ille potuit vere dicere se advictum Th.* Utriusque generis lectio confusa est in Goth. *at ille vere se adjuvit et Th.* cui superscriptum est *vero*, et pron. *se* deletum; in Lambini cod. *at ille vere se adjuvisse Th.*; in uno Manutii: *at ille vero se adjuvit Th.*, in alio ejusd. *at ille* (Palat. 2. inserit *vero*), *se adjutum Themistoclem*, quod vero proximum videbatur F. Heusingero. Sed ubique scribae in v. *reapse*, cujus glossa est *vere*, peccant, ut *Leg.* III. 8, 18. bini Görenzii *reabse* scribunt, reliquis in alia omnia abeuntibus. Huc accedit, quod divisim scribebatur. Nam apud Lucret. II. 658. per tmesin disiungitur *re non tamen apse*. Sic apertus est fons utriusque lectionis. Ceterum (id quod post Gottleberum pervidit Gernhard) Cicero, qui Solonem Themistocli praefert, hoc de Solone praedicare debebat, non *ille* i. e. Solon de se ipse. Memorabilis tamen est lectio in uno Manutii Ms. *at ille verum esse se adiutum Th.* et in tribus Guilielm. *at ille* (Parcensis cod. *illo*) *verum est esse adiutum:* quae corrupta est ex aliorum scriptura: *at ab illo, verum est, adjutum Th.* Haec quidem lectio, particula *at*, quae oppositionis vi compensatur, deleta, servato autem Inf. *esse*, probabilitatis quandam speciem habet. V. de hac structura ad §. 46. p. 112. s. Ceterum aliud etiam Areopagitarum in hoc bello meritum, quam quod hic memoratur, ex Aristotele refert Plutarch. in *Themist.* c. 10. Οὐκ ὄντων δημοσίων χρημάτων τοῖς Ἀθηναίοις —, τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν, πορίσασαν ἑκάστῳ τῶν στρατευομένων ὀκτὼ δραχμὰς, αἰτιωτάτην γενέσθαι τοῦ πληρωθῆναι τὰς τριήρεις.

§. 76. *de Pausania Lysandroque*] Vtriusque vitam adumbravit Corn. Nepotis epitomator: *Lysandri* enarravit Plutarchus. Et *Pausanias* quidem, Cleombroti F., Leonidae N., victor ad Plataeas (v. ad §. 61. p. 144. ex.), cum in Hellespontum classe trajecisset, Cyprum et Byzantium a Persis liberavit. V. Meursius *de regno Lac.* c. 12. *Lysander* autem, versutissimus et patientissimus nauarchus (cf. §. 109.), confecit bellum Peloponnesiacum, atrocissime inter Graecos per septem et viginti annos gestum, in deditionem acceptis Athenis. Ejus res gestas continent Xenophontis *Hellenica* inde a l. I. c. 5. Cf. Lysias *in Agorat.* p. 133. pr. — Statim post Schütz edidit: *imp. Lacedaemoniis dilatatum putatur.* Sed, si codd. ad-

tum putatur: tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt. Quin etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores? Mihi quidem neque, pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cum ver-

---

dicerent, „verissime" [verissima] ei „videretur Gronovii patris lectio: *quamquam Lacedaemoniis delatum putant imperium.*" Imo Gron. filius ex Msi vestigiis conieccerat: *imperium Lacedaemoniis delatum* (h. e. comparatum) *putatur.* Reliquam etiam h. l. lectionis varietatem Schütz pro more suo sic enotavit, ut apud ipsos auctores omnia aliter deprehendantur. Cum Mso Mill. et Pithoeanis excerptis post Victorium Pearcius edidit *Lacedaemonis*, sensu sic constituto: „Eorum rebus gestis imperium Lacedaemonis sive Spartae creditur fuisse ita auctum et amplificatum, ut non suis solum civibus, sed etiam aliis quibusdam Graeciae civitatibus ipsa imperaret."

Lycurgi legibus — conferendi sunt] n. *Pausanias et Lysander.* Exspectabatur *conferendae sunt;* n. *eorum res gestae.* Passim synecdochice comparatur aliquid ei ipsi, quod docendi causa vocamus *tertium comparationis:* e. g. *Flacc.* 26, 65. et ap. Juvenal. III. 74. *Isaeo torrentior sermo:* ad quem I. Ruperti neminem, opinor, sic infatuare poterit, ut quisquam ei credat, *Isaeo* adjective poni. Cf. Horat. III. *od.* 6, 46. *Aetas parentum, pejor avis.* Docte exemplorum et Gr. et Latt. copia hanc comparandi elegantiam illustrarunt Heusingeri. *Disciplinam Lacedaemoniorum, a Lycurgo adstrictam legibus* (ut dicitur in *Bruto* c. 10. ex.), reprehendit cum aliis, ut Platone, Julianus in *Encomio Constantii* p. 14. *D.* ed. Wyttenb. Sed vid. aequus hujus admirabilis viri, cujus vita enarrata est a Plutarcho, censor in Brouckhusii *Real-Encyclopaedie* T. V. p. 914. ss. ed. V. Eundem contra Iselinum defendit *Ein Wort für den Lycurg v. M. K. Ehregott Mangelsdorf.* Halae 1778. 4. Pleraque fuere a Minoë, Cretensium legislatore, alia ab Solone, ut γερουσία Spartanorum ad imitationem consilii Areopagitarum instituta videtur Isocrati in *Panathenaica.* Ceterum hic locus confirmare videtur volgarem lectionem supra §. 64. p. 149. ubi dici potuisset: *omnis mos Lacedaemoniorum tantam habet vetere Lycurgi disciplina fortitudinem, ut nemo vinci malit, quam mori.* De *quin* interrogativa v. Büttneri *obss. Liv.* §. 64.

pueris nobis] Haec non a verbo pendent, sed sunt Ablativi absoluti, obliquae orationis pars, ut in fragm. *or. pro Tullio* ad §. 41. pr. p. 103. adscripto. Sic *or.* III. 56. *me puero.* Cicero natus erat a. V. 647. *M.* autem *Aemi-*

versaremur in republica, Q. Catulus Gn. Pompeio cedere videbatur.

Parvi enim foris sunt arma, nisi sit consilium domi.

Aemilius Scaurus COS. a. V. 638. et 645., cum priori anno Censura se abdicasset, princeps senatus, fuit singulari severitate (§. 108.) ejusque *nutu prope terrarum orbis regebatur,* ut dicitur *pro Font.* c. 7. Laudatur I. *or.* c. 49. §. 5. tamquam *regendae rei publicae scientissimus,* et *Sext* c. 47. *propugnator rei publicae* constantissimus, *qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restiterit: quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecerit* I. *Fam.* 9. (al. 10.) §. 47. ex. V de eo Ernesti in *clavi* nota, quam repetiit Schütz *ind. histor.* p. 354. s. Add. Mich. Heusingeri citata Sallust. *Jug.* XV. 4. XXV. 4. XXVIIII. 2. Aurel. Vict. *de viris illustr.* c. 72. Ejus filius memoratur §. 138. ex. Pater hic aequiparatur *C Mario*, illi septies Consuli, *qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit* (IV. *Catil.* 10, 21. *leg. Manil* 20, 60. Seneca *epist* 94. ex.), triumphis de Jugurtha (III. 79.), Cimbris et Teutonis (v. ad §. 38. p. 91. s.) claro, cujus vitam adumbravit Aurel. Victor, illustravit Plutarchus. Eundem, municipalem suum, celebraverat ipse Cicero carmine, cuius fragmenta servata sunt I. *Legg.* pr. I. *de divin.* 47, 106.

Q. Catulus] Lutatius, COS. a. 675. quo anno Sulla mortuus est, cuius actis rescindendis compositam civitatem labefactare paranti Lepido collegae restitit victorque pace contentus fuit. V. Schütz l. l. p. 99. Add. Flor. III. ex. Oppressa coniuratione Catilinaria, Ciceronem *princeps senatus et auctor publici consili, frequentissimo senatu. „Parentem patriae“ nominavit.* V. *Pis* c. 3. pr. *Phil.* II. c. 5. Idem eximie laudatur *p. leg. Manil.* 20, 59. *Sext.* c. 47. ex. *qualis* (propugnator rei publicae) *nuper* (mortuus a. 693.) *Q Catulus fuit, quem neque periculi tempestas neque honoris aura potuit unquam de suo cursu aut spe aut metu demovere.* Una cum patre commemoratur infra §. 109. Ipse Cicero, olim magna sibi proponens, pollicebatur, τὸν Κικέρωνα ποιήσειν τῶν Κατώνων καὶ τῶν Κάτλων καὶ τῶν Σκαύρων ἐνδοξότερον. V. Plutarch. ἀποφθ. βασ. ά. p. 204. E. De *Pompejo* v. §. 78. et Seneca *ep.* 94. ex.

Parvi enim foris sunt arma, nisi sit etc.] Valer. Max. II. 9. pr. *Quid enim prodest, foris esse strenuum, si domi male vivitur?* Videtur igitur sententia esse proverbialis; qualem ad §. 73. pr. indicavimus latere in *Catil. II.* Praeterea hic primi et agnovimus et restituimus senarium, ut ad §. 71. binos p. *domo* §. 76. Adde Comici fragm., quod, vix intelligo, quo modo adhuc latere potuerit *pro Coel.* c. 15.

Nec plus Africanus, singularis et vir et imperator, in excidenda Numantia rei publicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica, privatus, cum Ti. Gracchum interemit. Quamquam haec quidem res non

---

Quid, clamore exorsa, verbis parvam rem magnam facis? Nam ibid. c. 16. plures a ludibundo oratore admiscentur Caecilii Statii versiculi, quorum primus, cujus hemistichium prius laudatur etiam *Fin.* II. 4, 14., sic integritati restituendus:

*Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc * demum meum*
Cor cumulatur ira. Addidi de meo * *demum*, necessario propter anaphoram iterandum, absorptumque, ut apparet, contermino pronomine. Alii h. l. ediderunt: *Parvi enim sunt foris a., nisi est* etc. Primorum vv. ordinem in prosa oratione respuit Latinitas. V. ad §. 64. p. 149. s. Propterea Schütz videtur transposuisse: *Parvi sunt enim.* — Tum *nisi sit* recepimus e Gu. 3. quicum conspirant exc. Bedae et Eybi. *Nisi*, ubi significat, *wofern nicht*, cum Coniunctivo struitur.

in excidenda Numantia — profuit] Contra librorum auctoritatem novissimi etiam editores cum Heusingero scripserunt *exscindenda.* Dicit quidem Schütz, Gu. 2. sic habere. Sed hic peccat *excindenda*, non inserta literula *s*. F. Heusingerum, qui citat Plaut. *Curc.* IIII. 5, 2. ubi vox *excidionem* dactyli ac spondei mensuram implere dicitur, nempe ut inaudito ac novo exemplo scribatur *exscidionem*, excussit, furore poëtico exsultans, Pegasus. Nam haec potius illius vocis et ibi et alibi est mensura — — ◡ — —. Recte librorum auctoritatem defendit integerrimus ac veritatis amantissimus vir, Gernhard ad *Cat. Maj.* 6, §. 18. (al. 8.) ex. In *Somn. Scip.* c. 2. Schütz cum Lambino scripsit *Numantiam exscindes*, sed *excides* vindicavit Bünemann ad Lactant. I. 18, 8 cll. *pro Sext.* c. 15. (16. ed. Schütz.) *cum omnes urbem nondum excisam et eversam, sed iam captam atque oppressam videremus.* Vellej. Pat. II. 4, 2. s. 5. c. 5, 1. *Ante tempus excisae Numantiae.* De abundantia praepositionis *in* vid. ad §. 28. p. 64. de re ad §. 35. p. 81. cl. Valerio Max. II. 7, 1. et Wetzelii *Excursu in Caton. et Lael.* §. 9. 3) p. 309 — 314. Qui hic Scipioni Aemiliano aequiparatur P. *Corn. Scipio Nasica Serapio*, Consul fuerat cum D. Bruto a. V. 615. Vid. de eo Wetzel l. l. §. 7. 4) *b*) p. 299. et §. 8 4) p. 304. 305. s. et Ernestus in Schützii *ind. histor.* p. 359 Auctor ille fuit opprimendi Tib. Sempronium Gracchum, P. Africani Majoris ex filia nepotem ideoque

solum ex domestica est ratione (attingit enim bellicam, quoniam vi manuque confecta est); sed tamen id ipsum est gestum consilio urbano, sine exercitu.

---

consobrinum suum, Trib. pl. turbulentissimum, *qui*, ut narrat Vellej. Pat. II. 2, 3. *pollicitus toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnium statum concutientibus. summa imis miscebat et in praeruptum atque anceps periculum* adducebat *rem publicam* (cf. infra II. § 80. ex.) *Octavioque collegae pro bono publico stanti imperium* abrogarat. Tum P. Nasica, Pontifex Maximus, *patriam cognationi praeferens et quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans*, (Vellej. c. 3, 1.) *consulem languentem* (i. e. qui, convocato senatu omnibusque optimatibus censentibus, armis tuendam esse rem publicam, vi se usurum negasset) *reliquit atque ipse, privatus, ut si consul esset. qui rem publicam salvam esse vellet, se sequi jussit.* IV. *Tusc.* c. 23. *Catil.* I. 1, 3. (ubi v. Muret. p. 539. ed. Ruhnk.) *Milon.* 30, 83. pr. *Tum optimates, senatus atque equestris ordinis pars melior et maior et intacta perniciosis consiliis plebs irruere in Gracchum, stantem in area* (circum Capitolium) *cum catervis suis et concientem paene totius Italiae frequentiam. Is fugiens decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus* (a P. Saturejo et L. Rufo, teste Plutarcho in *Ti. Graccho* c. 19.), *vitam — immatura morte finivit.* Vellej. l. c. §. 2. ubi cf. Krause. Flor. III. 14. *Liv. epit.* 58. Valer. Max. I. 4, 2. III. 2, 17. Aurel. Vict. *de vir. ill.* 64. Appian. *bell. civ.* I. 17. Ejus rei exornatio popularis exhibetur IV. *ad Herenn.* 55. 69. Ceterum *P. Mucius* Scaevola, COS. ejus anni (ab. V. c. 620.), *arma, quae privatus P. Scipio sumpserat, ea, Ti. Graccho interempto, jure optimo sumpta esse defendit*, ut refertur *pro Planc.* 36, 88. et *pro domo* c. 34. Hinc ille *ab ipsa re publica caesus* iudicatur in *Bruto* c. 27. et *iure caesum* dixit pro concione Scipio Africanus Minor. Cf. II. 43. ex. Hanc autem rem, Nasica magis etiam laudatur, quod gesserit *privatusque et togatus* i. e. cum neque civilem magistratum gereret neque militare imperium haberet, ita ut ejus non esse videretur, *Gracchi conatus perditos vindicare* (I. 109.) Nam pontificatus omninoque sacerdotus non erat magistratus, cum neque adimi posset cuiquam vivo (teste Dione Cassio XLIX.) neque impediret, quo minus Pontifex simul magistratus annuus, ut consul aut pro praetore, esset aut etiam Censor fieret, cuius tempus dimidio lustro circumscriptum erat. Duplici autem magistratu simul fungi, fas non erat. V. Gust. S. Theod. Baumgarten-Crusius *de Sacerdotibus Rom.* (Lips. 1803.) p. 23. 45. s. Praeterea non a populo eligebatur Pontifex, sed per adoptionem ab ipsis Pontificibus. V. Dionys. Hal. II. c. 73.

77 Illud autem optimum est, in quod invadi solere ab improbis et invidis audio:

Cédant árma togáe, concédat laúrea línguae.

---

§. 77. *Illud autem optimum*] Degen hic particulae concludendi vim tribuit, ut *idcirco* valeat. Quod mirum sit, si unquam fieri possit. Videtur potius, ut *vero*, esse particula affirmativa et intensiva, quae faciat αὔξησιν. *Si quid aliud laudandum est, certe illud optimum est*, „*quod non desierunt carpere maligni*", ut loquitur Quinctil. XI. 1. qui excusat Tullium, rerum a se gestarum iactatorem, quippe respondentem invidiae: ut illorum, quae egerat in Consulatu, frequens commemoratio possit videri gloriae non magis, quam defensioni, data. Cf. Middleton in *History of the life of M. T. Cicero:* Sect. XII. sub fin. Notantur hic autem praeter alios C. Caesar et QQ. Metelli, fratres (v. Martyni-Lagunae erudita argumenta ad V. *epist.* 1. et 2.), et, qui nuper laeserant auctorem, Antonius (v. *Phil.* II. c. 8.) et *Piso*, cui, in hunc ipsum versum ex carmine, quod ipse Cicero *de consulatu suo* tribus libris pepigerat, invadenti hoc modo: "*Tuae, dicis*, „*togae summum imperatorem esse cessurum*, qua ratione hoc intelligi Piso volebat, Pompejum, quem is versus offendisset, inimicum Ciceroni isto versu esse factum, ipse sui interpres respondet ita: *in Pis.* c. 30. *Quod pacis est insigne et oti toga, contra autem arma tumultus atque belli: more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum.*" Quibus quod, paucis interiectis, addit: *indicasti, non modo amplissimae, sed etiam minimae laudi lauream concessisse:* id propterea Schütz hic quoque recepit lectionem *laudi*, Vrsino, Vossio, Jac. Gronovio, Graevio, Mich. Heusingero, Ernesto probatam et tum in archetypis, teste Turnebo *Adv.* XXVIII. 39. tum in Ms. Balduini, uno Oxon., Gu. 2. repertam. Eandemque Gu. 1. servat, sed adjuncta altera illa rell. librorum, etiam cod., qui Curiae Variscorum servatur, et ed. Venet. 1502., lectione, *linguae*, cui favent tum ii, qui hunc versum citant, Quinctil. XI. 1. et Pseudo-Sallust. *declam. in M. T. Cic.* sub fin. tum allusiones ipsius Ciceronis *Epist.* XV. 6. *ad Caton.* §. 3. et Plinii *H. N.* VII. c. 30. §. 31. *Salve, primus omnium* PARENS PATRIAE *appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite!* Gernhard citat Plutarch. in *Lacon.* p. 887. Fr. Equidem immemor, ibi hac quidem de re aliquid inveniri, mirabundus evolvi locum; sed frustra. Tandem erroris fontem deprehendi, inspecta Heusingeri nota, qui laudat Plut. in *Cic.* extr. p. 887. ubi hic ipse versus Graece exprimitur: τὰ ὅπλα ἴθι τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην. Locus exstat in *compar. Demosth. c. Cic.* c. 2. Eleganter *lingua* dicitur pro *eloquentia* et haec pro *fortitudine domestica* i. e.

Vt enim alios omittam: nobis rem publicam gubernantibus, nonne togae arma cessere? Neque enim periculum in re publica fuit gravius unquam nec maius otium. Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quae res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim 78 mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas huius gloriae et factorum imitatio pertinet.

---

urbana. Si tamen coniecturae indulgere liceat, videtur ipse Cicero, cum illud *concedat laudi* nimis ab invidis carperetur, postea correxisse *linguae*, ut apertius decernendi per disceptationem ratio opponeretur decertandi fortitudini militari.

periculum in re publica] Hunc ordinem restituit F. Heusinger ex Gu. omnibus eundemque videtur probare Gernhard, quamquam retinuit volgatum *in r. p. periculum*, ut Schütz. Apte autem in oppositione una notio primaria in principio ponitur, altera (*otium*) in clausula. *Otium*, ut hic et *p. Sulla* c. 14. ubi *bonorum hostis* dicitur *inimicus oti*, tumultui, sic *bello* opponitur *Epist.* V. 7, 1. *Caecin.* c. 15. *quae vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur?* Sed omnino cf. *Catil.* III. 7, 17. ex. et *Sull.* 11, 33. In prox. Gernhard suffragatur Gronovii filii coniecturae, *arma impia*, cui faveat in Gu. 2. *ipa* et totius huius loci ratio ad poëticam vim adspirans, cl. III. 1, 1. ex. ubi Noster se *a re publica armis impiis vique prohibitum* queritur. Add. *Phil.* II. c. 8. ubi gloriatur, se Consule (a. V. 690.), *libertati populi Romani sceleratorum arma cessisse.* Ernestus in *clavi* (in Schützii *Lex.* III. I. p. 225.) *ipsa ceciderunt* interpretatus fuerat *sponte*, *sine vi externa*, cl. I. *de divin.* 34, 74. *valvae — se ipsae aperuerunt.* Gernhardo hoc minus convenire videtur ad Ablativos *consiliis diligentiaque nostra.* Quidni? Nonne consiliis diligentiaeque huic debebatur, ut *plebis, coniuratione patefacta, quae primo, cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutaretur mens* et ut, desertis Catilinae castris, *plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilaberentur?* V. Sallust. c. 48. pr. et 57. pr. Fortassis tamen e II. 24, 84. alia verbis *arma ipsa* accommodari poterit interpretatio, nimirum, *quibus adeo tentata res est, ne solveretur.*

§. 78. *Marce fili, ad quem — pertinet*] Cf. c. 33. ex. II. §. 44. III. §. 6. pr. *Planc.* c. 24. ex. Mox volgatum

Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut

---

verborum ordinem *triumphum tertium* invertit Schütz cum Vinar. editt. Rom. Venetis, Argent. omnibusque vett. F. Heusingeri. Triumpharat Pompeius singulari exemplo bis adhuc eques Romanus, primum Propraetor, occisis Domitio, Marianae partis duce, et Hiarba, Numidarum rege, Magnique nomine spolio inde capto, ex Africa, (*leg. Manil.* 21, 61. Liv. *epitom.* 89. Plutarch. in *Pompejo* c. 14. et in ἀποφθ. βασ. IV. s. p. 203. E. F.) non a. V. 673. aer. Capit. ut Schütz scribit *ind. histor.* p. 326. si quidem hic *Ciceroni aequalis* (v. *Brut.* §. 239.) natus est a. 647., sed a. V. 672. ergo nec *viginti sex annos natus*, ut Aurel. Victor, nec quartum et vigesimum, ut plerique, Eutropio V. 6, 3. fidem habentes, scribunt, sed quintum et vigesimum annum agens, ut patet e Vellej. Paterc. II. 53. ex.; iterum decem annis post ex Hispaniis, oppressis Sertorio et Perperna (*l. Man.* §. 62. Vellej. II. 30, 2. Lucan. IX. 13 — 19. Plutarch. c. 22. pr.); tertium ex Asia de Mithridate etc. V. *pro Balbo* c. 4. Vellej. II. 40, 4. ex. Plutarch. c. 45. Appian. *Civ.* I. 121. Plin. *H. N.* VII. 26. XXXVII. c. 2. pr. Debebat vero Pompeius *locum, ubi triumpharet*, Ciceroni: quatenus solenne erat, ut triumphus duceretur in Capitolium, unde Lucan. IX. 177. s. Pompejo ter triumphatori tribuit *velamina summo ter conspecta Jovi.* Ciceroni autem, togato Imperatori, decreta est supplicatio rei publicae conservatae, „quod *urbem incendiis, caede civis, Italiam bello liberasset.* Vid. *Epist.* V. 2, 20. *Catil.* III. 6, 15. et de cogitato urbis incendio atque exitio ib. I. 4, 9. 12, 32. s. II. 3, 6. III. 1, 1. s. c. 4. §. 8. 10. c. 6. §. 14. c. 9. §. 21. s. c. 10. §. 25. ex. IV. 1, 2. 2, 4. 4, 7. 5, 10 — 6, 13. 7, 15. ss. 19. *Sull.* 6, 19. 9, 28. 11, 33. 18, 52. s. *Pis.* c. 2. ex. I. *de divin.* 12. §. 21. vs. 64. s. Sallust. *Cat.* c. 27. 32. 43. 48. 52. Plutarch. in *Cic.* c. 18. Pseudo-Cic. *anteq. iret in exs.* §. 24. 29. Sed provocat Cic. h. l. ad illud Pompeji dictum, ut arguat, quam vana sit criminatio ista, Pompejum inimicum Ciceroni superiori versu esse factum. *Phil.* II. 5, 12. *Maxime vero consulatum meum Gn. Pompejus probavit, qui, ut me primum decedens e Syria, vidit,* (n. obviam sibi profectum) *complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse, dixit.* Quod Pompejus hoc Ciceroni tribuerit, id ab eo, stomachante licet Ciceronis iactantiam aut etiam gloriae eius invidente, urbanitatis tamen causa factum fuisse, censet Ang. Maius, vir fataliter ad harum literarum incrementum natus, l. mox l. Equidem suspicor etiam, Pompejum illis verbis subindicare voluisse, quam offensus esset iis, quae accepisset a Cicerone dicta in *Cat.* III. 11, 26. ex. gloriante, se *ejusdem imperi*, cujus fines Pompejus promovisset, *domi-*

diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio. ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt igitur domesticae fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus etiam, quam in his, operae studîque ponendum est.

---

cilium sedemique servasse, et IV. 10, 21. ex. *Anteponatur omnibus Pompeius. — Erit profecto — aliquid loci nostrae gloriae: nisi forte majus est, patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur.* Certe in *Commentario antiquo ad Or. pro Planc.* 34, 87. ex. quem cum *Cicer. trium orationum in Clodium et Curionem* etc. fragmentis *edidit Ang. Majus* (Mediol. 1814.) p. 113. s. memoratur, significari ibi ab oratore *epistolam non mediocrem, ad instar voluminis scriptam, quam Pompejo in Asiam „de rebus suis in consulatu gestis" miserat Cicero, aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompei stomachum non mediocriter commoveret; quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret.* Addit commentator, *sic effectum esse, ut ei Pompejus contra Clodianam vim non patrocinaretur.* Ipse autem Majus notat, exstare tantum brevem Ciceronis epistolam ad Pompeium *lib.* V. *ep.* VII. *ad Fam.* qua ei, in Asia degenti, gratulatur de Mithridate victo et, cum Pompejus, priorem illam Ciceronis gloriosam epistolam moleste ferens ejusdemque gloriae subinvidens, frigide admodum respondisset, simul expostulat, quod in literis, quas ad se misisset, nullam sibi rerum contra Catilinam in suo Consulatu gestarum gratulationem significasset. Sed prae ceteris temporum illorum gnara „fucatas istas τῶν πολιτευόντων amicitias" revelavit Martyni-Lagunae sagacitas in argumento ad illam *epist.* p. 229. cll. I. *ad Attic. ep.* 14. sect. 2. ss. et *ep.* 16. sect. 6. ex. (p. 537. Ern.) docentis, tam docte et callide simulare scivisse Magnum, ut Catilinarii, abalienatum a Cicerone antea suspicati, nunc *Gnaeum Ciceronem* eum appellarent. Sed paullo post Noster servatae patriae poenam passus exsilium, habuit sane, quod moneret *Epist.* V. 13. (al. 12.) §. 13. ex. Lucceium, rerum suarum scriptorem futurum: *„multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis."* Hinc illae irae, hinc illa indignatio, quoties Cicero temporum suorum mentionem injicit!

domesticae fortitudines] sunt facinora fortiter domi i. e. consilio urbano facta. Argutatur in hoc plurali Degen. Cf. *Tusc.* IV. c. 23. *Nescio, ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus. Sext.* c. 46. ss.

79 XXIII. Omnino illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quaerimus, animi efficitur, non corporis, viribus. Exercendum tamen corpus et ita afficiendum est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione. In quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicae

---

C. XXIII. 79. *illud honestum, quod ex animo excelso — quaerimus*] i. e. tamquam id, in quo animi excellentia magnitudoque eluceat. *E* et *ex* pro *convenienter* positum vidimus §. 51. p. 123. Add. *Fin.* III. 10, 33. (Diogenes) *illud* .., *quod prodesset*, ... *motum aut statum esse*, *dixit*, *e naturâ absoluto* i. e. convenientem ei, quod esset natura absolutum. *Honestum* hic et 62. ex. 65. pr. eo sensu usurpatur, quo *Fin.* III. 3, 10. ex. idem dicitur *quasi virtutis lumen.* Nostra lingua vix aliter exprimere potest, quam voce *Verdienst.* De sententia cf. *Cat. Maj.* 6, 6. (al. 17.)

corpus — ita afficiendum est]. Reiz non incommode interpretatus videtur *assuefaciendum.* Dicitur enim pro *id agendum est*, *ut corpus ita sit affectum.* Cf. *Fin.* V. 9, 24. *Omne animal id agit*, *ut — ita sit affectum*, *ut optime secundum naturam affectum esse possit*, vel ut §. extr. dicitur, *ut optime affici possit.* Cf. Diog. Laërt. VII. §. 123. ex. τὴν μέντοι ἄσκησιν ἀποδέχεται ὑπὲρ τῆς τοῦ σώματος ὑπομονῆς. Ceterum his verbis *Exercendum — tolerando* interpositis, in seqq. *Honestum autem id*, *quod exquirimus*, recurrere ad superiorem sententiam, recte monetur ab interpretibus. Sed importune docent, *autem* inservire sententiae post parenthesin revocandae. Etenim in omnibus illis, quae comparantur, exemplis membrum illud, in quo ponitur *autem*, est adversativum, quod respondeat praecedentibus, ut §. 153. ubi *sapientia* opponitur *prudentiae.* Quod autem hic oppositio illa est quasi παρεμβολὴ aut quod alibi alias ob causas *autem* parenthesin excipit, hoc quid ad rem? Nonne praecipitati iudicii est, idcirco dicere, orationem, parenthesi interruptam, contexi particula *autem?* Quid huc faciat auctoritas Gronovii ad Senecae l. I. *de ira* c. 3. ad quam cum Heusingero provocat Gernhard, aliis diiudicandum relinquimus, cum illa editio nunc quidem non ad manum sit. Vv. *animi cura et cogitatione* respondent Graecis σπουδῇ τε καὶ μελέτῃ. Non enim otiosa hic *cogitatio* intelligitur. Deinceps *In quo* i. valet ac *quoad circa*, ut *Pis.* c. 29. pr. post parenthesin. V. Heusinger ad Cornel. Nep. *Them.* 2, 3. *Epam.* 10, 1.

praesunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio saepe aut non suscepta aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata: ut M. Catonis — bellum Punicum tertium, in quo etiam mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis est decer- 80
nendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cauendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione, faciamus.

Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud,

---

ut M. Catonis] Cogitatione repete ex antecedd. *consilio* (quam vocem quidam codd. inculcant) *illatum est bellum Punicum tertium.* Hunc enim in ordinem revocat verba Gu. 5. volgo sic collocata: *bellum tertium Punicum*, quem Gu. 4. sic mutat *tertium b. P.*, cui comparari potest §. 39. Ille, quem praetulimus, est legitimus. Cf. III. §. 47. *Invent.* II. c. 17. *Brut.* c. 14. ex. *Verr.* IV. c. 33. med. De re ipsa scribit Vellej. Pat. I. 12, 2. *statuisse senatum Carthaginem excidere*, et 13, 1. *ante triennium, quam Carthago deleretur*, (v. supra ad 11, 35. p. 81.) *M. Catonem, perpetuum eius diruendae auctorem* (quippe qui, disceptator in Africam missus, ibi Carthaginienses a bello Punico secundo recreatos, novis viribus auctos ac copiis suis et praesidiis praefidentes vidisset), *mortem obisse*, a. aetat. 85. Erravit enim Schütz *ind. histor.* p. 97. quae hoc capite memorantur, referens ad *Censorii* filium, cum p. 96. extr. eadem recte ad ipsum *Censorium* retulisset. V. Plutarch in *Cat. Maj.* c. 26. s. Appian. Libyc. p. 62. Flor. II. 15, 4. Plin. XV. 18. XXIX. 1. sect. 8. pr. Valer. Max. VIII. 15, 2. Aurel. Victor *de vir. ill.* et Cic. *Cat. Maj.* 6. §. 8. (al. 18.) Cf. Wetzel ad eum l. et in *Excursu* §. 4. p. 289. s. qui redarguit errorem in Liv. *epit.* 49. ubi vocatur *Scipio Nasica Optimus* pro eius filio *Corculo*, contra cuius sententiam *M. Catonis valuit auctoritas* i. e. *ei est obtemperatum*, quo modo scriptor supra §. 35. de semet ipso loquebatur. Cf. III. 100. *Cuius cum valuisset auctoritas. Phil.* II. 9. 10. ex. et 15. pr. (bis.) *Epist.* IV. 13, 4. Similiter I. *ad Att. ep.* 16. sect. 6. dicitur *testimonium non valuisse*, ad quod iudices ius jurandum suum non accommodaverunt.

§. 80. *utilitatis ratione*] n. *communis* vel *publicae*, ut §. 13. ex. Mox exspectabatur — *quaesitum videatur;* sed particip. applicatur non ad *nihil aliud*, sed ad propius subst. *pax*, ut *pro l. Man.* 5, 11. *Corinthum patres vestri totius Graeciae lumen exstinctum esse voluerunt*, ubi Cel. Matthiae citat Heusingerum ad Corn. Nep. *Themist.* c. 5. sed corrigi debet „ad c. VII. §. 5.“ Conr. Heusinger

nisi pax quaesita videatur. Fortis vero et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec, tumultuantem, de gradu deiici, ut dicitur; sed praesenti animo uti et consilio nec a ratione discedere.
81 Quamquam hoc animi, illud etiam ingéni magni est, praecipere cogitatione futura, et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem et quid agendum sit, cum quid evenerit, nec committere, ut aliquando dicendum sit: „*Non putaram.*"

---

in *praef.* ad Cic. *de off.* p. XXXXVI. s. laudat Oudendorp. ad Suet. *Jul.* 56. p. 93. in fine *adnot.* 2. aliaque comparat exempla hujus syllepseos, qua non modo genus, sed etiam numerus (ut *Catil.* I. 2, 5.) vel persona e proximis adsumitur. Prudenterque Frid. Aug. Wolfius, vir Summus et Perill. ad Suetonii l. c. monuit, eius modi constructionem nulla interpunctione emolliri ad nostrum sensum posse. — De sententia cf. §. 35. pr. et Aemil. Prob. XV. 5, 3. s.

Fortis vero et constantis] Degen supplet: *animi proprium vel est vel esse debet.* Et *animi* quidem ab ineptis glossatoribus adjectum est in plerisque libris; sed ferri non potest propter seqq. *praesenti animo uti et consilio.* Corradus in *Quaest.* p. 352. e suis Mss. affert: *et praesenti* etc. quam lectionem non recte indicavit Gernhard. Sic *et* foret explicativa, ut §. 81. pr. hic tamen incommode. Vv. *ut dicitur* indicant proverbialem locutionem *de gradu deiici* i. e. proprie *titubare*, inde per metaphoram pro *animo consternari ac velut a statu mentis demoveri*, interprete Erasmo in *adag.* 498. p. 132. ed. Froben. Haec formula, quae etiam *Att.* XVI. 15. post med. legitur, et similes, *movere loco, deturbare* v. *depellere gradu* (de qua v. Cel. Bremi ad Corn. Nep. II. 5, 1.) pro *vincere*, et quae contrarium significant, ut *in gradum reponi*, *in locum restitui*, e gladiatorum ludo omninove e palaestra videntur repetitae. Cf. ad §. 67. ex.

§ 81. *cum quid evenerit*] Euphemismus de calamitate, ut *εἴ τι γίνοιτο* et *ἄν τι γένηται*: de quibus v. Schaefer., vir Summus, ad Gregor. Corinth. p. 565. Turpissimam imperatori excusationem esse: *Non putaram*, dixit Fabius, teste Seneca II. *de ira* c. 31. Sed Valer. Max. VII. 2, 2. nominat Scipionem Africanum. *Pro Ligar.* 10, 30. haec excusatio: *Erravit, lapsus est, non putavit,* variatis verbis repetitur: *Erravit, temere fecit, poenitet.* Usurpatur *putare* pro *exspectare* similiter II. §. 29. ex. *Catil.* IV. 3, 6. Ad totam sententiam cf. *Phil.* XI. c. 3. ex.

Haec sunt opera magni animi et excelsi et prudentia consilioque fidentis. Temere autem in acie versari et manu cum hoste confligere, immane quiddam et beluarum simile est. Sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est et mors servituti turpitudinique anteponenda.

Temere autem] Vituperatur temeritas belli ducum et eorum, qui, ut Terentius Varro ad Cannas aut Fabii Cunctatoris ille magister equitum Minucius, importuno tempore, neque urgente necessitate, proelium committunt (id quod diligentissime cavisse laudatur Plutarcho *Pericles* c. 18. pr. 33. 38. ex.) et eorum, qui, ut strenui militis officia simul exsequantur, multum ipsi pugnantes hostemque ferientes, exercitum periculo objiciunt, ut, amisso imperatore, qui quasi caput est, in maximam calamitatem incidat, idque faciunt citra necessitatem. Talis παντολμία, quam recentiori aevo ostentarunt cum multi alii, tum in primis Sueciae Carolus ille XII., graviter reprehenditur ibid. in M. Marcello (de quo cf. supra §. 61. p. 146.) et *Pelopida* cc. 1. 2. Tum demum boni Imperatoris audacia laudatur, si in ancipitis Martis discrimine, ut militibus, exaequato periculo, animus amplior sit, in prima acie versatur aut si, ne ab hostibus capiatur, sibi vi viam facit aut si se devovet morti, cuius ulciscendae cupiditate suorum militum animi excandescant, ut rei turpitudinem victoria expient. Ejus modi quid hic significatur, ubi exprimitur ἓν διὰ δυοῖν *tempus necessitasque*, ita tamen, ut *que* sit explicativa. Nam quod dicitur *Mil.* 1, 2. *tempori cedere*, huic *Epist.* IV. 9, 4. adjicitur explicationis causa: *id est necessitati parere.* Simpliciter supra 15, 59. *temporibus adducti* i. e. necessitatibus, quales tempora secum ferunt. Cf. III. 39. ex. Item *Leg.* III. 11, 25. *Cat.* I. 9, 22. *temporibus rei publicae cedas*, et *Flacc.* §. 98. ex. *quid utilitas civitatis, quid communis salus, quid rei publicae tempora poscerent, cogitaverunt*, ubi *tempora*, variandae orationis gratia, dicuntur pro *utilitatis ratione*, ut *Epist.* I. 10. (al. 9.) §. 23. 62. ex. et *Mur.* 30, 62. ex. *dixisti temporis causa* pro eo, quod nos: *Es war eine Nothlüge.* Concinne iteratur eadem figura *servituti tupitudinique* pro *vitae in servitute, cuius cupiditate maxima turpitudo suscipitur.* Cf. *Phil.* XIII. 21, 49. ex. Sophocl. *El.* 989. ed. Brunck. Isocrates *Paneg.* c. 26. monet ὥσπερ τῶν ἀνδρῶν τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς αἱρετώτερόν ἐστι, καλῶς ἀποθανεῖν, ἢ ζῆν αἰσχρῶς, οὕτω καὶ τῶν πόλεων ταῖς ὑπερεχούσαις λυσιτελεῖν, ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθῆναι μᾶλλον, ἢ δούλαις ὀφθῆναι γενομέναις. Lycurg. in *Leocr.* p. 154, 11. s.

82 XXIV. De evertendis autem diripiendisque urbibus valde considerandum est, ne quid temere, ne quid crudeliter. Idque est viri magni, rebus agitatis, punire sontis, multitudinem conservare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. Vt enim

---

C. XXIV. §. 82. Facciolatus et M. Heusinger, quem sequitur Degen, argutari videntur, duo distinguentes, quae hic cavenda esse dicantur: „primum, *ne temere* i. e. ubi non necesse est, urbes evertantur; alterum, ne in iis evertendis, quae ita meritae sunt, aliquid fiat *crudelius*." Quasi vero in eversione ipsa eaque temeraria nulla insit crudelitas! Equidem non nisi efficaciae causa anaphoram adhibitam puto. In ejusmodi autem admonitionibus regnat ἀποσιώπησις, ut in Terent. *Andr*. I. 1, 34. *ut ne quid nimis!* et in Sophocl. *El*. 369. μηδὲν πρὸς ὀργήν. Cf. ad §. 53. ex.

Idque est] Verbum in λ absorptum est a praecedenti litera; item in Gu. 4. et hic et II. 83. *eaque est summa ratio et sapientia boni civis:* unde Gu. 5. alio loco addit: *idque magni viri est*, praemisso cum Emphasi adiectivo, ut l. c. *id quod fuit sapientis et praestantis viri*. Sed v. ad §. 20. p. 46. Statim post Ern. in Schützii *Lex. Cic*. II, I. p. 59. vv. *rebus agitatis* accipit pro *exploratis*, *deliberatione facta*. Sic etiam Degen. Sed Gernhard haec, a Gu. 1. exclusa, abesse mallet, quam hic pro *cognitis* accipere. Itaque probat Facciolati interpretationem, *rebus perturbatis*. Hunc sensum postulant verba, quae, etiam si in pluribus libris abessent, nihilo minus retinenda viderentur. Metaphora ducta est a fretis, quae ventis surgentibus incipiunt agitata tumescere. Cf. *Timaeus* c. 3. *Deus — quidquid erat — non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluitans, id — ex inordinato in ordinem adduxit*. Convenit etiam haec interpretatio praecepto, quod Livii (VIII. 14) verbis sic exprimas, *non graviter in multitudinem insontem saevire, sed crimen rebellionis a publica fraude in paucos auctores vertere:* qualis homo seditiosus *pro domo* c. 53. audit *procella patriae, turbo et tempestas pacis atque oti*. Voc. *sons* Degenio contractum videtur ex *sinons*; verius aliis ex *sontes*, Gr. σίντης.

in omni fortuna] i. e. *tam victorem, quam victum*. Ceterum in ejusmodi formulis, ubi verbo substantivo nihil plane additur, ut in proximis, hic verborum positus, *ut enim sunt*, praesertim libris Mss. consentientibus, verus videtur. Sic *Att*. VIII. 9. *Qua autem est*, n. in literis meis scriptum. Sed *de fato* c. 13. ex. *tam enim est fatale*, Gudiano 2. v. *est* excludente, mallem *tam enim fatale est*. Vv. *q. supra dixi* spectant ad c. 22. pr. e quo l. Gernhard acute defendit hic Indicativum post *sunt*, *qui*. V. ad §. 5. p. 11. Partt. *ut — sic* iungunt opposita. V. Görenz ad *Fin*. I. 1, 3. ex. II. 3, 12. ex.

sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt: sic reperias multos, quibus periculosa et calida consilia quietis et cogitatis et splendidiora et maiora videantur. Nunquam omnino 83
periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur; sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter aegrotantis leniter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipitis adhibere coguntur.

---

calida consilia] *ferocia et inconsulta* interpretatur Nonius c. IV. 76. s. v. *Calidum*. Similiter Gr. θερμὸν dicitur, *quidquid subito in mentem venerit; quidquid subito animi fervore tum dicitur, tum fit, cuius sequiori eventui adscribi possit temeritas, praecipitatio, inconsulta animi audacia aut etiam scelus.* Jac. Nicolaus Loënsis *Miscellan. epiphyllid.* L. I. c. 6. in Gruter. *Lamp. Tomi* V. *supplement.* p. 283. ss. multus est in discutiendis auctorum locis, haec vv. tropice frequentantium, tum Plauti et Terentii *Eun.* II. 3, 88. (ubi v. Westerhov.) tum Aeschyli Ἑπτ. ἐ. Θ. 603. Sophocl. *Antig.* 88. (ad cuius *Trach.* 1048. annot. Erfurdti laudatur hic Gernhardo.) Aristoph. *Plut* 415. ubi v. Bergler. Apud Adamantium sophist. in *Physiogn.* et apud *Polluc.* l. III. θερμουργία dicitur de *praecipiti et temeraria alicujus facinoris periculosi patratione.* Add. *Aeschyl.* in *Choëph.* 1001. πολλὰ θερμαίνοι φρενί. *Att.* XV. *ep.* 6. *exorentur, ne quod calidius ineant consilium.*

§. 83. *periculosas curationes et ancipitis adhibere coguntur*] n. *si nulla reperietur alia medicina*, ut §. 163. praecipitur chirurgis. De reliquis medicis, nescio, an cautius Plinius XXIX. 1, 8. *Discunt periculis nostris et experimenta per mortes agunt: medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est.* Profecto in tota arte illa *opinabili* et *coniecturali*, vel, ut perhibent, *salutari* unum omnia ulcus. Quod quoniam attigit quidam, ὃς πολλ' ἰδὼν σοφὰ

Ἀνθρώποισι νόσους φάρμακα λυγρὰς ἀπαλαλκέμεν,

sensit se ambustum. Sed Cicero gratiosius, quam verius, de Gratiosi Ordinis arte iudicat I. *de divin.* c. 14. pr. *N. D.* II. 4, 12. — *Curatio anceps* hic eodem modo dicitur, quo apud Curtium III. 6, 2. *praeceps remedium.*

Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est; subvenire autem tempestati quavis ratione, sapientis, eoque magis, si plus adipiscare, re explicata, boni, quam, addubitata, mali. Periculosae autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt, partim rei publicae. Itemque alii de vita, alii de gloria et benevolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore et gloria, quam de ceteris commodis.

---

in tranquillo] i. e. ἐν εὐδίᾳ, γαλήνης ἀκριβοῦς κατεχούσης τὸ πέλαγος, ap. Julian. in *Encom. Constantii* p. 25. C. Ex eadem metaphora dicitur *subvenire tempestati quavis ratione*, ut ap. Plutarch. in *Pericle* c. 33. ὥσπερ νεὼς κυβερνήτης, ἀνέμου κατιόντος ἐν πελάγει, θέμενος εὖ πάντα καὶ κατατείνας τὰ ὅπλα, χρῆται τῇ τέχνῃ etc. Columella I. 2, 5. *Quem ad modum sapientis est, fortuitos casus magno animo sustinere, ita dementis est ipsum sibi malam facere Fortunam.* Ejusdem modi autem μεσόζευγμα v. *Fin.* III. 6, 19. ex. cl. nota supra ad §. 67. pr. p. 154.

addubitata] n. *re.* Aldus Manutius, habita ratione oppositionis *re explicata* i. e. *confecta. ad felicem exitum perducta*, accipit pro *in discrimen adducta, quae ex animi sententia non evenit.* Eodem fere modo Facciol. et Hottinger cum Ernesto, qui tamen in *clavi*, potius usum loquendi secutus, explicat *pro incerta habita et propterea omissa.* Quam eandem Scholiastae quoque Guelpherbytani et Graevii interpretationem sequuntur plerique omnes. Unus verum pervidit Garve, qui sensum expressit fere hunc: „si adipiscare, re bene gesta, tantum boni, ut eo praeponderetur illud malum, quocum conflictandum est, re adhuc dubia necdum explicata, ancipite adhuc rei discrimine, τῆς ὑπαρχούσης ἀπορίας", ut fere loquitur Lysias *epitaph.* p. 194, 10. s. et statim ante l. 6. s. οὔσης καὶ τῆς — σωτηρίας ἀπίστου καὶ τοῦ προσιόντος κινδύνου, quam lectionem contra Marklandi conjecturas recte tuetur Reiske, referens ἀπίστου tam ad σωτηρίας, quam ad κινδύνου. Idem Thucyd. II. 42. ex. significat per τὸ ἀφανὲς τοῦ κατορθώσειν. Ergo sensus prodit hic: „si, omnibus difficultatibus profligatis, consequare laboris fructum magnitudini periculorum exantlatorum aequiparantem, εὐτυχίαν ὁμολογοῦσαν τοῖς κινδύνοις (ut ait Lysias ib. l. 55. e Reiskii conjectura); si operae pretium facturus sis, ita ut secundus rei eventus laborem aerumnamque compenset."

de vita — in discrimen vocantur] h. e. in extremum casum deducuntur, ut *vitam cernant*, ut dicebatur §. 38.

Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante: ut Callicratidas, qui, cum Lacedaemoniorum dux esset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam nec cum 84

---

vi. 3. Itidem *dimicare de gloria*, vel (ut apud Aemil. Prob. XIII. in *Timotheo* 4, 3.) *de fama*, valet *Fortunam tentare in certamine famae et periclitari gloriam*, *decertare de gloria*. M. Heus. confert *pro Arch.* 10, 23. ex. *Sext.* 1, 1. *Att.* VIII. 12. *ep. D.* Qui vero *promptiores sunt ad pericula communia*, quatenus aleam Fortunae experiuntur ita, ut vitam aliorum morti obiiciant, non suam, dicuntur apud Diodor. Sic. XVI. 78. ταῖς τῶν ἄλλων ψυχαῖς ἐναποκυβεύειν.

§. 84. *cum Lacedaemoniorum dux esset*] Schütz et Degen retinuerunt volgatam *fuisset* Sed recte Gernhard e Gu. 3. 5. et ψ restituit *esset*. Nam Callicratidas Ol. 93. a. ⅔, ante aeram Chr. volg. 406. belli Peloponnesiaci vigesimo sexto, cum Septembr. XX. anni superioris Nauarchiam inisset, Methymnam expugnarat, Cononem ad Mitylenen, Lesbi oppidum, navali pugna decernere coactum, vicerat, ipsumque portum ingressus, terra marique obsidebat; fugarat etiam Diomedontem, captis X navibus; sed, cum moniti a Conone Athenienses auxilium plus CL navium misissent, his occurrens Callicratidas cum CXX navibus victus occisusque est ad Arginusas, tres insulas in Aegaeo mari e regione Lesbi ad Maleam promontorium, Mitylenae oppositas. V. Xenophon. *Hellen*, I. 6, 23. Diodor. Sic. XIII. 98. Plutarch. in *Lysand.* p. 436. c. 7. pr. in *Pelopida* c. 2. et in ἀποφθέγμ. Λακ. p. 222. ex. Fr. ἰ. ϛ. apud quos Callicratidas Hermoni gubernatori, monenti, ex re esse, classem abducere, et haruspici, victoriam exercitui, duci obitum vaticinanti, magnifice, sed non temere, respondet, ita, ut decori patriae et communi saluti suam vitam posthabuisse videatur. Turneb. *Adv.* XXVIII. 39. legit h. l. *evertit ad extr. omnia* et absorptam putat literam *e* ab antegresso adverbio *egregie*, quod in libris vett. erratum frequentissimum sit. Si opus esset mutatione, legi posset cum μ et ψ *pervertit*, ut II. *de divin.* 56, 115. ex. Sed cf. *N. D.* II. c. 26. ex. *qui magna v o r t e r e t*, *Mavors dictus est;* et Schelleri *Lexic*, p. 12206. 2).

Arginusis] Haec usu frequentata forma placuit Gernhardo et Schützio, cum Gr. insulae illae dicantur Ἀργινοῦσαι.

Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit, Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris; illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius:

Vnus

Sed hoc cum contractione ortum sit ex Ἀργινόεσσαι, *argillaceae*, Mich. Heusinger defendit scripturam Goth. et trium editt. Venett. quam tacito librorum suorum consensu probare videtur F. Heusinger, *Arginussis*. Verecundor hac de re aliquid definire.

Atque haec quidem L. plaga mediocris] Addunt quidam *fuit*, ut Oliv. cum μ et ψ. Sed v. Phil. II. c. 11. pr. cl. nota supra p. 134. ex. *Plaga* sic quasi tropice dicitur *Fam*. XVI. *ep*. 12, 9. *Leuctricae pugnae calamitas* (I. *de divin*. c. 34. ἀτύχημα Pausan. IV. 26, 3.) epocham facit. V. Gellius XVII. 21. post med. Secundum Dodwelli *chronologiam* (ed. cura Thieme in *Xenophont*. T. III. p. 67.) accidit Ol. CII. a. 2. die quinto h. e. VIII. m. Julii a. 383. p. U. c. aer. *Varr*. vel 371. a. Ch. Sequitur Cicero Xenophontem, qui scribit, Cleombrotum et ab amicis et ab obtrectatoribus irritatum fuisse ad committendam pugnam, ut se liberaret invidia suspicionis, quasi faveret Thebanis, et de pugna postremum deliberasse a prandio, ducibus a vino incitatioribus, praetereaque Lacedaemoniis adversa ad hoc proelium accidisse omnia (cf. infra II. §. 26. ex.), Thebanis secunda. V. *Hellen*. VI. 4. §. 4. ss. 8 — 15. et in *Agesilao* 2, 24. Dionys. Hal. I. II. Aristides *Leuctrica* I. aliique super mille, Diodor. XV. 56. (ubi v. Wesseling.) quater mille Lacedaemonios cum Cleombroto occubuisse, memoriae prodiderunt. Haec victoria (de qua cf. supra ad §. 61. p. 145.) Epaminondae patefecit iter in Peloponnesum per I) annos populationis expertem, ut, Laconica vastata, Spartam ipsam adoriretur omnesque fere Graeciae populos sibi socios adiungeret. Ib. 62 — 67. Pausan. I. 29, 8. III. 6, 1. VIII. 27, 6. IX. 13, 2. 4. c. 14. Strabo IX. 2. p. 269. s. ed. stereotyp. Plutarch. *Pelopid*. c. 24. *compar. Lysand. c. Sulla* c. 4. Aemil. Probus XV. 6, 4. XVI. 2, 4. XVII. 7, 1. et quos laudat Meursius *de regno Laced*. c. 18.

Quanto Q. Maximus melius!] intell. *fecit*, ut III. 109. ex. Interrogationis in exclamandi mutavimus signum. Flor.

Vnus homó nobis cunctándo réstituit rem.

Flor. II. 6, 27. *Fabius novam de Annibale victoriam commentus, non pugnare. Hinc illi cognomen novum et rei publicae salutare, Cunctator. Hinc illud ex populo, ut imperii scutum vocaretur. Itaque sic maceravit Annibalem, ut, qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur.* Plutarch. in *Fabio* c. 19. Hinc *Romanus sedendo vincit* ortum videtur Erasmo *adagium* MDCCCCXXIX. p. 329. ed. Froben. V. Silius *At.* VII. 151. cl. 65. 125. s. XVI. 673. ss. Valer. Max. VII. 3, 7. Cerda ad Virgil. *Aen.* VI. 847. qui cum Ovidio *Fast.* II. 242. Sueton. *Tib.* 21. Cic. II. *Att.* ep. 19, 1. Plinio XXII. c. 5. Sereno Sammonico c. LXIV. de verrucis v. 1102. alludit ad Ennii versum, quem Servius ad 846., memoria lapsus, aliter citat. Cf. Liv. XXX. 26, 9. Macrob. VI. 1. qui ex annali XII. esse testatur. V. *Fragmm.* ed. Hessel. p. 98.

restituit rem] quippe pluribus cladibus ad Ticinum, Trebiam, Placentiam a. 535. et ad lacum Trasymenum a. 536. ante hunc Prodictatorem pessum datam. Saepe sic *res Romana* pro *statu rei publicae, imperio* aut *civitate* dicitur in singulari numero, non facile in plurali. V. Cerda ad Virg. *Aen.* VI. 858. Itaque in satira Sulpiciae, quae calamitosam imperii Romani sortem sub Domitiano deplorat, ipsum tyrannum notans v. 35. s. *qui res Romanas imperat inter, Non trabe, sed tergo prolapsus et ingluvie albus,* lectio suspecta fuit Oudino in *Miscellan. Obss. Nov.* T. V. p. 403. cujus tamen commento non plus tribuo, quam aliorum coniecturis, quas recenset Schwarz in *annotatt.* a Gurlitto, V. S. V., editis. Acute quidem sensit Scriverius, alludi ad Phaedri I. *fab.* 2. sed medelam non excogitavit probabilem. Nam recte contra monet Schwarz p. 23. si Sulpicia respexisset ad fabulam illam, tunc potius dicere debuisset: „*non trabs prolapsa est, sed natrix.*“ Equidem, antequam utriusque sententias nossem et, pro *imperet* olim a quibusdam *inferat* editum esse, comperissem, in hanc incideram coniecturam:

> *qui rem Romanam in perniciem infert,* (cf. Plaut. *Truc.* II. 7. al. 5. vers. 19. s.)

Non trabs (in Hildeberti Cremonensis, qui volgo Anonymus Neveleti audit, *fab.* XXI. 5. 9. i. e. q. ap. Phaedrum v. 13. *tigillum* vel 20., *lignum*) *sed tergo prolapsus* (i. e. de caelo delapsus, n. a Jove rex missus: ut *Palladium coelo prolapsum* in Mamertin. *grat. act. ad Jul.* 6.) *et ingluvie anguis.* Nempe, hic quibus noscatur notisq; exprimitur Ablativo, ut in Auson. *edyll.* XI. 44. sphynx et in *epigr. Pithoe.* l. IV. p. 129. describitur chimaera *ore leo tergoque caper.* Describitur autem *anguis* (Phaedro *hydrus*) poetis solenniter *squamea* et *sinuosa terga retorquens*, ut Statio V. *Theb.* 520. s. et *piscibus atram Improbus ingluviem* (*ventris* addit Silius l. VI. 155.) *ranisque loquacibus explet* apud Virgil. *Geo.* III. 431.

N

Nón hic pónebát rumóres ánte salútem.
Ergo póstque magísque viri nunc glória clárei.

Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod sentiunt, etiam si optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.

V. 2. *Non hic ponebat*] Recepimus e cod. Paris. et ‡ lectionem, in *Leipz. Lit. Zeitungen* 1819. n. 122. p. 972. Hermanno probatam et hic et in *Cat. Maj.* 4. §. (2.) 10. ubi tres Oxonn. sic exhibent. Idem vir Magnif. a correctore substitutam censet lectionem, *Non ponebat enim r.*, quam, morigerum nactus Degenium, suffragantibus libris plerisque, et, ut ait, Servio, apud quem tamen hic versus in nostris quidem editt. omnino non legitur, receperat Gernhard. Idem vero, sententia mutata, in *Cat.* I. scripsit, *Non enim rumores ponebat*, cum Schützio ibid. et cum Fr. Heusingero hoc loco e quatuor Guelphh., antiquo Scholiasta, ed. Magont. et alia s. l. et a., ad quam auctoritatem falso provocans, Schütz hic dedit *N. enim rumores ponebat*, inverso verborum ordine. Liv. XLIV. 22. *Firmi et constantis animi contra adversum rumorem — Fabius fuit, qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam, secunda fama, male rem gerere.* Cf. Silius VII. 266 — 271. Plutarch. c. 5. ex. 10. 12.

V. 3. Sensum Gernhard ad *Cat. Maj.* I. recte expedit hoc modo: „Ergo et post obitum vir gloria claruit et magis etiam hac aetate claret, quam cum viveret."

etiam si o. sit] M. Heusingero, hoc e suis exemplaribus aliquot restituenti, Gu. 3. ed. vet. s. l. et a. Venet. 1498. Lipss. 1507. et 1513. Lugd. 1527. et Gryph. favent. Gernhard et Schütz tacito revocarunt volgatum *etsi*. Sed hanc part. facilius illi, „quam vice versa", substitui, monuit clar. Görenz ad I. *Fin.* 17, 56. ex. Ceterum, quae hic et copiosius *pro Sext.* 46, 99 — 48, 102. praecipit M. Tullius, eorum ipse, cum vel maxime interesset, non satis meminerat. Certe Heinsius in *oratione*, supra p. 59. laudata, p. 208. oppressam rem publicam imputat partim etiam Ciceronis, inter partes fluctuantis, metui primo, mox incogitantiae insigni. „Qui vir maximus", inquit, „ut optime, quid esset faciendum, norat ac ubique occinebat, ita minime omnium tueri in re publica audebat, qui, sublato Caesare, in locum ejus fervidum adolescentem nec ambitiosum minus, quamvis monitus a Bruto, callide provexit: donec primus, sed iam sero, quibus emendandis par non esset, deprehendit."

XXV. Omnino, qui rei publicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quaecumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus rei publicae curent ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio rei publicae ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Qui autem parti 85

C. XXV. §. 85. *quaecumque agunt*] Facciol. cum Goth. Vinar. duobus Oxonn. et edd. vett. *quicquid*, ut in noto illo versu Dionysii tyranni sospitatore: *Quicquid agis, prudenter agas.* Unus Beda: *quidquid agant*, ut *Cat. Maj.* 9, 1. *quicquid agas, agere pro viribus* (*decet.*) De sententia cf. fragm. l. V. *de re publ.* in VIII. *ad Att. ep.* 11. pr. Plato I. *de re publ.* p. 343. A. Οὐδεὶς ἐν οὐδεμίᾳ ἀρχῇ, καθόσον ἄρχων ἐστὶ, τὸ αὑτῷ ξυμφέρον σκοπεῖ οὐδ' ἐπιτάττει, ἀλλὰ τὸ τῷ ἀρχομένῳ καὶ ᾧ ἂν αὐτὸς δημιουργῇ· καὶ πρὸς ἐκεῖνο βλέπων καὶ τὸ ἐκείνῳ ξυμφέρον καὶ πρέπον, καὶ λέγει, ἃ λέγει, καὶ ποιεῖ, ἃ ποιεῖ, ἅπαντα. De fugienda rem publicam gerentibus πλεονεξίᾳ καὶ ἰδιοπραγίᾳ, quando quidem τὸ μὲν κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις, id. IX. *de legg.* p. 875. B.

nec — reliquas deserant] Recte observatur, superioris enunciati sensum continuari ampliore quadam explicatione, sic, ut, quod contrarium alteri est, prohibeatur: compar. II. 73. pr. Plat. IV. *de re publ.* 420. B. Οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες, τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἕν τι ἡμῖν ἔθνος ἔσται διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ' ὅπως ὅτι μάλιστα ὅλη ἡ πόλις. — νῦν μὲν — τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν, οὐκ, ἀπολαβόντες, ὀλίγους ἐν αὐτῇ τοιούτους τινὰς θέντες, ἀλλ' ὅλην. IV. *de legg.* 715. C. Ταύτας δήπου φαμὲν ἡμεῖς νῦν οὔτ' εἶναι πολιτείας οὔτ' ὀρθοὺς νόμους, ὅσοι μὴ ξυμπάσης τῆς πόλεως ἕνεκα τοῦ κοινοῦ ἐτέθησαν· οἳ δ' ἕνεκεν τινῶν, στασιωτείας, ἀλλ' οὐ πολιτείας, τούτους φαμέν. In prox. Schütz et Degen tenent ordinem volgatum, *ad utilitatem eorum*, quem propter vim oppositionis *non ad eorum*, compar. 87. ex., inverterat Gernhard cum Gu. 2. 3. 4. 5. Bed. Eyb. Ascens. et Balduino. Statim post olim volgabatur, *quibus commissi sit* quae lectio substitui non potuisset, si post *commissa* iam olim adfuisset *est*, quod proscribit Gu. 5., transponit Vincent. Bellovac. *quibus est commissa*: qui chiasmus praestat certe volgari structurae. Quem Ciceronis usum (de quo v. ad §. 6. pr.) si tenuissent Gernhard et Schütz, supra §. 76. ex. non, relicto Heusingero, reduxissent volgarem ordinem *gestum est*. A Mich. Heusingero, cui cum Aldo h. l. utrumque *est* delere placet, dissentit Gernhard. Sed a relativo quidem membro recte abest. V. ad §. 61. pr. p. 141. ex.

civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque videantur, pauci universorum.
86 Hinc apud Athenienses magnae discordiae; in nostra re publica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia. Quae gravis et fortis civis et in re publica dignus principatu fugiet atque oderit: tradetque se totum rei publicae neque opes aut potentiam consectabitur; totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque

---

populares] dicuntur, *qui populi voluntatem carissimam semper habent*, ut ipsi scilicet *populo cari* sint *et iucundi*: qualis fuit Caesar. V. *Ligar.* 12, 37. cl. *Cat.* IV. 6, 11. ubi c. 5. *levitati concionatorum* itemque *largitorum et prodigorum, qui se populares haberi volunt*, opponitur *animus vere popularis, saluti populi consulens.* Qui se *populares*, qui *optimates* et haberi et esse voluerint, perdocetur *Sext.* c. 45. 48. s. ubi §. 103. *boni* et *principes* promiscue dicuntur, nec non *optimus quisque* §. 96. ex. s. 104. ut h. l. et infra 99. pr. quicum cf. 149. pr.

§. 86. *gravis et fortis civis et*] Posterior copula obliterata est in Gu. a. 4. et vett. editt., cuius rei contrarium enotavit Schütz. — Verbo *tradet* affixa *que* valet *imo potius* (cf. ad §. 64. p. 150. ex.); sed in seq. *totamque* videtur colligendi vi pollere. *Opes* hic quidem acceperim de factione clientium et asseclarum, ut §. 64. ex. II. 41. Heus. Gernh. Schütz accipiunt pro *divitiis*, ut §. 9. scil. ut distinguantur a *potentia.* Sed hoc bene fieri potest alio modo. Nam *potentia* ex *opibus* pendet: quando quidem factio ambitioni magistratus et imperia expetentium aut rogationibus leges ferentium suffragatur adversariosque, ut concedant, metu cogit. Scheller adducit *Epist.* I. 7, (al. 8.) 31. *qui plus opibus, armis, potentia valent, perfecisse tamen mihi videntur stultitia et inconstantia adversariorum, ut etiam auctoritate iam plus valerent.*

Nec vero — vocabit] ut Q. Metellum criminatus est C. Marius (III. 79.). Fluit autem hoc praeceptum e praecedd. Nam qui in re publica duces exsistunt partium, hi, aliter fieri nequit, quam ut excitent, cum studiorum vitiorumque suorum aemulos, aliis partibus addictos, tum bonos, qui contra nitantur. Hos igitur adversarios

ita iustitiae honestatique adhaerescet, ut, dum ea conservet, quamvis graviter offendat mortemque oppetat potius, quam deserat illa, quae dixi. Miserrima omnino ambitio est honorumque conten- 87
tio, de qua praeclare apud eundem est Platonem, *Similiter facere eos, qui inter se contendunt, uter potius rem publicam administret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret.* Idemque praecipit, ut *eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio tueri*

---

ut vincant, plerumque eripere iis popularem gratiam conantur, idque saepe criminando: ut multi competitores suos reos fecerunt de ambitu, *honoris contentione permoti* (*Mur.* 4, 8. 27, 56. ut mox §. 87. loquitur philosophus de *ambitione*). Itaque etiam iis, qui *totam civitatem sic tuentur, ut omnibus consulant*, multi invident: multaque sunt in ea contentione, ut aliquorum cupiditas et commodum a propugnatorum rei publicae consilio discrepet. Quam aspera et ardua, quam plena periculorum et insidiarum esset haec rei publicae laudabiliter capessendae via, ipse prae ceteris sensit Cicero. Vid. *Cat.* IV. 10, 22. cl. *pro Sext.* 46, 99 — 49, 105. — *Quamvis graviter offendere* hic valet *in offensionem quam gravissimam incidere.* Etenim *quamvis* Superlativum gradum compensat, ut II. 69. ex. *beneficium quamvis magnum.* Sic etiam in Neo-Phaedri *fab.* e Perotti cod. eruta I. extt.

§. 87. *Miserrima est omnino*] Volgatus hic verborum ordo praestat certe illi in Gu. 1. 2. 4. exc. Bedae atque Eybi: *M. omnino est*, V. p. 149. s. Sed elegantius est σείζευγμα (v. p. 161.), quod F. Heusingero suppeditavit Nonius s. v. *contentio.* Deinceps Schütz tacito retinuit lectionem volgarem: *qui inter se contenderent, uter — administraret.* Sed eam deberi correctori, qui haec accommodare voluerit orationis obliquae modo in proximis, agnoscit Gernhard, qui e Goth. et Gu. 3. restituit *contendunt*, atque ex eodem codice Vinar. et edd. Magont. Venet. a. 1470. Lipss. Ald. *administret.* De Indicativi ratione v. p. 62. ex. 165. Multi revera inter se contendunt de imperio, gubernaculum sibi deposcere nautae finguntur tantum in Plat. VI. *de politia* p. 488. B. νῆσον — ναύτας στασιάζοντας πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς κυβερνήσεως, ἕκαστον οἰόμενον δεῖν κυβερνᾶν etc. 489. C. τοὺς νῦν πολιτικοὺς ἄρχοντας ἀπεικάζων οἷς ἄρτι ἐλέγομεν ναύταις, οὐχ ἁμαρτήσῃ. In seqq. videtur respici IX. *de legg.* p. 856. B. ubi, qui rei publicae hostis iudicandus sit, declaratur, et VIII. *de polit.* 567. C. ubi dicitur,

rem publicam velint: qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum sine acerbitate dissensio.

88 Nec vero audiendi, graviter qui inimicis irascendum putabunt idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis et in iuris aequabilitate

---

si qui tyrannidem affectet, huic *eos* omnes, *qui suo iudicio tueri rem publicam velint*, e medio tollendos esse, ἕως ἂν ἐχθρῶν λίπῃ μηδένα. Quocirca praeclaram Isocrates majoribus tribuit laudem in *Paneg.* c. 22. qui οὕτω πολιτικῶς εἶχον, ὥστε καὶ τὰς στάσεις ἐποιοῦντο πρὸς ἀλλήλους, οὐχ ὁπότεροι τοὺς ἑτέρους ἀπολέσαντες, τῶν λοιπῶν ἄρξουσιν, ἀλλ' ὁπότεροι φθήσονται τὴν πόλιν ἀγαθόν τι ποιήσαντες.

P. *Africanum*] Minorem inter et Q. Caecilium *Metellum* Macedonicum contentionem ab aemulatione virtutis profectam refert Valer. Max. IV. 1, 12. Aliam causam ib. IX. 5, 7. sibi invenisse visus est Langius, non dissentiente Wetzelio ad *Lael.* 21, 6. qui tamen ipse e *Bruto* 21, 4. suspicatur, inimicitiam inde exortam esse, quod Metellus pro L. Cotta dixisset, accusante Africano; sed idem p. 143. parum intellexit Plinium, minus verisimile esse dicens, quod hic *H. N.* VII. 44. (sect. 45.) putaverit, a Metello vim nefariam Africano, intra suos Penates quiescenti, esse illatam. Tradit potius Plinius, Metellum a C. Attinio inimico, quem e senatu Censor eiecisset, ad Tarpeium raptum, ut praecipitaretur, atque, aegre Tribuno, qui intercederet, reperto, a limine ipso mortis revocatum, alieno beneficio postea vixisse, *bonis inde etiam consecratis a damnato suo, tanquam parum esset faucium certe intortarum expressique per aures sanguinis poena exacta est.* [Corrige ex ed. Paris. 1516. *tanquam parum esset, f. — poenam exactam esse.*] *Equidem et Africani sequentis* [num f. *Secundi?* in ead. illa ed. est *Aemiliani*] *inimicum fuisse inter calamitates duxerim, ipso teste Macedonico; si quidem liberis dixit: „Ite, filii, celebrate exsequias! Nunquam civis maioris funus videbitis."* — *Verum, ut illa sola iniuria aestimetur, quis hunc iure felicem dixerit, periclitatum ad libidinem inimici, nec Africani saltem, perire?* Cf. Horat. II. *sat.* 1, 65. ss. Ceterum summorum virorum exemplo ipsas inimicitias, ex rei publicae dissensione susceptas, temporis et rei publicae causa etiam deponendas esse, insinuat *or. de provinc.* §. 20 — 25. et 20, 47. ex. *Sext.* §. 72. ex. et *post redit. in senatu* 10, 25.

§. 88. *in iuris aequabilitate*] i. e. in re publica, aequabili (II. §. 42. pr. I. *de invent.* c. 2. 53. in Schütz.

exercenda est etiam facilitas et altitudo animi, quae dicitur, ne, si irascamur aut intempestive accedentibus aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur, rei publicae causa, severitas, sine qua administrari

---

ed. 54. III. *ad Herenn.* §. 4.) vel *aequo iure fundata* (Senecae *epist.* 90.), *aequis legibus florente* (Phaedr. I. *fab.* 2, 1. ad quem v. doct. Schwabii *Excurs.* III. pr.), ubi leges *aequitate constituenda summos cum infimis pari iure tenent* (II. §. 41.), ἵνα πᾶσι τὰ δίκαια καὶ ἴσα, quo modo in Solonis epistola apud Diog. Laërt. I. §. 67. (ubi v. Menagius p. 25. B.) explicatur ἰσοπολιτεία, quae ibid. paullo ante dicta fuerat, vel ἰσονομία ap. Herodot. γ. 80. l. 29. sive ἰσηγορία in Demosth. *de libert. Rhod.* p. 195, 28. c. *Mid.* 555, 16. s. et in *epitaph.* 1397, 24. Hic quidem intelligitur praecipue imperium populare, is rei publicae status, ubi magistratus populi beneficio deferuntur omnibusque civibus patet aditus ad honores, ut per vices imperent pareantque iidem.

exercenda est etiam] Sic, ut p. 194. Gu. 5. Accedit 3., *et* peccans, quam part. editt. vett. Lipss. excludunt. Volgo: *exercenda etiam est* cum Nonio s. v. *Exercere.* Male. *Altitudo animi* dicitur *Partit.* c. 22. *magnitudinis animi esse in capiendis incommodis et maxime iniuriis.* Schütz in *Lex. Cic.* interpretatur „*generosam animi indolem, qua sine ira ferimus homines molestos*". Similiter Degen: *Erhabenheit des Geistes.* Sed dici de *sensu celato sic, ut assequi non liceat,* quo modo interpretatus est etiam Garve, recte docet Gernhard, laudato Ernesto ad Tacit. *Ann.* III. 44. ex. cl. Sallust. *Jug.* 95. ex. ubi *altitudo ingeni,* et V. *Att. ep.* 10. ubi dicitur Gr. βαθύτης: in qua voce v. Ernesti *clavis.* Est igitur h. l. *hilaritas, comitas et mansuetudo de industria, fastidii dissimulatio, versuta patientia,* cujus exempla vid. §. 109. et de hominis civilis vita plena stomachi *Mur.* 9, 19. *Brut.* c. 66. *Morositas* autem *inutilis* esse dicitur non, ut Hottinger cum Garvio accepit, *ad negotia rite administranda, quippe quae animum impediat;* sed *ad gratiam, id est odiosa.* Ergo *et* hic explicationem annectit, ut §. 33. p. 75.

ita probanda —, ut adhibeatur] i. e. *Mansuetudo et clementia est illa quidem adhibenda; sed adhibeatur* etc. Sic apud Celsum et Livium frequentatur *cum eo, ut* i. e. *ea restrictione adhibita, ea lege v. conditione, eatenus, ut.* Cf. II. §. 72. III. 13, 53. *de orat.* III. c. 7. *omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem.* *Rosc. Am.* 19, 55. c. 20. pr. 26, 72. 34, 95.

civitas non potest. Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet neque ad eius, qui punitur aliquem aut verbis fatigat, sed ad rei

---

ibique Matthiae. *Rosc. Com.* c. 6. *ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam.* IV. *Verr.* §. 150. pr. *Catil.* IV. 7, 15. *Mur.* c. 3. pr. 28, 68. pr. *Epist.* V. 21. (al. 22.) §. 2. pr. XVI. 12, 5. *Att.* I. 14. §. 6. *Tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur* Uti Rogas. *Fin.* V. 23, 65. ex. Eodem modo dicitur *ita, ne* I. *Cat.* c. 2. ex. §. 6. ut ap. Liv. XXII. 61. *ita admissos esse* (in urbem), *ne tamen iis senatus daretur;* et *ita, si* I. *N. D.* 2, 3. ubi v. Heindorf. Compensantur hae particulae anaphora in consimili l. *Catil.* I. 2, 4. ex. Ad eandem sententiam cf. *Mur.* 5, 6. (Beck. 10. s.) et *ad Brut. ep.* 2. extr. Idcirco laudatur a Tacito in *Agricola* c. 19. *omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec poena semper, sed saepius poenitentia contentum esse.* Ad seqq. cf. §. 137. pr.

punitur] „active positum h. l. legit Nonius VII. 27 et Servius ad Virgil. *Aen.* XI. 600." [sic] haec vv. Schützii, itemque illa Mich. Heusingeri: „*Punitur* legendum auctoritate Servii" fluxerunt ex hac Facciolati nota: „*punitur* more deponentium ex Nonio (in h. v.) et Servio (ad Aen. XI. 660.)" Verum enim vero Servius nil nisi de verbis *bellantur* et *nutritor* pro *nutri.* Sic editores pigri vervecum modo temere sequuntur arietem! Gernhard citat *Tusc.* IV. 44, 107. Add. *Rhet.* II. 27, 80. ex. et cf. Ernesti *clav.* s. h. v. extr. Deinceps ex perantiquo codice Gud. Nonii l. c. F. Heusinger restituit *aut verbis fatigat* pro volgato *castigat*, quod glossema, ut Gernhardo quidem videtur, e superiori versu tractum eidemque verbo etiam III. 18. pr. substitutum, postliminio restituit Areopagita taciturnior Ill. Schützii auctoritas et gravitas: quam tamen quodam modo elevabit Nonius c. IV, 206. Francisco Binkes in *Analysi* p. 24. laudanti Grotium *J. B. et P.* L. II, c. 20. §. 6. et Huberum *de Jur. Civ.* L. III. *Sect.* II. c. 5. §. 2. videtur Ciceronis de fine poenarum opinio differre a Platone, qui duplicem statuit finem, et peccantis *emendationem* et *exemplum*, ut ceteri a talibus peccatis, quae prohibere publice interest, poenae metu deterreantur: quibus Ficinus, Platonis commentator, tertium addit, τιμωρίαν sive *satisfactionem*, cum Gellio VI. 14. et Aristotele, qui, a Platone dissentiens, *exemplum* excludit. Falsum est autem, quod Binkes cum Grotio l. c. §. 9. docet, Ciceronem hic duos tantum memorare fines, *satisfactionem* sive *utilitatem laesi* et *exemplum*, sed ultimum priori anteponere, quia spectet utilitatem omnium et otium rei publicae. Imo hujus interest etiam, ut perditorum civium mentes, si fieri possit, sanentur. V. ad 10. 11. pr. De *satisfactione* autem hic ne cogitavit quidem scriptor.

publicae utilitatem referri. Cauendum etiam, ne 89
maior poena, quam culpa, sit et ne iisdem de caussis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo. Nunquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum; quae placet Peripateticis et recte placet, modo ne laudarent iracundiam et dicerent utiliter a

---

§. 89. *Cavendum etiam*] Interponitur volgo *est*. Verum tamen, necessarium esse ad hanc Ellipsin, ut aliud eiusdem formae praeceptum praecesserit, mihi quidem non persuasit Gernhard, qui neutrum huius participii, loco substantivi positum, distingui volt a reliquis eiusdem generibus, quae, adjetivorum munus gerentia, facilius et possint et soleant verbo *est* et *sunt* carere. V. ad §. 26. ex. et 68. ex. — Binkes n. 44. cl. Montesquieu *Esprit des lois Liv.* 6. *ch.* 16. *Liv.* 12. *ch.* 4. laudat III. *de Leg.* 20, 46. pr. *Noxiae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur.* Praeivit Plato XI. *de leg.* p. 934. B. iubens spectare τό τε μέγεθος τῆς κολάσεως ἑκάστων καὶ παντελῶς τὴν ἀξίαν. Nam, ut ib. IX. 857. B. monetur, delictis δεῖ ποικίλοις ὁδοῖς ἕπεσθαι τὸν νομοθέτην, μηδὲν ὁμοίαις ζημίαις ζημιοῦντα. Hujus principii, quo regi debet omnis iustitia criminalis, neglectio ad ineptias duxit Fichtium in I. *Grundlage des Naturrechts* II. p. 97. 98. quem νουθετεῖ noster Krug, Vir Summus, in *Dicaeologia* §. 81. n. 1. extr. p. 328. s.

iracundiam — utiliter a natura datam] n. *fortitudinis* quasi *cotem* omninoque *perturbationes*, quas coërceri, non, ut Stoici, evelli voluerunt Peripatetici, quasi incitamenta virtutis. Vid. *Tusc.* IV. c. 18 — 26. Lactant. VI. 19. pr. Eadem sententia fuit Academicorum veterum. V. II, *Acad.* 44, 135. ex. ubi non sequor Görenzium, qui iudicat, Ciceronem, *Academicos* latiori sensu cum etiam alias dicat Peripateticos simul complectens, ibi communi nomine hos separatim et prae ceteris intellexisse. Ipse enim Plato II. *de rep.* p. 375. B. ss. milites ad iram, sine qua nulla sit fortitudo, pronos esse volt. Cf. Summus Clodius *de virtt. cardinal. comment.* II. (Lips. 1820. 4.) p. 7. s. „Si *fortitudinem* animi et in exsequendis optimis consiliis constantiam spectamus, ejus ingenita vis ad voluntatem humanam pertinens *cholericis*, *irritabilibus* hominibus a rerum natura eo magis est attributa, quo minus hac ex corporis temperatura nati affectus sapientia cohibentur. Quare illud hominum genus ab *ira*, caeco *furore*, violentaque injustitia sibi caveat necesse est, quibus affectibus si cedunt, debiles magis, quam fortes, dicendi sunt.“

natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda est; optandumque, ut ii, qui praesunt rei publicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur.

90 XXVI. Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium arrogantiamque magno opere fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre — levitatis est; praeclaraque est aequabilitas in omni vita et idem semper voltus eademque frons, ut de Socrate

---

Illa vero] Particula non recte ab Hottingero et Degenio accipitur pro *profecto*. Recte ejus vim *imo potius* expresserat Garve. Mox ed. Venet. a. 1498. habet: *hi, qui praesunt*. Cf. Seneca *de ira* c. 16.

C. XXVI. §. 90. *magno opere*] Hoc, a Langio editum, optimi exemplaris apud Fabricium fides firmat aliorumque apud Heuss. Recte h. l. ut *Rhet.* II. 1, 2. Aliter statuendum videbatur supra §. 3. pr. et 35. ex. ubi e paucissimis libris Heuss. Degen et Gernhard admiserunt ambiguitatem: *In quo tanto opere* —. In prox. *ferre*, ut alibi *sustinere*, dicitur in utramque partem. Cf. Terent. *Andr.* V. 4, 18. *non tu tuum malum aequo animo feres? Phorm.* I. 2, 88. *quod Fors feret, feremus aequo animo*. Vid. ad utrumque l. Westerhov. cll. Euripid. *Phoen.* 393. ed. Pors. (al. 396.) 1776. (al. 1807.). *Res secundas* autem *immoderate ferre* dicitur ob curam, studium, laborem, quae requiruntur, ut secundis et utilibus recte utamur: quo modo nos proverbialiter, *gute Tage tragen*. Cf. Curtius III. 12, 20. et interpp. ad Phaedr. I. *fab.* 2, 29. Αἰὼν δ' ἀσφαλὴς, ut ait Pindar. *Pyth.* III. Ergo in tanta rerum inconstantia et florentis fortunae instabilitate, quod aliud remedium, quam, *quidquid erit, superare omnem Fortunam ferendo?* ut est in Virgil *Aen.* V. 710. ubi v. Cerda. Is autem, qui *flatui ejus* (II. §. 19.) ludibrium volitat, haud absimilis videtur καλάμῳ ὑπὸ ἀνέμου σαλευομένῳ. Tali *levitati*, quatenus in ipsa vita apparet, opponitur *aequabilitas universae vitae* (§. 111.).

de Socrate] Parrhasio *epist.* XVII. in Grut. *Lamp.* I. p. 745. aliisque laudantur testimonia *Tusc.* III. c. 15. pr. Gellii I. 17. II. 1. Senecae paullo a fine *epist.* 104. Plinii *H. N.* VII. c. 19. sect. 18. Aeliani Ποικ. Ἱστ. IX. c. 7. De *Laelio, sapiente*, (II. §. 40.) cf. I. 108. et Horat. II. *sat.* 1, 72. Pro volgato *accepimus* verius Gu. 2. *accipimus*. V. p. 42. ex. ad §. 19. pr.

itemque de C. Laelio accipimus. Philippum quidem, Macedonum regem, rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate, video, superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus: ut recte praecipere videantur, qui mouent, ut, quanto superiores sumus, tanto nos

---

Philippum,] qui regnare coepit a. Ch. a. 361. et 338. biennio ante necem, victoria ad Chaeroneam Graeciae libertatem eripuit, Gellius IX. 3., scribit, *a liberali Musa et a studiis humanitatis nunquam afuisse, quin lepide comiterque pleraque et faceret et diceret.* Cf. infra II. §. 48. 53. Ejus res ad verum vocando mirifice illustravit Exc. Benj. G. Weiske *de Hyperbole errorum in historia Philippi Amyntae filii commissorum genitrice. Lips.* 1819. 4. et singulariter quidem de ejus moribus I. n. 103. 122. II. n. 38. p. 45. s. Idem I. n. 82. Justini locum IX. 4. de ingenio Philippi in Chaeronensis victoriae celebratione conspicuo corrigit hoc modo: *ita inter Macedonum* (pro ll. lectione *tacitam*) *laetitiam et dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos exsultasse neque apud victos insultasse videretur:* sagaciter quidem; sed corruptelae ortus ipse perspicietur, leniori adhibita correctione, *Macetum.* Arbitro eodem Justino c. 8. ex. Alexander fuit *et virtute et vitiis patre maior. — Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. — Amari pater malle, hic metui. — Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior.* Weiske l. c. I. n. 104. conjicit *immoderatior*, ut sensus sit, factis Alexandrum, dictis Philippum minus temperasse: cui tamen mutationi obstare videntur tum praecedd. ubi Philippus describitur *blandus alloquio; in seria et iocos artifex,* tum seqq. *Parcendi victis filio animus et promptior et honestior.* Idem vero ταῖς μεγαλευχίαις ἀηδὴς ἐγίνετο, — πρὸς τὸ κομπῶδες ὑποφερόμενος, ut scribit Plutarch. in *Alexandro* c. 23. quo nemo secundarum rerum intolerantior fuit. Ejus iactantiam et superbiam, in saevitiam et furorem versam, ipse Justin. XII. 6. XV. 3. cum Seneca *ep.* 113. ex. *de ira* III. c. 22. s. Curtio III. 12, 18. s. VIII. 1, 22 — 52. 8, 21. s. et Arriano *expedit.* IV. 8, 3 — 16. *vanitatem ementiendae stirpis* notat Liv. IX. 18. cum Curtio IV. 7, 25 — 31. qui alia foeda refert V. 7, 1 — 12. X. 1, 25 — 43. Cf. Plutarchus c. 38. qui tamen de pleris que probris excusatius loquitur, e. c. 50. s. Vid. Schmieder ad Arrian. IV. 14, 4. Rerum et a Philippo et a se gestarum conspectum dat ipse Alexander ibid. VI, 9, 2 — 13.

geramus submissius. Panaetius quidem, *Africanum, auditorem et familiarem suum, solitum,* ait, *dicere, „ut equos, propter crebras contentiones „proeliorum ferocitate exsultantis, domitoribus tra„dere soleant, ut his facilioribus possint uti: sic „homines, secundis rebus effrenatos sibique praefi„dentis, tamquam in gyrum rationis et doctrinae „duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum*

Africanum] *Minorem*, auditorem et familiarem Panaetii, quem domi militiaeque secum habuit, fuisse, testantur praeter ipsum Cic. *Fin.* IV. 9, 23. Vellejus Pat. I. 13, 3. et Gellius XVII. 21. pr. Sunt, quibus etiam in Sulpiciae *satira* 45. s. legere placuerit: "*Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro;* sed obstat versus sequens: *Ceteraque illa manus bello fecunda secundo.* Ergo praeferenda videtur antiqq. edd. lectio: *Rudio* i. e. Ennio, qui carus fuit Africano superiori. V. *pro Arch.* §. 22. c. 9. ex. et 10. pr.

ut equos — tradere soleant] Gu. 4. et Nonius, qui *de propriet. serm.* lib. IV. §. 192. p. 304. et 389. Mercer. hunc l. citat, legunt *solent:* quem Indicativum, ab Heusingero etiam in vetusta Nonii membrana Guelph. repertum, recepit Schütz. Sed recte repudiarat Gernhard, monens, si illud de equis domandis non nisi ex Africani sententia verum esset, auctorem scripturum fuisse, *ut — solerent;* sed quoniam illud volgare sit et usu confirmatum, praesens tempus adhiberi, Coniunctivum tamen, quippe in oratione obliqua Africani, a Panaetio proposita. Alia res est in iis, quae proxime ante in optimis libris sic leguntur: *monent, ut, quanto superiores sumus* etc. Relinquunt enim isti praeceptores nobis ipsis admonitionis applicationem. Praeterea scriptor eam admonitionem suam fecerat, praemissis verbis, *ut recte praecipere videantur.* — Degen in constructione seq. *facilioribus* pro *facilius uti* Graecismum nescio quem invenisse sibi visus est. Sed viderit V. D., ut aliis facilioribus utatur assentatoribus. Nam nobis quidem, a Graecitate alienioribus, *equi faciliores* sunt *parentiores, minus obstinati et contumaces.* — *Tamquam in gyrum rationis et doctrinae duci* translationem esse, ab equis ductam, in quibus *gyrus* dicitur, cum a domitoribus in orbes flectuntur, non recta aguntur, cl. Tibull. IV. 1, 94. notavit Turnebus *Adv.* XXVIII. 39. Cf. Virgil. *Ge.* III. 115. 191. ibique Cerda. Tacit. *Germ.* c. 6. Ovid. *A. Am.* III. 384. Lucan. VI. 87. Commenda-

„*imbecillitatem varietatemqne fortunae.*" Atque 91
etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum hisque maior etiam, quam ante, tribuenda auctoritas. Iisdemque temporibus cauendum est, ne assentatoribus patefaciamus auris neve

---

tur autem oris erudiendi causa *gyrus*, quem nunc *volte* vocant, Graeci πέδην κυκλοτερῆ, ut cll. Xenophont. *de re equestr.* III. 5. VII. 12. s. et Polluc. I, 214. pererudite docuit Ill. Hermannus *de verbis, quibus Graeci incessum equ. indicant*, in Ill. Beckii *Commentar. societ. philol. Lips.* Vol. IV. P. I. p. 54 — 58. quoniam in gyris optime exaequatur os equorum ἑτερογνάθων, i. e. qui sunt impari ore et, qua oris parte molliores sunt, facilius in gyrum flectuntur; qua duriores, aegre flecti possunt atque interdum resistunt: gyro autem crebro tolutim mutando, quod genus *Schlangenschule* dicitur, equi etiam in medio gyro non modo freno, quem pro ratione gyri interiorem vocant artis magistri, sed, quoties ad alteram manum flectuntur, etiam exteriori parere discunt semperque ad utrumque frenum attendere. Cf. ib. p. 49. Eadem metaphora transfertur ad *oratorem* III. *de or.* 19, 70. ex. et *poëtam* ab Ovid. *Rem. Am.* 398. et ad *diem* ab Horat. II. *sat.* 6, 26. Ceterum per eandem metaphoram infra §. 102. *appetitus* comparantur *equis exsultantibus.*

§. 91. *maxime est utendum*] Gu. 3. *est* postponit, ut insititium videatur. V. ad §. 26. ex. 69. pr. cl. II. §. 68. *utendum etiam est excusatione*, ubi Goth. Gu. 3. exc. Bedae atque Eybi transponunt, *utendum est etiam* et, *Cat. Maj.* 15, 5. (al. 36. pr.) *Habenda * ratio valitudinis * * utendum * * * exercitationibus modicis*, ubi in Var. lect. apud Gernhardum unus codex *, idem cum alio * * *, et bini Oxonn. * * intrudunt *est*. In alterius membri principio *que* et explicandi et augendi vim habet, unde hic fortassis carere possis particula *etiam* in Vin. Gu. 5. et imprr. vett. omissa. Vid. ad §. 31. pr. *commutantur fiuntque contraria* etc. et p. 150. ex. Non tamen particula otiosa videtur, sed efficacius addita. *Auctoritas* hic est ejus, quem dignum iudicamus qui consulatur, cui pareatur, cuius valeat consilium. Haec autem praecipiuntur propterea, quod multi, prosperis rebus immutati, spernunt veteres amicitias: de quo v. *Lael.* 15, 7. ss. al. 54. Deinceps a Nonio c. I. 51. s. v. *adulatio* reposui antiquam formam *auris*, ut in iis omnibus, quae apud Lambinum terminantur in — *eis.* §. 63. ex. ubi *simplicis* in Goth. et in F. Heusingeri scriptis et impr. vetustis omnibus praeter Gu. 1., qui solus exhibet volgatum *simplices*, servatur. multi, hac antiqua terminatione decepti, ut Genitivum coniun-

adulari nos sinamus: in quo falli facile est. Talis enim nos, putamus, esse, ut iure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines, inflati opinionibus, turpiter irridentur et in maximis versantur erroribus. Sed haec quidem hactenus.

92 Illud autem sic est iudicandum, maximas geri res et maximi animi ab iis, qui res publicas regant, quod earum administratio latissime pateat ad pluri-

---

xerunt cum seq. *veritatis amicos*. II. §. 2. *omnis meas curas* cum Graevio tenent exemplaria Nonii in v. *conferre*. Haec semel notasse sufficiat, ne pro lubitu fecisse videamur, quod aliorum librorum editores, Cicerone familiarius utentes, secuti sumus. Qui in talibus plurium ubique librorum consensum requirit, nae ille cum Horatii rustico isto *exspectat, dum defluat amnis*. Statim post Schütz tacito revocavit volgatam: *nec adulari nos sinamus*. *Neve*, quod Heus. e Gu. 3. et Nonio l. c. restituit, in cavendo et prohibendo frequentatur, praesertim post *ut, ne, utne*. V. Horat. Tursellin. ed. Schwarz. altera p. 513. s. *Adulari*, quod Bauer ad Sanctii *Min*. IV, 11. T. II. p. 377. active explicat, e praecedente v. *assentatoribus* per synchysin subaudiendo subjecto *eos*, rectius ab aliis passiva significatione accipitur.

Talis enim nos, putamus, esse] Hunc in ordinem vocavimus vv. cum Gu. 5. Gryph. et Pearcio, qui tamen post *nos* cum aliis quibusdam addunt importunum *tunc*: in cujus lectionis auctoribus indicandis erravit Schütz. Volgo clausula cadit versus ad instar: *esse putamus*. V. ad §. 59. ex. Metaphora proverbialis de κενοδοξίᾳ, *inflati opinionibus*, videtur alludere ad fabulam Aesopeam, memoratam Horatio II. *sat*. III. 317. ss. apud Phaedr. I. 24. *Rana rupta*.

§. 92. Totam hanc sectionem a glossatore adjectam esse, Martini p. 13. *commentat. criticae*, supra ad p. 85. citatae, credidit Facciolato, qui tamen observat, videri posse hunc quasi quendam disputationis de fortitudine epilogum, cujus quidem sententia ibi exspectari potuisset, ubi de politicis et de otiosis agitur: ut Gernhardo videtur, medio fere cap. 21. postquam §. 69. *otiosos* commemoraverat, tum eos, *qui se adipisci tranquillitatem posse arbitrantur, si opes magnas habeant*; ut nobis, §. 73. p. 171. lin. 2. Verum tamen monet Gernhard, cum oratio deflexisset ad rerum bellicarum et urbanarum comparationem et ad reliqua eorum, qui res magnas gerunt, officia: nunc recurrendum ad illos otiosos, quorum vita

mosque pertineat; esse autem magni animi et fuisse multos etiam in vita otiosa, qui aut investigarent aut conarentur magna quaedam seseque suarum rerum finibus continerent aut, interiecti inter philosophos et eos, qui rem publicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes neque excludentes ab eius usu suos, potiusque et amicis impertientes et rei publicae, si quando usus esset. Quae primum bene parta sit nullo neque turpi quaestu neque odioso;

---

est et facilior et tutior, sed tamen non ab omni magnitudine animi aliena, hisque fuisse quaedam praecipienda. Illustrat hanc negotii et otii comparationem Garve p. 141. ss. Sed oritur ex altera parte Petr. Petitus *Miscellan. obss.* l. IV. c. 2. p. 244. ss. scriptorem insimulans erroris et inconstantiae, quod hic aliter iudicet, quam de actionum maximarum principatu iudicarit *Fin.* V. 21, 58. ubi philosophus sapientiae rerum publicarum administrationem postponit; in primis autem *ad Att.* II. ep. 5. §. 2. et IV. 10. §. 2. Adde etiam V. 10. §. 2. Ἔρδοι τις! etc. Verum enim vero suspiria hominis mole molestiarum pressi in literis familiaribus non infirmant gravitatis et constantiae indicium. *Sapientia* autem, quae etiam infra 153. *princeps* indicatur, *manca sit* sine *actione rerum.* Magis illud mirari possis, quod paullo post non hoc modo scriptum est: *multos autem magni animi et esse et fuisse,* ut §. 69., vel, *sed et esse magni animi et fuisse multos.*

interiecti] n. *medii* v. *et quasi medii,* quod alibi additur, e. c. *de opt. g. orat.* 1, 2. *orat.* c. 6. — *Non omni ratione* hic i. e. q. mox *neque turpi quaestu neque odioso,* nimirum ut bonorum sectores (cf. II. §. 29.) aut qui *conducunt foricas* etc., ut de suis temporibus loquitur Juvenalis III. 38. VII. 4 — 15. Cf. c. 42. Deinceps *que* ad comparat. *potius* valere *quid, quod —? imo etiam,* monuit Görenz ad *Fin.* V. 15, 37. p. 577. Notavimus ejus vim corrigendi et augendi ad 91. pr. saepe etiam alibi, ut ad §. 5. Cf. *Lael.* 27. ex. *Sed nec illa exstincta sunt: aluntur que potius et augentur.* Tum Degen et Schütz cum Heuss. *impartientes,* et 151. *impartiens,* invito Gernhardo, cum iidem illi II. §. 64. retinuerint *impertiendum;* quamquam ibi quoque alii *impart.* ut *Catil.* III. 6, 14. (20.) tres Oxonn. scribunt *impartitur.* In hac VV. DD. dissensione tutissimum ratus sum, sequi analogiam compositionis in v. *expers.* Alia res est III. c. 14. pr. in v. *infacetus.* De-

tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat; deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia nec libidini potius luxuriaeque, quam liberalitati et beneficentiae, pateat. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere atque etiam simpliciter, fideliter et vitae hominum amice.

93 XXVII. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia et, quasi quidam ornatus vitae, temperantia et mode-

inceps *usus* intellig. *necessarius;* pro *si quando opus esset.* V. Cato *de re rust.* c. 4. ex. Tacit. *Ann.* I. 32. *si qua alia praesens usus indixerat*, cl. ib. 35. *si qua alia ex necessitate — quaeruntur. Res familiaris* autem dicitur *augeri ratione* i. e. *oeconomice*, ut §. 7. pr. *disputatio ratione suscipi* i. e. *dialectice institui* et *pro Quinct.* c. 7. *modo et ratione factum* i. e. q. paullo post *recte atque ordine.* — Deinde edd. recentt. omnes conspirarunt in vitio *beneficientiae:* de quo v. ad §. 20. Denique propter adverbiorum oppos. aequabilitatem placet cum Gernhardo tueri Ascensii, Gryph. Bald. lectionem *et vitae hominum amice.* Copulam, a proximo *fideliter* absorptam, cum F. Heus. eliminarunt Degen et Schütz.

* Ceterum hic opportunum videtur referre Lilii (*de Stoic. philos. mor.* I. p. 17. s.) sententiam de Garvii opinione, cui videbatur Ciceronem locus ipse, quem in re publica tenuit, propositi immemorem reddidisse, ut, cum *fortitudinis* et *temperantiae* praecepta traditurus esset, ea tantum munera copiose exposuerit, in quibus civium et magistratuum fortitudo et temperantia spectatur. Monetur igitur, ne huic suspicioni nimis confidas, perfici posse non solum accuratiori hujus loci indagatione, sed ipsius Ciceronis auctoritate, qui in *Tusculanarum D.* I. I — IV. egregie *fortitudinis* et *temperantiae* naturam et praecepta expromat, in animi latebris indagandis occupatus. Ibi nec rei publicae administrandae praecepta, nec officia erga nosmet ipsos commemorari. Hic autem orationem quasi prodire in forum, quam Ciceroni veniam dederit Stoicorum sententia de *officiis*, nimirum *mediis.* Vid. ad c. III. p. 17. et 19. cll. *Excurss.* I. et III. extrr.

C. XXVII. §. 93. *verecundia et quasi quidam ornatus vitae*] *Et*, quae h. l. a quibusdam libris Langii abest, eandemne habet explicandi vim, quam ad §. 88. observavimus? Ita opus non erit aut hanc cum Facciolato delere, aut

destia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. Hoc loco con-

---

aut post haec verba iterare *et* cum Gernhardo, qui, nullo modo comparanda comparans, assentatorem tamen nactus est Franciscum Binkes, qui p. 26. n. 49. ipsi crederet affirmanti, *ornatum vitae* hic dici illam pulchritudinem, quae in formae dignitate, in motu gestuque cernatur, et maxime distet a *verecundia*, cujus partes sint *non offendere homines* (§. 99.). Alia suadere debebat part. *quasi*; de qua ad mitigandam metaphoram pronomini *quidam* iungi solita v. ad §. 30. p. 67. cll. I. *de or.* c. 61. pr. (ap. Schütz. 60. p. 106. pr.). *Fin* V. 25. 74. pr. *Tusc.* III. c. 2. pr. *Lael.* 17, 4. ex. Plato IV. *de re publ.* p. 430. E. Κόσμος πού τις — ἡ σωφροσύνη ἐστὶ καὶ ἡδονῶν τινῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια. Eidem in Gorg. 82. p. 507. A. ψυχὴ κόσμον ἔχουσα τὸν ἑαυτῆς est κοσμία, ἡ δὲ κοσμία — σώφρων. Commodius tamen haec *et quasi* etc. tamquam appositio referentur ad seqq. *Verecundia* et *temperantiae* et *modestiae* fons est communis, quem ad modum §. 66. *rerum externarum despicientia* causa esse dicebatur *magnificentiae*. Degenio, *verecundiam temperantiae*, tamquam generi partem, subjicienti, nollet certe auctor esse ille, ad quem provocat, Hottinger. Continuo *que* explicationem adjungit, ut §. 81. ex. Ipsa enim *temperantia sedat appetitiones et efficit, ut eae rectae rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis.* Vid. *Tusc.* IV. c. 9. III. c. 8. V. c. 14. ex. *Fin* I 14, 47. pr. ubi Epicureus *temperantiam expetendam* dicit, *quia pacem animis afferat et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim, quae, in rebus aut expetendis aut fugiendis rationem ut sequamur, monet.* *N. D.* III. 15, 38. *Parad.* III. 1. 6. ex. al. 21. ex. Stobaeus *Ecl. Eth.* P. II. p. 102. Cf. supra ad §. 15. pr. Verum tamen *temperantia et modestia* subjective et active intelliguntur; quae explicationis causa adduntur, passive et objective, ut quae cernantur in vita. Est quidem *rerum modus* i. q. §. 98. ex. *ordo et constantia et moderatio dictorum omnium et factorum.* Sed docebitur, ibi quoque *moderationem* objective intelligi eam, *quae eluceat e vita.* Multo minus *rerum modum* interpreter *observationem finium, justo rerum usui constitutorum, moderatum usum*, cum Gernhardo ad *Cat. Maj.* 21, 77. neque ibi, ubi verbis *coelestium ordinem imitari vitae modo atque constantia* interpretationem veriorem adhibuerat iam Wetzel, nec I. de *or.* c. 14. ubi hic locus philosophiae indicatur periphrasi *de cupiditatibus, de modo, de continentia*, nec supra §. 14. ex. ubi quarta honestatis pars dicitur *versari in ordine et modo, in quo* (conservando) *inest modestia et temperantia* i. e. *qui propositus est modestiae et temperantiae.* Nollem, ibi fidem habitam Hottingero. Ex c. 5. extr. intelligitur, *ordinem et modum* ubique dici passive, quatenus *adhibea-*

tinetur id, quod dici Latine decorum potest: Graece enim πρέπον dicitur. Huius vis ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam et quod decet,
94 honestum est; et quod honestum est, decet. Qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius in-

---

tur, servetur, retineatur, ut §. 104. ex. De pluribus hujus virtutis, quae Gr. dicitur σωφροσύνη, nominibus v. ad c. 5. ex. et Garvium p. 155. s. cl. II. *Fin.* 19, 60. pr.

Hoc loco continetur id] Degen explicat: *in hac parte*: recte, si diceretur, *quid deceat, apparet*, ut §. 94. At eadem hic verbi obtinet vis, quae §. 17. pr. II. 58. nempe *ab hac honestatis parte* (cf. c. 6. pr. et not. p. 33.) *pendet*, quippe quod *huic virtuti propositum* sit, *id, quod dici Lat. d. p. Gr. enim π. dicitur.* Hunc verborum ordinem tuetur F. Heus. cl. II. *N. D.* 22, 58. ex. Sed quinque Oxonn. Gu. 1. 2. 4. 5. post haec vv. repetunt *decorum* Particulam *enim*, cui Facciol. substituit *autem*, Goth. ignorat. Gu. 3. membra transponit: *id quod Graece πρέπον dicitur, Latine* etc. ut paene suspicionem moveant, vv. *quod Gr. π d* glossatori deberi. Certe I. *Leg.* 6, 19. verbis *eamque rem* (n. *legem*) *illi Graeco putant nomine * a suum cuique tribuendo appellatam*, quatuor codd. MSS. cum edd. vett. ex glossa inserunt * νόμον. Cf. tamen *Or.* c. 21. *quid deceat, videre. Πρέπον appellant hoc Graeci: nos dicamus sane decorum.*

§. 94. Notat Garve p. 146. ut totus hic locus de *decoro* singularum partium explanatione luculentissimus sit: universas tamen rerum notiones obscuritate quadam laborare. Verum tamen non tam rerum obscuritas, quam ipsius interpretationis ambiguitas, quae ad §. 95. pr. notabitur, videtur facere, ut in principio hujus disputationis nihil satis edocenter neque ad instituendum explanate scriptum esse putetur. Et primum quidem, ne auctor evertere videatur fundamenta Dialectices, qui, proposito proloquio reciproco, *et quod decet, honestum est; et quod honestum est, decet*, nihilo minus tamen *differentiam* quandam *honesti et decori* agnoscat: intelligendum est, ex auctoris mente *generale decorum* (nempe *in vita*) objective idem esse, quod subjective *honestum*. Quippe *honestum* in se conversum est: quatenus vero aliorum approbationem movet, *decorum* dicitur. Videntur igitur philosopho nostro facta, ab virtute honestateque profecta, eadem esse decora; contraque indecora, pravis momentis ad turpiter agendum impellentibus; et, ut corporis, in lucis radios incurrentis, figuram umbra, sic honestatem semper

telligi, quam explanari, potest. Quidquid est enim, quod deceat: id tum apparet, cum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. Nam et ratione uti atque oratione prudenter, et agere, quod

---

comitari decus: ita, ut, quem ad modum *valitudo* conditio *venustatis et pulchritudinis corporis* (§ 95.), sic *honestas* causa sit et fundamentum decori, *decorum* ipse effectus honestatis et comes adeoque, ut *honestas* decus, quod ipsi animo insit, sic *decus* dici possit honestas, quae in officiis conservandis eluceat omninoque spectetur in factis. Potest enim ab *ipsa virtute* distingui *res gesta virtute*. Similis l. Dionysii Halic. in Lysiae vita (*Orat. Gr.* V. p. 178.) de lepore probabiliter sic emendandus: τίς δέ ἐστιν ἥδε ἀρετὴ, ἡ τοῖς (c. Reiskio pro ἥτις) πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι; ἔστιν (pro καὶ τίς) ἡ χάρις, πρᾶγμα παντὸς κρεῖττον λόγου καὶ θαυμαστότατον· ῥᾷστον μὲν γάρ ἐστιν ὀφθῆναι — χαλεπώτατον δὲ λόγῳ δηλωθῆναι.

Quidquid est enim, quod] „Prope nulla vis h. l. in verbo *est*," observante Gernhardo. Videtur igitur V. D. cum Hottingero, qui hoc membrum compensat adverbio *nothwendig*, statuere periphrasin pro, *totum illud* vel *omne id, quod.* Rectius Bardili in Hauffii *Philologia* P. II. p. 5. haec sic expressit, ut agnovisse videatur formulam, qua fere utuntur ii, qui rem clarius exponere aut nesciunt aut nequeunt. Cf. *Brut.* 73. 275. *Tusc* I. §. 66 *Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita, quidquid est illud, quod sentit, — : coeleste et divinum est.* I. *de divin.* 57. 131. *Quidquid est hoc : omnia animat.* Ovid. *Fast* VI. 731. Propert. II. *el.* 23. de Iside: *Quaecumque illa fuit: semper amara fuit.* Posse, pronomen omitti, docet l. *N. D.* II. 25, 65. de Iove: *hoc, quod lucet: quidquid est*, ut Aeschyl. *Agamemn.* 160. ss. Ζεὺς, ὅστις ποτ' ἐστὶν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, τοῦτό νιν προσεννέπω. Hinc §. 98. f. leg. *quoquo.*

etiam in tribus superioribus, q. d., apparet.] Esse enim quartum hoc honestorum genus *et in eadem pulchritudine et aptum ex illis tribus*, docetur *Fin.* II 14. 47. *Tusc.* III 8, 17. ubi *tris virtutes, fortitudinem, justitiam, prudentiam, frugalitas complexa* dicitur. Proximis: *Nam et ratione uti* — opponi videntur illa demum: *et justa omnia* — : quae conjunctionum, aliis conjunctionibus interjectis, longius distractarum responsio notanda. Ad hos Infinitivos Grotefend *Lat. Grammat.* I. §. 152. III.) supplet *quemque.* Sed quid opus est Ellipsi, cum Infinitivi sint pro Nominativis Substantivorum, *rationis usus*

agas, considerate, omnique in re, quid sit verum, videre et tueri decet; contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare et mente esse captum: et iusta omnia decora sunt; iniusta contra, ut turpia, sic indecora. Similis est ratio fortitudinis. Quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro et decorum videtur; quod contra, id,
95 ut turpe, sic indecorum. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc, quod dico, decorum et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur,

---

atque oratio prudens, actio considerata, perspicientia veri etc. ? Cf. de hoc prudentiae munere §. 16. II. 18. pr. *Verum tueri* Degen explicat *suscipere veritatis patrocinium.* Equidem: *veritati adhaerescere, servare stabile veritatis iudicium.* De comparatione *tam dedecet, quam* v. ad §. 23. ex.

§. 95. Prima verba Binkes p. 25. secutus Garvium p. 152. s., qui adeo aemulo suo Hottingero, fucum fecit, παρερμηνεύει hoc modo: „*Decorum* est illa pars virtutis, quae *non recondita quadam ratione cernitur, sed est in promptu* et sensibus tantum externis observatur." Sed iure Schütze, Gymnasii Gerani olim Director, libelli ad §. 16. ex. citati p. 7 — 10., quamquam ipse hanc explanationem, *qualis differentia sit honesti et decori*, cum distinctione illa *personarum, a quibus decorum trahitur* (§. 107.), perperam confundens, hujus interpretationis absurditatem notaverat, cll. et proximis et extremis hujus §. verbis et §. 94. pr. *facilius intelligi, quam explanari, potest.* Accedunt, si modo recte interpretati sumus, ibid. haec: *Quidquid est enim, quod deceat.* Sed etiam, quae ibi continuo sequuntur, *id tum apparet* (i. e. adesse agnoscitur), obscuravit Garve interpretando: *decus esse externam quasi honestatis speciem sive vestem et ornatum.* Videntur interpretem (quid, quod ipsum Bardilium, qui l. l. Garvii errorem corrigere voluit?) decepisse vv. §. 96. extr. At vero hic, ubi Garve in eandem sententiam interpretatur, in proximis substituitur *idque intelligitur in omni virtute*, ut iam vanitas appareat interpretationis, ductae videlicet ex Gallorum idiomate *l'apparence*: quamquam etiam ex hoc ipso verbum quidem *apparoir* eandem retinet vim, qua § 7. ex. dicitur *minus id apparet* pro *m. i. aperte intelligitur.* Hic igitur ambage quadam nihil aliud dicitur, quam, quod auctor ipse statim explicatius proponit: *sponte intelligi, decorum non modo ad*

sed sit in promptu. Est enim quiddam (idque intelligitur in omni virtute), quod deceat: quod cogitatione magis a virtute potest, quam re, separari. Vt venustas et pulchritudo corporis secerni non potest a valitudine: sic hoc, de quo loquimur, decorum totum illud quidem est cum virtute confusum; sed mente et cogitatione distinguitur. Est autem 96
ejus descriptio duplex. Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur,

---

singulas partes honestatis pertinere, sed in omni honestate versari (96.) *atque a virtute, quacum totum sit confusum, re separari non posse, sed tantum docendi causa*, vel, ut barbara philosophiae schola loquitur. *non essentialiter, sed theoretice tantum abstrahi posse.* De αὐξήσεως formula, qua idem verbum iteratur, ut §. 89. *placet et recte placet.* I. *Att. ep.* 13, 3. *operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert et fert ex S. C. —, antiquetur.* P. *domo* §. 95. ex. et in Senec. *ep.* 71. ex. *volo et tota mente volo*, cl. Aristotelis loco e II. *ad Nic.* supra ad §. 28 extr. adscripto, vid. ad §. 2. pr. Est autem *quidem* hic ἀνανταπόδοτον. Pro eo enim, quod sequi debebat *sed*, interjecto enunciato, *est enim quiddam —, quod deceat*, huic statim annectitur quasi apodosis: *quod* (pro *et id quidem*) *cogitatione* etc. Haec anacoluthia movisse videtur Facciolatum, ut, illo *quidem* omisso, ante vv. *ut venustas* cum Ven. 4. et Lambino insereret *et.* Tum illa omnia, *est enim — separari*, facerent parenthesin.

a valitudine] Sic scripsi cum Schützio. Volgari scripturae *a valetud.* obstat analogia v. *gravitudo*, quae pariter ac *graviditas*, quamquam alia significatione, derivatur ab adj. *gravidus*. Verum est autem, *venustatem et pulchritudinem corporis secerni non posse a valitudine.* Sed *valitudo* potest ab illa: non est enim, nisi quasi quoddam ejus complementum. V. Krug in *Aesthetica* §. 16. not. extr. p. 75. *). De pleonasmo pronominis *illud* ante *quidem* v. ad §. 60. cll. II. §. 3. ex. 71. s. III. §. 79. ex. 117. *Brut.* 87, 140. bis. *Fam.* I. *ep.* 9. (al. 10.) §. 30. ex. *Hortensii* fragmento ad §. 70. pr. citato: *Ecce autem non philosophi illi quidem, sed prompti tamen ad disputandum homines — aiunt* etc. *Fin.* IV. 15, 43. ex. et *Leg.* I. 21, 54. ex. ad quem utrumque I. Görenz dissimillima confundit. Vid. quae Meiner p. 185. ex. libri, ad §. 2. pr. citati, habet maximam partem ex Tursellino.

§. 96, *descriptio*] ut §. 102. pr. i. e. q. *definitio*. Degen, cum Mich. Heusingero accipiens pro *divisione*, prox-

et aliud huic subjectum, quod pertinet ad singulas partis honestatis. Atque illud superius sic fere definiri solet: *Decorum* id esse, *quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat.* Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut id *decorum* velint esse, *quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.*

---

sus ad incitas redigitur l. II. *ad Her.* c. 12. pr. Est autem vox mutuata a geometris, notionum, quas *definiunt*, simul formas *describere* solitis. Eodem vero sensu, quo §. 8. ex. *sic definiunt, ut — esse definiant*, hic, variata tantum oratione, dicitur, *sic definiunt, ut id — velint esse*, i. e. intelligant, interpretentur, doceant, statuant etc., ut III. 102. *Tusc.* IV. c. 6. *Partes perturbationum* (Stoici) *volunt* (i. e. affirmant, contendunt) *ex duobus opinatis bonis nasci.* N. D. I. 12, 29. Empedocles *quatuor naturas, ex quibus omnia constare volt, divinas esse censet*; ubi Heindorf postremum verbum in glossa ponit, renuente Mosero. V. supra ad §. 63. ex. qui locus convenit verborum ordini hic volgato; *esse velint.* Cf. IV. *Catil.* 4, 8. ibique Matthiae. *Tusc.* III. c. 31. post in. *N. D.* I. 10, 24. pr. 13, 34. ex. Sed ib. 11, 26. ex. *si mentem istam quasi animal aliquod esse voluit*, aliqui libri, inverso ordine, *voluit esse*; contra, quam 28. et 12, 30. ubi hic ordo volgatur, ut 13, 33. et *Tusc.* IV. c. 7. ex. Itaque eundem ordinem, hic post Ascensium ab Heus. e. MSS. Gu. omnibus editum, retinuimus. Statim ante *in eo*; *in quo* valet *eo respectu, quo.* Significatur autem id, in quo inest *hominis principatus*; de quo v. ad. c. 30. pr.

appareat cum specie quadam liberali] i. e. eluceat ita, ut simul agnoscatur excellentia ingenuae indolis atque ab omni cupiditate liberae, appetitus omnes contrahentis sedantisque, ut obediant haud aegre rationis imperio. Cf. §. 102. s. Significatur id, quod nos dicimus eximie *Unschuld* i. e. omnium honestatis studiorum ἁρμονία, virtus tam amabilis, quam sublimis, instinctus quidam honestatis, quo quasi divinitus dotatus est animus καλοκἀγαθὸς, *eine schöne Seele.* Vid. Schiller *über Anmuth und Würde* in *Thalia* a. 1793. T. III. p. 186. ss. et Exc. Bouterwekii *Ideen zur Metaphysik des Schönen* p. 126. 128 — 136. 139. ss. praecipue 147. ss. ubi prorsus egregie de *decoro* dispu-

XXVIII. Haec ita intelligi, existimare possumus ex eo decoro, quod poetae sequuntur: de quo alio loco plura dici solent. Sed tum servare illud poetas, quod deceat, dicimus, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur. Vt, si Aeacus aut Minos diceret: 97

Oderint, dum metuant:

aut:

Natis sepulcrum ipse est parens:

---

tat. — *Species* dicitur illa ex omni perturbationum animi sedatione nascens dignitas et majestas, quae aliorum approbationem movet.

C. XXVIII. §. 97. *alio loco*] in *oratore* 22, 73. Horat. *Art P.* 92. ss. 119. ss. Vide, sis, *Kleine Abhandlungen die Poësie u. Kunst betr. von I. D. Falk.* (Vimar. 1803.) I. *Ueber das Characteristiche in der Poësie:* ubi peritissime de hoc artificio disputatur.

Aeacus,] quem Ἑλλήνων ὁσιώτατον νομίζεσθαι, memorat Plutarch. in *Theseo* c. 10. διὰ τῆς εὐσεβείας, ut ait Isocrates in *Evagora* (p. 412. ed. H. Wolf.), ἕως ἦν μετ' ἀνθρώπων, μετὰ καλλίστης δόξης ὢν διετέλεσεν· ἐπειδὴ δὲ μετήλλαξε τὸν βίον, λέγεται, παρὰ Πλούτωνι καὶ Κόρῃ τιμὰς μεγίστας ἔχων, παρεδρεύειν ἐκείνοις. Idem honos *Minoi*, Cretensium quondam legislatori, habitus. V. Lucian. *de luctu* §. 7. et de utroque illo Jovis filio Plato *Gorg.* c. 79. ex.

Oderint etc.] Versus hic, ut e l. III. §. 106. cl. 102. ex. coniicere licet, pariter atque alter ille acerbus et grandis, ex L. Attii *Atreo*, quam tragoediam hic poëta, teste Gellio XIII. 2. admodum juvenis conscripserat, depromptus, citatur *pro Sext.* 48, 102. ex. *Phil.* I. 14. a Seneca *de ira* I. extr. et *de clement.* II. 2. et a Suetonii *Caligula* c. 30. M. Heusinger laudat Columnam ad Ennii *fragm.* p. 208. et comparat Ennii versum II. §. 23. *Quem metuunt, odere.* Eidem si hos etiam versus tribueris: haec quoque opinio tueri se poterit iis, quae *Tusc.* I. c. 44. extr. citantur. In altero versu, praeeuntibus Heuss. et Degenio, tuetur Schütz lectionem: *Natis sepulcro ipse est parens.* Est quidem *sepulcro* tum in aliis plerisque libris, tum etiam in Goth., non, ut is ait, *sepulcrum*; sed hoc, a Gu. 1, 3. Ascens. et Gryph. servatum, Gernhardo et aptius videtur propter alterum Dativum *natis* et gravius. Hujus tamen conjectura *ipse esto parens*, sive corripiatur, sive, quod nostro quidem iudicio hic necessarium foret, producatur Imperativi ultima, non minus

indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus. At, Atreo dicente, plausus excitantur: est enim digna persona oratio. Sed poëtae, quid quemque deceat, ex persona iudicabunt. Nobis autem personam imposuit ipsa Natura magna cum excellentia

---

adversatur metris, quam altera lectio *ipse sit parens*. Provocat V. D. ad ea, quae *Tusc.* IV. 36, 77. ex eadem tragoedia afferuntur. Sed, ut haec obiter notem, qui ibi ab in. capitis laudati versus a Schützio eidem tragoediae adscribuntur, videntur potius esse ex *Iphigenia Aulidensi*, quando quidem continent diverbium Agamemnonis et Menelai, inter se iurgantium. Reliqua vero partim e posteriori aliqua *Atrei* scena deprompta sunt, partim e prioribus, ut illa, quae citantur in III. *or.* c. 58. et *N. D.* III. 26, 68. ubi c. 27. pr. editores nondum agnoverunt integrum quidem Atrei de Thyesta senarium,

„*Qui non sat habuit coniugem illexe in stuprum.*"

Nobis quidem videtur hic versiculus continere responsionem Atrei ad interrogationem Thyestae, post funestam coenam quaerentis natos, Tantalum et Plisthenem. Nam Senecae *Thyestes*, scena ult. „*Non peto,*" inquit, „*incolumes pater Gnatos* (hac antiqua forma etiam Attium usum, credo) *ut habeam. Scelere quod salvo dari Odioque possit, frater hoc fratrem rogo. Sepelire liceat. Redde, quod cernas statim Uri. Nihil te genitor habiturus rogo, Sed perditurus.*" Cui Atreus: „*Epulatus ipse es impia gnatos dape*" In eandem sententiam interpretatur h. l. Scholiastes Guelph. *Tu nati sepulcro i. pro sepulcro i. in ventre tuo natum tuum sepelisti:* unde F. Heusinger suspicatur, hunc legisse: *ipse es parens.* Sed maiorem atrocitatem habet animo inimico et a fratre, quem Atreus alloquitur, alieno convenientior personarum Enallage. Sic τὶς ironice dici, cum quis aliquem nominare non volt, pro σὺ, observat elegantissimus Hermannus n. 114 ad Vigerum. Ceterum hac fabula ap. Hygin. 88. 244. 258 de Θυέστῃ (*Furio*), suorum gnatorum carnes, ab Ἀτρεῖ (*Netremo*), fratre, sibi appositas, epulante, videtur notari communis φιλαυτία, qua homines volgo occaecati, quoniam sensuum cancellis circumscripti tenentur, detrahunt alteri, quod sibi assumant, nescii vel immemores, communem esse et voluptatis et doloris sensum et se in alio quoque laedi quodam modo etiam ipsos, ut in Veda scriptum est: „*Tatoumes*" h. e. *hic tu es ipse.* Vid. *Die Welt von Schopenhauer* p. 538. s.

Nobis autem personam imposuit] Haec ex opposito membro et seqq. sic intelligenda: *Nos autem, quid deceat, iudi-*

praestantiaque animantium reliquarum. Quocirca 98
poetae in magna varietate personarum, etiam vitiosis, quid conveniat et quid deceat, videbunt. Nobis autem cum a Natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint cumque eadem Natura doceat non negligere, quem ad modum nos adversus homines geramus: efficitur, ut, et illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum quam late fusum sit, appareat, et hoc, quod spectatur in uno quoque genere virtutis. Vt enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic

---

cabimus e *p a r t i b u s*, *quas quasi in communi* *s p e c t a c u l o* *mundi agendas nobis* *d e d i t* *ipsa Natura ita, ut multum natura nostra pecudibus reliquisque beluis antecedat.* Cf. §. 96. 105. pr. Genitivi, sensu hic e praepositione *prae* in *praestantia* pendentis, usus brevitatis studio excusari videtur Gernhardo. Puto sic dici e Graecismo ἔξοχος ἄλλων et in Homer. *hymn.* IV. 363. περιώσιον ἄλλων.

§. 98. *quod spectatur in uno* *q u o q u e* *genere virtutis*] Num haec ita intelligenda: *et in prudentia et in communitate et in fortitudine* (cf. §. 100.), prouti singula officia aut temporibus conveniunt aut personis sunt accommodata pro suo cujusque ingenio? Nam *ipsarum virtutum in alia alius mavolt excellere* (115. ex.). *Generale decorum* exquiritur §. 97 —100; pars autem generi subjecta, *in qua maxima vis decori inesse* dicitur, inde a §. 100. Fateor tamen, me non satis perspicere fundamentum dividendi: illa enim pars vix dici poterit *spectari in uno* *q u o q u e* *genere virtutis*. Utrum duplex proponitur divisio, an scribendum: *in uno* *q u o d a m* aut *a l i q u o*, aut, quod facilius corrumpi potuit, *quo* aut *q u o q u o* (i. e. in hoc quarto: cf. p. 211.) *genere virtutis*? Certe alias ne recte quidem opponi videtur *o m n i* *honestati*. Tum vero §. 96. *quod pertinet ad* *s i n g u l a s* *partes honestatis* interpretabere: *ad constantiam, moderationem, temperantiam, verecundiam.* — Recte autem videtur superior sententia et explicari et augeri, addita comparatione, quae doceat, quam late fusum sit decorum atque omnium id movere approbationem. Cf. *Tusc.* IV. c. 13. ex. *Ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris suavitate eaque * dicitur* *p u l c h r i t u d o*: *sic in animo opinio*

hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque facto-
99 rum. Adhibenda est igitur quaedam reverentia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum. Nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti. Est autem, quod differat in hominum ratione habenda inter

---

num iudiciorumque aequabilitas et constantia, *cum* ** *firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis vim ipsam continens*, *pulchritudo dicitur:* ubi Schütz * edidit *suavitate; ea quae* et ** praepositioni substituit *quum*, ut omnis sensus desideretur. Hic autem *omnium partium inter se consentientium lepori* comparatur *ordo et constantia et moderatio*, quibus conservatis *decorum* aliorum *approbationem movet* i. e. excitat, ut *or* 72, 236. *non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus movere.* V. ad §. 55. ex. cl. Schützii *Lex. Cic.* s. h. v. n. 6. Sic ab in. §. dicimur sustinere partes *constantiae* et *moderationis*, nempe *conservandae*, ut monuimus ad 93. pr. Eaedem voces junguntur 102. ut *Cat. Maj.* 21, 77. *vitae modus atque constantia.*

§. 99. *optimi cujusque*] i. e. *omnium bene de re publica sentientium ac bene meritorum* etc. V. 149. pr. cl. nota ad 85. ex. Recte observat Mich. Heus., hunc Genitivum pendere a *reverentia*, *adhibenda adversus homines:* in quo nota Latinitatem Germanismo simillimam. Variata est autem constructio, ne ejus perpetuitas lectorum taedium moveret. Dissimilia sunt, quae cum F. Heus. comparat Gernhard exempla, in quibus Conjunctiones nectunt diversas constructiones. Idem vero recte observat, *igitur* inservire repetendae et continuandae sententiae, supra inchoatae, *cum Natura doceat, non negligere* etc., quae hic variatis verbis exprimuntur, *quid quisque de se sentiat*, nempe de homine isto *dissoluto*. Saepe enim pron. reciprocum in secundario enunciato refertur ad primarii enunciati subjectum, quod hic latet in Infinitivo, posito pro *Nam si quis negligit*, — hoc * *omnino dissoluti est:* ante quae vv. * Degen et Schütz retinent insertam volgo part. *etiam*, quam cum Gernhardo codicis a fide expunximus ad similitudinem plurium exemplorum ex illis, quae p. 165. ss. attulimus, maxime ultimi II. *orat.* 41, 175. — *Dissolutus* autem dicitur is, qui in rebus, ubi incuria est summa nequitia, omni cura solutus est, impudenter negligens, e. c. *in re familiari.* Pro Quinctio 21, 38. H. 1, qui omnem sui curam effudit.

iustitiam et verecundiam. Iustitiae partes sunt non violare homines; verecundiae — non offendere, in quo maxime perspicitur vis decori. His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc pri- 100
mum habet viam, quae deducit ad convenientiam conservationemque Naturae. Quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus: assequemurque et id, quod acutum et perspicax natura est, et id, quod ad hominum consociationem accommodatum, et id, quod vehemens atque forte. Sed maxima vis decori

---

§. 100. *hanc primum habet viam*] In cod. Cur. legi *primam*, notavit Ernestus. Degen autem dicit, omitti in illo cod. *primum*. Respondet ei deinceps *sed*. V. p. 109. Id. cod. cum ed. Venet. a. 1502. confirmat plurimorum lectionem *viam*, pro qua Schütz reposuit *vim* cum Victor. et Gryph. — Ad solam *naturam* refer haec, *quam si sequemur ducem*. Ceterum nota futurum ἀόριστον tum in protasi, tum in apodosi propter temporis rationem eandem et cf. §. 21. ex. 29. ex. 50. pr. 120. ex. III. 90. ex. *Part.* 39, 136. s. *Rosc. Am.* 4, 10. *Cat.* I. 10, 26. pr. 13, 31. pr. *Mur.* 28, 60. pr. — *Que* deinceps fere i. valet q. *sed.* V. ad §. 3. p. 9. Degen et Schütz tuentur *consequemurque*, cui Gernhard praetulit, quod Facciol. e codice eruerat, *asseq.*, aptius ad *viae* metaphoram, cll. §. 110. 131. ex. 148. II. 5. pr. monetque primam ejus verbi syllabam facilius potuisse ab ultima in *aberrabimus* obliterari; quod non solum in Gu. 1. sed in plerisque omnibus libris accidit: quorum lectionem expressisse videtur Hottinger, male interpretatus ita, ac si hic de exercitatione ac progressione, non de virtutibus ipsis et perfectione naturae speranda intelligi voluerit auctor. Ergo sensus est: *perveniemus aliquando eo, ut et acuti et perspicaces simus et sociabiles et fortes.* De responsione oppositorum *et id — et id.* v. p. 14. cl. *Phil.* VIII. 3, 10.

Sed maxima vis decori] In hoc scirpo, non video, quo modo Gernhard quaerere potuerit nodum. Repetit auctor breviter ea, quae §. 93. s. dixerat, non solum in hac una reliqua parte honestatis, sed etiam in tribus superioribus *vim decori* i. e. quid deceret, apparere, sed intelligi quoddam *decorum*, quod eximie in hoc uno virtutis ge-

in hac inest parte, de qua disputamus. Neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui
101 item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum, quid fugiendum

---

nere spectetur (96. 98.), i. e. in motibus et corporis et animi ad naturam accommodatis. Ceterum hos quidem multo etiam magis probari, quam illos, observatio, cui similis est comparatio c. 40. extr., videtur magni momenti esse ad pulchri naturam rite intelligendam. Hinc enim fit, ut poëseos omnipotentia multo majores admirationes atque ardores moveat, quam saltatio quamvis decora. Propiori enim cognatione attingit mentem et, qua haec pollet notionum infinitarum et aeternarum, quas ideas vocant, copia, ejus nos, intimum sensum expergefaciens, multo efficacius admonet, quam quaevis alia ars. Quid, quod omnibus illecebris destituatur externa pulchritudo sine *magia ethica*, i. e. nisi animus ejus pulchritudinis, cujus speciem a se ipso mutuavit, splendore res circumfundat? Haec est autem ipsa boni atque honesti visio aesthetica. V. Bouterwek l. ad. c. 27. extr. l. p. 130. s. et 74. ss. Omnino vero juvabit edidicisse, quae de artium principatu ethico elegantissime disputata continent *Gesammelte Blätter von Wellentreter.* (Lips. 1818.) Vol. II. p. 225. 227. ss.

§. 101. *Duplex est enim vis animorum atque natura*). Omisit philosopus in utraque distinguere gradus quosdam. Satis habuit *rationi*, supremae facultati cognoscendi eidemque vitae moderatrici, opposuisse appetendi vim inferiorem, quae aut voluptatem aut utilitatis speciem sequitur. Cf. §. 132. pr. *Tusc.* II. 21, 47. Gernhardo, h. l. particulam *enim* unius libri Gu. 1. auctoritate deleri jubenti parere noluit typotheta. Facile ejus compendium obliterari potuit post *est.* Declaratur autem ex ipsius *animi vi atque natura*, quinam *animi motus ad naturam accommodati* sint. V. ad §. 9. pr. Ut mox *huc et illuc:* sic etiam *Fin.* II. 31, 99. pr. Potest tamen copula, quam h. l. Goth. et Gu. 3. in *atque* mutant, suspecta esse. Cf. ad §. 56. p. 134. s. Tum pro volgato *fugiendumve* et eo, quod est in plerisque MSS. *fugiendumque*, e Gronovii cod. Palat. 1. et μ recepi anaphoram, qualis in contrariis est §. 146. et II. 1. qui tamen locus viris doctis insiticius videtur. Ad extrema vv.

sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet.

XXIX. Omnis autem ratio vacare debet temeritate et negligentia, nec vero agere quidquam, cuius non possit causam probabilem reddere. Haec est enim fere descriptio officii. Efficiendum est au- 102
tem, ut appetitus rationi obediant eamque neque

---

intelligenter monet Gernhard., omnis temperantiae officium ex rationis imperio tuendo proficisci, et ex 102. explicat hoc modo: *Ita naturae lege subjecti sunt rationi appetitus.* Cf. Plato IV. *de re publ.* 441. E. s. ubi σωφροσύνη animi comparatur cum ὁμοδοξίᾳ τῶν ἀρχόντων τε καὶ ἀρχομένων p. 433. D. ex quo l. recte emendasse videtur Bekker 442. C. ὅταν τό τε ἄρχον καὶ τὼ ἀρχομένω (n. τὸ θυμοειδές τε καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν) ὁμοδοξῶσιν, ὡς δεῖν ἄρχειν τὸ λογιστικόν, καὶ μὴ στασιάζωσιν αὐτῷ.

C. XXIX. *Omnis autem ratio*] Gernhardo, perimportune comparanti II. §. 39. pr., dici videtur pro *homine rationis participe.* Quasi vero tum addi potuisset *omnis!* An sunt plures *rationes*, ac singulae? Hottinger interpretatur: *Entschliessung*; Degen: *Beginnen und Unternehmen.* Ergo, nisi aliter explicari posset, praeferenda plurimorum librorum lectio, *actio.* Cf. §. 141. pr. Nec offendere debet, quod sequitur *debet agere.* Ipse Gernhard comparat §. 134. *sermo — in sermone communi vicissitudinem non putet iniquam.* Debebat etiam seqq. *Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur —, ne sermo, vitium aliquod, indicet, inesse in moribus.* Eodem modo ap. Platon. in *Menex.* p. 79. D. ἀπόκρισις ἐπιχειροῦσα ἀποκρίνεσθαι, et in *Politico* 296. D. φέρε τὸν τῶν τοιούτων αὖ ψόγον —, ἆρ' εἰ μέλλει μὴ καταγελαστότατος εἶναι πάντων, πάντα αὐτῷ μᾶλλον λεκτέον ἑκάστοτε πλὴν etc.; Verum tamen *actio* glossa videtur v. *ratio*, quae est in bonae notae et MSS. et edd. vett., ut Venet. 1498. Intellige *agendi*, ut c. 7. pr. et *Fin.* V. 21, 58. ubi quatuor actionum genera honesta dicuntur *prudens, temperans, fortis et iusta ratio.* Errat Gernhard etiam in eo, quod h. l. aliam, quam *medii* aut *communis officii* definitionem proponi opinatur. V. Excurs. I. et IV. Ostendit auctor, quo modo *generali decoro*, quod *in omni officio* cernitur, contineatur *pars* illa *generi subjecta.* V. §. 96. ex. Itaque describit primum hujus officii genus, tum *formam*, cujus vocis vim §. 103. pr. neque *Du Bois* neque Mich. Heus. satis perspexisse videtur. Equidem accipio pro *differentia specifica* vel *proprietate.*

§. 102. *Efficiendum autem est*] depravate legitur in libris omnibus praeter Gu. 3. V. ad 69. pr. cll. *Tusc.* I. 44,

praecurrant nec propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni perturbatione careant: ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur et, tamquam exsultantes sive cupiendo sive fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem et modum transeunt. Relinquunt enim et abiiciunt obedientiam nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae: a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum aut eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt aut voluptate nimia

---

107. pr. *Fin.* V. 16, 44. pr. *Att.* XVI. ep. 15. ex. *Veniendum est igitur vel in ipsam flammam.* Contra * v. *est* tollendum videtur e *Lael.* 17, 5. *Sunt igitur . . constantes eligendi* (amici); — *et iudicare difficile est sane, nisi expertum; experiendum autem * est in amicitia: ita praecurrit amicitia iudicium:* qui l. pariter atque *Acad.* I. 12, 45. ostendit, *praecurrere* per se dici de temeritate. Nollem igitur a Schützio h. l. post *praecurrant* tacito revocatam glossam *propter temeritatem*, quam post Fabritium omiserant cum Graevio, Oliv. et Ernesto Heusingeri, haud dubie tacito librorum suorum consensu, repudiatam certe a λ, μ, ψ. Statim post *que* pro *sed* v. *imo potius* ponitur. V. ad §. 86. pr. et p. 207. ex. Tum post *perturbatione* vagabundum Genitivum *animi*, quem omnes codd. Gu. et ψ ante illam vocem retrahunt, relegavimus cum Facciolato, qui ex incauta iteratione proximae vocis *omni* natum censet et recte monet, ipsos *appetitus* quoque partem *animi* esse. Idem glossema expulimus §. 69. pr.

qui appetitus longius evagantur] nempe *e gyro rationis.* V. de hac metaphora ad §. 90. ex. Similiter I. *de divin.* 29, 60. *ea pars animi, in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas* dicitur *exsultare immoderateque iactari.* quod Gallis dicitur *cabrioler.* Ipsa autem *ratio* comparatur *aurigae, equos sustinenti.* Omnino *assensionis retentioni retentionem aurigae similem fecerat* et Carneades (*Att.* XIII. ep. 21. §. 4.) et Chrysippus. *Acad.* II. 29, 94. pr. Ib. I. 12, 45. dicitur *cohibere semper et ab omni lapsu continere temeritatem.* Proximum *hi* λ repudiat recte fortassis. V. ad §. 56. ex.

gestiunt: quorum omnium voltus, voces, motus statusque mutantur. Ex quibus illud intelligitur, 103

---

voltus, voces, motus, statusque] Observant intt. eadem iungi *Tusc.* III. 22, 53. et *Fin.* V. 17, 47. Quod vero haec omnia animi perturbationibus, (in quibus hic, miror, non enumerari *aegritudinem*, ut §. 69. pr.,) mutantur, hoc haud ambiguum indicium videtur, corpus non modo animi esse instrumentum, sed ipsius animi et quidem voluntatis, in rerum natura apparentis, speculum ab ipsoque animo fingi et formari. V. *Die Welt als Wille u. Vorstellung v. Schopenhauer* p. 147—150. 156—160. Ex hujus sententiae veritate pendet omnis φυσιογνωμονία: quae tamen cognitio, vel potius hariolatio, ut ipsius natura fert, in multis fallax est. Testis est in l. *de fato* c. 5. *Zopyrus, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, voltu, fronte pernoscere*, ubi Gud. 2. transponit *fronte, voltu*. quo ordine haec se excipiunt *in Pison.* §. 1. *oculi, supercilia, frons, voltus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est* Variatur tamen *ad Q. fr.* I. *ep.* 1. c. 5. pr. *frons, oculi, voltus.* XV. *Att ep* 15 *ex voltu et oculis et fronte, ut ajunt, perspicere.* III. *Cat* 5, 13. *color, oculi, voltus.* Perspicimus autem e. g. ex oculorum fulgore atque ex vocis contentione et *iram* et *voluptatem*, sed *ira* fulgorem istum quasi nubibus, tonitrua parturientibus, obvolvit, contrahit supercilia et nasum, crispat frontem, spiritum angustiorem reddit, vocem obscuriorem et praeruptam emittit. Cf. quam imaginem depinxit Seneca *de ira* I. 1. II. 35. III. 4. *Laetus* contra oculus, ut lucis capacior fiat, latius sese aperit, supercilia omnemque voltum attollit et expandit. Spiritus prae gaudio non satis potest accelerari. Vox clarescit et multis modis flexa exsultat. *Metus* autem et tremorem excitat et colorem contrario ac pudor modo mutat. *Libido* denique oculos humidos reddit, maxime cupitae rei adspectu lascivientes. Certius aliorum affectiones animi, etiam eas, quarum significatio dubia videtur, pernoscemus, facto ipsorum habitum imitandi experimento. Hoc enim experimentum in nobismet ipsis similes affectus excitabit. Opus est igitur hypocritis animo, cereo in omnia flecti. Tristis enim non poterit dissimulare tristitiam nec extorquere sibi risum: nisi ad tempus certe doloris sensum deposuerit. Laetus autem voltus, quamvis fictus, mutuo afficiens animum, coeptam exhilarationem et continuabit et augebit. Plura, si placet, repete a Io. Iac. Wagnero *von der Natur der Dinge.* Lips. 1803. §. 562—567. Cf. infra 146. Ceterum vix est, quod notemus, Gu. 2., verae orthographiae tenacem, servare hic et II. 12, 43. *voltus*, itemque II. 10, 35. *volgus*, ex quo Nostratium vox *Volk*, et ib. c. 20. pr. *volgo.* Ta-

(ut ad offici formam revertamur) appetitus omnis contrahendos sedandosque esse excitandamque animadversionem et diligentiam, ut ne quid temere ac fortuitu, inconsiderate negligenterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur: ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora. Ludo autem et ioco — uti illo quidem licet; sed, sicut somno et quietibus ceteris, tum, cum

---

lia quo minus Ciceroni quidem ubique tacito restituantur, deterrere non debet librorum in recentioribus formis conspiratio, ut in *vult* pro *volt*, quod contractum est ex *volit*.

§. 103. *temere ac fortuitu*) ut *Epist.* V. 8, 6. ex Martyni-Lagunae emendatione *repentina aliqua voluntate ac fortuitu*, ubi Schütz tacito revocavit volgatum *aut*, quod etiam h. l. Gu. 3. 4. λ, μ, ψ temere ac fortuitu substituunt. Paucis post Degen cum Heusing. *ad ludum et ad iocum*, iterata praepositione cum Gu. 3. 4. et Ascensio. V. ad c. 14. pr. Hic tamen, puto, eam a Gernhardo recte repudiatam, cui *ludus et iocus* proverbii speciem referre videtur. Cf. *in Verr. act.* II. l. I. 60, 155. ex. *per ludum et iocum.* Ceterum si hic respiceretur ad Naturae solertiam et in creandis hominibus consilium, diceretur per Optativum, *ut ad ludum et iocum nos factos esse putaremus.* Quoniam vero simpliciter, quae sit hominis praestantia, enarratur, Conjunctivus adhibetur, ut *Fin.* V. 15, 43. pr. 23, 66. pr. Vereor enim, ut Görenz *ut* recte explicuerit *eo consilio*, ut ib. II. 14, 45. *ratio fecit hominem hominum appetentem*, — *: ut se implicet — societate :* ubi potius hoc modo interpretandum: *ex quo fit, ut* etc. Supra autem c. 4. pr. *Genus animantium omne hoc habet a natura tributum.* In his rebus miscere, id vero est modorum naturam ignorare. Interiectum est h. l. binis enunciatis verbum, ut per simile μεσόζευγμα *Fin.* V. 22, 64. *inventa est.* Intensivam pronominis *quidam* vim notavimus ad §. 47. pr. Cf. Fin. II. 34, 113. pr.

Ludo autem — uti illo quidem licet] De Pleonasmo pronominis v. ad §. 95. ex. *Quietes* pluraliter dici Sallustio *Cat.* 15, 4. observatur, aliaque statum quendam significantia nomina infra §. 131. Sententiae veritatem illustrat

cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Ipsumque genus iocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Vt enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso ioco aliquod probi ingéni lumen eluceat. Du- 104
plex est omnino iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt multaque multorum facete dicta, vt ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vo-

---

strat Aesopus in Phaedri l. III. fab. 14. vel. 53. et Senftlebius *de alea* ab in. „Vt enim animus," inquit, „arduitate rerum quotidie agendarum quodam modo elanguescit et alta quasi torpedine sopitus iacet: ita hoc ipso lusuum remedio, quasi cinis sulphuri appositus, reviviscit iterum et vires sibi subinde acquirit novas. Quod si vero diutius etiam mens resuscitata ludicris hisce inhaeret, non minus delinquit ac illi, qui, conservandae valitudinis causa, nimio medicamentorum usu, corpus non reficiunt, sed interficiunt." In prox. non ut Schütz ait, Gu. 2. sed reliqui Gu. praeter hunc legunt *ab honestatis actionibus*. Unus *μ* omittit *sit*, quod reliquorum consensu stabilitur. Non satis explanavit Degen Conjunctivi vim, adhibiti, quia *eam*, *quae* hic valet, *cum eo* vel *ita, ut*. V. tamen ad §. 61. pr. p. 141. ex.

§. 104. *Duplex omnino est*] volgo depravate legitur. V. ad §. 9. pr. et cf. *N. D.* I, 5, 12. *Dictum est omnino hac de re alio loco diligentius.* — Plautinorum iocorum inurbanitatem carpit Horatius *A. P.* 270 — 273. venustatem et copiam laudat Macrobius *Sat.* II. 1. Plerisque autem antiquis illis idem visum est, quod Catullo 16, 5. 22. — *Multa multorum* (cf. ad 53. p. 127.) *facete dicta* interpretatur Cicero ἀποφθέγματα. Idem apud Macrob. l. l. *Nostri* —, *quae facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt.* Cf. ad eum l. interpr. Varro aliique *dicteria* nominant. Ex Catonis Censorini libro, exempli causa, multa ponuntur II. *de or.* Vid. prae ceteris c. 67, 68. Multa a Graecis mutuaverat, teste Plutarcho in ej. vita c. 2. extr. Exstant etiam Plu-

cant ἀποφθέγματα. Facilis est igitur distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter est, si tempore fit, remisso homine dignus; alter ne libero quidem, si rerum turpitudo adhibetur aut verborum obscoenitas.

---

tarchi ἀποφθέγματα: in quibus multa ipsius Catonis dicta referuntur. Hujus modi syllogae a Nostratibus volgo inscribuntur *Vademecum*, *Anekdotenschatz* aliisve titulis exornantur.

Facilis igitur est] Hic ordo volgatus est. Sed v. ad §. 64. p. 150. cl. XVI. *Att.* 15. extr. *Turpius est enim* III. *Tusc.* c. 9. *Proprium est enim irati.* *N. D.* II. 51. pr. e cod. Red. *Absurdum est enim.* *Lael.* 22, 2. — *Tempore*, intell. *opportuno*, i. e. q. *tempestive.* *Remissus homo* est *remissioris animi vir*, i. e. hilaris, qui amat *iucunde vivere* opponiturque *tristi* et *rigido*. Vide ll. ab Hottingero II. p. 135. s. adductos *pro Coel.* c. 6. (e Schütz. ed. c. 5.) et Senec. *ep.* 11. ex. Idem comparat Quinctil. *Inst.* V. 13, 26. et Martial. I. *ep.* 68. ubi, ut in Horat. *sat.* I. 3, 52. et Ovid. *Metam.* I. 757. *liber* minori invidia dicitur, quam *maledicus*, et II. *or.* 62. ubi *obscoenitas vix convivio liberorum digna* iudicatur. Ergo *liber* cum quadam defensione dicitur is, *qui non verecundatur suo quamque rem nomine appellare, qui omnia apertissimis verbis agere audet nec praetextata repudiat*, qui est *petulanti lingua*, εὐθυῤῥήμων. Vid. *Epist.* IX. 22, 1. et 18. ss. Schütz, qui hic Mich. Hensingeri notam exscripsit ita, ut eam, ubi librorum MSS. lectio indicatur, mutilarit et corruperit, deinceps reduxit lectionem, *si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas:* quam e Nonii (c. IV. 356.) libris MSS. et ed. Merceri emendarant F. Heusinger et Gernhard, compar. II. *de or.* c. 59. ex. *praestet idem ingenuitatem et ruborem suum, rerum turpitudine et verborum obscoenitate vitanda.* Praeterea recte monitum est, aut in re esse inverecundiam aut in verbo; non modo autem utramque, sed ne alteram quidem licere. Cf. §. 128. ex. De vocis *obscaenus*, ut volgo scribitur, veriloquio Moser ad II. *N. D.* 22, p. 607. a. laudat *Orthograph. Lat.* Cellarii p. 110. et Grotefendi §. 131. Equidem praefero scripturam, quae convenit originationi a *coeno* cum praepos. *obs:* quem ad modum fit *abs-condo*, ad similitudinem compos. *abstineo* et *obs-trudo*. *Coenum* autem et κοινὸς pariter ac κοῖλος a κοίειν, ut κλοιὸς a κλοίειν, derivatur ab Ill. Hermanno in *diss.* I. *de mythologia Gr. antiquissima* p. VIII. quia *desidunt turbida.* Similiter in nostra lingua a *Flath*, cui cognata est *Flatsche* i. e. *lacuna*, ducitur *unfläthig*.

Ludendi est etiam quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem et campus noster et studia venandi — honesta exempla ludendi.

Ludendi est etiam] Sic Gu. 3. 4. 5. Volgo *L. etiam est.* V. ad §. 69. pr. *Modus* hic est *iustus usui rerum constitutus finis:* ut in Horat. *sat.* I. 1, 106. Statim post, si sana sit lectio, *nimis* i. e. *sine modo, immoderate* jungendum cum verbo *profundamus:* ut sensus sit, *ne quovis ludo nimis profuso utamur.* Sed *omnia* interpretari malim *futilissima* vel *ineptissima quaeque,* etiam si cum C. G. Lenzio scribere placuerit, *ut ne nimis nos in omnia profundamus,* quam cum ipso conjectore intelligere *ludendi genera.* Lenior tamen foret medela, *ut ne nimii in o. profundamur* i. e. *etiam in nugas et ineptias.* Si Gernhardo licuit divinare aut *ut ne nimis inania profundamus* aut *ut ne nimis omnino profundamur,* licebit nobis quoque pro *omnia,* cui, in quodam l. MS. apud Graevium in V. L., in λ et ed. Argent. omisso, alius liber apud Graev. substituit *animo,* hariolari *animum.* Solennis est enim horum vocabb. permutatio e simili compendio *oia* et *aiu:* unde quidam §. 67. p. 156. *omni* ante *animi* omittunt, et §. 102. pr. e praecedenti *omni* natum est *animi.* Potuit etiam h. l. absorberi a proximo *nimis,* quocum alias confunditur: ut *Tusc.* IV. 31, 66. corrupte legebatur *animi* (pro *nimis*) *elati laetitia.* Ibidem similiter, ut *Parad.* III. 1, 6. ex. al. §. 21. ex. intemperans *se in libidine effundere* dicitur, praecedunt haec: *Eodem enim * vitio est effusio animi in laetitia, quo in dolore contractio:* ubi * videtur excidisse *in,* cum librarios deciperet, quod sequitur: *eademque levitate cupiditas est in appetendo, qua laetitia in fruendo.* Utriusque tamen constructionis dispar est ratio. Solenniter dicitur *in vitio est,* e. g. supra §. 23. ex. 62. pr. *Fin.* V. 11, 31. de eo, quod *vitiosum* est, et supra §. 42. ex. *in eadem sunt injustitia* pro *aeque injusti sunt.* Ellipsin autem praepositionis ante pron. relat. cogitatione repetendae notavimus p. 123. 238.

campus noster] Martius, ubi quisque otium suum oblectabat. (*de fato* c. 4. et 15. Senec. *de prov.* c. 5.) et juventus ingenua et industria se exercebat arte gymnastica, disco, hastis, pila, cursu, armis, equo et transnando Tiberim. II. *or.* c. 62. 71. paull. ab in. Vegetius I. c. 10. Horat. *Od.* I. 8. III. 7, 25—29. *A. P.* 162. 379. s. *Sat.* II. 1, 8. Statius l. V. *sylv.* 2, 113—116. ibique Barth. p. 455. laudatus Heusingero: qui etiam observat, commen-

105 XXX. Sed pertinet ad omnem offici quaestionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat. Illae nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque fe-

---

dari venandi *Romanis solenne viris opus* ab Horatio *Epist.* I. 18, 48. ss. (cf. *Od.* III. 24, 56. *Sat.* II. 2, 9.) et Plinio *Paneg.* c. 81. ubi §. 1. bene monetur, *instar refectionis* esse ipsius *mutationem laboris.* Omnino in virium vicissim exercendarum usu moderando versatur delectationis fruendae prudentia, negotiorum variatione animum et relaxante et recreante.

C. XXX. §. 105. *quantum — beluis antecedat*] Huic v. hic et *Acad.* I. 1, 3. ex. codd. quidam substituunt glossam *antecellat.* De hac hominis praestantia cf. §. 11. et ad 50. ex. cl. Aristot. *hist. animal.* I. 1. ex. et *de part. anim.* II. 10. ubi dicitur τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος μόνον μετέχειν τοῦ θείου τῶν ἡμῖν γνωρίμων ζώων, nimirum τοῦ νοεῖν καὶ φρονεῖν, id enim ἔργον τοῦ θειοτάτου esse praedicatur IV. 10. post in. Dictum est supra §. 100. pr. *officii viam deducere ad convenientiam conservationemque naturae.* Hoc ne quis e natura homini cum reliquis animantibus communi in sensualismi gratiam ita interpretaretur, *quod ipsa natura adsciscat et reprobet, id esse voluptatem et dolorem* (*Fin* I. 7, 23. pr.), auctor iam supra c. 27. extr. et §. 98. animadvertere iubebat ad humanae naturae excellentiam, ex qua hic, *voluptatem* repudiandam, docet. Etenim Stoici non in rerum, sensibus occurrentium earumque mutabilium inconstanterque umbrarum ad instar praeterfugientium, consideratione haerentes, sed profundius latentem omnium naturarum in suo cujusque genere speciem ac formam i. e. typum aeternum et constantem investigantes, invenerant, *omnem naturam habere aliquem in se principatum,* ἡγεμονικὸν: *quo nihil in quoque genere nec potest nec debet esse praestantius: ut in homine mentem* (II. *N. D.* 11, 29.). Hoc principatu continetur *gradus* ille perfectionis, ad quem unum quodque rerum creatarum genus evehi potest, et *hominis* quidem *dignitas* vel *excellentia,* quam ii, qui, pecudum more viventes, vitiis se inquinant, abjiciunt; illi autem, qui ad virtutem enituntur, sequuntur tamquam finem honestum, omni vitae propositum, ejusque cogitatione ad officia impelluntur. Nam ab eodem illo humani generis principatu necessario, absoluto, stabili atque immutabili unus quisque hominum debet repetere omnium et consiliorum et factorum formam constantem, quod rationi consentaneum est, ut virtutes illae, quae ipsius generis propriae sunt, in omnibus quoque, qui ad illud genus referendi sunt, appareant. Haec prolixius exposuit Baddi in Hauffii *Philologia* P. II. p. 28—31. et 22. s.

runtur omni impetu; hominis autem mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirit aut agit videndique et audiendi delectatione ducitur. Quin etiam, si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine), sed si quis est paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, occul-

---

h. a. mens discendo alitur] Isocrat. *ad Demonicum* ed. Wolf Bas. 558. p. 6: τὰ μὲν σώματα τοῖς συμμέτροις πόνοις, ἡ δὲ ψυχὴ τοῖς σπουδαίοις λόγοις αὔξεσθαι πέφυκε. Cf. §. 13. *Tusc*, V. 23, 66. Nos ita natos esse, ut cupiditatis *agendi aliquid*, adolescentis una cum aetatibus, principia in nobis contineremus, nec ulla conditione quietem sempiternam possemus pati, docetur *Fin.* V. 15, 43. 20, 55. observante Gernhardo, cui pro *anquirit* quatuor MSS. Gu. μ, ψ, Ascens. et Bald. recte tueri videntur *inquirit*, quia hic mentis agitatio intelligenda sit, non rerum utilium comparatio. Sed Görenz ad IV. *Fin.* 7, 16. p. 441. a. plenam fidem non habet nos *nobis* modo *anquirere* jubenti, *aliis* vetanti. Nimirum V. D. supra ad §. 9. *anquirere* interpretatus erat *quaerere*, *quo utaris*, *quod tibi adjungas*; *inquiri* dici voluit de eo, quod *scire cupimus*. Cui observationi equidem tantum tribuo, ut restituendum videatur *N. D.* I. 12, 30. *qui* (Plato), — *quid sit omnino deus*, *inquiri oportere non censeat* e pluribus libris pro *anquiri*: nam in Graecis est, φαυλὸν οὔτε ζητεῖν δεῖν: et *de fato* c. 9. pr. *quid valeat id*, *quod fieri possit*, *inquiritur*, ut est in Erlangensi, quocum quadamtenus faciunt ii, qui exhibent *inquirit* pro *anquiritur*: quia in his *explorandi* et *examinandi* notio valet: ubi autem *circumspectandi* et *circum quaque quaerendi*, ibi recte dici videtur *anquirere*, ut *Tusc.* IV. c. 21. pr. *ubi sit illud*, *quod veri simillimum videatur*, *anquirere*, cui duo MSS. Leidd. et aliquot edd. vett. substituunt *inquirere*. V. Bauer ad Sanctii *Min.* II. p. 384. ex. Hic etiam, puto, recte legi *anquirit* i. e. cognoscendi cupiditate ducitur, indagat, ut II. §. 6. quamquam ibi quoque Gu. omnes aliique substituunt *inquirunt*, quod est etiam in quibusdam exempll. Lactantii III. 13, 11.

si quis est paullo ad voluptates propensior] Gu. 6. transponit *ad v. paullo*; μ excludit *paullo*: quam mitigationem proxima respuere videntur, fortassis huc tractam e seqq. *si quis est paullo erectior*, *quamvis* (i. e. *quantumvis*) *voluptate capiatur*: quae sententia fortior est: cui post parenthesin iterandae inservit *sed*, ut absolvendae, quae duplici parenthesi interrupta fuerat, *Fin.* V. 30, 90.

tat et dissimulat appetitum voluptatis propter vere-
106 cundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia eamque contemni et reiici oportere; sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse eius fruendae modum. Itaque victus cultusque corporis ad valitudinem referatur et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam, si considerare volumus, quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere, quamque honestum — parce, continenter, severe, sobrie.
107 Intelligendum est autem, duabus quasi nos a

V. Görenz ad II. *Leg.* 1, 2. ex. Improbat autem philosophus *Tusc.* IV. c. 18. etiam *moderatam intemperantiam* omninoque *propensionem ad voluptates.* Propterea §. 106. dicit: *sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati* i. e. ut in consimili l. *p. Coel.* §. 42. dicitur, *non omnia voluptatibus deneget, pareat aliquando voluptatibus.* Cf. III. 120. ex. *Tribuimus aliquid* rei, quae nobis cara est. *Acad.* II. 43, 134. *Fin.* IV. 26, 73.

in natura hominis] Negligunt Genitivum Schütz et Degen, additum a Gernhardo e μ, Gu. 3. et margine quinti, exc. Bedae atque Eybi, edit. vetusta s. l. et a. Venet. 1498. Lipss. Lugd. 1527. et Anemoecii. Opponitur haec autem naturae beluarum. Cf. ad 42. p. 105. s. Iidem illi Duumviri sequuntur Heusingerum, qui e Gu. 2. exc. Bedae atque Eybi, quibusdam edd. vett. et Nonio s. v. *Luxuria* recepit *intelligimus*, quod etiam c. 41. pr. Gu. 1. 5. et ed. vetusta s. l. et a. obtrudunt, aliis peccantibus *intelligeremus.* Sed recte plerique libri consentiunt in futuro, quod in consecutione atque conclusione Ciceroni familiare esse, evicit Görenz ad III. *Fin.* 18, 28. ex. Mox *delicate ac molliter* malim interpretari *effeminate* et de libidine in res venereas profusa, quam cum Degenio de cibis potissimum, intelligere: quo sensu §. 144. dicitur *delicatus sermo* et Macrobio *Sat.* II. 1. *puella supra naturam mollior.* Cf. ad §. 71. ex.

§. 107. *Intelligendum est autem*] Volgatur *etiam*, quam part. Gu. 2., quem Heus. et Degen sequuntur, retrahit ante *est.* Gu. 3. habet *Int. est autem etiam*, glossam iunctam cum solita transitionis particula, quam ex eo recepimus. Cf.

Natura indutos esse personis: quarum una est com-
munis ex eo, quod omnes participes sumus rationis
praestantiaeque eius, qua antecellimus bestiis, a
qua omne honestum decorumque trahitur et ex qua
ratio inveniendi offici exquiritur; altera autem, quae
proprie singulis est attributa. Vt enim in corpori-
bus magnae dissimilitudines sunt (alios videmus ve-
locitate ad cursum, alios viribus ad luctandum va-
lere; itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis
venustatem): sic in animis exsistunt maiores etiam
varietates. Erat in L. Crasso et in L. Philippo mul- 108
tus lepos, maior etiam magisque de industria in C.
Caesare, L. F.: at iisdem temporibus in M. Scauro
et in M. Druso adolescente singularis severitas; in

---

§ 61. pr. Recte propter adjunctum *proprie* Gernhard e Goth. Gu. 3. et 4. atque ex editt. Lipss. Ascens. et Facciol. restituit *attributa* i. e. destinata. V. Schütz *Lex*. s. v. qui tamen h. l. cum Degenio retinuit volgatum *tributa*, quod defendi potest e §. 112. ex. si modo ibi lectio certa. Deinde male quidam, inculcata particula, scripserunt: *alios enim videmus*. Cf. parenthesis §. 38. p. 91. In postrr. vv. ordinem volgatum *etiam majores* invertit Heus. cum Gu. 1. 2. 3. 4. et Gryph. Cf. statim post et §. 91. pr.

§. 108. *in L. Crasso et in L. Philippo*] Copulam, in Gu. 1. 2. 3. 4. et in Goth. obliteratam, expunxerunt Heus. et Degen. Sed haec anaphora innueret gradationem quandam, quae hic non admittitur, cum *Philippi* facetias Noster in *Bruto* c. 47. vix comparandas censeat jucunditati et lepori *Crassi*, summi oratoris, mortui a. V. 662. ex vehementissima contentione animi, ingenii, virium, cum in curia in praesentem Consulem, eundem hunc *L. Philippum* (de quo cf. II. §. 59. 73. III. 87.), *hominem et vehementem et disertum et inprimis fortem ad resistendum*, dixisset, ut scribitur *or.* III. c. 1. s. Cf. de eo ibid. II. c. 54. ex. *Off.* I. §. 133. II. 47. 57. *Brut.* c. 38. ss. de *C. Julii Caesaris Strabonis*, post florentis (ib. c. 98. pr.) et in proscriptione Mariana interfecti (ib. 99. ex. III. *or.* 3.), festivitate *Brut.* c. 48. pr. — *Scauro* (supra §. 76. p. 177. laudato) gravitas summa tribuitur in *Bruto* c. 29. et *M. Druso*, C. Gracchi in altero tribunatu collegae, ib.

C. Laelio multa hilaritas; in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. De Graecis autem dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominave-

c. 28. Cf. III. *or.* 1. Vellej. Pat. II. c. 13. s. ibique Ruhnken et Krause. *Laelius*, laudatus supra §. 90. et P. Scipio *Africanus* Aemilianus, de cujus utriusque amicitia v. *Lael.* 4, 9. s., laudantur *p. Mur.* 31, 66. fuisse *lenissimi et comes* et II. *or.* 37, 154. *humanitate politissimi.* Itaque *ambitionem* h. l. Schütz in *Lex.* interpretatur „placendi studium, cum inferioribus se exaequans, magis cura quadam affectatum, quam naturale," cum Mich. Heus., qui intelligere videtur εἰρωνείαν, in qua Africanus *Socrati* comparatur etiam II. *or.* c. 67. *Brut.* c. 87. ex. *Acad.* II. 5, 15. ex. Degen cum Hottingero p. 144. ss. interpretatur *hilaritatis*, quae in Laelio naturalis esset, *affectationem.* At vero ita hoc exemplum parum convenire consilio auctoris, mox docebimus. Alia res est in eo, quod praecedit, *de industria.* Multum interest enim inter *affectationem* et *industriam*, quae naturam non nisi adjuvat et perficit. Equidem parum absum, quin *de specie atque pompa in dicendo* accipiam: quo sensu Horatius *A. P.* 447. s. *ambitiosa ornamenta* dixisse videtur pro *ambitiose quaesitis.* Nam *Laelius* in oratione *lenitatem*, *Africanus gravitatem* habuisse dicitur III. *or.* c. 7. et ponit auctor hic maxime oratorii ingenii virtutes in exemplis, ut doceat, id maxime decere, *quo sua quemque natura maxime ferre videatur* (ib. c. 9. cf. infra §. 113. ex.). *Vitam tristiorem* Heus. interpretatur *severiorem*, cum iunctim Aemil. Probus XV. 2, 2. *senem* dixerit *tristem et severum.* Cf. Juvenal. II. 9. Persius I. 9. citatus Quinctiliano IX. 3. paullo ab in. Idem *prooem.* ad l. I. *institt.* §. 15. H. l. eodem sensu dici videtur, quo *p. Quinct.* c. 18. *natura tristis ac recondita.*

simulatorem]. Non, ut Schütz perhibet, *dissimulatorem* corrigi voluit Aldus; sed librorum lectionem ab hac mutatione vindicavit, quia εἴρων, interprete Quinctiliano IX. 2, 46. est *agens imperitum et admirator aliorum tamquam sapientum.* Nimirum, ut alliceret et teneret homines vanos et fastosos, quorum stultitiam et absurditatem nudaturus esset, Socratem, *cum de sapientia disceptaretur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogarent, se autem omnium rerum inscium fingere et rudem* solitum laudat Cic. in *Bruto* 85, 292. Cf. Seneca *de benef.* V. 6. ex. Timon ap. Diog. Laërt. II. 19. Plutarch. in *Cat. Maj.* c. 7. Fraguier *sur l'ironie de Socrate* in *Mém. de l'acad. des inscript.* T. IV. (Germanice in Hissmanni *Maga-*

runt, Socratem accepimus: contra — Pythagoram et Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Poenorum, ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praecipere hostium consilia. In quo genere Graeci Themistoclen et Pheraeum Iasonem ceteris anteponunt in primisque versutum et callidum factum Solonis, qui,

---

zin für d. Philos. T. II.) et G. F. Sievers *de methodo Socratica*. Slesvici 1810. p. 44. s. — *Pythagoras* autem ἀπείχετο καταγέλωτος καὶ πάσης ἀρεσκείας, οἷον σκωμμάτων, teste Diogen. Laërt. VIII. §. 20. pr. Ejus *auctoritas* praedicatur *Tusc.* I. c. 16. ex. et *N. D.* I. 5, 10. ex. Justin. XX. 4. Cf. Broukhusii *Real-Encyklopädie* T. VII. p. 921. s. ed. V. De *Periclis*, pro salute patriae severius contra populares homines dicentis, nihilo minus populari omnibus et iucunda visa vi dicendi et potentia Mich. Heus. adhibet III. *or.* c. 34. Valer. Max. VIII. 9. *ext.* 2. Plutarch. in *Pericle* c. 8. in quo hic c. 5. προσώπου σύστασιν ἄθρυπτον εἰς γέλωτα et c. 7. med. σεμνότητα laudat.

Callidum Hannibalem] Cf. multorum instar Liv. XXI. 4. Aemil. Prob. XV. pr. Lucian. *dial. mort.* XII. §. 6. pr. De *Q. Maximo* v. ad 84. p. 193. *Praecipere* hic eo modo dicitur, quo §. 81. pr. Olim legebatur *praeripere:* cui Mich. Heus. comparat Senec. *Thyest.* 1104. *scelere* (nimirum, quod ipse cogitaras, a me tibi) *praerepto doles.* — Pro *Themistoclem* restituimus e Vinar. et ed. Magont. *Themistoclen*, quia insolentiores formae in frequentiores mutari solent, ut §. 144. *Sophoclen.* Non igitur debebat Heindorf *N. D.* II. 1, 6. bis obliterare formam Gr. *Persen.* De *Themistoclis calliditate* v. maxime Aem. Prob. II. 4, 4 — c. 5, 2. cl. Plutarcho in vita c. 12. 16. ex. *Jason* autem intelligitur ille, qui Pheris in Thessalia regnavit, cuius post Thebanorum victoriam Leuctricam res gestas attingit Xenophon *Hellen.* VI. 4, 20. ss.

in primisque versutum — factum S.] *ceteris anteponunt*, *Solo* autem insolitis sibi versibus, quasi per furorem fusis, de vindicanda Salamine insula, velut hostili arce ex propinquo saluti Atheniensium imminente, suadere populo ausus est, quod post clades multas capitale esse coeperat. Justin. II. 7. ex. Valer. Max. V. 3. *extern.* 3. Demosthen. παραπρεσβ. p. 420, inde a lin. 22. cum *schol. Augustan.* p. 366. s. et in ἐρωτικ. p. 1416, 7. Liban. *declam.* XVI. Aristid. *Leuctrica* V. Pausan. I. 40, 4. Polyaen. I. p.

quo et tutior vita eius esset et plus aliquanto rei pu-
109 blicae prodesset, furere se simulavit. Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici; itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum, quod velint, consequantur: ut Sullam et M. Crassum videbamus. Quo in genere versutissimum et patientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepimus; contraque Callicratidam, qui praefectus classis pro-

---

40. ed. Maaswicii, Diog. Laërt. I. §. 46. s. Plutarch. in *Solone* c. 8. s. ubi nonnulli versus ex illa Solonis elegia afferuntur. Jo. Frid. Mentz *de Solonis legibus* (Lips. 1701.) §. VI. iudicat, nisi animus multitudinis iam ad bellum inclinasset, magis tectam esse oportuisse dementiae simulationem illam: quam fictam esse primus statim centum istorum versuum χαριέντως πεποιημένων prodat: praeterea Solonem hoc facto suo cives edocuisse, „calliditate et astutia *legibus*" [leges!!] „eludere," quod semper in commodum rei publicae fore, sperare non potuisset. Ceterum Solon non modo suscipiendi belli auctor fuit, sed gerendi etiam dux et hostes vicit δι' ἀπάτης. V. praeter ll. ll. Frontin. *stratag.* IV. c. 7. Aelian. *V. H.* VII. 19. sed videtur non nisi auctor fuisse consilii, quod Pisistratus exsecutus est, ut e Justini c. 8. colligit Mentz.

§. 109. *nihil ex occulto, nihil de insidiis*] Etiam alibi praeposs. non eaedem sibi respondent, e. g. IV. *Fin.* 5, 13. ex. *cum e pluribus eadem dicit, tum certe de maximis*, ubi Görenz laudat Wopkens *lectt. Tull.* p. 27. Ceterum non ad h. l. respicit Lactant. VI. 12, 11. ut ibi opinatur Bünemann, sed ad III. §. 57. Quoniam vero v. *sunt* et subjectum habet et praedicatum, sequitur *qui* cum Indicativo; in altero autem membro cum Conjunctivo, ut sensus sit: *qui quidvis perpeti non detrectent.* Degen ad auctores hac in re auctoritate privos provocat. V. ad §. 5. p. 10. De *Sulla* Heuss. citant testes Sallust. *Jug.* c. 95. s. ibique Corte p. 852. Plutarch. in vita p. 453. ss. c. 5. 6. ubi c. 28. ἀλώπηξ dicitur; eundem de *Crasso* in vita c. 1. 3. (p. 544. D.) 6. ex. (p. 546. D.) Add. ejusd. *compar. cum Nicia* c. 1. 2. pr. De *Lysandro* idem testis est in ἀποφθεγμ. ῥητ. p. 190. E. F. et in ipsius vita p. 436. c. 6. ex. et 7. ex. ubi cum *Callicratida* comparat. Cf. Xenoph. *Hellen.* I. 6, 7. s. et supra §. 84. pr. Schütz optimorum ll. lectioni hic praetulit Dativum *classi.* Sed v. praeter Schelleri *Lex.* T. IV. p. 8281. V. Verr. 34, 88. ex. Plin. *H. N.* VI. c. 17. Vellej. II. 73, 3. dicit *praefectos classium.*

ximus post Lysandrum fuit; itemque in sermonibus aliquem, quamvis praepotens sit, efficere, ut unus de multis esse videatur: quod in Catulo, et in patre et in filio, itemque in Q. Mucio Mancia vidimus. Audivi ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica; contraque patrem eius,

---

itemque in sermonibus aliquem] Addunt non nulli libri verbum *videmus*, quod sane sic usurpatur §. 107. ex. idemque verbum repetitur saepius §. 44. ex. Sed in his exemplis continuandis e praecedenti v. *accepimus*, quod idem valet ac *fama et auditione cognovimus*, hoc postremum verbum simpliciter intelligitur, cui structura accommodata est. Major est librorum dissensus de pronomine. Volgatur enim *alium*, cui Goth. ed. Rom. quatuor Venet., Arg. et Lugd. 1527. addunt *quidem*, particulam, nescio an e verbi *videm9* compendio natam; libri Langii et Graevii, Gu. 4. ed. Magont. et Aldi *quemque;* Goth. *qui.* Gu. 2. *quem.* Placuit, Pearcio et Heumanno auctoribus, reponere *aliquem*, cujus pronominis vim pluralem notavit Gesner *Thesaur.* I. p. 249, 1. Glossa est *alium*, saepe in illius pronominis locum substituta. V. Görenz ad *Acad.* II. 10, 30. p. 60. a. *Fin.* V. 30, 91. ex. *Unus e multis* Luciano in *somnio* c. 9. dicitur τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἷς: quod observat Mich. Heus. cll. *Brut.* c. 79. (ed. Schütz. c. 80. pr.) Plin. *Epist.* I. 3. Add. Gesner *Thesaur.* IV. 1084, 91—94. Ante *videatur* Venet. 1498. aliaeque editt. vett. cum Gu. 5. omittunt *esse:* quod non displicet Schellero. Sed v. *Acad.* II. 5, 13. pr. Facciolatus junxisse videtur *in sermonibus praepotens*, perperam haec postrema interpretatus: „*dissimulet facundiam:*" imo nobilitatem et dignitatem!

Catulo — filio] V. ad §. 76. p. 177. et §. 133. Statim post *itemque*, cui Ascensiana addit *et*, scripserunt Pearcius cum MSS. Angl. et Venet. 1554. et Graevius e MSS. in V. L.; in textu *idemque*: quod volgatur, etiam in Degenii et Schützii edd. Sequimur illos cum Gernhardo: quoniam in priori membro est *quod* et statim sequitur *hoc idem. Itemque* autem hoc modo repetitur *Fin.* V. 15, 51. *Mancia*, quod ignoti hominis nomen in quibusdam libris corruptum est, in veteribus se reperisse, ait Turnebus *Advers.* XXVIII. 39. *P. Corn. Scipio Nasica* est ille in consulatu a. V. 642. mortuus. V. Wetzelii *Exc. ad Cat. Maj.* §. 8. 5) p. 504. 506. de *patre*, *Serapione*, cl. *Brut.* c. 58. *Phil.* VIII. 3, 13. ex. vide supra ad §. 76. ex. — Deinceps Schütz, qui tamen in *indice histor.* p. 429. veriorem sententiam secutus videtur, et Degen re-

illum, qui Ti. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermonis; Xenocratem quidem severissimum philosophorum ob eamque rem ipsam magnum et clarum fuisse. Innumerabiles aliae dissimilitudines sunt naturae morumque, minime tamen vituperandorum.

110 XXXI. Admodum autem tenenda sunt sua cuique, non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quaerimus, retineatur. Sic enim faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus; ea tamen conservata, propriam naturam sequamur: ut, etiam si sint alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra nostrae naturae

---

vocarunt vitiosam lectionem: *ne Xenocratem quidem*, ut e superioribus supplendum sit *comitatem habuisse sermonis*, illa autem vv. *severissimum ph.*, in appositione posita, propter tautologiam videantur superflua: e quibus Gernhard, deleta cum Goth. MS. negatione *ne*, cui alii, nexus adjuvandi non minus studiosi correctores in MSS. et editt. vett. substituunt *nec non*, fecit praedicatum: *Xenocratem quidem*; (hanc particulam idem explicat, *quid*, *quod* —? cl. §. 90. *Panaetius quidem* et II. 59. pr. ubi tamen non in ultimo membro, sed in principio ponitur. V. nos ad §. 70. ex.) *accepimus*, quod cogitatur e praecdenti *audivi*, *severiss. ph.* fuisse *ob eamque rem* etc. σεμνὸν τά τε ἄλλα καὶ σκυθρωπὸν ἀεὶ, ut describitur Diogeni Laërt. IV. §. 6. ubi cf. Aldobrandinus. Praeterea nescio, an appositioni Cicero praemisisset *illum*, ut *Tusc.* V. c. 18. pr. Denique in v. *dissimilitudines* abstractum pro concreto positum observat Görenz ad II. *Acad.* 32, 103. pr.

C. XXXI. §. 110. *quo f. decorum — retineatur*] i. e. in omni vitae perpetuitate constanter conservari possit. Cf. §. 111. pr. Ambiguum est autem, utrum *quod quaerimus* hic et c. 4. ex. valeat, *q. exquirimus*, ut §. 79. pr., an *quod quisque sequitur*. §. 65. pr. cl. III. §. 38. ex. — Gerundio *faciendum* volgo praemittunt *est*, quod Gu. 5. postponit, excludit *µ*. V. ad §. 26. ex. 69. pr. et 145. Etiam 129. verbis *Nec vero — concedendum est* Gu. 3. detrahit *est*. De pleonasmo in v. *facere* v. ad 1. p. 2. s.

propriam naturam] Libri quidam peccant *pr. nostram*. Eandem e simili scribendi compendio confusionem observat Görenz ad *Fin.* IV. 6, 15. ex. Eodem errore mox post

regula metiamur. Neque enim attinet repugnare naturae; nec quidquam sequi, quod assequi non queas. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo, quia nihil decet, invita, ut aiunt, Minerva,

---

studia nostra in aliis MSS. obliteratum est *nostrae*, in aliis *naturae*. Ceterum hoc praeceptum cum Chrysippi sententia apud Diog. Laërt. VII. §. 89. pr. confundit Dornfeld *de fine hominis Stoico* §. V. In eodem errore versatur Bardili in Hauffii *Philologia* P. II. p. 19. Eandem potius Ciceroni sententiam tribuere debuisset, quam ipse exponit p. 22. s. Ab *universa natura* i. e. a *persona communi ex eo, quod omnes participes sumus rationis*, ducitur illud, quod *objective decorum* est; a *propria natura* i. e. a *persona propria singulis attributa* (§. 107.), quam recentiores philosophi individuitatem subjecti appellant, ducitur illud, quod *subjective decorum* videtur: quo modo accepit etiam D. Schütze, l. ad §. 16. ex. citati p. 8. ss. Debet tamen a singulis *principatus* ille *generis humani* (cf. ad §. 105.), quem pietas rite *divinam imaginem*, in nobis adumbratam, praedicat, conservari, ut huic omnes suo quisque modo quam simillimi appareamus. Cf. Garve ad l. I. p. 75. Propterea hic et §. 120. praecipitur, ut quisque *ad naturae suae non vitiosae genus consilium vivendi omne conferat*: nimirum quatenus esse possunt *dissimilitudines naturae morumque minime tamen vituperandorum*. Vereor igitur, ne Diogenes Laërt. VII. 89. non satis perspexerit Stoicorum sententiam, cujus interpretationem Chrysippeam, alio quidem respectu haud dubie etiam Cleanthi probatam, opponit quodam modo Cleanthi, qui τὴν κοινὴν μόνην ἐνδέχεται φύσιν, ᾗ ἀκολουθεῖν δεῖ, οὐκέτι δὲ καὶ τὴν ἐπὶ μέρους, nempe quatenus ἡ φύσις (universa) ἀφορμὰς δίδωσι ἀδιαστρόφους. V. *Tusc.* c. 13. Singulorum autem animi prava consuetudine corrumpuntur, caecati erroribus. Proxima citat Nonius s. v. *Grave* p. 315.

Neque enim attinet r. n.; nec] Cogitatione repet. *attinet* i. e. frustra est. Propter hanc autem negationem, sequitur *quidquam*: ut statim post in conditionali enunciato: *si quidquam*, ubi sensus est: *aut omnino nihil est decorum aut maxime decora est aeq.* etc. Miror igitur, quo modo novissimus editor apertum vitium relinquere potuerit *pro Sulla* c. 14. *Vidi — fore, ut aliquando non Torquatus neque Torquat. quispiam similis —, sed ut aliquis — bonorum hostis — diceret*: ubi esse debet *quisquam*. V. Heindorf ad III. *N. D.* 4, 11. Matthiae ad c. 12. §. 33. *p. Rosc. Am.* p. 18. a. Statim post contra optimorum ll. auctoritatem Schütz reduxit *nequeas*. Sed cf. §. 93. ex. III. 62. ubi item compositum verbum a correcto-

111 id est, adversante et repugnante natura. Omnino, si quidquam est decorum: nihil est profecto magis, quam aequabilitas universae vitae, tum singularum actionum: quam conservare non possis, si, aliorum naturam imitans, omittas tuam. Vt enim sermone eo debemus uti, qui natus est nobis, ne, ut quidam Graeca verba inculcantes, iure optimo rideamur: sic in actiones omnemque vitam nullam dis-
112 crepantiam conferre debemus. Atque haec differentia naturarum tantam habet vim, ut non numquam mortem sibi ipse consciscere aliquis debeat, alius in eadem causa non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea, quod lenior eorum

---

ribus substituitur, ut II. *Leg.* 1, 2. pr. XVI. *Epist.* 2, pr. Ad sententiam cf. Horat. *A. P.* 385. et Seneca *de tranq.* c. 6. ex. *Male respondent coacta ingenia. Reluctante natura irritus labor est.*

§. 111. *sermone eo, qui natus est nobis*] i. e. *in quo nos nati sumus* (III. or. 32, 131.), *nativo sermone*, ut loquitur Curtius VI. 10, 23. Se *Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in Graeco Latine*, affirmat Cic. *Tusc.* I. 8. observante F. Heusingero.

§. 112. *ut non nunquam mortem sibi ipse consciscere a l i q u i s debeat*] Pron. pro volgato *alius*, auctore Görenzio ad III. *Fin.* 19, 63. pr. ubi IV. *Tusc.* 28, 60. comparat, restitui e duobus ll. MSS. et ed. Magont. Venet. 1498. Lipss. 1507. et 1513. et Lugd. 1527. De Stoicorum *εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ* v. *Excurs.* XV.

alia ceteri] Ante haec vv. Gernhard e Gu. 5. edd. Ascens. et Anemoecii inseruit *in*. Nescio tamen, an omnino in comparatione admittatur eadem praepositionis cogitatione iterandae Ellipsis, quam p. 123. et 227. observavimus ante pron. relat. ut *Fin.* IV. 20, 57. *eadem esse in causa, q u a tyrannum.* *Phil.* II. c. 15. pr. *Fateor me tanto in maestitia fuisse, q u a n t a ceteri — fuissent.* I. *off.* 107. ex. Ovid. *Her. epist.* V. 111. *Et minus est in te quam s u m m a pondus arista.* Cf. ibi Burmann. — Concinnitatem chiasmi *lenior e. vita et mores f. faciliores* observat Görenz ad V. *Fin.* 4, 11. p. 542. b.

vita et mores fuerant faciliores; Catoni cum incredibilem tribuisset Natura gravitatem eamque ipse perpetua constantia roborasset semperque in proposito susce-

---

Catoni] Gu. 3. addit *vero*, quae in hac contrariorum comparatione a Gu. 1. 2. λ, MSS. ap. Verburgium et ab ed. Magont. recte repudiatur pariter atque *autem*, quam ejus loco reduxit Schütz; sed eam passim inculcari notat Görenz ad II. *Acad.* 13, 40. p. 76. s. In Gu. 2. glossator adscripsit *enim*. Cf. notam p. 25. Deinde Schütz revocavit formam *roboravisset*. Sed contracta, quam hic servarunt Gu. 1, 3. et edit. vetus s. l. et a., Ciceroni familiaris est. In postremis, cum in MS. Graev. et in ed. Magont. certe legatur *adspiciendum*, Heus. et Gernh. e solo Gu. 2. receperunt *vultum adspiciendum*. V. ad Sanctii *Minerv.* ed. Bauer. I. p. 152. 638. b. et a Gernhardo ad Cic. *Cat. Maj.* 2, 6. ex. allata exempla Gerundii, regentis Accusativum: in quibus tamen ipsius quidem Ciceronis nullum est, quod satis apte huc comparari possit. In primisque mihi volgatam lectionem commendare videtur Ciceronis, ut saepe, aemulus Vellejus, apud quem II. 49, 4. *M. Cato, moriendum ante, quam ullam conditionem civis accipiendam rei publicae, contendit.* Ceterum *Catonis prisci* (i. e. antiquum morem retinentis: cf. Lucan. II. 257.) *virtutem* et *atrocem* (i. e. adversus omnia obfirmatum propositique vel cum vitae jactura tenacissimum) *animum* suspicit Horatius *Carm.* III. 21, 11. II. 1, 24. eundemque *torvo voltu ferum* visum esse, significat *Epist.* I. 19, 12. In ejus laude concinunt Sallust. *Cat.* 54. et Vellej. II. 35, 2. cum Cicerone, qui *hoc lumen* (III. §. 66.) coelo aequaverat libro singulari, quem memorant Tacit. *Ann.* IV. 34. Gellius XIII. 18. et Plutarch. in *Cic.* c. 39. eique laudationi Caesar opposuerat duos libros *Anticatones*, in quibus collegerat vitia Catonis. Vid. *Att.* XII. *ep.* 40, 1. Quinctil. III. 7. ex. cum Colomesii ibi nota permemorabili. I. *Att. ep.* 17. Cato dicitur *heros* ob senatoriam in sententiis dicendis *gravitatem*, quam vocem interpretatur or. *pro Sext.* §. 139. ex. et P. Petitus *Miscellan. Obss.* IV. 3. p. 246—254. ex eadem or., ubi Populo Romano propria asseritur *gravitas et magnitudo animi* (cf. Plin. *H. N.* XXIII. c. 1. sect. 19. ex. XXIX. 1. sect. 8. post in.) I. *N. D.* 1, 1. ex. et Aemil. Prob. IV. 4, 3. docet, *gravitatem* esse firmitatem, perseverantiam et constantiam eius, qui neque facile opinioni cuiquam assentitur neque ab ea, quam semel veram iudicavit, facile se, nisi fortiori ratione et manifestis rebus, deduci patitur: cui opponitur *levitas* i. e. infirmitas eorum, qui animo ad omnem impressionem mobili plerumque ineunt consilia, quorum eos e vestigio poenitere necesse est (quale Gallorum ingenium notat Caesar *de B. G.* IV. 5.): translata ad utrosque similitudine a corporibus, quae, si

ptoque consilio permansisset, moriendum potius,
113 quam tyranni voltus adspiciendus fuit. Quam multa passus est Vlixes in illo errore diuturno, cum et

graviora sunt, eo magis in loco permanent, si leviora, facilius inde moventur et, si levissima, sponte evolant. Videtur autem Cicero hic, falsa *gravitatis* specie objecta, lectorem destituere, cum Cato potius αὐθάδης et ἰδιογνώμων, i. e. pertinax rigore inflexibili, se interfecerit; ne, cum antea rei publicae propugnator numquam sententiam mutasset tuendaeque libertatis causa arma contra Caesarem tulisset, imminueretur ejus claritas, ob nimiam vivendi cupiditatem indigna videre et pati coacti, sed ut illibatam virtutis suae famam posteritati traderet. Quae tamen ratio facile elevabitur iis, quae ipse Cicero disputat *Rhet.* II. 57, 174. Idemque *Fam.* VII. *ep.* 3, 11. 13. s. 19. s. et II. *divin.* 2, 6. s. tecte improbare videtur *Catonis nobile letum*, celebratum Horatio *Carm.* I. 12, 35. s. in primis vero Senecae *de provid.* c. 2. *Epist.* 13. ad fin. 24. 71. 95. ex. *Consol. ad Marciam* c. 25. et Dan. Heinsio or. XXIV. *de Stoica philosophia* p. 299. ed. Amst. 1657. Enarravit M. Stuart *Rom. Geschied* T. XVIII, p. 141. ss. auctoribus Hirtio *de b. Africo* 88. Floro IV. 2. et Liv. *epit.* 114. Appiano *B. C.* II 98. s. p. 489. s. (309 — 12. Schweigh.) Dione Cass. XLIII. 11. Plutarcho in ej. vita c. 67 — 70. ed. Hutten. V. p. 124. ss. e quibus rerum gestarum monumentis constat, Catonem *Vticensis* nomen invenisse, quod *Vticae se interfecerit*, prostratis ad Thapsum P. Scipionis copiis occisisque X milibus. Quid igitur censendum videtur de Degenii fide, qui *octoginta* milia in Q., nescio cujus, Scipionis clade illa trucidat et Catonem *Vtica oriundum* facit? Detestantur Catonis atrocitatem Lactantius III. 18, 5. 8. 10. ss. Augustin. I. *Civ. D.* c. 18. et 23. Hieronymus, qui Catonem *stultae philosophiae martyrem* vocat: eundemque notavit b. Reinhard summus ille theologus, diss. *de morte voluntaria* in *Opuscc. Acadd.* ab Exc. Politzio editis, p. 87. quod, vanissimo fastu inflatus, rei publicae eo tempore defuerit, quo consiliis, opera, auctoritate, si se servasset, eam et augere potuisset et confirmare. Cf. M. Goth. Frid. Oesfeld *de Stoicorum in defendenda M. Catonis autochiria errore.* Hal. 1756. 4. Garve ad h. l. p. 209 — 221. Tzschirneri, Viri Magnif. et S. Rev., liber utilissimus elegantissimusque: *Leben und Ende merkwürdiger Selbstmörder. Nebst . . . Abhandlungen.* Lips. 1805. p. 68 — 74. 144. ss. et Exc. Krugii *Aretologia* p. 206. 212.

§. 113. *Vlixes in illo errore diuturno*] decennali, de quo Ovid. IV. *ex Ponto ep.* 10, 9. Hygin. *fab.* 125. De ejus apud *Circam* hospitio Homer. *Od.* K. a v. 261. itemque apud *Calypso* H. 255. ss. et *Priapeium carmen* LXIX. 11. ss. *mulie-*

et mulieribus (si Circe et Calypso mulieres appellandae sunt) inserviret et in omni sermone omnibus affabilem et iucundum se esse vellet! Domi etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut

---

mulieribus (si — mulieres a. sunt)] Hujus modi per parenthesin repetitio cum particula *si* est addubitandi formula, sive corrigendi ea, quae inconvenientius dicta videntur. Cf. III. §. 6. Phil. II. 36, 90. ex. VIII. 3, 9. *Cluent.* 43, 197. pr. ed. Beck. *Att.* I. *ep.* 14. sect. 6. *convicium Pisoni consuli mirificum facit; si id est convicium, vox plena gravitatis.* Ibid. *ep.* 16. sect. 3. (cl. *Or. in tog. cand.* fragm. 4. ed. Schütz. p. 30.) *Fam.* V. *ep.* 2, 24. ex. VII. 28. pr. Pseudo-Cic. *antequam iret in exs.* or. extr. Ovid. *Metamorph.* X. 323. Flor. I. 11. *capta hostium classe —; si tamen illa classis : nam sex fuere rostratae : sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit.* Significat hoc modo Cicero, *Circam et Calypso* monstra potius fuisse poëtarum. Et recte censet. Nam „'Οδυσσεύς, *Indignatus*, ex *Circa*, quae est Navigatio in longinquo ad occidentem mari frustra in orbem facta et diuturna in mari iactatio, Ἄγριον et Λατῖνον, *Agrestem* et *Streperum*, genuit. — Haec apparet in mores nautarum, diuturna navigatione efferatorum, dicta esse. — Nomen Λατῖνος cum verbo λατύσσειν cognatum videtur. Eidem Indignato Καλυψώ, *Occulina*, Atlantis filia, Ναυσίνοον et Ναυσίθοον peperit, *Nauparum* et *Naucitum*, quod est, occultos thesauros navibus fabricandis opportunitatem fecisse:" ut fabulas illas etymologice interpretatur Ill. Hermannus *de mythologia Gr. antiquissima diss.* I. p. 22. 24. Cf. tamen Ill. Creuzeri *Briefe über Homer und Hesiodus* p. 220. s. qui ingeniose allegoriam orphicam eruit, ut 'Οδυσσεύς sit animus vitae aerumnas exanclans, Κίρκη errabunda per vitam vorticosam navigatio, Καλυψώ materia iners, divinae particulam aurae offuscans atque affligens. Ergone corpus, carcer. animi secundum τὸν ἐν ἀποῤῥήτοις λεγόμενον λόγον in Platonis *Phaedone* c. 6.?

et iucundum] Potest hoc additamentum ad *affabilem* videri a glossatore adscriptum: cum in plerisque codd. desideretur et in Ascensiana transpositum legatur *jucundum omnibus se et affab. esse.* Sed tuentur illud Palat. 1. Gruteri, duo Oxonn., ed. Anemoec. et Victorii. V. *Epist.* IX. 15, 8. ex. *p. Arch.* c. 3, 8. al. §. 6. pr. Pseudo-Sallust. decl. *in Cic. Filia, — tibi iucundior atque obsequentior, quam parenti par est.* Ad seqq. v. Homerum de *contumeliis servorum* (Melanthei, P, inde a v. 215.) *ancillarumque* (Melanthus) Σ. a v. 320. et Υ. 66. ss. quas pertulit Ulixes, cum ignotus domum redisset, mendici personam sustinens. Deinceps recentiores editores e Gu. 1. 2. 3. λ et ed. Gryph.

ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret. At Aiax, quo animo traditur, milies oppetere mortem potius, quam illa perpeti, maluisset. Quae contemplantîs, expendere oportebit, quid quisque habeat sui, eaque moderari nec velle experiri, quam se aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, quod est
114 cuiusque maxime suum. Suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum et vitiorum suorum iudicem praebeat, ne scenici plus, quam

---

Ascens. et Balduin. receperunt *veniret*. At *perveniret*, quod est in plurimis libris, aptius est de eo, qui propositum sibi finem consequitur patientia. Cf. fragm. *or. pro Scauro* ed. Schütz. XVI. II. p. 46. *posse virtutem sine praesidio Fortunae, quo contendisset, labore et constantia pervenire.* Tantum abest, ut haec lectio e praecedenti *pertulit* nata videatur, ut agnoscam usum Tullii, continuantis verba ex iisdem praepositionibus composita. Ceterum non sine consilio Cicero hic utitur exemplis *eius decori, quod poëtae sequuntur* (§. 97.). Nam, ut *Ulixem* iis, qui se Caesari tradiderunt, sic Catoni comparari volt *Aiacem* Telamonium: quem, in honoris contentione de armis Achillis ab Ulixe victum, impatientia irae ad furorem mortemque perduxit, *ne quisquam Aiacem posset superare, nisi ipse.* IV. *Tusc.* 23, 52. Ovid. *Metamorph.* XIII. 3. 385—392. Hygin. *fab.* 107. De qua Homeri (in *Od.* λ inde a v. 543.) fabula exstant praeter Sophoclis tragoediam fragmenta quaedam e Pacuvii et Varronis *Armorum iudicio.* Aliam famam secuti videntur Dictys Cretensis V. 14. s. et Suidas. — Post *mortem* Schütz omisit *potius*, quod e Gu. 2. restituerant Heus. et Gernh. compar. *Epist.* XV. 5, 4. pr. laudatoque Fabritio ad *Div. in Caecil.* c. 6. *se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos, esse, malunt.* Vid. ipsius Schützii *Lex. Cic.* in v. *Malle.*

§. 114. *Suum quisque igitur*] Hunc ordinem, a Gu. 1. et 5. servatum, agnoscit Nonius s. v. *Acre.* Schütz reduxit volgatum *S. igitur quisque.* At vero Conjunctio, tertio loco posita, fecit, ut *Suum* a Goth. abjiceretur. — *Bonis* i. e. dotibus Naturae, opponuntur *vitia* (ingenii) i. e. incommoda et impedimenta, ex naturalibus causis nata. Licet vero, quaedam ex his meditatione atque exercitatione tolli posse, illustre Demosthenis atque ipsius Ciceronis exemplum testetur: tamen ejus modi exceptiones perrarae non infirmant sententiae veritatem: de qua similia leguntur in l. *Die Welt non Schopenhauer* p. 442. Quem ad modum nullum artificium omnibus numeris absolutum est at-

nos, videantur habere prudentiae. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt: qui voce freti sunt, Epigonos Medumque; qui ge-

que perfectum summique artifices sunt ii, qui nihil aliud efficere voluerunt, quam quod materiae, in qua fingenda ipsis elaborandum erat, vis concederet, unde tantopere excelluit antiquorum ars classica, quippe quae eo ipso tam admirabilia monumenta condiderit, quod mutare materiam in aliamque naturam cogere noluit, sed subigere eaque, quatenus liceret, uti ad exprimenda liberae imaginationis inventa, et, quem haec concepisset sensum, hunc cum ipsa materia quasi in unum conflare: sic homines illi tantum prudentes beatique existimandi sunt, qui suae naturae sortisque finibus se continent ita, ut sedula exercitatione in illo genere vivendi, ad quod nati sunt, libertatem consequantur quam maximam. Nam virtutes, quae exercitatione acquiruntur, pendent ab iis, quae suapte natura ingenerantur. Nihil autem necessitati magis nos conciliat, quam ejusdem agnitio, quae consentiat in omne, quidquid mutare nefas. Quod si enim ea, quae assequi non queas, aliis concesseris finemque tibi proposueris secundum naturam tuam: hanc viam constanter secutus, multas evitaveris aegritudines eorum, qui sibi displicent propterea, quod vani atque stolidi nimia virium suarum confidentia non paruerunt oraculo: *Nosce te ipsum!* Neminem vero, qui suum ingenium dereliquerat, unquam poenitentia remorata est, ut sapienter monet Epictet. *enchirid.* §. 59. et ap. Arrian. III. c. 13.

sibi accommodatissimas fabulas] i. e. eas, in quibus persona primaria sibi accommodatissima sit. Degen, qui harum fabularum argumentum ex Herculis et Amazonum historia, nescio qua, depromptum esse narrat, si tacuisset, mansisset, si non doctus, at cautus tamen mythologus. *Epigonos* i. e. septem illorum adversus Thebas ducum filios, qui parentum stragem ulti sunt (Hygin. *fab.* 71.), in scenam produxit Attius, cujus tragoediam citat Nonius p. 158. Aemulatus erat Latine Euripidem. V. *de opt. g. orat.* c. 6. *Tusc.* II. c. 25. — *Medi*, a Nonio s. v. *Abjugo* et *Dico*, a Charisio l. I. itemque a Prisciano X. et XIII. citati, quod fuerit argumentum, noscitur e Fl. Sosipatri loco: *Pacuvius in Medo, cum ostenderet, a Medo, Medeae filio, matrem quaeri, ait: „Te, Sol, invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis.“* Hoc notarunt iam veteres intt. Ulterius tragoediae argumentum enarrat Hygin. *fab.* 27.

stu, Melanippam, Clytaemnestram; semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam; non saepe Aesopus

---

Melanippam] restitui e Gu. 1. Rell. *Menalippam.* Pariter *Tusc.* III. c. 9. emendavit Davis. cum pro volgato *in Menalippo* codices Reg. et Pith. suppeditarent *in Melanippo.* Qui ibi citatur Attius, in hac fabula (ap. Hygin. 186.) secutus fuerat Euripidem, e cujus *Melanippa* plura servata sunt fragmenta. Citari vides e. c. in Platon. *Sympos.* p. 177. B. et in Erotiani *Lex. Hippocrat.* s. v. Ἀλάστορες.

Clytaemnestram] Attii, citatam Servio ad Virg. *Aen.* I. 44. et 88. Donato ad Terent. *Adelph.* V. 4, 17. Nonio II. n. 430. in v. *incilare.* n. 838. in v. *tetinerit.* III. 170. in v. *pigror* (ad q. l. vid. Gesneri *Thesaur.* in v. *Pigret.*). p. 222. in v. *sudsiones.* VIII. n. 37. in v. *flucti.* XII. n. 14. in v. *compotem.* Quae fragmenta, foede corrupta, medicum Ill. Hermanni stilum exspectant. Primum fortassis sic et emendari et suppleri posse videatur: *in péctore* (Ajacis Oilei).

Fúlmen inchoátam flammam, flámmam ostentabát Iovis,
i. e. fugacem ignem flammiferae sagittae, vanescentem vim flammeam. Videtur Attius, cujus fabula idem argumentum habebat, quod Aeschyli *Agamemnon*, secutus esse Sophoclen, cuius *Clytaemnestra* memoratur in Erotiani *Lexic. Hippocrat.* p. 62. ed. Franz. in ἀντιόνθεον.

Antiopam] Pacuvii, cui praeiverat Euripides (*Fin.* I. 2, 4. *De opt. gen. or.* c. 6.), e cuius tragoedia exstant fragmenta in ed. Barnesii et Musgravii. Vid. Valkenarii *diatribe de fragmm. Eurip.* c. 7. et 8. Pacuviana *Antiopa* Persio *sat.* I. 77. s. dicitur *aerumnis cor luctificabile fulta,* quippe quae metueret Dircae saevitiam. Apud Hygin. in fabulae 8. inscriptione nesio an ex errore scribatur Antiopa *Euripidis, quam scribit Ennius.* Hanc igitur agebat *Rupilius.* In veterum enim ludis scenicis etiam mulierum personae attribuebantur maribus idemque mos ad nostram usque memoriam Romae obtinuit: quod Goethio, Musarum non Alumno, sed Parenti, apprime artis esse videtur, quippe naturam non ementientis, sed non nisi signis quibusdam caste et modeste imitantis. Sed vide, sis, ipsum Virum Perill. ingeniose eleganterque, ut solet, disputantem in l. „*Ueber Italien*“.

Aesopus] Roscio lentior, sed gravior, tragoedias egisse memoratur Quinctiliano XI. 3. p. 706. ex. ed. Capperonner. Horat. II. *Epist.* 1, 82. Plutarch. in *Cicer.* c. 5. Sed prius iam de scena decesserat propter aetatem. V. Cic. VII. *Epist.* 1. §. 5. 14. et Schützii *ind. histor.* p. 11. *Ajax,* de quo v. ad §. 114., Mich. Heusingero hic intelligitur Ennii vel Livii fabula.

Aiacem. Ergo histrio hoc videbit in scena; non videbit sapiens in vita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus, Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingéni non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, si non decore, at quam minime indecore facere possimus; nec tam est eni-

---

Ergo —?] in duplicis interrogationis principio particula est urgentis, et ejus quidem, qui, maius et minus quoddam comparans, absurdum fore insinuat, ni locum habeat valeatque illud, quod facilius exspectari queat, cum adeo de eo, quod magis mirere, satis constet. Ergo est potius conclusio a majori ad minus, quam, ut Görenz ad II. *Fin.* 33, 110. ex. aliique abusive vocant, a minori ad majus. Cf. *Tusc.* II. 17, 41. ex. Nec vero cum Görenzio post hanc particulam ubique duplex futurum requirimus, e. c. *Tusc.* I. 14, 31. ubi ille scribi volt: *Ergo arbores seret diligens agricola* etc. Ergo etiam sollicitabit *Tusc.* II. c. 14. extr. al. 15, 35. pr.? Degenii vero hic quoque in Graecismis investigandis incredibilem sagacitatem nihil moramur.

Sin a. necessitas nos ad ea detruserit], pro *coëgerit* per metaphoram quandam dici videtur, qua alluditur ad pistrinum, in quod ad poenam servi compingebantur. V. Schützii *Lex. Cic.* s. v. *Detrudo* p. 82. s. In apodosi pro *erit* ψ habet *est.* Fortassis utrumque glossatori debetur. Uno enim nexu haec cohaerent cum seqq. *nec tam est enitendum*, a quibus volgo interpunctione majori distinguuntur. Ceterum *meditatio*, cuius vim in *Divin.* II. c. 46. (cf. I. *de or.* c. 61.) non satis exhausit Schütz in *Lex. Cic.* interpretatus *studiosam cogitationem*, et *meditari* dicitur de praeparatione et exercitatione quasi ludicra praediscentium ea, quae aliquando serio agenda sunt. Cf. II. c. 13. ex. *Tusc.* II. c. 17. *Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet!* Plinio *Paneg.* 13, 1. armorum tractatio dicitur *meditatio campestris* et Xenophonti *Cyrop.* I. 2, 10. venatio μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον, et supra p. 15. innuimus, cur tota philosophorum vita dicatur *meditatio moriendi*, nimirum quatenus illi, ut ait Plato in *Phaedone* §. 9. οὐδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύουσι ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι et 12. τὸ μελέτημα — ἐςὶ τῶν φιλοσόφων λύσις καὶ χωρισμὸς ἀπὸ τοῦ σώματος.

si non —, *at*] i. e. q. *Planc.* c. 12. pr. *De or.* II. §. 68. *si minus* —, *at certe* vel ib. III. §. 14. ex. *etsi nequaquam* —, *at* — *tamen. Brut.* c. 4. *remunerandum, si non pari, at grato tamen munere. Or.* 30, 103. ex. II. *de or.*

teudum, ut bona, quae nobis data non sint, assequamur, quam ut vitia fugiamus.

115 XXXII. Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adiungitur, quam casus aliqui aut tempus imponit; quarta etiam, quam nobismet ipsi iudicio nostro accommodamus. Nam regna, im-

---

§. 32. ex. *Phil.* VII. §. 7. pr. *si non optabili, at necessario tempore. Cluent.* §. 15. et 18. *si — non —, tamen:* cui loco est geminus *Flacc.* 25. *Liceat haec nobis, si oblivisci non possumus, at tacere.* V. supra ad §. 35. p. 83. et Nizol. s. v. *at.* — In postremis Schütz et Degen retinent volgatam lectionem *sequamur.* Cuius vis cum iam insit in superiori v. *enitendum:* merito arridet Gernhardo *assequamur* in cod. Palat. 1., ut §. 100. et 110. *nec quidquam sequi* (attinet), *quod assequi non queas.* Conjunctivus autem et ibi et hic, *quae nobis data non sint,* pendet a pronominis vi causali, *quae nobis data non sunt, propter id ipsum, quod* .. etc. i. e. *cum ea nobis data non sint.*

C. XXXII. §. 115. *casus aliqui*] Haec pronominis, cum substantivo aliquo iuncti, forma, usurpata etiam III. c. 7. pr., vindicatur a Goerenzio II. *Acad.* §. 86. c. 36. ex. firmaturque codicum auctoritate *N. D.* III. c. 38. ex. — In seqq. oppositionis ratio haec est: *quarta etiam* (persona adjungitur), quam non natura (cf. 107. pr.), non casus aliqui aut tempus imponit, sed, *quam nobismet ipsi — accommodamus.* Male igitur ex Venet. 1498. *ipsis,* quod etiam alios libros plurimos occupavit, tuetur Scheller, cujus in *Obss.* p. 27. ss. ad *or.* III. c. 53. post med. de horum pronominum coniunctione sententiam subtiliter refutavit Cel. Bremi ad *Fat.* c. 11. p. 47. ss. *Ipse* ad alterum pronomen refertur, si hoc, in quod actio vertitur, aliquid habet, cui oppositum sit, sive latentius, sive apertius. Sic §. 29. ex. oppositionis vis haec est: *nisi nosmet ipsos nimis amabimus, quam ut amori in alios quoque ullus relinquatur locus.* 119. ex. II. 67. pr. *Fam.* III. *ep.* 4, 4. *ep.* 7, 15. I. *ep.* 8, 11. volgatur: *sedulitate mihimet ipse satisfacere possum.* Sed placet plurium libb. lectio *ipsi,* ad similitudinem *ep.* 1, 1. Recte dicitur *N. D.* II. 3, 10. *tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos — devoverent,* nempe suae, non alienae, vitae prodigi. *Agrar.* II. 28. med. 110. *Nolite vosmet ipsos consolari* i. e. vobismet ipsis verba dare: nam vestra erit poenitentia, si de vestris ipsorum commodis creduli vanam spem amplexi fueritis. *Or.* c. 56. med. *non — exaudimus nosmet ipsos* (loquentes), nempe, ut alios exaudimus. III. *or.* c. 12. ex. *ne me ipsum irrideam.* Non animadvertit Scheller opponi *te. Partit.* c. 14. med. (al. 13.

peria, nobilitates, honores, divitiae, opes eaque, quae sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur. Ipsi autem gerere quam personam ve-

---

ex.) Schütz cum Ernesto ed. *cum interrogamus nosmet ipsi.* Sed recte volgo legi videtur *ipsos* i. e. ita, ut a nobismet ipsis respondendum sit. Contra Schütz *or.* c. 39. ex. e Gu. 3. et Quinctil IX. 1. edidit: *cum corrigimus nosmet ipsos, quasi reprehendentes.* Sed rectius volgo *ipsi* i. e. per occupationem. Docuit enim Gernhard ad c. 38. ex. pronomen ad verbum referri in Subiecti oppositione, i. e. ubi quis dicitur fecisse aliquid, quod, facilius exspectari poterat, ut fieret ab alio, sed ad quod nemo alius potius dici possit fuisse auctor, itaque ubi *ipse* fere i. valet, q. sponte, non alieno usus auxilio. *N. D.* III. 18, 47. ex. *Fam.* VI. *ep.* 10. al. 11. pr. VII. 1, 3. ubi *tibi ipse* declaratur adjectis vv. *ad arbitrium tuum.* *Cat.* I. 2, 4. ex. (Beck. 6.) *iam me ipse inertiae — condemno* convenienter dicitur his §. 5: *verendum mihi, ne omnes boni.* II. *Acad.* XI. 36. *Veritas se ipsa defendet* i. e. *etiam absentibus nobis*, quod statim praecesserat. Etiam ap. Sallust. *Cat.* XX. *nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem* cum Cortio tuetur contra Langium suique codicis fide firmat V. D. in *Leips. Lit. Zeitungen* 1816. p. 206. Ceterum si vera est Gernhardi observatio, pronomen ad verbum referri, si reciproco praemittatur (ut III. §. 62. ex.): frustra Görenz *Fin.* V. 10, 28. contra Ernestum tueri videtur *si quis ipsi sibi inimicus est.* Dicit quidem, secus esse in seqq. *inimicus ipse sibi putandus est.* Sed, quaenam alia sit ratio, non docuit. Ejusdem generis erit ib. 33, 66. *Cat.* III. 5, 13. ex. si quidem Matthiae veram ibi lectionem revocavit: quae tamen non sine causa suspecta fuit Ernesto et Beckio. Cf. Schützii *Lex. Cic.* s. v. *ipse* n. 3.

divitiae — gubernantur] Non satis amici sumus gratae negligentiae, quam ut MStis Guilielmi, Gruteri, Graev. Cockmanni, Gu. 1. et a prima manu 2. in quibus (quantula mutatione!) scribitur *divitias*, multum tribuamus cum F. Heus. et Gernhardo, qui in *Excursu* p. 451. ex. cum Accusativi exspectarent *tempora gubernant*. Subjecti autem vox *tempora* Accusativorum proximorum copia opprimi videretur, institutam constructionem subito mutatam volt esse et scriptum *temporibus gubernantur*, quasi praecessissent Nominativi, qui volgo leguntur. Cur vero scriptor Accusativis non addidit potius *temporibus gubernari videmus*, citra anacoluthiam? Cujus qualia exempla e familiaris sermonis imitatione excusationem habeant, v. ad Sanct. *Minervam* IV. 11. ex. ell. ad Terent. *Hec.* III. 1, 6. Donato et Westerhovio in *Addend.* p. 230. nec non commentt. ad Viger. *Gr. idiot.* p. 58. b. s. et Matthiae in Gr. grammat. majori §. 426, 2. cum nota 3.

limus, a nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad ius civile, alii ad eloquentiam applicant: ipsarumque virtutum in alia
116 alius mavolt excellere. Quorum vero patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, student plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mucius, P. F., in iure civili; Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam; quod idem fecit Timotheus, Cononis filius, qui, cum belli laude non inferior fuisset, quam pater, ad eam laudem doctrinae et ingéni gloriam adiecit. Fit autem

---

se alii — applicant] i. e. ad ejus artis studium accedunt. V. Schützii *Lex. Cic.* in h. v. p. 99. s. Exempla horum studiorum cf. §. 19. p. 42. s. Proximorum ordo verborum *in alia alius* restringit Goerenzii regulam, quam ad §. 22. p. 51. adhibuimus, ubi tamen idonea librorum auctoritate edidimus *alii aliis.*

§. 116. *ii student plerumque*] Suspectum mihi est pronomen. Nam Gu. 1. *hii student plerique.* Ed. Magont. et alia s. l. et a. *student plerique hii.* Rell. edd. vett. *eorum plerique in hoc genere l. student exc.* Etiam II. §. 45. pr. codices pronomen *hi* suspectum faciunt. Ab hoc quidem l. eo facilius abesse potest, cum satis iam verborum chiasmus absolutum membrum a relativo distinguat. V. ad §. 56. ex. et 137.

Q. Mucius] *Scaevola,* cognominum ICTorum et consularium tertius, Pontifex M., Ciceronis magister, auctor *cautionis Mucianae* de conditionibus per omnem vitam servandis. *Jus civile primus constituit, generatim in libros octo et decem redigendo.* Fr. 2. §. 41. D. 1, 2. *Brut.* c. 39. ss. Cf. infra II. 57. III. 62. pr. Quinctil. XII. 3, 9. Schütz *ind. histor.* p. 283. s. Heus. laudat Fabric. *biblioth. Lat.* I. p. 814. 829. De *L. Aemilii Pauli Macedonici* filio naturali *Africano* eadem bellica laude claro cf. §. 121. II. 76. et de ejus eloquentia *Brut.* c. 21. §. 4. 8. 10. III. *or.* c. 7. ex.

Timotheus] quem instituerat Isocrates. III. 34, 10. (§. 139.) Aelian. *var. hist.* II. 10. III. 16. ex. in primis vero Aemil. Prob. XIII. 1, 1. Atheniensibus maris imperium vindicavit, cum Lacedaemonios fugasset pugna na-

interdum, ut non nulli, omissa imitatione maiorum, suum quoddam institutum consequantur: maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt, obscuris orti maioribus. Haec igitur omnia, 117
cum quaerimus, quid deceat, complecti animo et cogitatione debemus.

In primis autem constituendum est, quos nos et qualis esse velimus et in quo genere vitae: quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim ado-

---

vali (ib. 2, 1.), ut pater ad Cnidum (IX. 4, 4. s.). Hinc Pausanias I. 29, 14. de utroque: δεύτεροι μετὰ Μιλτιάδην καὶ Κίμωνα οὗτοι πατὴρ καὶ παῖς ἔργα ἀποδειξάμενοι λαμπρά. Mox *consequantur* interpretibus pro simplici v. *sequantur*, quod est in Gu. 3. et ψ, positum videtur, itemque Görenzio ad II. Leg. 7, 18. ex. Verum enim vero eandem hic etiam retinet significationem, quam *N. D.* I. 5, 12. in loco p. 9. pr. adscripto: idque etiam aptius ad proximum *elaborant*: de quo cf. ad §. 3. p. 8. Noli vero cum Degenio ad *in eo* simpliciter subaudire *instituto*, sed, *ut suum quoddam institutum consequantur.* Similem Degenii errorem notavimus §. 68. p. 158. pr. Pro *majoribus* in fine §. Vinar. et edd. vett. *parentibus.* Sed receptam lectionem agnoscit etiam Nonius IV. 336. Respicit autem Noster homo novus ad suum ipsius exemplum. V. ad §. 138.

§. 117. *quos nos et qualis esse velimus*] De Accusativo reciproco v. ad §. 65. pr. cl. *Cat.* IV. 5, 10. pr. *Sext.* 45, 96. Similis abundantia reperitur *Fin.* II. 15, 48. *quam aut qualem esse velint* (formam honestatis). De *παρηχήσει quos nos* cf. p. 143. ex. — *Genus vitae* vel *aetatis degendae*, *certum genus cursusque vivendi*, et 119. *vitae cursus, via vivendi*, 120. s. *studia institutaque*, *consuetudo mosque* promiscue dicuntur, ita tamen, ut non *artificia* intelligantur, de quibus §. 115. s. agebatur et ad quae c. 42. redit auctor, sed, ut Herculis exemplum declarat, id, quod Nostrates dicunt *Maximen des Lebens* i. e. omne consilium vivendi, quatenus nostro ipsorum arbitrio relictum est (v. p. 254.), maxime vero via capessendae rei publicae, monente Garvio ad h. l. p. 221—228. qui tamen incommode vitam militarem et forensem huc trahere videtur, de qua paullo ante. Maxime vero huc pertinet, quod §. 115. ex. dictum est: *ipsarum virtutum in alia alius mavolt excellere.* Nam ut *dissimilitudines naturae* (c. 30. ex.) a vitiositatis crimine liberantur, quippe in ipsis virtutis incitamentis annumerandae: sic etiam quaedam in laudabilibus virtutum formis varietas admittitur, egregie docente Exc. Clodio *de virtutibus car-*

lescentia, cum est maxima imbecillitas consili, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod
118 optimum esset, iudicare. Nam quod, Herculem Prodicium, dicunt, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret (quod tempus a natura ad deli-

---

din. comment. II. statim ab in. E seqq. efficitur, male nobis consultum esse a nobismet *ipsis*, sed nihilo minus bene consultum est, quia etiam stultitiae consilia a divinae providentiae sapientia gubernantur, cuius consilia non item sunt nostra. Quare poenitendum est quidem stultitiae, non vero fortunae, cuius, sive secundae, sive adversae, ipsi fuimus fabri. Nam si modo in posterum sorte illa, quae invitis obtigit, recte utemur, erit profecto illa et nobis et ceteris salutaris quam maxime.

§. 118. *Nam quod H. P. dicunt*] i. e. *objiciunt*. Nexus hic est: „Proponunt quidem et commendant Herculis exemplum. Sed hoc nihil efficitur. Hercules enim Jovis fuit filius. Ergo comparatio nobis homunculis non convenit.“ *Hercules* dicitur *Prodicius* et V. *Epist.* 13. (al. 12, 11.) *Xenophontius*, similiter, ut a Nonio c. 14. s. v. *tapete* citatur *Varronis Hercules Socraticus*, quia Prodicus, Ceus, in declamatione quadam, quam hic sophista, quaestus causa per urbes peregrinatus, magna cum auditorum delectatione recitare solebat, hanc allegoriam ethicam splendidissime elegantissimeque exornarat. V. Philostrat. *in vita Prodici* (I. 12.) et *Apollonii* VI. 10. p. 238. (Olear.) Socrates autem, qui ipsius Prodici institutione usus fuerat, eandem, omni ornatu orationis tamquam veste detracta, repetit in Xenophont. *Memor.* II. 1, 21. ss. Certatim imitatione expresserunt, cum veteres, tum recentiores scriptores et artifices, alii alio modo, ita, ut rem in suam converterent usum suoque more tractarent, ut Silius XV. 18—128. aliique, quos citant Xenophontis interpretes, plenius autem b. Cubaeus in *Xenoph. Hercul. Prodic. et Silii It. Scip. perpetua nota illustr. praemissa de Prodico dissertat.* Lips. 1797. p. 11—16. Quibus, nihil est, quod addam, nisi alludere ad deliberationem adolescentulorum de ingredienda vitae via etiam Plautum in *Trinumo* 228. ss. (II. 1, 5. ss.), et Lucianum non solum in *Somnio* c. 6. et in *Deor. dial.* XX. 11. ss. Prodici aemulum videri, sed magis etiam in *Hermotimo* c. 25. ss. cujus vestigia, nisi me comparatio fallit, legit John Aikin, medicus, in pulcherrimo phantasmate: *The Hill of Science* in *Miscellaneis in prosa*, quae cum sorore poëtria illa Anna Laetitia

gendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem atque, ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram

---

Barbauld edidit tertium Londini 1792. Prodici ἐπίδειξις inscripta fuit Ὧραι. Testis est non Aristophanis ad *Nub.* 360. Scholiasta, quem Cubaeus p. 9. extr. ex opinionis errore, ut videtur, abusus Fischeri ad Axiochum 6. nota 4., citat auctorem; sed unus Suidas, qui III. p. 178. in v. Πρόδικος exscripsit quidem Scholiastae illius verba non nulla; sed hanc inscriptionem aliunde habet. Ὧραι dicuntur *aetates vitae humanae.* Videtur igitur Prodicus Virtutis in omni vitae stadio laudes celebrasse poëtico orationis ornatu, Herculis usus exemplo, quod innuit certe Plato in *Sympos.* p. 177. C. Herculis laudes in prosa ab Prodico scriptas commemorans. Theod. Car. Schmid *de Ἀρετῇ Prodicia et Virtute Siliana* Jenae 1812. p. 30. 35. parum nobis persuasit, Prodicum, cum rem meditaretur, e philosophia desumptam, Herculis nomen adhibuisse pro quolibet alio, quem introducere potuisset. Probabilior videtur Exc. Buttmanni sententia (*Ueber den Mythos des Herakles.* Berol. 1810. p. 12. ss.), istam fabulam non primitus a Prodico esse inventam, sed ejus dumtaxat elementa ex Oriente venisse ad Graecos, cum Herculi optime conveniat fabula de tentatione, qua virtus ipsi ingenerata sollicitabatur. Nisi enim hanc sibimet ipse suo judicio accommodasset, vix ullam haberet laudem. Certe hujus allegoriae vestigia reperiuntur iam apud Hesiodum Ἔργ. κ. Ἡμ. 287. ss. quos versus, ipsi Xenophonti l. c. §. 20. laudatos, Oenomaus philosophus ap. Euseb. *Praepar. Evang.* V. 22. p. 214. ed. Viger. (126. Steph.) comparat oraculo allegorico, cujus numeros trochaicos restituere tentabimus hoc modo:

Ἔστιν ἐν Τραχῖνος αἴῃ κῆπος Ἡρακλήϊος,
Πάντ' ἔχων θάλλοντα, πᾶσι δρεπόμενος πανημαδόν·
οὐδ' ὀλιζοῦται, βέβριθε δ' ὑδατέεσσιν διηνεκές.

Sequentia Oenomai verba, secundum Vigeri versionem sensu cassa, sic distinguenda et emendanda. Ὑπὸ τοῦ „Ἡρακλέους" ἐφρονήθην καὶ τοῦ „Ἡρακληΐου κήπου θάλλοντος", Ἡσίοδόν τινα ὀνειροπολῶν „ἱδρῶτα" διὰ τὴν „Τραχῖνα" (sic), καὶ „ἐνιδίην" αὖθις ζωὴν διὰ τὸν „θάλλοντα κῆπον".

Voluptatis] Hanc etiam Silius et Quinctilian. IX. 2, 36. substituunt Κακίᾳ apud Xenophont. §. 21. 26. i. e. *pravitati universae:* Lilie autem ad. h. l. *commentat.* I. p. 52. ex. accipit pro *Ignavia*, quae latius regnet et ipsam *Voluptatem* finibus suis comprehendat. Omnino Herculei aevi homines, ut in animi fortitudine (ἀρετῇ) summam laudem, sic in ignavia summam ignominiam ponebant, monente Cubaeo p. 17. s. Sed vel sic κακία intelligenda erit nequitia laborum impatiens, otio torpens quietibusque indul-

Virtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, Iovis satu edito, potuit fortasse contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur, plerumque autem, parentium praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant. Non nulli tamen, sive felicitate quadam, sive bonitate naturae, sive parentium disciplina, rectam vitae secuti sunt viam.

---

gens et in voluptatibus dedita cum dignitatis laudisque iactura: quo sensu recte opponitur ἀρετῇ, *virtuti*, in qua nullo non tempore summum hominis ornamentum positum iudicabatur: quamquam neutrius notionem et significationem eandem seriori et cultiori aevo, quae priori et rudiori, fuisse, recte docet Schmid p. 25. ss. idemque p. 32. s. cum ex temporum ratione, tum etiam e Socratis, Prodiciam narrationem intexentis, disputatione effectum putat, Prodici Ἀρετὴν esse deam omnium, quae a cultioribus Graecis in quocumque vitae genere exercebantur, virtutum, velut fortitudinis, continentiae, magnanimitatis, humanitatis, amoris et in patriam et in amicos, tum ceterarum quoque rerum, quae ad hominis praestantiam referuntur, omnium corporis habilitatum cunctaeque adeo literarum scientiae. Idem p. 28. Silii XV. versum 102. de Virtutis via emendat hoc modo: *Ardua saxoso producit semita clivo*, ut notio multi anfractus clarius enuncietur. Cf. v. 100.

Iovis satu edito] Frustra VV. DD. in his poëtae vestigia quaerunt, obstante loco in *Timaeo* 11, 35. *Coeli satu Terraeque conceptu generatos editosque*, et paullo post: *qui deorum satu orti estis*. *Satu* pro *semine* dicitur, interprete Nonio c. II. 806.

parentium] Hanc Genitivi formam, in antiquissimo Nonii, ad v. *Imbuere* h. l. citantis, codice Gu. servatam, Ciceroni tribuit etiam Priscian. VIII. p. 772. — *Multitudinis iudicio feruntur* i. e. q. eo *temere reguntur*, *m. iudicium caeci sequuntur*. V. Schützii *Lex. Cic.* II., II. p. 305. ex. Statim post Heusingeri sectator Degen recepit *optant* e Nonio in h. v. Junguntur quidem supra §. 66. *nihil — aut admirari aut optare aut expetere*. Sed recte Gernhard in hoc codd. consensu tuetur volgatum *ea maxime exoptant*, compar. I. *ad Q. fratr. ep.* 2, 5. (al. 9. pr.) *Nunc ea cognosce, quae maxime exoptas*. In postr. Cic. *rectam vitae — viam* similiter dixit, ut Lucian. *Hermotim.* c. 26. ἄτρεκτον τὴν εὐθεῖαν.

XXXIII. Illud autem maxime rarum genus est 119
eorum, qui, aut excellentis ingeni magnitudine aut
praeclara eruditione atque doctrina aut utraque re
ornati, spatium deliberandi habuerunt, quem po-
tissimum vitae cursum sequi vellent: qua in delibe-
ratione ad suam cuiusque naturam consilium est
omne revocandum. Nam cum in omnibus, quae
aguntur, ex eo, quo modo quisque est natus, ut
supra dictum est, quid deceat, exquirimus; tum in
tota vita constituenda multo est ei rei cura maior
adhibenda, ut constare in perpetuitate vitae possi-
mus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare.
Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim 120
natura habet, Fortuna proximam: utriusque omnino
habenda ratio est in deligendo genere vitae; sed na-
turae magis. Multo enim et firmior est et constan-

C. XXXIII. §. 119. *qua in deliberatione*] In hunc ordinem vv.]volgo sic posita, *in qua d.*, revocavimus cum Schützio, secuti cod. Lubec. et ed. Lips. 1513. propter repetitionem notionis primariae *deliberandi*. Cf. *Cat.* I. 2, 4. *Habemus — senatus consultum, — quo ex senatus consulto* etc. Idem proxima perperam interpunxit, *quae aguntur ex eo*, paullo negligentior etiam in indicanda lectionis varietate. Hunc enim verborum ordinem, *quo modo quisque est natus*, servat et F. Heusinger cum Anemoecio; non, ut Gernh. cum MS. Gruteri, quatuor ap. Graev. in V.L. Gu. 1. 2. Vinar. et Venett. 1470. 84. 98., *natus est*. Facciolatus autem, *ex eo modo, quem quisque est nactus;* non cum vett. edd. (in Magont. legitur *quo quis*) et cum excerptt. Pith. *nactus est*. Ven. 1506. 1554. Arg. Lugd. 1527. *ex eo modo, quo quisque* (alia s. l. et a. *quis*) *est natus*. Cum in Goth. et ed. Lambini legatur ex eo, *quo quisque modo n. est;* Gernhard coniecit, *ex eo modo, quo quisque modo n. e.* Sed tum Cicero non de *ingenio* (cf. §. 110. pr. 113. s.), sed, velut artis obstetriciae magister quidam, de modo, quo infans ex utero elapsum excidit, loqui videretur. F. Heus. comparavit I. *or.* c. 20. *quod ita nati essemus, ut* : . . *blandiri . . . possemus*. *Ex* hic i. e. q. *iuxta*. V. p. 123. Seqq. verborum haec est vis: *in totius vitae cursu* (§. 11. ex.) *constituendo multo majori cum cura naturae habenda ratio est* (120.). *Aliter enim nullo modo constare poterimus nobismet ipsis in perpetuitate vitae.* Hunc verborum ordinem volgato, *in vitae perpetuitate*, iure praetulit Schütz cum omnibus MSS. Gu.

tior; ut Fortuna non nunquam ipsa — mortalis cum immortali natura pugnare videatur. Qui igitur ad naturae suae non vitiosae genus consilium vivendi omne contulerit, is constantiam teneat (id enim maxime decet): nisi forte se intellexerit errasse in de-

---

§. 120. *ut Fortuna non nunquam ipsa — mortalis* etc.] Est elegans similitudinis cum ipsis rebus comparatis confusio et praeterea ὀξύμωρον, quod Heuss. bene exposuerunt in hunc fere modum: Fortuna, quae mutabilis est, interdum, licet rerum humanarum domina habeatur, immutabilem *mortalis* hominis naturam, quamvis pertinaciter, frustra tamen oppugnat, adeo, ut contemplanti, naturam ex isto cum dea potentissima certamine superiorem discedere, iam non infirma ac mortalis illa, sed non minus, quam a Gigandibus dii, invicta atque immortalis esse videatur: cl. *Parad.* V. 1, 5. ex. (§. 34. ex.) Ceterum nullus liber sic transponit, quo modo, Schütz ait, volgo legi, *ut non nunquam fortuna.*

consilium vivendi] i. e. *consilium*, *ex quo vivatur*, ut *Acad.* II. 31, 100. *consilia et agendi et non agendi:* ubi cf. Görenz. Sed supra 117. *cursus vivendi*, itemque 118. et *Parad.* V. 1, 5. pr. *via vivendi* i. e. q. *vitae via* 119. ac *p. Coel.* c. 17. *cursus vitae* et *secta ratioque vitae.* — *Nisi forte* est formula corrigentis, certe mitigantis ea, quae indefinitius aut confidentius affirmata videantur, ut h. l. §. 3. II. 62. pr. aut quoquo modo de iis addubitantis quasi per occupationem (ut *Att.* VIII. *ep.* 12. *nisi forte id ipsum est falsum*) omninoque exceptionem quandam vel serio concedentis, ut III. c. 24. ex., vel concedere se assimilantis: unde ironiae inservit *Verr.* II. 7, 21. 69, 169. III. 80, 186. ex. V. 18, 45. *l. Man.* 23, 67. ex. *Rabir.* 2, 8. 5, 19. *Cat.* IV. 10, 21. ex. *Mil.* 31, 84. *Caecin.* §. 2. *Balb.* 6, 15. *Planc.* c. 31. med. *Phil.* VIII. 4, 12. *Fam.* III. *ep.* 8, 17. pr. *Divin.* II. 45, 95. 53, 108. *Fin.* II. 15, 49. pr. ubi v. Görenz, cl. Gernhardo ad *Cat. Maj.* 10, 33. p. 62. Lex, quam Görenz ibi his partt. scribit, ut, iunctae, numquam cum Subiunctivo struantur, evertitur etiam exemplo Sallustii *Jug.* XIV. 11. *hostis nullus erat, nisi forte, quem vos jussissetis.* Facillime ad grammaticam rationem revocari possunt, quae elegantissime dicta sunt I. *Legg.* 1, 2. Nam planissima videtur ratio ellipseos hoc modo supplendae: *Dum Latine loquentur literae, quercus huic loco non deerit . . . eaque . . . canescet seclis innumerabilibus* (scil. non minus quam in Athenarum arce olea, non tamen una semper eademque, quasi hic locus sempiternam arborem tenere possit): *nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt.* Nulla vero ellipsis est *de fato* 16, 37. quem locum cum illo compara-

ligendo genere vitae. Quod si acciderit (potest autem accidere), facienda morum institutorumque mutatio est. Eam mutationem si tempora adiuvabunt, facilius commodiusque faciemus; sin minus, sensim erit pedetentimque facienda, ut amicitias, quae minus

---

vit Bremi, vir Cel., Vol. I. sylloges *Philolog. Beyträge a. d. Schweiz* p. 181. ss. *ad Cic. or. p. L. Flacco* c. 2. §. 4. acute persecutus hujus formulae ad usum ironicum a correctióne transitum, quae, ut hujusce modi fere omnia, e Graeco fonte manasse videtur, cum fere respondeat particulis εἰ μὴ ἄρα, εἰ μή γε vel πλὴν s. ἐκτὸς εἰ μή —. Plutarchus in Solone c. 19. ex. de iis, quae modo probabiliter disputarat, tamen ambigi aliterque statui posse significat, dubitationem annectens per εἰ μή. Sed εἰ μήτι in Luciani *Hermotimo* c. 78. ironice usurpatur, ut *nisi vero* I. *or.* c. 67. ante med. *Verr.* V. 9, 24. *Rabir.* 6, 25. (ed. Beck.) *Cat.* IV. 6, 13. pr. *Sull.* 9, 28. *N. D.* III. 11, 27. *nisi si* in Ovid. *Her. ep.* IV. 111. et simplex *nisi* I. *Fin.* 5, 16. ubi v. Görenz. Cf. Matthiae ad *or. p. Rosc. Am.* 29, 82. et Meineri *Uebersicht aller . . . Lat. . . . Partikeln* p. 310.

Quod si acciderit (potest aucem accidere)] ut *Att.* XII. 24. *enitar, si quo modo potero (potero autem),* ut etc. V. de hoc parentheseos genere ad §. 2. p. 4. s. Post *Eam mutationem* sustuli positam volgo virgulam. Cum vi praeponitur conjunctioni notio primaria, ut alibi relativo pronomini. Ad v. *faciemus* cogitatione repete *eam.* Cum sententia cf. Senecae praeceptum *de tranq.* c. 14. pr. *ne nimis destinatis rebus indulgeamus.* Agitur hic de via, quam quis sequitur in re publica, in qua *tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum,* ut praecipit Noster *Fam.* IV. 9, 4. Garvio ad h. l. p. 222. s. videtur respicere se ipsum. Cum enim ex re publica quam maxime constanter tuenda fructus magna acerbitate permixtos tulisset, potentium malevolentiam et inimicitias affatim expertus, postmodum, ex exilio redux, majori moderatione utebatur suaque consilia cautius temporibus accommodabat. Quo factum est, ut in multorum reprehensionem levitatis et inconstantiae inciderit homo integerrimus, tam patriae amans, quam prudens, qui, sine ullo rei publicae detrimento respiciens etiam aliquando salutem tum suam, tum suorum, non semper easdem sententias defenderet, sed, quascumque rei publicae status, inclinatio temporum, ratio concordiae postuláret. Commentarii loco adhibe *Fam.* I. ep. 10. (al. 9.) in cujus argumento, eleganti eruditione referto, Martyni-Laguna apposite comparat *Planc.* c. 38. s. et *ad Q. Fratr.* II. ep. 15. ad fin.

sensim — facienda] Nonius in v. *Pedetentim* legit *faciendam,* quod, h. l. in Goth. repertum, placet Heusinge-

delectent et minus probentur, magis decere, censent sapientes, sensim dissuere, quam repente praeci-
121 dere. Commutato autem genere vitae, omni ratione curandum est, ut id bono consilio fecisse videamur. Sed quoniam paullo ante dictum est, imitandos esse maiores: primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda; deinde, si natura non feret, ut quaedam imitari possit (ut superioris Africani filius, qui hunc Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem vali-

---

ris, ut Gerundii Nominativus regat Accusativum: de qua constructione provocant ad §. 112. ex. ubi v. notam. Pejus etiam statim post Turnebus *Adv.* XXVIII. 39. retinet cum antiquis libris *diluere* pro *dissuere*, cui opp. *repente praecidere* et in *Lael.* 21, 5. ubi hoc dictum tribuitur Catoni, *discindere*. Cf. quae praecipit Aristot. *Eth. ad Nicom.* IX. 3, 3. ss.

§. 121. *bono consilio*] i. e. *consulte et prudenter, probabilem rationem secuti*, respondet noto Germanismo. In prox. Gernhard, nimium προσωποποιΐαις delectatus, opinatur, naturae tribui, quae ad hominem, cujus natura est, pertinent. At vero reclamat vis verborum *si natura non feret* i. e. *non permittet*, *concedet*, *sed vetabit.* Proprie: si per naturam non commode fiet; si a natura non ita instructus, non in ea constitutus fuerit conditione. Cf. *p. Quinctio* 18, 57. pr. *Somn. Scip.* c. 5. *natura fert* (i. e. natura ita comparatum est), *ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent.* Frequentissima est ellipsis Subiecti indefiniti, ut II. 39. pr. *Part.* 37, 131. *Si imprudenter — quippiam fecerit*; et iam Conr. Heusinger in *Praef.* p. XLV. s. comparavit *Brut.* c. 57. ex. *ita dicere, ut sibi ipse* (corr. *ipsi*) *non conveniat.* I. *or.* 8, 30. *Tusc.* IV. 8, 17. ex. Cf. Grotefendi *Lat. Grammat.* §. 152. 6).

superioris Africani filius] ex Aemilia Pauli Macedonici sorore, in *Cat. Maj.* 11, 3. (§. 35.) ex paterna majestate *magnitudinem animi* retinuisse dicitur, et, concedente etiam Vellejo I. 10, 3., *vigorem eloquentiae* in *Bruto* 19, 8. 4. (§. 77.). Hunc *Publium* cum fratre minore *Gnaeo*, quem, in bello Syriaco captum, tamquam degenerem notat Valer. Max. III. 5, 1. IV. 5, 2. post Ernestum in *ind. histor.* confudit Wetzel *Excurs. in Cat.* §. 7. 4) *a*) p. 302. *Gnaeum*, memoratum certe ab Ernesto, omnino praetermittens p. 299. De laude bellica *Africani Superioris* v. *Cat. Maj.* 5, 1. et Wetzel l. c. 3) *b*) p. 300. ss. de *Minoris* ib. 9) *b*) p. 309—14. et de *Pauli Aemilii*, a quo in adoptionem datus, eodem modo, ut frater Q. Fabius, dicitur

valitudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui) si igitur non poterit sive causas defensitare sive populum concionibus tenere sive bella gerere: illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. Optima autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum: cui dedecori esse, nefas et impium iudicandum est.

XXXIV. Et quoniam officia non eadem dispa- 112
ribus aetatibus tribuuntur aliaque sunt iuvenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicen-

---

citur *Aemilianus*, ibid. §. 9. *ß*) p. 307. s. Praeter Plutarch. *Cat. Maj.* 15. ex. Liv. XLIV. 44. pr. Flor. II. 15, 12. cf. etiam *Somn. Scip.* c. 3. et supra §. 116. pr. Similiter C. *Octavius*, a C. Julio Caesare adoptatus, priori nomine exuto, ascivit *Octaviani* nomen.

patris similis] nempe ipso genere vitae. Eadem ratione usurpatur Dativus Vellejo I. 12, 3. pr. *P. Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani paternisque L. Pauli virtutibus simillimus.* Cf. ibid. ad II. 35, 2. Krausii et nota p. 202. a. et *Index* p. 723. in v. *Similis*; item Görenz ad V. *Fin.* 5, 12. ex. *patri* (Aristoteli) *similis* (dissertator) *filius* (Nicomachus) et in *Addend.* ad eum l. p. 703. Parenthesin h. l. excipit superiorum κατὰ μερισμὸν repetitio. Sed recte monet Gernh. in *Excursu* p. 448., inchoatae ante parenthesin orationi non minus, quam hujus repetitionis formae et ordini, convenire apodosin: in qua λ delet *fidem*, fortassis, quod *iustitiae*, quae modo memorabatur, sit *fundamentum* (§. 23. pr.) nec singulariter §. 46. p. 114. censeatur in *virtutum* choro *leniorum*, quae praecipue videntur *viri boni* esse. Sed cf. Lael. 5, 11. Postrema, quae urbane praecipiuntur, ut ad omnes clarorum virorum filios pertinere videantur, tecte tamen a paterna auctoritate insinuantur maxime Marco filio: neque iniuria, ut videre licet ex *Epist.* XVI. 21. §. 4. s. 10. s. Respice ad §. 78. pr. Sed mox istum vappam has admonitiones dedocuit ebrietas, testibus Dione l. XLVI. p. m. 345. Plin. l. XIV. extr. et Seneca *Suasor.* VII. ad finem.

dum est. Est igitur adolescentis maiores natu vereri exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur: ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam, cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae: quod erit facilius, si in eius modi quoque rebus

---

C. XXXIV. §. 122. *Est i. adolescentis* etc.] *Adolescentes* et *iuvenes* hic dicuntur promiscue: quamquam proprie distinguuntur. V. Auson. Popma *de different.* in v. *Adolescens.* Ceterum iuvenum adversus maiores natu immodestia olim, nisi forte magistratum haberent, non carebat gravi offensione. Sed Ciceronis quidem aetate veteri illi disciplinae iam pridem desueti erant. V. II. *Divin.* 2, 4. ex. et Guil. Richteri diss. *de arrogantia adolescentulorum Romanorum.* Guben. 1820. 4.

ineuntis aetatis inscitia] Sic legitur in optimis ll. et ap. Nonium IV. 67. in v. *Constituere.* Idem e. q. §. 117. *consili imbecillitas* vel *Cat. Maj.* 7, 1. (21.) pr. *temeritas florentis aetatis, Unüberlegtheit,* interprete Gernhardo ad *Paradoxa* in subtiliter et docte scripto *Excursu de vocibus inscientia et inscitia* p. 299. s. Aptissime h. l. exprimi poterit *Unerfahrenheit, imperitia.* Ponitur autem abstractum pro concreto, quod reperitur in *Cat. Maj.* c. 6. ex. *stulti adolescentuli.* Cf. in primis *Coel.* c. 17. *Natura ipsa — interdum multas vias adolesentiae lubricas ostendit, quibus illa insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix posset et multarum rerum iucundissimarum varietatem dedit, qua non modo haec aetas, sed etiam* [*iam*] *corroborata caperetur,* quae, ut dicitur c. 18., *ea, quae ratione antea non perspexerat, — experiendo contempsisse videatur.* Sed iuvabit, totum locum elegantissimum comparasse.

ut eorum — vigeat industria] Nam libidinosae et intemperantis adolescentiae vigor in effeto corpore immature deflorescens perit. *Eorum* per synesin refertur ad *hanc* (n. *ineuntem*) *aetatem* i. e. *adolescentes:* ut II. *Acad.* 32, 103. *ab Academia* (i. e. Academiae novae philosophis) *sensus eripi, a quibus nunquam dictum sit.* Paucis post volgatur: *si in ejus modi quidem rebus m. n. interesse velint:*

maiores natu velint interesse. Senibus autem labo- 123
res corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur; danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nihil autem magis cauendum est senectuti, quam ne languori se desidiaeque dedat. Luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit: duplex malum est; quod et ipsa senectus concipit dedecus et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

Ac ne illud quidem alienum est, de magistra- 124
tuum, de privatorum, de civium, de peregrino-

---

pro quo verborum ordine solus e nuperis editoribus Gernhard restituit hunc, quem F. Heus. in nota praetulerat, e Gu. 1. 2. 4. 5. Goth. exc. Bedae atque Eybi: quibuscum faciunt Pith. Ascens. Bald. et Facciol. Recepi et ipse praetereaque e Gu. 5. omnibusque edd. vett. *quoque*, probatam Facciolato et Erfurdtio. Vtramque part. cum libro Parmensi et C. Langio excludi mavolt Gernhard. Sed non commode abesse videtur, cum *maiorum natu auctoritas* iam antea commendata esset, sed dubitari posse videretur de horum facilitate, ut dignarentur etiam adolescentulorum *in conviviis interesse*: de qua dictione cf. *Rosc. Am.* 14, 39.

§. 123. *Senibus* etc.] utendum exercitationibus modicis, praecipit *Cat Maj.* 11, 5. (36.) De senectutis opere, in quo *prudentia* latius patere videtur, quam *consilium*, quare non est; ut cum Degenio, figuram ἓν διὰ δυοῖν adhibitam esse, intelligamus; cf. ib. 6, 8. (18.) c. 9. §. 4. (27.) 7. s. (29. pr.) c. 10, 3. s. (32.) Ib. c. 11, 7. s. (36. s.) notatur *languor desidiaque* ut *vitium inertis, ignavae, somniculosae senectutis*. Ergo etiam idcirco *senectutis vitia diligentia compensanda sunt; pugnandum, tamquam contra morbum, sic contra senectutem*, ut ib. §. 5. (35. ex.) praecipitur. Seqq. citat Nonius in v. *Turpe et foedum*. Ad extr. Mich. Heus. comparat Platonis vv. *de Legg.* V. p. 729 C. Ὅπου ἀναισχυντοῦσι γέροντες, ἀνάγκη καὶ νέους ἐνταῦθα εἶναι ἀναιδεστάτους.

§. 124. *de privatorum, de civium*] Schütz cum Goth., duobus Anglic. uno Manutii, ed. Balduini et rell. vett. praeter Magontiacam recepit *de privatorum civium*. Sed illos in errorem duxisse videtur Gernhardo tum id, quod *privati*

rum officiis dicere. Est igitur proprium munus magistratus — intelligere, se gerere personam civitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, ea fidei suae commissa meminisse. Privatum autem oportet aequo et pari cum civibus iure vivere, neque summissum et abiectum neque se efferentem; tum in re publica ea velle, quae tranquilla et honesta sint: talem enim
125 et sentire bonum civem et dicere solemus. Pere-

---

iidem *cives* sunt, tum, quod paullo post *civium* et *privatorum* officia coniunguntur. Acquiescimus igitur in hujus V. D. iudicio, aptius hic *magistratibus* opponi *privatos*, *peregrinis cives*: qui distinguuntur §. 149.

iura describere] Graev. interpretatur „ius suum cuique tribuere, ius dicere;" ipse Cicero (l. l. a Gernhardo) III. *Legg.* 1, 2. *praescribere recta et utilia et coniuncta cum legibus*: quam significationem Schütz in *Lex. Cic.* II, II. p. 66. ex. non distinxit ab illa, *iura dare, constituere*: quae fortassis valet *p. Quinct.* c. 14. pr. convenit autem ipsis potius legis latoribus. V. ad §. 51. De *aequo et pari iure*, quo privatum cum civibus vivere oportet, v. ad §. 88. pr. Citatur hic l. a Nonio ad v. *Summissum*. Excusandum est igitur, quod §. 90. p. 204. pr., invitis nobis, remansit scriptura *submissius*. V. *Or.* c. 47. ex. Ex ejusdem Nonii codd. Heusinger profert *ecferentem*: de qua orthographia provocat ad Pareum *Lex. crit.* p. 398. et Cortium ad Sallust. *Jug.* XIV. 11. Görenzio quoque ad III. *Legg.* 10, 22. ex. vix dubium est, Cic. scripsisse *ecferre*, *ecfari* etc. Spectant haec autem ad eos, qui in suffragiis ferendis ad aliorum nutum se accommodant aliove modo *in rebus urbanis invidiae metu peccant*. Cf. c. 24. ex. In seqq. cum Gernhardo Degen e Gu. 1. 3. reposuit Indicativum; item e 5., qui transponit, *quae tranq.* *sunt et honesta.* At membrum relativum causam continet, cur bonus civis eadem haec velle debeat. Cf. 66. p. 155. et ad c. 31. ex. nec non Matthiae, V. Cel., ad *or. p. Rosc. A.* 1, 4. Non inelegans autem illud est μεσόζευγμα in Gu. 5. quale, paullo tamen inconcinnius, exhibent codd. Red. et Gud. 2. I. *N. D.* 1, 2. *an contra ab his* (diis) — *omnia facta sint et constituta*: quam lectionem notare neglexit Moser. Potest etiam verbum h. l. videri insiticium. V. ad 61. p. 141. ex. Nihil tamen in plurium codd. consensu praeter necessitatem mutandum.

grini autem atque incolae officium est — nihil praeter suum negotium agere, nihil de alieno anquirere minimeque esse in aliena re publica curiosum. Ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.

XXXV. Sed quoniam decorum illud in omni- 126
bus factis, dictis, in corporis denique motu et statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem

---

§. 125. *atque incolae*] Monet Görenz ad V. *Fin.* 24, 69. ex. saepe *atque* a scribis mutari in *et*, quod h. l. retinuerunt Gernh. et Schütz, invitis Gu. 1. 2. 3. 5. Gryph. et Peatcio. Deinde F. Heus. cum MS. Balduini et Langio ed. *nihil de alio anquirere*. In Gu. 2. est *aquirere*, E rell. libris Gernhard *inquirere*. Sed hoc verbum minus commode post se haberet praepositionem *de*. Cf. de utroque v. ad §. 105. Accedit autem h. l. ad *investigandi*, *indagandi* et *explorandi* vim notio περιεργίας, *alienas res quae curat studio maximo*, ut interpretem adhibeamus Plautum in *Stichi* I. 3, 45. Non magis h. l. repudiari debuit lectio Gu. 3. et ed. Venet. 1506. Gryph. Victor. Lambin. Graev. Pearc. Oliveti *de alieno*, nempe *negotio*. Opponitur enim *suum negotium agere*. Cf. ad §. 29. ex. Denique Schütz contra Gu. 1. 2. 4. 5. atque ed. Gryph. retinet volgatum vv. ordinem : *minimeque in aliena esse r. p. curiosum*. Spectant haec maxime ad legatos, plerumque speculatorum et exploratorum nomine suspectos aut etiam conspirationis cum civibus, novarum rerum studiosis. Cf. Cat. III. 9, 22. ex. — Quae sequuntur *cum quaeretur* etc., ea Garve et Hottinger expresserunt ita, ac si his per epexegesin quandam explicetur vis praeced. particulae *ita*. At cum hic non pro *si* ponitur, sed pro *quotiescumque* : ut sensus sit, *in exquirendo*.

C. XXXV. §. 126. *in omnibus factis, dictis*] Sic Gu. 1. 2. 3. 4. ed. Magont. Gryph. Balduin. H. Wolf. Volgabatur olim *et dictis* : quod retinuit Schütz. V. ad §. 56. p. 135. Exorditur Cicero a *formositate* ; quae disputatio de *decoris absoluti* conservatione §. 130. simul etiam breviter attingit aliquatenus ea, quae spectant ad *ornatum* i. e. ea, quae non quidem per se placent, sed quae, enim

apto, difficilibus ad eloquendum (sed satis erit intelligi), in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum apud quosque vivamus: his quoque de rebus pauca dicantur. Principio corporis nostri magnam Natura ipsa videtur habuisse rationem; quae formam nostram reliquam-

---

ad *formositatem* accedunt, eam adaugere videntur. Sed haec quaestio distracta est. Nam infra demum c. 39, 138. ss. separatim agitur de *domo omnique cultu vitae.* Videtur autem ipse *ornatus ad actionem aptus* quodam modo esse *εὐταξίας*, *modestiae*: in qua inest *ordo rerum*, i. e. *decus comparativum*: de quo disserit officiorum praeceptor inde a c. 40. Explanantur haec tria exemplis a Garvio ad h. l. p. 173. ss. Wyttenbachio in *Biblioth. crit.* II. 8. p. 79 non videntur in hac distributione ad unam formulam consensisse Stoici: cum Diogenes Laërt. VII. 126. duas fecerit temperantiae formas *εὐταξίαν* et *κοσμιότητα*, Stobaeus *Eclog.* II. p. 167. s. quatuor, duas illas ac praeterea *αἰδημοσύνην* et *ἐγκράτειαν*, Coniicit igitur, a Panaetio tres descriptas esse, duabus illis adiuncta *εὐσχημοσύνη*. Hoc quidem non incredibile est, Sed *αἰδημοσύνη* i. e. *cura, ut probemur aliis, in his duabus*, vel, ut Cic. mavolt, *tribus rebus continetur.* De *ἐγκρατείᾳ* autem, i. e. *temperantia*, disputavit §. 102 — 106. Nimirum *temperantia* pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservat, non modo, ne offendat homines, in quo inest *verecundia sensu strictiori* (§. 98. s.), sed omnino etiam propter *verecundiam sensu latiori*; quae considerat, quanta sit in natura hominis excellentia et dignitas, excitatque animadversionem et diligentiam, ut eam retineat. Cf. 4, 14. 27, 93. Hic autem non nisi de *reverentia adversus homines adhibenda* agitur. Potest igitur suspecta esse part. *etiam* in vv. *in his autem tribus continetur cura etiam illa* ob instabilem sedem in codd. Gu. 1. et 5. transponentibus *etiam cura illa* vel *etiam illa cura*. Pendent autem haec vv. ab praecedente *quoniam*. Quae structura ne tirunculis impeditior videretur, adhibuimus parentheseos signa. Ceterum *difficiles ad eloquendum* dici has res ob subtilissimam earum differentiam, quam nullus sermo assequatur, monuit Mich. Heus. cl. X. *Fam. ep.* 5, 2. pr. *Pro Cornel.* I. (in *Fragmentt.* ap. Schütz. p. 20.) *legem aliquam aut ad scribendum difficilem aut ad excogitandum reconditam.*

Principio] De huius voc. usu in repetendo disputationis exordio v. ad 4, 11. pr. Citatur l. a Nonio s. V. 52. in v. *Forma et figura*: quam equidem interpretor *faciem totius oris humani*, ut 107. ex., *et reliqua membra.* Post relativum membrum cum vi additur pronomen demonstr. *eam*, ut bis III. §. 13. *Fam.* VII. 26, 4. pr. ubi v. Ma-

que figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu; quae partes autem corporis, ad naturae necessitatem datae, aspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc Naturae tam diligentem fabricam 127 imitata est hominum verecundia. Quae enim Natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis; ipsique necessitati, dant operam, ut quam occultissime pareant; quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partis neque earum usus suis nominibus appellant; quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscoenum est. Itaque nec aperta actio re-

---

nutius p. 353. b. Cf. ad §. 32. pr. et 137. Matthiae ad *or. p. l. Manil.* 12, 33. et 14, 40. ex. Scribas tum fere pron. obliterare, notat Görenz ad II. *Fin.* 17, 56. pr.

partes — corporis, ad naturae necessitatem datae] i. e. *quarum usus sunt necessarii*, ut statim sequitur. Aliis quoque *necessarii loci* vel simpliciter *necessaria*, nempe *membra*, honeste dicuntur pro *pudendis*. V. Gesneri *Thesaur.* III. 115. a. l. 69. 414. a l. 5. Item *natura, φύσις, naturae membra, naturalia* vel *naturale*, cui etiam additur *corpus*, aeque honeste ac *genitalia*. Quae Ovidio *Art.* II. 584. dicuntur *partes obscoenae*, Columellae VI. 26, 2. *partes genitales*, quibus Lucret. IV. 1038. addit Gen. *corporis*, circumloquitur Phaeder IV. 14, 5. *naturae partes, veste quas celat Pudor*: ut Ovid. I. *Amor.* 4, 41. *quae bene pallia celant.* Simpliciter Petron. 112, 2. *hanc partem corporis*: scil. *quam ne ad cogitationem quidem admittere severioris notae homines solent*: quae adduntur 132, 12. Dicuntur etiam *loca naturalia* e. q. *inferna* apud Plin. XI. c. 37. i. e. *naturales exitus.* V. Gesner ib. 398. a lin. 70. p. 400. a l. 41. Scheller s. v. *Natura* n. 5. ex. et *Naturalis* n. 2. ex. *Locus* f. Rutgersii *Var. Lect.* p. 302. et Cic. *N. D.* III. 22. cum *indice* ad Creuzeri ed. p. 832. a. in v. *Natura.* Denique *partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum* dicuntur simpliciter *membra*, μέρη: et pro *utero* quidem *loca* v. *loci*, τόποι, *N. D.* II. c. 51. ubi v. Ill. Creuzer p. 423.

§. 127. De *Naturae* solertia in fabricanda hominis figura cf. II. *N. D.* 56, 141. ex. ibique Davisius. De natura duce optima respice p. 35. ad notam secundam et §. 100. pr. cll. III. §. 13. pr. *Cat. Maj.* 2, 5. *Lael.* 5, 11. ex. *Leg.* I. 6, 20. ex. et extr. c. 8, 26. ubi eam *imitata* dicitur *ratio*.

rum illarum petulantia vacat nec orationis obscoeni-
128 tas. Nec vero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt et

---

nec orationis obscoenitas] *petulantia vacat.* Resp. §. 104. ubi *iocandi genus petulans* dicitur illud, in quo adhibetur *verborum obscoenitas*, Reiz cum Ald. Lambin. Fabrit. Grutero et Facciol. praeferebat, *nec oratio obscoenitate*: quod ex uno Gu. 3. recepit Gernhard, motus Wyttenbachii auctoritate.

§. 128. *Nec vero audiendi sunt Cynici*] Verbum substantivum hic videtur additum, ut oratio, ad Stoicos quoque referenda, quodam modo teneretur suspensa. Alias omitteretur, ut *Fin.* II. 13, 41. *Nec vero audiendus Hieronymus*; et I. *N. D.* 15, 35. *Nec audiendus ejusdem auditor Strato*, ubi tres codd. pro *ejusdem* perperam habent *est.* Stoicorum autem princeps, Zeno Cittieus, cum Cratetis Cynici discipulus fuisset, Cynismum mitigavit temperavitque Academiae decretis. III. *or.* c. 16. pr. Atque etiam proximi Stoici, *Cynicorum rationem atque vitam cadere in sapientem*, dicebant. *Fin.* III. 20, 68. ex. Diog. Laërt. VII. 121. cl. VI. 104. ex. Stobaeus *Eclog. Eth. p.* 184. Arrian. *diss.* l. III. c. 22. Hinc *Stoica dogmata a Cynicis tunica distantia* dicuntur Juvenali XIII. 121. s. V. Lipsii *Manuductio ad philos. Stoic.* I. *diss.* 13. *Cynici* autem nomen invenerunt a *Cynosarge*, gymnasio, in quo horum princeps Antisthenes docere coepit; Lactantio autem interprete, *Instt.* III. 15, 20. *a canibus, quorum vitam imitarentur.* Cf. h. l. infra §. 148. ex. Lactant. *Epitom.* 59, 6. et Augustin. XIV. *C. D.* 20., qui tamen ipse in *Commentariis in epist. ad Galat.* c. IV, 19. disputans, *naturam non erubescendam, sed venerandam esse*, videtur quodam modo favere Cynicis et Stoicis illis: quibus, naturalia non turpia, mos autem hominum a natura abalienatorum ad arbitrium, temere nec ulla probabili ratione res quasdam celatas velle et verba quaedam fastidire videbatur. Recte autem docet Pufendorf *de Iure N. et G.* l. IV. 1, 6. quicum Hottinger ad h. l. p. 155 — 173. acutissime fere in eandem sententiam disputat, propter adjunctas significationes alia vocabula obscoena esse, alia minus, licet unam et eandem rem significent nec in re ipsa ulla turpitudo insit. Causa haec videtur, quod quaedam vocabula paullo generalius, quaedam autem distinctius et certo quodam modo rem aliquam aut actum exprimant. Igitur, qui talibus verbis utitur, simul libidinem suam et delectationem aut approbationem, honesto homine indignam, circa eandem rem prodit: ut quidam fabularum Romanensium scriptores, qui ipsi sine honoris praefatione obscoene nominarentur. Satiricis autem scriptoribus solenne est, in castigatione vitiorum verba obscoena ad-

irrident, quod ea, quae re turpia non sint, verbis flagitiosa ducamus, illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe est; sed dicitur non obscoene:

---

hibere. Id autem ita tantum recte fieri potest, si satiricus scriptor non a castis legi voluerit, sed ab ipsis flagitiosis, quibus quasi medicina asae foetidae adhibenda sit, quippe quorum impudentia tam occalluerit, ut foedam vitiorum suorum turpitudinem non perhorrescant, nisi deformitatis effigie quam vividissimis coloribus expressa et per hyperbolen ridicule aucta. Cf. Casaubonus ad Persii *Sat.* IV. p. m. 342. Talia autem vv., ut *adulterare*, obscoenitate vacant, quia rem turpem moraliter improbant, non nudam naturae imaginem exprimunt. Aliquando vocabula inde obscoenitatem habent, quod vel contemptum rei simul innuunt vel non usurpantur, nisi inter viles homines et adversus quos nulla reverentia adhibetur. Huc accedit, quod ejus modi verbis significatae res taedium aut horrorem creant. Hae enim affectiones, imaginationi obiectae, simul etiam in ipso sensu praesentes sunt. Igitur, cum peregrinae linguae minus vividas imaginationes afferant, quam vernacula: honestius adhibebuntur ad eius modi res, si quando necesse fuerit, significandas, si modo aliis intelligamur. Ipsa res, per se non turpis, potest tamen fieri hominis dehonestamentum, si quis alios aut negligentia offendat aut importunitate, idque eo magis etiam, si, ostentatis illecebris, quasi praestigiis quibusdam fascinans, libidinem in ipsis incenderit. Parcendum est igitur aliorum pudicitiae vitandaque omnia, quae eos sive ingrato sive impuro sensu afficere vel potius inficere possint. Inverecundiam notat Theophrast. *char.* IV. περὶ ἀγροικίας §. 2. pr. XI. π. βδελυρίας. XX. π. ἀηδίας §. 2. ex.

quae re t. non sunt —; illa a. quae t. sunt] Sic rectius Gernh., quam cum rell. Schütz: *quae turpia re n. sint —, quae t. sint.* Ablativus *re*, quem quidam ll. excludunt, praeponitur cum oppositionis vi in Palat. 1., Graevii 1., tribus codd. Guilielmi et ed. Ascensii. Indicativum, probatum etiam F. Heusingero, priori loco servant Gu. 1. 5., Gryph. et H. Wolf; altero Gu. 2. 4. μ et ψ, Gryph. omnesque edd. vett. De Indicativo inter orationem obliquam praeter notam ad §. 23. p. 52. ex. et 62. v. III. §. 33. *quae volunt.* II. *Cat.* 6, 13, ex. Concinnitatem oppositionis in *re* et *verbis* tollit volgata lectio *nominibus ac verbis flagitiosa.* Goth. Vinar., plures Anglic. Gu. 1. 2. 3. 6. μ, ψ, edd. vett. et Gryph. favent Schützio, excludenti glossam, quae huc tracta videtur e seqq.

liberis dare operam — re honestum est, nomine obscoenum. Pluraque in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem Naturam sequamur et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubitio, voltus, oculi, ma-
129 nuum motus teneant illud decorum. Quibus in re-

---

liberis dare operam — nomine obscoenum] nimirum *suo*: quod, hic ab scriptore per euphemismum evitatum, in Lexicis autem ante *Futurum* positum, nuper Conradus Sp.....l petulanti ingenio antiquis Romanorum poëtis ubique quasi quandam labem et maculam adspersit: nisi forte innuitur illud alterum, quod proprio quidem sensu non obscoenum est; sed translato demum. Cf. *Fam.* IX. 22, 15. quae tota epistola, Stoicorum cynismum irridens, commentarii instar huc adhibeatur: maxime §. 10. *Liberis dare operam quam honeste dicitur! Etiam patres rogant filios; ejus operae nomen non audent dicere*: ubi videtur alludi ad Hymenaeum, cujus a nuptarum patre excitati sententiam apud Scholiastam Pindari *ad Pyth.* III. 27.

„πρευμενεῖς τοὺς νυμφίους,
νόμοισι θέντων, σὺν κόροις τε καὶ κόραις,

Ill. Hermannus *de Aeschyli Danaidibus diss.* p. VII. ss. ingeniosissime interpretatur: „*favere iubento sponsos, ut mos est, cum pueris ac puellis*,“ i. e. *cum multa e fecundo coniugio prole*, cll. Phoenice Colophonio ap. Athenaeum VIII. p. 359. F. Aeliano *H. A.* III. 9. Hesychio in v. κουριζομέναις. Cf. etiam Catull. in *epithalam.* 61, 211. s. *brevi liberos date* etc. Ex hac autem verecundia circa τεκνοποιΐαν P. Charron *sur la sagesse* statim a principio disputationis festivae de miseria generis humani lepide argumentatur, *nostri nosmet poenitere et pudere*.

ab omni — fugiamus] Mich. Heus., laudato F. O. Menkenio in *Nov. Miscellan. Lipss.* I. p. 540., apposite comparat *N. D.* III. 13, 33. ex. quae, nostri loci immemor, cum Lambino sollicitat Heindorf. In prox. *accubitio* intelligitur epularis, ut *N. D.* I. 34, 94. ex., cuius vocis, Ciceroni a Nonio III. c. 22. tributae, corruptelam *accubatio* revocavit Schütz in *Lex. Cic.* — Görenz, ad 4, 14. p. 32. laudatus, e quinque suis codd. aliisque multis (λ, μ, Gu. 2. et cum correctore quarti, qui omissum verbum adscripsit, et ed. Magont.) iubet reponi *teneat*. Referuntur sane haec ad unum genus et initio h,

bus duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum aut molle, ne quid durum aut rusticum sit. Nec vero histrionibus oratoribusque concedendum est, ut iis haec apta sint, nobis dissoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, si quo casu evenerit, ut corporis partes quaedam aperiantur, aspiciantur non decore. Nostro quidem more cum parentibus pube-

---

cap. dicitur *in corporis denique motu.* Nescio tamen, an hic quidem *manuum motus*, pro *gestu*, in plurium numero dicantur, ut §. 102. ex.

§. 129. *effeminatum aut molle*] Sic in *Bruto* §. 225. Titius notatur fuisse *solutus et mollis in gestu*, ut ap. Juvenal. 6, 63. *mollis Bathyllus.* Cf. ibid. II. 165. Ante *ne quid durum* cum Goth, expunxi *et*, quam omnes edd. vett. mutant in *aut*. Non est quidem talis, qualis hic fit, distinctio in hujus modi anaphora §. 42. pr. II. 71. ex. *Mur.* 28, 58. sed eodem plane modo obtinet §. 133. pr. *in voce duo sequamur, ut clara sit, ut suavis.* Et nescio, an Cicero utrumque membrum gemina potius *et* distinxisset, quam alteri demum membro simplicem copulam praemisisset. Deinceps post *concedendum* excluditur *est* a Gu. tertio. V. ad c. 31. pr. Pronomen *iis* propterea Gernhardo videtur additum, quod substantivum a verbo membri primarii adscitum sit, ut §. 32. pr. At *concedere* hic ne potuit quidem absolute poni. Cf. §. 71. p. 165. II. *de Or.* c. 54. *quod tu mihi tribuis,* — *Crasso est omnium sententia concedendum;* et *Or.* 31, 109. pr. et cum toto hoc argumento ibid. 22, 74. — *Vetere disciplina*, ut *Mur.* 34, 71. *vetere instituto.* V. de hac Ablativi forma ad §. 21. pr. — — *Subligaculis* pudendae partes corporis tegebantur, ut ait Nonius I. 121. e cujus MS. perantiquo Gu. et ed. Merceri F. Heusinger hic commendat syncopen *subligaclo*, ut scribitur III. 5, 23. *vinclis.* Cf. Görenz ad II. *Acad.* 34, 108. *Subligar Atti* inter scenae apparatum est ap. Juvenal. VI. 70, ubi audacia poëtica videtur ad ipsum Attium transtulisse, quod proprium erat tragoedi, qui illius fabulas ageret. Nam Ruperti suspicio de histrionis ibi nomine dubia est.

Nostro q. more] De hoc intt. laudant II. *Or.* c. 55. med. (cl. *Cluent.* 51, 230. pr.) Plutarch. in *Cat. Maj.* p. 348. (c. 20, p. m.) Capitolin. in *Gordiano* c. 6. med. — Statim post recentiores edd. cum paucis libris transposue-

res filii, cum soceris generi non lauantur. Retinenda est igitur huius generis verecundia, praesertim Natura ipsa magistra et duce.

130. XXXVI. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero sit venustas, in altero dignitas: venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem — virilem. Ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus et huic simile vitium in gestu motuque caueatur. Nam et palaestrici motus saepe sunt odiosiores et histrionum non nulli gestus inepti non vacant offensione et in utroque genere, quae sunt recta et simplicia, laudantur. Formae autem dignitas coloris bonitate tuenda est; color exercitationibus corporis. Adhibenda est prae-

---

runt, *Retinenda igitur est*: quos, Görenzio ad V. *Fin.* 24, 72. p. 625. si non duce, at praeeunte certe, Schütz iure reliquit. V. ad §. 69. pr. cl. *Phil.* VII. §. 14. *Retinenda est igitur vobis constantia.*

C. XXXVI. §. 130. *quorum in altero sit v.*] i. e. *eorumque i a.* Itaque *sit* pendet a *cum* in priori membro, ut §. 152. ex. Veremur igitur, ut non satis circumspecte Facciol. cum eoque Gernh. uno ex cod. reposuerit *est v.* Degen, nescio qua fide, *venustas est.* *Dignitas* etiam *virginibus formosissimis*, quae Helenae simillimae viderentur, tribuitur *Rhet.* I. 1, 2. ex. In seqq. retinuimus lectionem, receptam e cod. Anemoecii Augustano, Pal. 1. et Graev. 1. Sed rell. magno consensu tuentur *ineptiis non vacant*, omisso illo Ablativo *offensione.* Hoc cum Facciol. probat Scheller propterea, quod, si *inepti* sint gestus, per se intelligatur, *eos non vacare offensione.* Sed iam monitum est a VV. DD., in illo esse offensionis causam tantum. Quid ergo, si, utraque lectione coniuncta, legatur *ineptiis n. vacant et offensione* —? Cf. Zeugma illud §. 127. ex. et cum sententia *Fin.* III. 7, 24. pr. Heuss. citant Quinctil. XI. 1. pr. et de vi voc. *ineptus* II, *or.* 4, 11.

coloris bonitate] „Romani multum sole utebantur et in sole ungebantur, unde fuscus color ducebatur. Hinc exquisita arte conservabant, amissum restituebant, usi ad id iatraliptis. I. *Epist.* VIII. [X. volgo IX.] 46. Cornel. Cels. I. c. 1. pr. 2. post med. Plin. III. *Epist.* 1, 8. 5. 10." Mich. Heusinger.

terea munditia non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus: in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. Cau- 131
endum est autem, ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae cum fiunt, anhelitus moventur, voltus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Sed multo etiam magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cavebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, et si attentos animos ad decoris conservationem tenebimus. Motus autem animorum dupli- 132
ces sunt: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maxime versatur; appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur,

---

§. 131. *Cauendam est autem*]. Sic recte Schütz, ut restituendum monuerat Goerenz, particulae *autem* post verbum substantivum, cum pondere praemissum, asseverandi vim observans ad II. *Leg.* 7, 16. ex. et II. *Fin.* 7, 21. p. 148. ex. Volgo paucorum librorum infido testimonio transp. *C. autem est.* V. ad §. 26. ex. et 140. pr. — *Fercula* Mich. Heus. et Schütz in *Lex. Cic.* sic interpretantur, ut Circensi pompa nihil aliud fuisse videantur, quam *tensae*. Vtrumque coniungitur in Suetonii *Caes.* c. 76. et c. 37. ex. res in triumpho gestatae ostentataeque dicuntur *pompae fercula*. Equidem hic acceperim pro ipsis deorum simulacris in tensis: nisi tamen malueris cum aliis pro hominibus fercula ferentibus. Turneb. in *Advers.* XIII. 16. comp. Horat. *Sat.* I. 3, 10. s. observat, sacra omnia propter pompam tardo ingressu ferri solita. Totum l. imitatus est Ambrosius I, c. 18. Hieron. *ep.* IV. *ad Rusticum*: „*Pomparum ferculis similes procedunt in publicum.*

§. 132. E *duplici vi animorum atque natura* idem praeceptum, ut *appetitus rationi pareat*, deducitur §. 100. ex. — 102. 141. De *cogitationis* munere cf. c. 6. ex. et Plutarch. in *Pericle* c. 1. paullo ab initio.

ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum rationi obedientem praebeamus.

XXXVII. Et quoniam magna vis est orationis, eaque duplex, altera contentionis, altera sermonis: contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, senatus; sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, sequatur etiam convivia. Contentionis praecepta rhetorum sunt; nulla sermonis. Quamquam haud scio, an possint haec quoque esse. Sed discentium studiis inveniuntur magistri. Huic autem qui studeant, sunt nulli; rhetorum turba referta omnia. Quamquam, quae verborum sententiarum-

---

C. XXXVII. *vis orationis est*] Hunc volgatum ordinem tuitus Gernhard: „In Ascens. transponitur, *vis est orationis*, quasi *eaque* ad orationem referendum sit." Sed cuinam, obsecro, hoc in mentem venire potest, nisi scribatur *ejusque duplicis?* Ascensianam lectionem veram esse, apparet, cl. II. c. 14. pr. V. etiam ad I. §. 23. pr. 53. III. 102. *Nulla igitur vis fuit religionis, quae* (vis) etc. Sic etiam transponenda videntur vv. II. *de or.* 59, 240. *Duo enim genera sunt facetiarum*, ut ib. cap. extr. (al. 60, 243. pr.) *Ergo haec duo g. sunt eius ridiculi:* nisi malis *Duo sunt enim* g. ut in *or.* 6, 20. pr. Cf. supra ad §. 9. pr. — Opponitur h. l. *contentioni*, i. e. orationi meditatae, *sermo* ex tempore fusus. Cf. §. 133. ex. Hinc oratio philosophorum, quia hi sententias quidem, sed non ipsa verba meditantur, neque id agunt, ut animos incitent, in *or.* c. 19. *sermo potius, quam oratio* dicitur. — Mox *congressiones* sunt fortuiti conventus eorum, quos casus aliqui hoc ipso tempore modo hos, modo illos adduxit; non, ut Degenio videtur, stati coetus certorum quorundam sodalium, consuetudine iunctorum. V. II. *Or.* §. 192. — Deinde, spreta librorum et plurimorum et optimorum auctoritate, Schütz revocavit *persequatur e. convivia*, nullo idoneo sensu, qui hic esse debet: *ineat etiam convivia*, *adhibeatur etiam conviviis eaque condiat.* V. Ernesti *Clavis* in v. *Sequor.*

rhetorum turba referta omnia] i. e. *in omnibus rhetorum ludis* (de quibus scripsi historica quaedam in Brouckhusii Encyclopaedia T. VIII.) *est magna discipulorum frequentia.* V. Quinctil. *Instt.* I. 2. §. 15. Horat. *Sat.* II.

que praecepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt. Sed cum orationis indicem vocem habeamus, 133
in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis: utrumque omnino a natura petendum est; verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter. Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti literarum

---

§. 44. *Chrysippi grex.* Eodem sensu dicitur *cohors* vel *populus.* Sensus est hic: Eloquentiae perdiscendae studiosi sunt multi, a quibus affulgens lucelli spes multos facit rhetores. Sermonis autem praecepta cum volgo spernantur, ut supervacanea: non videtur operae pretium facturus, si quis hujus artis se profiteatur praeceptorem.

§. 133. *a natura petendum*] i. e. sumendum; nimirum, quia naturae debetur et, nisi natura *dederit*, aliunde peti (quaeri) non potest. Nam, ut ait Quinctil. XI. 3. (p. 298. Bipont.) *fauces obtusae obscurant (vocem), rasae exasperant;* sed, ut p. 297. monetur, *augentur, sicut omnium, ita vocis quoque bona cura; et negligentia minuuntur.* Cf. ib. §. 12. (p. 300. Bip.) et Cic. or. 81, 59. pr.

Nihil fuit in Catulis, ut] i. e. *quam ob rem, quod* eodem sensu post *nihil* sequitur in compar. l. *p. Rosc. Com.* 7, 20. ex. ut alibi *quare, cur, quod:* de quibus partt. v. Tursellinus in *Nihil* et Meiner in l. ad. §. 2. pr. citato p. 300. Nec vero debet oratio videri hiulca propterea, quod superioribus exemplum additur quasi ex abrupto: quod saepe fit. Neque Catulo, patri, de quo Cic. in *Bruto* c. 35, 132. *non antiquo illo more, sed hoc nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus,* hoc modo detrahuntur *multae literae,* neque filio *elegans quoddam et eruditum orationis genus:* quae laus ibidem Catulis tribuitur; sed significatur, quod hi *incorrupta quadam Latini sermonis integritate* uti putabantur, *laudem hanc* non, ut Degen accipit, oratoriam, quam potius Catuli multis concedebant, sed *bene,* i. e. Latine in primis eleganter, *loquendi* eos non tam *literarum studio,* i. e. diligentia grammatica, consecutos esse, quam *lingua et spiritu moderando et sono ipso vocis recto et simplici,* cum loquerentur. *non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter:* quae vv. huc compp. e III. *de or.* c. 12. itemque illa c. 11. ex. *Nostri minus student literis, quam Latini. Tamen ex istis — urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Val. Soranum, lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat:* et *Brut.* 58, 210. *Curio — Latine non pessime loquebatur, usu, credo,*

(quamquam erant literati, sed ut alii); hi autem optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis; literae neque expressae neque oppressae, ne

---

aliquo domestico. Nam literarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisque audiat quotidie domi. Ergo ne Catuli quidem literatiores erant, quam suae aetatis more alii. Propterea, quae deinceps volgo sic leguntur, *quamquam erant literati: sed et alii*, emendavi e F. Heusingeri coniectura: quam cum probasset et Gernhard, non video, quo modo ad haec interposita, quae parentheseos signis includere noluit, accommodare potuerit structuram vv. proximorum: *hi autem* etc. Ita enim pronomen oportuit omissum. Imo opponuntur haec illis ante parenthesin, ubi non est, ut e glossa, in qua damnanda et plurimi et optimi libri consentiunt, restituamus *Nihil aliud:* quod an usquam in Ciceronis scriptis sic absolute positum reperiatur, dubitat Görenz ad III. Leg. 1, 3. p. 217. cui obloquitur V. D. in Literarum Annalibus Heidelbergg. a. 1812. n. 3. p. 43. Ipse autem *ut* accipit pro *ita*, *ut* vel *itaque*. Tum parenthesin illam interpunctione maiori ab antecedd. distinguit, ut inter se respondeant partt. *quamquam —; sed*, compar. XII. *Fam.* 14. quem in numero errorem pro *ep.* 4. §. 2. V. D. cum Meinero l. l. p. 415. propagavit e Tursellino s. v. *Quamquam!* Tuetur etiam *sed et alii* et deinde *autem* accipit pro *contra*. Imo i. valet, q. *nihilo minus tamen*.

Sonus e. dulcis etc.] Cf. Quinctil. *Instt.* XI. 3. p. 297. ed. Bip. *Dulcis esse debet, non exprobrans, sonus.* Id. p. 300. s. *Dilucida erit pronunciatio primum, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Vt est autem necessaria verborum explanatio: ita omnes imputare et velut adnumerare literas molestum et odiosum. Nam et vocales frequentissime coëunt et consonantium quaedam, insequente vocali, dissimulantur.* — *Ideoque laudatur in Catulo „suavis appellatio literarum,"* nempe a Cicerone in *Bruto* 35, 133. idemque ea de re hunc in modum praecipit III. *or.* 11, 41. *Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius:* qui l. Gernhardo videtur docere, non apponendum esse *nimis*, quod pleraeque edd. vett. ante *putidum* inserunt: unde huc translatum collocare voluit Facciol. post v. *expressae*, Scheller autem in *Lex.* s. h. v. p. 3583. eidem voci praemittere propter l. Quinctiliani *Instt.* I. 12. (imo 11.) 4. Omnino *exprimere literas* non per se vituperatur, quasi idem sit ac *ingrato oris flatu literas singulatim efferre.* Sed, ut ipse Gernhard, cujus est ista interpretatio, animadvertit, adver-

ne aut obscurum esset aut putidum; sine contentione vox, nec languens nec canora. Vberior oratio L. Crassi nec minus faceta; sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero et facetiis Caesar, Catuli, patris, frater, vicit omnis: ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret. In omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re, quid deceat, exquirimus.

Sit ergo hic sermo, in quo Socratici maxime 134
excellunt, lenis minimeque pertinax; insit in eo

---

verbium istud, quod hic ad sensum necessarium videtur, affatim compensatur periphrasi, *ne aut obscurum esset aut putidum*: ubi ad Neutrius generis Adiectivum non desideramus *quid.* Est enim absolute positum pro *ita*, *ut pronunciatio neque obscura esset nec putida* Nimirum, quae cogitatione in unam sententiam comprehendenda sunt, ea sunt distracta in duas per consecutionem. *Ne aut — aut* idem valent q. *ut neque — nec.* Cf. II. or. §. 239. Notavi quaedam de negationibus cum disiunctione coniungi solitis in Quaestione *de formis cogitandi disiunctivis* §. 8. n. 1. Perverse Jördens ejusque successor anonymus (Grofse) interpretantur illa I. *Cat.* 6, 15. *Ac iam illa omitto: neque enim sunt aut obscura aut non multa post* (sic, non *postea*, scribendum e codd.) *commissa*: quorum vera significatio haec est: *nam quae post a te commissa sunt, ea neque obscura sunt, neque pauca; satis aperta sunt multa illa, quae post commisisti scelera.*

vox — canora] metaphrastis Germanis et Degenio est ea, quae *clamorem* profundit idque *sine contentione!!* Multi autem, qui ita eloquuntur, ut *sine contentione vox* tamen *non langueat*, sed *clara* sit, laborant quodam naturali vitio *cantandi* ululanti voce: de quo cf. *Or.* §. 27. et Quinctil. *Instt.* XI. 3, 55. p. 305. s. ed. Bip. — *Bene loquendi opinio* eodem modo dicitur, quo in *Bruto* c. 65. *opinionem dicendi* (i. e. quasi in eo esset magna dicendi vis) *actione faciebat.* Tum iidem illi iungunt *patris frater*, ut i. sit q. *patruus.* At *patris* est appositio, distinctionis causa facta, ut §. 109. p. 235. et in *Bruto* 35, 134. pr. Erat autem frater uterinus ex *Popilia* matre: quod docuit Mich. Heus. e II. *de or.* c. 7. et 11. pr. De *Crasso* et *Caesare* v. ad §. 108. pr.

§. 134. *Sit ergo*] Sic Heus. e. Gu. omnibus. Schütz reduxit volgatum *igitur*: quae part. modo praecessit. — *Socratici* hic intelliguntur praecipue Plato, Xenophon,

lepos. Nec vero, tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios; sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat; si iocosis, leporem. In primisque provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus: quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus, detrahendi causa, aut per ridiculum aut severe maledice contu-

---

Aeschines, in quorum dialogis exempli instar introducitur *Socrates*, incomparabilis sermonum singulari cum affabilitate atque urbanitate conferendorum artifex. Cf. §, 108. p. 232. s. Monetur hic autem, cauendum esse illud vitium, quod Theophrasto *char.* VII. dicitur λαλία. — *Sermo* est Subiectum, ad quod referuntur etiam seqq. *Ac videat in p., quibus de rebus loquatur.* Per hujus modi προσωποποιΐαν §. 14. p. 31. s. *naturae rationique* tribuuntur, quae cadunt in ipsum hominem rationis participem. Gernh. comparat II. *Fin.* 12, 37. pr. idque aptius, quam ejusd. l. cap. 14, 45. *Eademque ratio facit hominem hominum appetentem*: quam lectionem Görenz non, ut credi sibi volt Schütz, restituit, sed exturbavit potius aliisque interpp. objicit, quod non viderint, rationem ibi intelligi debere non solam hominis, sed illam quoque universi. Sed acutius illi verum viderant, quam monitor ipse; cum praecedant haec: *homines rationem habent a Natura datam.* Non magis conveniunt exempla h. l. a Gernhardo comparata. Aptiora erunt, quae ad c. 29. pr. e Platone attulimus. Et sic volgatur in *or.* c. 27. Phalerei Demetrii *oratio — sedate placideque loquitur*, quod tuetur Walch. in *Emendatt. Liv.* p. 204. Sed Schütz cum Purgoldo correxit *labitur*, quod magis convenit *generi orationis fuso atque tracto et cum lenitate quadam aequabiliter profluenti sine iudiciali asperitate.* — Deinde post *si seriis* itemque post *si iocosis* subauditur: *de rebus loquatur.*

vitium aliquod indicet] Transponit Gu. 3. *v. ind. aliquod.* 5. *aliquod v. ind.* Cod. μ pronomen omittit: quo non addito, II. *Divin.* 46, 96. *Multi etiam naturae vitium — sustulerunt*, dictum est indefinitius etiam, quam h. l., ubi sensus est: *ne vitiosos mores indicet.* Videtur tamen propter pron. indefinitum deinde addi *maxime*: quo magis definiatur *vitium.* *Detrahere* absolute ponitur pro *obtrectare.* Plenius I. *or.* c. 9. *ne — de huius — aut arte aut gloria detraham.* Cf. Schütz in *Lex. Cic.* s. v. p. 82. n. 4. et de re ipsa Theophrast. *char.* XXVIII. περὶ κακολογίας.

melioseque dicitur. Habentur autem plerumque ser- 135
mones aut de domesticis negotiis aut de re publica aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, ut, etiam si aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio; sed, utcumque aderunt: neque enim omnes iisdem de rebus nec omni tempore nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat: et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

XXXVIII. Sed quo modo, in omni vita, rectis- 136
sime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id est

---

§. 135. *Sed, utcumque aderunt*] n. *auditores*, ut c. 38. ex. *iis*, *qui adsunt*. *Vtcumque* i. e. q. *perinde*, *uti*. Cf. II. *Divin.* 42, 89. ex. Deinde elliptice dicitur *iisdem de rebus delectamur*, ut ad verbum subaudiatur *sermonibus audiendis* vel simpliciter *audire*. Degen cum Heuss. sequitur distinctionem, Reizio quoque probatam, eorum, qui post *oratio* plene interpungunt, ut vv. *Sed*, *utcumque aderunt*, novam faciant protasin, cui post parenthesin respondeat illa apodosis: *animadvertendum est etiam*: quae quidem verba me hic non magis offendunt, medio loco posita, quam c. 39. pr. si quidem certa ibi sit lectio: *dicendum est etiam*: eoque minus, si cum Gu. 5. *est* omittatur. V. ad §. 69. pr. Sed praecipitur hic non modo, ut ne, si aberrare ad alia coeperit, ad haec, unde exorsa erat, revocetur oratio; sed etiam, ut, circa eandem rem versata, abrumpatur aliove traducatur, si quando sermo taedium ac satietatem creare (*ennuyer*) videatur.

desinendi modus] i. e. *loquendi et continuandi sermonis ad eum usque finem, ubi desinas.* Utitur scriptor hac breviloquentia ob concinnitatem oppositionis: *ut incipiens rationem secutus fueris, ita desinens modum serves*: quod utrumque negligit ὁ ἀδολέσχης, quem notat Theophrast. *char.* III. Similis est Gerundii usus in oppositione §. 80. pr. Graevius, quae in *V. L.* notat, in duobus MSS. legi *destinandi modus*, ea videtur habere e "mirandis duobus vetustatis monumentis" Turnebi in *Advers.* XXVIII. 39. ex. Tum sensus foret vel, *non ultra modum destinatius perseveretur in sermone de re quaquam*, vel, *dirigatur sermo ita, ut scopum suum, quo destinatus fuerat, attingat*: quo collineandi sensu *modus* dicitur Claudiano *Edyll.* II. 32. s.

C. XXXVIII. §. 136. *Sed quoniam in vita* corrupte leg. in Venet. 1498. sine *omni*. Neque recte Hottinger et Degen iungunt *in o. vita, praecipitur.* Imo opponuntur

motus animi nimios, rationi non obtemperantis: sic eius modi motibus sermo debet vacare, ne aut ira exsistat aut cupiditas aliqua aut pigritia aut ignavia aut tale aliquid appareat. Maximeque curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferemus, et vereri et diligere videamur. Obiurgationes etiam non numquam incidunt necessariae, in quibus utendum est fortasse et vocis contentione maiore et verborum gravitate acriore; id agendum etiam, ut ea facere videa-

---

haec: *Quo modo* (cui similiter, atque in l., quem citat Gernh., III. *Fin.* 20, 66. ex. ubi etiam, ut *Agr.* II. 36, 99., *quem ad modum* usurpatur in priori comparationis membro, respondet in comparatione *sic* V. *Tusc.* 7, 18, ex. *Verr.* IV. 31, 69.) *in omni vita fugiamus: sic sermo vacare debet.* Est enim constructio complicatior, ut §. 41. (p. 103.) 120. ex. ubi structura hoc modo expedienda: *ut sapientes censent, magis decere, amicitias* etc. II. *Acad.* 2, 5. ex. cl. II. *or.* c. 7. *cuius, audio, esse partis.* *Pro Cornel.* I. (in *Fragmm.* ap. Schütz. p. 20.) *Tulisse, ridiculum est, quasi legem quandam.* *Fam.* VII. *ep.* 26, 1. *neque iis —, me, probarem, non valere.* *Tusc.* I. 24, 56. pr. *quae, si cernerem, quem ad modum nasci possent.* De *perturbationibus* v. 67. p. 156. ex. §. 69. p. 161.

quibuscum sermonem conferemus] Schütz tacito reduxit Ernesti lectionem *conferimus*, incongrue: nisi forte ipse V. D. perpetuum cum aliis sarmonem confert. Deinde in Gu. 3. *etiam* applicatur ad pronomen, *id etiam agendum*: quo verborum ordine servato, Gu. 5. Lubec. itemque edd. vett. et Gryph. addunt glossam *est;* statimque post *ut* alii *ne*, quam praeter Langii libros et Gu. 1. repudiat cod. Cur. Recte part. *etiam* verbo postponitur, hoc sensu: „Obiurgationes interdum, ne efficacia destituantur, asperae esse debent et bile plenae. Verborum fulminibus ipsoque voltu *adeo consulto ac de industria* stomachantium species prae nobis ferenda, ut iracundiae metum incutiamus. Id vero non fieri debet nisi raro atque in ultima necessitate.“ V. Seneca *de ira* II. 14. cl. Cic. *Tusc.* IV. 25, 55. pr. et extr. ubi iubetur ipse tranquillus esse orator, etiamsi, quoties opus fuerit, tragoediis suis commoveat populum, iudices, senatnm. Jure Lilie I. p. 19. s. notat errorem Ciceronis, cuius tamen non ingenium solum, sed virtutem etiam ab istius aetatis labe paene intactam admirari debeamus. Sed hic quidem partes, quas in vita susceperat, ipsam normam depravasse videntur, qua in iudicio ferendo usus est philosophus orator, vel, si mavis, orator philosophus. „Sed erunt fortasse, qui rei publicae formam, quae tales ferat et postulet tragoedias, quam oratorem, qui iis utatur, accusare malint,“ ut idem ait Lilie.

mur irati. Sed, ut ad urendum et secandum, sic ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus, nec unquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. Magnam autem 137
partem clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adiuncta, ut et severitas adhibeatur et contumelia repellatur. Atque etiam illud ipsum, quod

---

ad urendum et secandum] Arctius haec iunguntur non iterata praepositione. V. ad §. 103. pr. 142 pr. cl. Exc. Schaefero ad Sophocl. p. XXI. **) et Exc. Reisigii *Coniectaneorum in Aristophanem* libro I. p. 242. Fut. *veniemus* hic vim habet Gerundii. *Fin.* III. 17, 58. *in quibus sunt et praeponenda quaedam et reiicienda: alia ob eam rem praeposita dicentur* (i. e. dici debent), *quod* etc. Cum his, *si — medicina*, cf. II. *Att. ep.* 1. post. med. *Non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes rei publicae, quam quae exsecaret.* Similis est comparatorum confusio II. Cat. 5, 11. ex. Per eandem metaphoram, qua, mirum, quantum delectatur Cicero, se moderatione contra inimicos, non ferro, usurum, significat II. Att. ep. 3. *Ego diaeta curari incipio; chirurgiae taedet.*

§. 137. *Magnam autem partem*] Volgo: *Magna autem parte*, ut II. *Acad.* 11, 36. ubi Görenz librorum consensu restituit Accusativum, qui iam Langio placuerat. Sic hic quoque cum Langio, Lambino, Pearcio corrigere malui, quam *ex parte* cum H. Wolfio, Henr. Saganensi et Gothofredo, quibus favet unus Oxon. et ψ. Sed praepositio illa, mirum foret, si in omnibus rell. libris contra usum satis notum obliterata esset. Contra c. 7. ex. Gu. 2. item substituit *Ex maxima autem parte*. V. Schelleri *Lex.* s. v. *Pars* p. 7457. 1) b). Jam vero *autem* etiam i. e. valere q. *enim*, γὰρ, in hoc Degenii errore notando, difficile est cavere, *ut monitio acerbitate, obiurgatio contumelia careat*, quod praecipitur et hic et in *Laelio* 24, 7. Cf. supra §. 88. ex. Prior *et* post *ut* in edd. vett. obliterata est, ut saepe alibi. V. Görenz ad I. *Acad.* 6, 25. p. 39. a. et *Fin.* IV. ex. p. 519. a. Post *illud ipsum* aliaque pronn. demonstrr. interiecto membro relativo graviter additur *id*, ut III. §. 13. II. *Libr.* c. 28. ex. *Fam.* XIII. *ep.* 28. a. (extr. §. 8. pr.) *Phil.* II. c. 12. sub fin. *ille, qui stillantem prae se tulit pugionem, is a te honoris causa nominatur?* V. Garaton. et Matthiae ad II. *Catil.* 12, 27. Görenz ad I. *Acad.* 1, 1. ex. et supra ad §. 127. Ceterum artificium hoc significandi misericordiam adhibuit ipse Cic. *in Catil.* I. §. 16. c. 7. pr.

acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius id causa, qui obiurgetur, susceptum esse. Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt nec iis, qui adsunt, probari. Deforme est etiam, de se ipso praedicare, falsa praesertim,

---

iracundiam pellere] Sic I. *Fin.* 13, 43. philosophia dicitur *maestitiam pellere ex animis*, et ibid. IV. 9, 21. Görenzio placet lectio Bas. *ut a se dolores, morbos, debilitates pellant*, pro volgato *repellant*, quod v. etiam hic substituitur. — Verbis *nec constanter f. possunt*, nuperi praeter Gernh. editores praemittunt *ea* cum Gu. 3. 4. 5. Lubec. exc. Bedae atque Eybi et Gryph. In Ven. a. 1554. et Ald. est *ea neque*. Qua fide; indicabit transpositio in rell. edd. vett. et in Vinar. *neque ea* et in Gu. 1. *nec ea*. V. ad §. 56. ex. cl. *Leg.* I. 7, 23. *quibus autem haec sunt inter eos communia*, (ii) *civitatis eiusdem habendi sunt*. — Tum Schütz cum Gernh. retinuit *nec ab iis — probari*; sed in nota facit cum F. Heus., qui non sine librorum auctoritate restituit, *neque iis*. Lubec. cum aliis habet *approbari*. Cf. §. 126. *ut probemur iis*. Post *nec* sequitur *neque*: maxime, sequente vocali, ut *Fin.* II. 32, 105. ex. Quamquam regula ista, quam excogitavit magnae auctoritatis Grammaticus quidam, „numquam aureae aetatis scriptoribus *nec* ante vocalem poni," eam tam parum ratam esse voluit usus loquendi, ut potius multis in formulis usitatissimis *neque* ante vocalem soloece diceretur.

Deforme est etiam] Sic Goth. et Facciol. Volgo *est* post *etiam* ponitur; in Gu. 5. et exc. Bedae omittitur. Depravatus est etiam ordo vv. in *Parad.* V. 1, 3. (33.) *Praeclare enim est hoc usurpatum*, ubi codd. I, v, e particulam tollunt: ut Graev. 2. in III. *Catil.* 12, 27. ex. (45.) *magnum enim est in bonis praesidium*. V. ad §. 104. p. 226. cll. IV. *Verr.* §. 45. pr. *Fam.* XIII. 28, 1. *Or.* §. 27. pr. et c. 19. *Mollis est enim oratio philosophorum*. *De opt. g. or.* §. 3. bis. *Tusc.* II. 25, 60. ex. *Malum est igitur dolor*. Tum inde ab Heus. e binis Gu. 1. 2. legebatur *de se ipsum praedicare*. Revocavimus antiquam lectionem propter haec *Cat. Mai.* 9, 12. *Nihil necesse est mihi, de me ipso dicere*. cf. c. 10, 10. *de virtutibus meis praedicare*. 23, 2. (82.) ut

et cum irrisione audientium imitari *militem gloriosum.*

XXXIX. Et quoniam omnia persequimur, vo- 138
lumus quidem certe, dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis d o m u m placeat esse: cuius finis est usus, ad quem accommodanda est aedificandi descriptio et tamen adhibenda dignitatis commoditatisque diligentia. Gn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum. Quae cum volgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum pu-

---

de me i p s o aliquid more senum glorier. — Deinde *irrisio* dicitur passive, hoc sensu : *irridentibus te iis, qui audiunt,* vel *ita, ut ab iis irrideare.* De hoc usu praepositionis *cum* v. ad §. 40. ex. *Miles gloriosus* intelligitur in cognomine comoedia Plautina *Pyrgopolinices,* cui geminissimus est *Thraso* in Terentii Eunucho *Act.* III. *sc.* 1. et *Act.* IV. *sc.* 7. Cf. Theophrast. XXIII. περὶ ἀλαζονείας §. 2.

C. XXXIX. §. 138. *volumus quidem certe*] Haec non magis in parenthesi ponenda, quam in *Cat. Mai.* 2, 7. (6.) ubi haec pendent a *si,* ut h. l. a *quoniam. Quidem* inservit oppositioni; *certe* innuit Ellipsin : *si persequi non licet,* ut arrogantiam vitet, in quam incidit, qui profitetur, ut ait Isocrates, τὸ μηδὲν παραλιπεῖν τῶν ἐνόντων ἐν τοῖς πράγμασιν, observante Manutio. Parrhasius c. 27. in Gruteri *Lamp.* I. p. 746. legit iungitque *persequi volumus* et post *dicendum est* cum ed. Cic. opp. Mediolan. omittit *etiam* eamque veram librorum lectionem esse contendit. Gu. 3. transp. *dicendum etiam est.*

suffragata] i. e. quasi valeret gratia, dominum in petitione iuvisse eique suffragia confecisse putabatur. V. Ernesti *clav.* s. v. — *Novus homo* dicitur *homo per se cognitus, nulla commendatione maiorum* (I. *Cat.* 11, 28. *Brut.* 25, 96.) i. e. qui non majorum suorum splendore inclaruit, sed suis rebus gestis: *einer, der bloſs der Sohn seiner Thaten ist; qui humili atque obscuro loco natus, suis laboribus amplissimos honores est adeptus ; qui virtute industriaque perfecit, ut, obscuris ortus majoribus* (supra §. 116. ex.), *summa tamen amplitudine dignus putaretur et posteris suis amplitudinem nominis, quam non accepisset, traderet,* una cum consulatu *imagines familiae suae consecutus,* ut explicatur *p. Mur.* 7, 16. s. ubi orator sui generis *novitatem,* i. e. *ignobilitatem, quod maiores*

tabatur. Hanc Scaurus demolitus, accessionem adiunxit aedibus. Itaque ille in suam domum consulatum primus attulit; hic, summi et clarissimi viri filius, in domum multiplicatam non repulsam solum

---

sui laude populari atque honoris luce caruerint, commemorat, ut *Agrar.* II, 1, §. 1. 3. pr. c. 36, 99. *in Pis.* c. 1. *Verr.* IV. 37, 81. et V. 70, 180. s. questus, maxima in invidia maximoque in odio apud quosdam homines nobiles esse *novorum hominum virtutem et industriam, qui non mediocribus laboribus contenderint, ut ad istos honores pervenirent, ad quos nobilitas per ludum et per negligentiam perveniat*, ut M. Cato, *cum se virtute, non genere, Populo Romano commendari putaret, ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari volebat.* V. Plutarch. in *Cat. Mai.* c. 1. et in *Mario* c. 9. Ex his locis satis apparet, ipsos *homines novos* hoc suum nomen honorifice interpretatos esse; sed apud nobiles et invidiosum fuisse videtur et contumeliosum, quasi illos antea non tam in *hominum* numero habuissent, quam fortassis in *canium*: unde venit *la canaille!!* Certe *homines* Iuvenali II. 167. prae ceteris dicuntur ii, qui *praetextatis moribus* utuntur. Scilicet ante Marium in re publica civitatis Romanae nobilitatem virtutis excluserat generis nobilitas, quippe quae per se tribueret privilegia honorum ac munerum. Eadem haec nobilitati denuo vindicarat Sulla. Cff. VV. DD., quos laudat Gesner in *Thesaur.* III. 472, 26, ss. H. l. praecessit explicatio, *qui primus ex illa familia Consul* (a. V. 588.) *factus* (i. e. creatus; cf. III. 79.) *est*; quae repetuntur, variata verbis iisdem, quibus *Phil.* IX. 2, 4. V. Sueton. *Aug.* c. 2.

hanc Scaurus — adiunxit aedibus] *Hanc* Scauri *domum in ea parte Palatii esse, quae, cum ab Sacra Via descenderis et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est*, atque *in huius domus atrio fuisse quatuor columnas marmoreas insigni magnitudine*, notat Ascon. ad *or. pro Scauro* repetundarum reo (in Fragmentt. ap. Schütz. p. 246.), quo loco Cicero defendit, *quod tam magnificam domum Scaurus haberet.* Sed mala fide hic agit cum nobis, qui domum, quam ipsum Scaurum, accusare maluerit; scilicet, ne ipse sontem defendisse videretur. *Scauri* enim, ejus, qui fuerat *princeps et senatus et civitatis* (II. *Or.* c. 47. ex. cf. supra §. 76. p. 176.), *filium* Cicero bis defenderat a Triario reum repetundarum ab eodemque ambitus reum. Quinctil. *Instt.* IV. 1, 69. De ornatissimae orationis prioris parte, ante hos sex annos ab Ang. Maio edita, nihil innotuisse videtur Degenio. V. ap. Schütz. T. XVI. P. II. p. 37. ss. cum Asconii argumento ib. p. 232. ss. qui refert, ipsum quoque Scaurum dixisse pro se ac *magnopere iudices movisse aedilitatis effusae* (cf. infra II. c. 16. ex.) *memoria ac favore populari ac praecipue paternae auctoritatis recor-*

retulit, sed ignominiam et calamitatem. Ornanda est 139 enim dignitas domo, non ex domo tota quaerenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Et ut in ceteris habenda ratio non sui solum, sed etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi et admittenda hominum cuiusque modi multitudo, adhibenda cura est

---

datione. Absolutus tanta gratia, ut Cato Praetor etiam in consilium de accusatorum calumnia mitteret, (teste Asconio p. 250. quocum cf. Valer. Max. VIII. 1, 10.) ante comitia consularia *populo tributim domi suae satisfecerat*, ut ipse ait Cicero *Att.* IV. 16. sect. 4. Idem sect. 5. significat, se nihil reperire, quod pro Scauro, qui tunc candidatus iterum fore reus putabatur, posset dicere. Cf. ep. 15. sub fin. Patricius, cujus notam Schütz ad fragm. *p. Scauro* 235. repetiit, de utraque oratione accipit vv. *ad Q. Fratr.* III. *ep.* 1. sect. 7. ex. *Scaurum beneficio defensionis valde obligavi.* Sed hanc interpretis opinionem refellunt sequentia. Si interpp. attendissent ad verba ibid. *ep.* 2. ex., ubi Cicero de Scauro et competitoribus ambitus reis dicit: *aut hominum aut legum interitus ostenditur*, et si meminissent, novam poenam ambitus lege Tullia constitutam esse exsilium decem annorum, teste Dione Cassio XXXVII. p. 136. ipsoque Cic. *pro Mur.* 23, 46. s. 41, 89, pr. vix requirerent, quanam fide Facciol. tradiderit, Scaurum, damnatum, solum vertisse. Hanc ille a. 699. retulit *ignominiam et calamitatem.* Schütz tacito revocavit *etiam calamitatem*: quae lectio corrupta videtur ex ea, quae est in Ven. 1498. utraque Lips. alia s. l. et a. Lugd. 1527. et Gryph. *sed ign. etiam et calamitatem*: quae recipienda esset, si Scaurus, ut volunt intt., *repulsam tulisset*, i. e. si in campo victus esset a competitoribus. Sed iam ante comitia Scaurum a Q. Pompejo abjectum esse, scribitur III. *ad Q. fr. ep.* 8. sect. 3. quin etiam reum factum, ep. 2. ex.

§. 139. *Ornanda est*] *Enim* hic est particula concedentis pariter ac *quidem*, γὲ, *freilich*, *omnino*, *attamen* etc. ut §. 30. pr. 64. p. 149. s. Sententiae exemplum cf. *Parad.* V. 2, 10. pr. (30.) *Reviviscat M'. Curius aut eorum aliquis, quorum in villa, ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit praeter ipsos.* Deinde Schütz tacite reduxit hunc verborum ordinem *adhibenda est cura*, cui Heus. consensu Gu. 1. 2. ed. Magont. alius s. l. et a. Lugd. 1527. et Nonii in vv. *Laxitas* et *Laxum* praetulerat eum, qui Ciceroni familiaris est. Cf. statim II. §. 64. *Habenda autem ratio est rei familiaris*: ubi simul laudatur *hospitalitas* hominum illustrium. Item paullo post idem Schütz retinuit: *dedecori domino*

laxitatis. Aliter ampla domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo; et maxime, si aliquando, alio domino, solita est frequentari. Odiosum est enim, cum a praetereuntibus dicitur:

O domus antiqua! eheu! quam dispari
dominare domino!

quod quidem his temporibus in multis licet dicere.

---

saepe fit. Heus. cum Gu. 1. 2. 3. transposuit, ut applicetur ad v. *dedecori.* Ad celebritatem *domus* suae, *solitae frequentari,* alludere videtur Cic. III. §. 2. s. Cf. de hoc clientium officio Juvenal. I. 94. ss.

dominare] Al. *dominaris*: quod alii codd. ponunt ultimum. An glossema? Tum recte *heu* in Cretico catalectico, in quo *domus* monosyllabum. Nunc in iambico septenario metri causa *heu*, pro quo in libris quibusdam est *et*, in duobus Manutii *et heu*, mutavimus in *eheu*. Nam pausa ex interpunctione excusare non poterit hiatum vocalis brevis non elisae, idque nec sub ictu neque in caesura. Plank ad fragmenta *Ennii Medeae* subjecta p. 104. ad Ennii *Anal.* I. refert et cum Mich. Heus., suam tamen orthographiam secutus, scripsit: — — *O domus Ancei*
Anteiqua! heu quam disparilei domino dominare!
hac subiecta nota: "*Anci* domus, ut Paullus ex Festo et Festus ex Verrio tradit, portae Sanquali proxima fuit. — *Dominare* passive, more veterum poëtarum. Cf. Bünemann. ad Lactant. VII. 15, 5. Ad eundum versum alludit quoque Cic. *Phil.* II. c. 41. pr. *O tecta ipsa misera "quam dispari domino!" Quamquam quo modo iste dominus? Sed tamen quam a dispari tenebantur!*" At hic ipse locus docet, quamquam in Faërni cod. est *O domus anti quam*, non tamen idcirco corrigendum esse, invitis libris tum aliorum, tum Turnebi in *Advers.* XXVIII. 39. ex. et Nannii in *Miscellan.* l. IX. c. 9. Praeterea, quae hic Cicero praetereuntibus tribuit, horum imitatus voces ad domum olim florentissimam, ea fortassis quis coniiciat dicta esse in Agamemnonis domo, quam Aegisthus tenebat. Ecce unum e populo apud Aeschyl. in *Agam.* 18. s. Κλαίω τὸν οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων, Οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου. Similia leguntur in *Choëphoris* 48. ss. et 261. ed. Glasg.

in multis l. dicere] "Caesarianis, Pompeianas aedes, nullo alio, quam Victoriae, iure habitantibus. Occupavit autem ipsius Pompeji Magni domum M. Antonius, qui postea triumvir fuit. *Phil.* II. (l. c.)" Haec Aldus. Nota etiam constructionem, cll. II. *Or.* c. 61. *quod in servo bono dici solet*, II. *Fin.* 4. 14. *iuvare in utroque* (i. e. et corporis et animi respectu) *dicitur.*

Cavendum est autem, praesertim, si ipse aedifices, 140
ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. Studiose enim plerique, praesertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut L. Luculli, summi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati sunt! quarum quidem certe est adhibendus modus ad mediocritatemque revocandus. Eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. Sed haec hac tenus.

In omni autem actione suscipienda tria sunt te- 141

---

§. 140. *Cavendum est autem*] e Goth. et Gu. 3., quo ordine servato Vin., duo Oxon. Gu. 5. et edd. vett. substituunt *etiam*. Volgo *C. autem est* : ut §. 151. pr. — *L. Luculli virtutem* dilaudat Cic. II. *Acad.* pr. et *Manil.* 8, 20. s. De hujus *Xerxis togati*, cujus vitam enarrat Plutarchus, villis v. Varro *R. R.* I. 2, 10. 13, 7. *cum Metelli ac Luculli villis, pessimo publico aedificatis, certant.* Columella I. 4, 6. Plin. *H. N.* IX. c. 54. Phaeder II. *fab.* 5, 9. s. et ad eum l., quem ut priores, indicavit Mich. Heusinger., clar. Schwabii *Excurs.* XVI. — Deinde in Gernh. et Schütziana ante *usum* omissum est *omnem*, invitis, ut videtur, editoribus. Oppositionis ratio hunc desiderat sensum, quem expressit Facciol. "Eadem mediocritas, quae in villis aedificandis adhiberi debet, ad omnem vitam est transferenda, ut nihil fiat nisi intra modum."

§. 141. *In omni autem actione*] Gu. 4. 5. et Goth. expellunt part. *autem* : ut probabilior videri queat Facciolati suspicio, totam hanc §. esse spuriam. Dissentiunt praeter Gottleberum et Schützium, qui tamen, haec sane melius abfore, arbitratur, F. Heus. et Gernhard, negantes, hanc ἀνακεφαλαίωσιν esse eorum, quae Cic. in prioribus exposuisset de eo, quod decorum esset in vestitu, in sermone, in domo cultuque vitae. Imo hunc locum concludi verbis: *Sed haec hactenus.* Novam deinceps tractationem ordiri: esse enim consentaneum, ut hic addatur praeceptum de decoro servando in rebus agendis et in administrandis conficiendisque negotiis. At vero ex verbis *tertium est, ut moderata sint*, maximeque his, *de quo ante diximus*, ut recte observat Hottinger II. p. 177., ad ea, quae hoc ipso capite de *mediocritate* praecepta sunt, referendis, manifestum fit, haec quoque dumtaxat ex parte ad eundem locum de cultu vitae pertinere. Quid igitur censebimus? scilicet toti superiori loco de decoro haec corollarii instar adiici: ut solet Noster, e. g. §. 160. pr. Idque etiam Gernh. agnoscere videtur, comparans rationem illam §. 92. pr.

nenda: primum, ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conservanda accommodatius; deinde, ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus: ut neve maior, neve minor cura et opera suscipiatur, quam causa postulet. Tertium est, ut caveamus, ut ea, quae pertinent ad liberalem speciem et dignitatem, moderata sint. Modus autem est optimus, decus ipsum tenere, de quo ante diximus,

---

appetitus rationi pareat] E Gu. 5. Schütz enotavit *obtemperent*. Sed legitur in eo *obtemperet*, quod v. usurpatur extr. hac §. Respice §. 102. — *Operam suscipere* dicitur *p. Balb.* §. 17. non, ut notat Gernh., c. 17. inde scilicet, quod in Gesneri *Thesaur.* III. p. 587, 32. s. simpliciter est numerus, sine alio aut c. aut §. signo. Add. *Tusc.* V. 1, 2. De repetitione verbi ejusdem alia atque alia vi F. Heus. provocat ad §. 71. pr. ubi *concedere* sic iteratur, ut hic *suscipere*. Cf. ad 44. p. 111. De constructione *caveamus, ut* laudat Perizonium ad Sanct. IV. 15, 29. p. 911. (II. 615. ed. Bauer.) Eadem autem enumerandi ratio est *p. Planc.* c. 20. ex.

liberalem speciem et dignitatem] Graev. in Corrigendis ad ed. minor. a. 1691. recipiendam putat codd. aliquot Grut., Palatini et Augustani itemque ed. Venet. 1554. scripturam, *liberalitatem, specie et dignitate m. s.* : e qua nullum equidem extrico sensum. Recte autem haec accipiuntur pro *externo splendore et ornatu, qui in cultu et alio apparatu in oculos hominum incurrit*; id quod intelligitur e verbis seqq. *decus ipsum tenere nec progredi longius*. Aliter c. 27. ex. in definitione *decori* dicebatur *moderatio cum specie quadam liberali*, quasi quidam ornatus vitae e ratione actae moderataeque, cujus amabiles comites sunt appetitus tranquilli atque ad naturam accommodati; cum interna animi vis sibi ipsi imperat, ut appetitus subiectus sit rationis legi : quo nihil magis decet, nihil liberaliorem speciem habet. Quod si animadvertisset Facciol. et praeterea, tertium partitionis membrum ex secundo per ταυτολογίαν quandam repeti : certe dixisset, hic soricem ipsum suo se prodere soricinio. Hottinger hic *decus* pro *amplitudine ac dignitate cujusque hominis* accipit; F. Heus. pro *ornatu ei conveniente*. Gernh. confert §. 131. ex. et seq. Infinitivum nominis vices sustinere docet cl. III. §. 108. pr. *Phil.* X. 9, 18. pr. Sed verba sic transponenda videntur : *Modus autem optimus est*. V. ad c. 38. ex. Denique ad Accusativi cum Inf. constructio-

nec progredi longius. Horum tamen trium praestantissimum est, appetitum obtemperare rationi.

XL. Deinceps de ordine rerum et de tempo- 142
rum opportunitate dicendum est. Haec autem scientia continetur ea, quam Graeci εὐταξίαν nominant: non hanc, quam interpretamur m o d e s t i a m: (quo in

---

nem post *praestantissimum est* comparant §. 137. *Rectum est, — retinere. Att.* VI. 9. *eum — venire, vix rectum erat.* Horat. I. *Epist.* 7. ex. Adde supra 28. p. 65. et §. 144. *Turpe est enim, — inferre,* cll. II. *Acad.* 12, 45. I. *N. D.* 1, 1. ex. Videtur h. l. uterque Inf. positus pro Coniunctivo cum particula *si.* Alibi potest explicari per *ut*, e. c. §. 124. *Est m u n u s magistratus, i n t e l l i g e r e*, i. e. *ut intelligat.* 125. pr. V. p. 89. s. — Transpositio autem in Gu. 5. *r a t i o n i obtemperare* suspicionem movet, *rationi* esse glossam. Cf. c. 28. ex. ubi tamen praecessit, *ut r a t i o praesit.*

C. XL. §. 142. *De ordine rerum et de temporum opportunitate*] Schütz cum Bald. et H. Wolfio edid. *et opportunitate temporum*, provocat autem ad F. Heus. At hic e 4 MSS. Gu. ed. Magont. Gryph. Ascens. et Pearc. recepit *et d e opp. t.* At elegantior est chiasmus. *Leg.* I. 7, 23. *mentique divinae et praepotenti deo.* II. 12, 30. *rei publicae consilio et auctoritate optimatium.* Ad *haec* intellige, *quae pertinent ad opportunitatem temporum.*

non hanc] Hunc Accusativum, quem agnoscit Nonius II. 123. in v. *Modestia*, poteris fortassis explicare per attractionem seq. pron. relat. e Graecismo: de quo v. Matthiae grammat. Graeca mai. §. 774. c. Gernhard cum Heus. suspensum esse volt a praecedenti v. *nominant* cum brevitate quadam pro *quae* (εὐταξία) *non haec est, quam interpr. — sed illa, in qua.* Priore autem huius locutionis parte ad εὐταξίαν accommodata, in posteriore non potuisse non scribi, *sed illa est ε ὐ τ α ξ ί α*, pro *sed illam* εὐταξίαν ex F. Heusingeri ratione: quam quidem facile admittimus et inversam ἀνακολουθίας rationem observavimus §. 95. Sed v. *nominant*, cui MS. Huydekoop. substituit *vocant*, omnino abest a MS. Balduini. Qua de Ellipsi v. ad §. 8. p. 21. pr. Etiam infra §. 143. verbis *prudentiam e n i m, quam Graeci* φρόνησιν, additur volgo *dicunt:* ab aliis *vocant.* Fluctuat etiam h. l. lectio in pronominis casu. In Goth. est *non h a e c.* Schütz retinuit volgatam Gu. 5. λ, ψ, duorum MSS. ap. Graev. in *V. L.*, editionis vet. s. l. et a. et forte paucorum aliorum ll. lectionem: *non h a e c.* Post *non* (n̄) facile excidere potuit compendium *n.*, i. e. *enim.* Liceat ergo periculum facere coniecturae: *q. Graeci* εὐταξίαν: *non e n i m, quam interpretamur modestiam* (*quo in verbo* mo-

verbo modus inest); sed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conservatio. Itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit *scientia earum rerum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum.* Ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, *compositionem rerum aptis et accommodatis locis; locum* autem *actionis* opportunitatem temporis esse dicunt: *tempus* autem *actionis opportu-*

---

dus *inest*), *sed illa est εὐταξία.* Cf. hujus definitiones ap. Stobaeum *Ecl.* II. l. c. et Is. Casaub. ad Theophr. *Char.* XII. quem laudat Graev. Stoicis concinit etiam Andronici Rhodii definitio Peripatetica: ἐμπειρία καταχωρισμοῦ πράξεως. Proprie *modestia*, quo in verbo *modus* (τὸ μέτρον) spectatur, Graece dicitur μετριότης, i. e. loci nobis ipsis convenientis scientia eiusque servandi verecundia. Sed cum non ferret Latini sermonis penuria, ut Cicero alterum εὐταξίας genus alio verbo interpretaretur: *modestiae* verbum nova significatione usurpat excusatius: *ut eandem nos modestiam appellemus*, i. e. "si eam quoque rem nobis licet hoc nomine comprehendere." *Modestus* est igitur is, qualem significat Tacit. *Hist.* II. 2, 5. *aptum sermone, disposita provisuque.* Mox MS. Bald., quatuor Gu. et ed. Gryph. et Ascens. transponunt *rerum earum.* Gu. 2. pronomen expellit, probantibus Heusingero et Gernhardo. Neque nos retinuissemus, nisi id adhiberetur similiter in definitione *Tusc.* IV. 24, 53. pr.

Nam et ordinem] Copulae, quam libri omnes tuentur, Görenz ad IV. *Fin.* 28, 77. alterius *et* vice *autem* respondere monet. At nulla hic fit comparatio contrariorumque coniunctio; sed argumentationis progressio. Itaque *et*, ut a glossatore inculcatam, deleverunt cum F. Heusingero editores recentiores. At vero non superflua est cum praecedant haec *videtur eadem vis* (significatio, notio) *ordinis et collocationis fore.* Nec vero, *et* Ciceroni pro *etiam* insolens esse, quisquam hodie concedet. V. M(eineri) *Lat. . . . Partikeln* p. 152. pr. et quos laudat Ill. Creuzer ad I. *N. D.* 39. p. 179. b. et ad c. V. apud eundem p. 810. Wolfius, Vir Summus, e P. II. libri *Literar. Analekten.* Cf. Sallust. *Jug.* 25. *Hi, quod invidiosa res erat, simul et a Numidis obsecrati.* Liv. I. 25. ex. et quem ejusdem l. p.

num Graece εὐκαιρία, Latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia haec, quam ita interpretamur, ut dixi, *scientia* sit *opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.* Sed 143 potest eadem esse prudentiae definitio, de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione et temperantia et earum similibus virtutibus quaeri-

---

98. adscripsi : *Inter — tribus et C. Claudium aerarium fore.* Ceterum Cic., communem Latine loquentium usum secutus, *opportunitatem* et *occasionem* synonyma esse, dicit. cf. I. Invent. 27, 40. (c. 26. Schütz.) Binkes vero p. 30. *n.* 70. haeret in Garvii argutiis, cuius philosophi subtilitas ad h. l. p. 177. s. vocabula ista distinguit ita, ut, *opportunitatem* actionis cujusdam cum prioribus et posterioribus convenientiam esse, velit, *occasionem* autem concursum antecedentium causarum, a quibus illa pendeat. Idem Binkes, ut alia omnia confundit, sic, ipsam virtutem εὐταξίας Platoni εὐκαιρίαν dici, autumat. At vero Platonis hanc Is. Casaub. attulerat *definitionem* : (p. 413. *D.*) εὐκαιρία, χρόνου ἐπίταξις, ἐν ᾧ χρὴ παθεῖν ἢ ποιῆσαι, cl. eiusdem simillima hac definitione (p. 416. B.) : καιρός, ἐν ᾧ ἕκαστον ἐπιτήδειον παθεῖν ἢ ποιῆσαι. Hujus scientia demum est virtus, quae a Platone ib. 412. A. sic definitur : εὐταξία ψυχῆς —, ἕξις, καθ' ἣν ὁ ἔχων αἱρετικός ἐστι καὶ εὐλαβητικὸς ὧν χρή. Nec vero εὐκαιρία perinde, ut Adj. εὔκαιρος aut ut ἀκαιρία, de Subiecto actionis praedicari potest. Post subst. *modestia* pron. *haec* male habetur pro Pleonasmo verborum seqq. Imo i. valet ac *quam quaerimus, qua de agitur* : ut *Or.* §. 66.

§. 143.] Offenderat in h. l. Garve, contra quem disputat Hottinger II. p. 180. ss. ipse Ciceronem insimulans, quod *prudentiam*, proprie sic dictam, confuderit cum *cognitione* vel *scientia* et *perspicientia veri* : de qua sola principio egerit. Sed idem hoc Ciceroni iam objecerat Calcagninus *Disquisit.* XVII. ex. atque ipse Garve ad l. I. p. 74. At vero minime confudisse videtur, sed taxandus potius propterea, quod c. 6. ex. *prudentiam* illam, quae universae *solertiae* pars est et in agendi consiliis regendis versatur, non nisi obiter et leviter tetigerit verbis, *in consiliis capiendis*; apertius §. 94. p. 211. s. *agere, quod agas, considerate.* Cf. 157. 160. maxime vero *Partit.* 22, 76. Neque per omnia verum est, quod idem ait Hott. *prudentiae* consilium atque efficientiam esse mere positiva, *modestiae* mere negativa. Omnino *prudentia* adhibet cogitandi agendique solertiam opportunitateque temporum utitur et exploratissima ac certissima rei efficiendae ratione,

mus. Itaque, quae erant prudentiae propria, suo loco dicta sunt; quae autem harum virtutum, de quibus iam diu loquimur, quae pertinent ad verecundiam et ad eorum approbationem, quibuscum vivimus, nunc dicenda sunt.

144 Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quem ad modum in oratione constanti, sic in vita omnia

---

aut ut id, quod velit, consequatur, aut ut id, quod nolit, evitet. *Modestiae* est, considerate agere cum delectu idoneorum ad agendum temporum, curantem, ne incongruentia quadam politum ac subtilem decori sensum offendamus probemurque iis, quibuscum apud quosque vivamus. Itaque ne diversarum virtutum idem munus esse videretur, non alienum erat, similiter, ut §. 93. ex. *justitia* et *verecundia* distinguebantur, innuere, qualis utriusque differentia esset: quam tamen formam, satius fuisset, in ipsa definitione describere, ne haec latius re definita patere videretur. Errat enim Hott., esse hanc definitionem propria *modestiae* tantum, non omnino *prudentiae*, existimans. Imo contra. Vix igitur ac ne vix quidem cuiquam persuadere poterit Schütz, cui tota haec §. prorsus ineptas habere et futiles sententias videtur, ut vix sibi persuadeat, non a glossatore quodam inculcata esse haec verba: *Sed potest eadem — nunc dicenda sunt.* Occinit ab ipso Viro Ill. singulari cum laude editus Aeschylus, grato animo gratulabundus:

Ἔκυρσας, ὥστε ΤΟΞΟΤΗΣ ἄκρος, σκοποῦ!

suo loco] Ed. Ven. 1498. utraque Lips. ac Lugd. 1527. transp. *loco suo*. Fortassis pron. est e glossa. V. Görenz ad IV. *Fin.* 1, 2. ex. Deinde pro *iam diu* Vinar., unus Ox. et edd. vett. substituunt *iam dudum*. Eodem modo peccat codex *Cat. Mai.* 6, 18. ap. Gernhardum p. 38. a.

§. 144. Rite laudatur *vita systematica* i. e. non confusa, sed in qua idem conservatur ordo, qui in libris systematicis: de qua est singularis *Meditatio philosophica auctore Jo. Christi. Bucky.* Lips. 1731. 4. Nam, *quidquid peccatur, perturbatione peccari rationis atque ordinis*, monetur *Parad.* III. 2, 26. Hoc sensu accipienda est Andronici Rhodii illa εὐταξίας definitio: ἐμπειρία περὶ τὰς πράξεις ἔχουσα τὸ βέβαιον: quem ad modum Seneca *ep.* 20. praecipit, *ut ipsa inter se vita unius sine actionum dissensione coloris sit* etc. *Vnam semel, ad quam vivas, regulam prende et ad hanc omnem vitam tuam exaequa.* Et deinde: *Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle.* Plin. III. ep.

omnia sint apta inter se et convenientia. Turpe est enim valdeque vitiosum, in re severa convivi dicta aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in praetura Sophoclem hique de communi officio convenissent et casu formosus puer praeteriret dixissetque Sophocles, "O puerum pulchrum, Pericle!" *At enim Praetorem, Sophocle, decet, non solum manus, sed etiam oculos*

---

ep. 1. *Vt certus siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat.* Quamquam haec magis etiam sunt constantiae, de qua §. 111. pr. 119. s. 125. ex. Cf. Ludov. Mart. Kahlii *diss. philos. de Decoro.* Halae Magd. 1735. §. 42. ex.

Turpe est enim] Transponunt Goth. Gu. 3. 4. et exc. Bedae atque Eybi *Turpe enim valdeque vitiosum* (Gu. 3. *valde vitiosumque*) *est.* Gu. 2. excludit *est.* Fortassis recte. Cf. III. §. 87. *Turpe imperio.* Persii *Sat.* I. 3. — *Convivi dicta* glossatores interpretantur *convivio digna*, ut ipse Cic. II. *Or.* c. 62. Lepide Graeci omnino, *quidquid in buccam venerit*, proverbialiter exprimunt, ὅτι κἂν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶσσαν ἔπος ἔλθῃ. — Deinde Degen cum F. Heusiique de c. o. (consultaturi) *convenissent* : quam unius Gu. 3. correctionem in pronomine improbat Gernh. Cf. §. 43. pr. 147. ex. et Görenz ad I. *Acad.* 6, 23. p. 39. Tum nota priscam Vocativi in nominibus Grr. formam *Pericle* et *Sophocle*, ut in Cic. versione poëtica *Fin.* V. 18, 49. vs. 1. *Vlixe!* — Vsus particularum *At enim* per hujusmodi fere Ellipsin explicandus : *At indignus est persona tua hic sermo. Praetorem enim* etc. Sic I. *ad Q. fratr. ep.* 1. c. 2. *At enim inter hos ipsos exsistunt graves controversiae.* Supple : *At* nihilo minus multum Proconsuli exhibetur negotii. *Inter hos ipsos enim* etc. Notanda etiam Ellipsis verbi *inquit* : quod nescio an insiticium sit in compari loco *de senect.* 14, 5. (47) cum in uno cod. transponatur ante exclamationem illam : *Dii meliora!* Nostro etiam l. Gu. 3. *At haec ipse, praetorem, inquit;* 4. *At* mutavit in *ait.* Primae edd. *Pericles* (al. *Pericle, Pericles*) *ait.* Cf. II. 53. ex. 69. III. 88. *Male etiam Curio.* 104. ex. Christoph. Rufus in *Antexegemat.* (in Gruter. *Lamp.* II. p. 599. s.) notat errorem Pseudo-Plutarchi, qui in *Isocratis vita*, ab hoc Sophoclis illam intemperantiam reprehensam, scribit (in Isocrat. ed. H. Wolf. Basil. 1558. p. 10. ima.). Vid. ipse Plutarch. in *Pericle* c. 8. ex. p. 156. ex. Stob. *S.* XIII. et Valer. Max. IV. 3. *ext.* 1. qui sua habet e nostro h. l. *Sophocles* autem, scriptor tragoediarum, cum *Pericle* dux fuit adversus Lacedaemonios (Ol. 83, 3.),

abstinentis habere. Atque hoc idem Sophocles si in athletarum probatione dixisset: iusta reprehensione caruisset. Tanta vis est et loci et temporis. Vt si qui, causam acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur aut si quid aliud attentius cogitet: non reprehendatur; at hoc idem si in convivio faciat: inhumanus videatur inscitia temporis.
145 Sed ea, quae multum ab humanitate discrepant, ut si qui in foro cantet, aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent nec magnopere admonitio-

---

teste Justino III. 6. ex. cujus belli meminerunt Thucyd. I. 114. et Diodor. XII. 7. secundum Strabonem autem (XIV. c. 1. p. 171. ed. stereot. Lips.) Ol. 84, 4. bello Samio, de quo Thuc. 115. Diod. c. 27. s. cui tempori magis convenit testimonium scriptoris vitae Sophoclis p. XXII. s. ed. Schaef. Ἀθηναῖοι αὐτὸν, πεντήκοντα ἑπτὰ (Degen 65) ἐτῶν ὄντα, στρατηγὸν εἵλοντο πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν ἔτεσιν ἑπτὰ (Degen *undecim!*) ἐν τῷ πρὸς Ἀναίαν πολέμῳ.

Atque hoc idem] Degen particulae vim tribuit concedendi. Victor. Gryph. Pearc. dederunt *Atqui*, probante utroque Heusingero. Sic ponitur *At* §. 97. p. 216. — *Athletarum probatio* "ἔγκρισις ἀθλητῶν dicitur. Probabantur enim, ut reciperentur et accenserentur. Plinius XXXIV. 58. [c. 8. med. sect. XVIII, 12.] *pentathlon, qui vocatur encrinomenos.*" Turneb. *Adv.* XVI. 12. Deinceps Heus. e Gu. 2. a prima manu dedit *Vt si qui.* Schütz et Degen retinuerunt *quis.* Sed v. *N. D.* II. 33, 86. ubi item in aliquibus codd. et edd. vett. scribitur *quis.* Proxima sic legebantur: *cum causam sit* (λ *est*) *acturus.* Transp. Gu. 3. *causam cum sit acturus.* Goth. *causam cum acturus sit.* Exclusimus Grammaticorum supplementa. — *Inscitia temporis* a Gernhardo in *Excursu ad Parad.* p. 301. accipitur *pro neglectione temporis, cum parum cures, quid tempori locoque aptum sit*, cll. III. *Or.* 61, 228. *Fam.* XI. 16, 4. Hermannus autem in *Leipz. Lit. Zeitungen* a. 1819. n. 122. p. 974. accipit passive pro *tempore incommode capto.* Neque recte comparatum videtur Viro Ill. illud Horatii II. *Serm.* 1, 81. *inscitia legum.* Quippe poëtae licuisse *inscitiam* dicere pro *inscientia*, ut ibid. 3, 43. *inscitia veri.* Erit igitur, ut ita dicam, h. l. ἀκαίρημα potius, quam ἀπειρία: cujus cf. notatio in Theophrasti *Char.* XII.

§. 145. *ut si qui*] Sic Graev. 1. ut statim ante. Volgo: *quis.* Deinde Degen cum Heus. e Gu. 1. 2. et Goth. recepit *nec magno opere.* Sed Gernh., negandi parti-

nem et praecepta desiderant. Quae autem parva videntur esse delicta neque a multis intelligi possunt, ab iis diligentius declinandum. Vt in fidibus aut in tibiis, quamvis paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet: sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet; vel multo etiam magis, quo maior et melior actionum, quam sonorum, concentus est.

XLI. Itaque ut in fidibus musicorum aures vel 146
minima sentiunt: sic nos, si acres ac diligentes esse volumus animadversores vitiorum, magna saepe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione aut contractione, ex maestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia,

---

cula vim adverbii quodam modo imminui, monuit, cl. *Cat. Mai.* 13, 44. pr. Nec recte Görenz II. *Fin.* 1, 1. e binis suis cum Davisio scripsisse videtur: *ne in ipsis quidem philosophis magno opere unquam probavi.* Sed idem nihil tribuit Gud. 2. (i. e. illi Guelph. 1.) IV. 26, 73. verba eodem modo distrahenti: *neque magnum bonum — nec magno opere expetendum.* V. supra ad §. 3. pr. Verbis *dilig. declinandum* praemissum volgo *est* Gu. 3. postponit, 5. interponit, λ excludit. V. ad §. 110. pr. Addere si voluisset Tullius; scripsisset, *declinandum diligentius est.* Post proximum *Vt* Gu. 3. et μ inserunt *enim*: ut §. 98. ex. 103. ex. 147. ex. *Fin.* III. 6, 22. 7, 24. pr. 10, 34. Sed cf. supra 95. ex. ubi item Gu. 3. et edd. vett. exhibent: *Vt enim venustas* etc. Ceterum ut hic *musicorum*, §. 97. *poëtarum*, 114. *histrionum*, 144. *oratorum* exemplis philosophus decori vim explicat: sic iisdem utitur exemplis 147. ex. et in *or.* c. 22. *Parad.* III. 2, 26. pr. *vita; quae omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet.*

C. XLI. §. 146. *Ex oculorum obtutu*] e. g. obliquo, ab hominis cujuspiam adspectu abhorrentium, sed tamen boni cujusdam, quod illi obtigisse putatur, adspectum quasi quaerentium, invidiam intelligimus, ex demisso cum superciliorum contractione *maestitiam*, ex eorundemque remissione *hilaritatem* intelligimus. Cf. ad §. 102. ex. Ceterum, haec maxime oratoribus futuris praecipi, apparet ex ultimis h. §. verbis, ubi discipulorum *vitia imitari* dicuntur, *emendandi causa, magistri*, nempe rhetores; et diserte

ex contentione vocis et summissione, ex ceteris similibus, facile iudicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quidque eorum sit, ex aliis iudicare: ut, si quid dedeceat in illis, vitemus ipsi. Fit enim, nescio, quo modo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in discendo, quo-

---

in *or.* c. 18. pr. praecipitur, aptum esse, *contenta voce atrociter dicere et summissa leniter.* — *Officium* hic dicitur omnino id, *quod apte fit.* Citat hunc l. Nonius in v. *Aptus* et in v. *Contentio.* In seqq. recte editur *quidque eorum* : habet enim Substantivi vim, quam illi pronomini tribuit Görenz ad II. *Acad.* 16, 49. ex. Non debebat igitur Schütz reducere volgatum *quodque.* Deinde idem, frustra admonitus a Gernhardo, ex Heuss. errore tribuit Facciolato quoque : *quid dedeceat in illis.* At is edidit *in aliis.* Tum, revocata copula, quam nuperi edd. cum Gu. 1. 3. 4. et Gryph. ejecerant, scripsit : *vitemus et ipsi.* At hoc significaret : *item, ut illi vitant.* De praecepto comparantur Terent. *Adelph.* IV. 3, 60. ss. Horat. *Serm.* I. 4, 105. Plin. II. *ep.* 6. ex.

fit enim, nescio, quo modo,] quod *proprium est stultitiae.* *Tusc.* III, 30, 73. ex. Phaedr. IV. *fab.* 10. (al. 9. vel 67.) Christus ap. Matth. 7, 3. Est haec formula, quamquam etiam in re bona usurpatur, saepius tamen quasi dolentis et non sine suspiratione quadam ferentis, quidquid corrigere nefas; frequentaturque de iis, quae odiosa aut molesta sunt, quae aliter ut se habeant, optabile est : ut fere i. valeat, q. *secius, quam fieri debet; temere; inconsulto.* Vid. §. 61. p. 143. *Or.* I. c. 17. pr. *Sext.* §. 100. *Planc.* c. 34. pr. *Fam.* V. 9, 4. *Att.* X. 14. de consolatione ex libris : *id quidem domi est; sed, nescio, quo modo,* (i. e. pro dolor!) *imbecillior est medicina, quam morbus.* *Ad Brut.* I. *ep.* 15. *Sed, nescio, quo modo, facilius in timore benigni, quam in victoria grati, reperiuntur.* *Acad.* II. 3, 9. *Fin.* II. 14, 44. V. 26, 77. pr. *Tusc.* I. 11, 25. *De div.* II. 57, 118. 58, 119. ex. *Lael.* 24, 1. L. Seneca *Epist.* 13. *Nescio, quo modo, magis vana perturbant.* M. Seneca *Declam.* II. 2. ex. Aemil. Prob. VIII. *Thrasybul.* 1, 3. pr. ubi haesit b. Paufler eodem modo, quo Grosse, metaphrastes, ap. Cic. *Catil.* I. 13, 31. pr. in formula *nescio, quo pacto,* cujus eadem vis est *p. Flacco* §. 15. c. 7. pr. *Mur.* 21, 43. ex. 27, 57. pr. *Ad Q. fratr.* I. *ep.* 1. c. 6. *Sed, nescio, quo pacto, ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea* (nempe, quod non debebat,)

rum vitia imitantur, emendandi causa, magistri. Nec 147
vero alienum est, ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines vel etiam usu peritos et, quid his de quoque offici genere placeat, exquirere. Maior enim pars eo fere deferri solet, quo a natura ipsa deducitur. In quibus videndum est, non modo quid quisque loquatur, sed etiam, quid quisque sentiat, atque etiam, qua de causa. Vt enim pictores et ii, qui signa fabricantur, et vero

---

cum id mihi propositum initio non fuisset. Lael. 26, 12. *Tusc.* V. 22, 63. Explicatius dicitur *fato, nescio, quo* XV. *Fam.* 13, 3. pr. Etiam aliter nexum *nescio quid* etc., quod alias contemptim de re nihili usurpatur, innuit tristitiam, atrocitatem aut indignitatem rei, ut *Coel.* 15, 35. ex. *Fin.* V. 20, 56. pr. M. Seneca *prooem. ad Controv.* l. I. p. 61. ed. Bip. *ut possitis aestimare, quantum quotidie ingenia decrescant et, nescio, qua iniquitate naturae, eloquentia se retro tulerit.* Similiter Graeci. Plato in *Gorg.* c. 69. pr. Οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον. Lucian. in *Hermotimo* c. 70. ex.

§. 147. *quid his — placeat*] Gu. 1. *eis.* Degen cum Heus. e Gu. 3. *iis*, improbante Gernhardo, qui tamen ipse sic edidit. Seqq. recte interpretatus fuerat Facciol. "Commune omnium iudicium naturam ipsam et veritatem patefacit." Degen hic oppositionem quandam infert, ut non *majoris partis*, sed *doctorum* tantum *hominum* atque *usu peritorum* iudicium sequamur. Quam vere, patefacient vv. seqq. *si quid* (i. e. quidquid, ut bis 146. ex.) *reprehensum sit a pluribus, id corrigatur.* De part. *etiam*, quae deinceps diversa vi repetitur, cum *atque etiam* i. q. *et adeo* valeat, v. Görenz ad V. *Fin.* 27, 47. ex. Post *qua de causa* addebatur *quisque sentiat.* Schütz cum Pearcio duorum codd. reg. Angl. fide proscripsit *quisque;* Langius et Fabrit. etiam *sentiat.* Repetitur quidem idem verbum cum vi *Fin.* IV. 14, 38. ex. et gravius etiam h. l. notio primaria notari videatur ὁμοιοτελεύτῳ : de quo cf. Parrhasii *Epist.* 17. in Gruter. *Lamp.* I. p. 746. Sed ne ipsi quidem dubitavimus, ad similitudinem loci *Fin.* II. 1, 3. pr. h. l. rejicere, addicentibus non nullis MSS. in *V. L.* ap. Graevium. Ceterum vereor, ut haec recte acceperit Degen. Monet auctor, ut videamus, ne *adulator et blandus id consilium det, quod deliberanti gratius fore suspicetur :* ut ait Seneca *ep.* 77. Seqq. citat Nonius in v. *Fabricantur.* Videtur Cic. hic respicere consuetudinem in primis Apellis *pictoris:* de qua cf. Plin. XXXV, 10. ante med. (sect. 36, 12.) et Valer. Max. VIII. 12. ex. et de *poëtarum* more Horat.

etiam poëtae suum quisque opus a volgo considerari volt, ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur, hique et secum et cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum iudicio permulta nobis et facienda et non facienda et mutanda
148 et corrigenda sunt. Quae vero more agentur institutisque civilibus, de iis nihil est praecipiendum: illa enim ipsa praecepta sunt. Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque civilem fecerint locutive sint, idem sibi arbitretur licere. Magnis illi et divinis bonis hanc licentiam assequebantur. Cynicorum vero ratio tota est eiicienda: est enim inimica verecundiae, sine qua nihil rectum esse potest,

---

A. P. a v. 420. et *Epist.* I. 19, a v. 39. Persius I. a v. 51. Alludit etiam Martial. VI. 48. Vid. Rupert. ad Juvenal. I. 1.

§. 148. *Quae v. more agentur*] Fut. fluxit e Gu. 1. 2. 3. λ, probante Görenzio ad I. *Leg.* 15, 43. p. 68. a. et II. *Ac.* 7, 22. ex. Verum tamen magis videndum, quid conveniat unius cuiusque loci rationi, quam quid consuetudini a scriptore alibi usurpatae. Aptius autem mihi quidem videtur volgatum *aguntur*, i. e. agi solent. Plus tamen VV. DD. auctoritate, quam meo iudicio, fortassis minus recto, confisus sum. *Socrates contra morem consuetudinemque civilem fecisse et locutus esse* dicitur fortassis propter petulantiam linguae in democratia Atheniensium palam vituperanda maximeque propter *liberam* in iudicio capitis *contumaciam*: de qua v. *Tusc.* I. c. 30. pr. (al. 29, 71.) Maximi Tyrii λόγος λθ'. (39.) et *Socrates von Wiggers* ed. alt. p. 138. s. 159. s. de illa autem ibid. 125. s. 141. 175. Omninoque is, in officinis disserere solitus, multos offenderat, quibus, ut Timoni, ἐννομολέσχης videbatur. V. Perill. Wolfii praefat. ad Aristoph. *Nub.* p. XII. s. et scriptores indicatos in Exc. Krugii *Geschichte d. Phil. alter Zeit* ad §. 59. et de Socratis discipulo *Aristippo* ibid. ad §. 70. Diogenes Laërt. II. 66 — 82. Vterque *hanc licentiam assecutus* dicitur *magnis et divinis bonis*, i. e. singularibus ingenii, divino quasi instinctu novam viam sibi patefacere audentis, dotibus. V. ad §. 114. pr. Alludi videtur ad Socratis *Genium*, τὸ δαιμόνιον. De *Cynicis* cf. ad 128. pr.

nihil honestum. Eos autem, quorum vita perspecta 149
in rebus honestis atque magnis est, bene de re publica sentientis ac bene meritos aut merentis, sic, ut aliquo honore aut imperio affectos, observare et colere debemus; tribuere etiam multum senectuti; cedere iis, qui magistratum habebunt; habere delectum civis et peregrini, in ipsoque peregrino, privatimne, an publice venerit. Ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus.

XLII. Iam de artificiis et quaestibus, 150
qui liberales habendi, qui sordidi sint, haec fere accepimus. Primum improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut fenera-

---

§. 149. *bene de re p. sentientis*] quales cives illis quidem temporibus *quasi aves albae*: ut de se ipso loquitur Noster *Epist.* VII. 28, 4. Statim post *sic, ut* ignorant libri praeter Augustan. Palat. 1. Graev. 1. et Nonium IV. 337. s. v. *Observare.* Nam s. v. *Affici* hic l. corruptus legitur. Intt. accipiunt pro *non secus, atque,* s. *non minus, quam.* Gottlebero tamen vv. *sic, ut aliquo honore aut imperio affectos* de glossemate suspecta fuerunt. Fortassis ita otiosa videbantur, quae sequuntur, *cedere iis, qui magistratum habebunt.* Cf. Plutarch. *de liber. educ.* 10, 6. praecipientem πρεσβυτέρους αἰδεῖσθαι, — ἄρχουσιν ὑπείκειν etc. Cic. *de senect.* 8, 26. pr. Deinde male Degen cum Heus. ex uno Graev. cod. contra rell. omnes scripsit *habere dilectum* et 152. ex. *in diligendo officio.* Iidem non sollicitarunt §. 160. pr. *deligendis* nec 6. (p. 14.) et 49. pr. voc. *delectus*, aliter atque aliter corruptum *Fin.* I. 10, 36. pr. V. Schützii *Lex. Cic.* in h. v. et I. *ad Q. fratr.* 1. c. 3. *deligere, quos velit et possit imitari.* Ibid. *habes non tuo iudicio delectum.* — *Consociatio* hic passive d., ut §. 157. ex. Sic etiam II. *N. D.* 31, 78. *conciliatione et societate coniuncti* i. q. I. *Leg.* 7, 23. *conciliati.* Repetitum in clausula v. *debemus*, a multis MSS. omissum, tuetur Gernh. comp. *Parad.* III. 2, 6. pr. (25. ex.) Ceterum Stoicus philosophus hic quasi fundamentum posuit templi illius, in quo condendo elaborat sodalitium illud, nescio quo consilio arcanum, liberorum caementariorum.

C. XLII. §. 150. *portitorum*] qui aut ipsi portorium conduxerant (I. *Rhet.* 30, 47.) aut portoriis exigendis prae-

torum. Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omniumque, quorum operae, non artes, emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiant, nisi admodum mentiantur. Nec vero

---

fecti erant a *publicanis*, equestris ordinis hominibus amplissimis, honestissimis, ornatissimis. De *portitorum* injuriis multae audiebantur querelae. I. *ad Q. fratr. ep.* 1. c. 10. Hinc infame erat, *τελωνῆσαι*. V. Theophrast. *Char.* VI. 2. Burmann. *de vectigalibus P. R.* L. B. 1734. p. 97. 102. et in Poleni *Thesaur. antiqq.* T. I. et quos praeterea laudat D. Winer, collega noster Summe Rev. et amicus coniunctissimus, in erudito l. *Biblisches Realwörterbuch* p. 762. In primisque invisa erat *feneratorum*, avaritia, quibus unus ex arte veteratoria sub gravioribus usuris, nimirum *sanguinolentis centesimis*, fenerandi quaestus erat. Cf. II. 89. I. *Att. ep.* 12. pr. Seneca *de benef.* VII. 10. De fraudibus feneratorum v. Ger. Noodtii *de fenore et usuris* (L. B. 1698. 4. et in Opp. T. I.) l. II. c. 4. et Salmasius *de modo usur.* L. B. 1638. c. XVIII. p. 531.

mercenariorum omniumque] Sic recte Schütz cum λ, μ, ψ, Ven. 1554. Victor. Junt. Lang. Gron. Oliv. Facciol. et Ernesto. Degen cum F. Heus. et rell. omisit *que*, quod vim habere potest collectivam praeter eam, quam Gernhard ei tribuit explicandi, compar. Platon. *de re publ.* II. p. 371. E. *οἱ πωλοῦντες τὴν τῆς ἰσχύος χρείαν, τὴν τιμὴν ταύτην μισθὸν καλοῦντες, κέκληνται — μισθωτοί.* Deinde post *quorum operae, non* repetitur in libris *quorum*: quod delevit Ernestus, taxatus propterea a Schützio, qui tamen et ipse omisit: et recte quidem. Nam stare nequit, cum nexus hic sit: *quorum non artes, sed operae emuntur.* V. II. §. 65. pr. *Fin.* III. 10, 34. ex. Deinceps iidem ante *illis* omiserunt praepos. *in*, quam habent et MSS. et edd. vett. et Vinc. Bellovac. Pronomen refertur non ad ipsos *mercenarios*, sed ad *quaestus* eorum. *Auctoramentum*, interprete Turneb. *Adv.* II. 20., etiam in opificiis obligatio quaedam est, interposita mercede contracta, ipsaque merces *auctorati*, i. e. ejus, qui suam operam mercede locavit et sponte se in servitutem addixit, ut gladiator ludo ad depugnandum aut miles, qui stipendium sibi *auctorat*, i. e. sacramento quasi mercedem quaerit. Vellej. II. 30, 1. Cf. Ern. in Schützii *Lex. Cic.* s. h. v.

quidquam turpius vanitate. Opificesque omnes in sordida arte versantur. Nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. Minimeque artes hae probandae, quae ministrae sunt voluptatum,

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,

Nec vero quidquam turpius] Voci *quidquam* Degen cum Heus. librorum alioquin non contemnendorum et Nonii in v. *Vanum* auctoritate praemittit, tolerabilius certe Schütz cum Ernesto et Nonii ed. Plant. 1565., ut volgo, postponit *est*, quod verissimo Gu. secundi testimonio expulit Gernhard. Cicero collocasset post *turpius* demum. *Vanitas* (in qua v. cf. Ernesti *clav.*) dicitur h. l. consuetudo mangonum, assueta mendaciis, fallax atque erudita artificio simulationis. Quid tibi videretur, Tulli, hodiernos intuenti Judaeos et vero Quirites tuos cum pectinibus ferreis et muscipulis venalibus? Ceterum J. A. Ernestus *de priv. Rom. disciplina* in *Opp. philoll. et critt.* p. 42. docet, ut constringeretur cupiditas pecuniae, ita institutum fuisse, ut perpauci quaerendae pecuniae modi honesti putarentur et non nisi hi, in quibus virtus aliqua animi eluceret: ut agricultura, in qua laboris patientia cerneretur neque ulla fraus intercedere posset; ut bellum, quod fortibus rem daret: ceteras rationes omnes, in quibus aut sine labore quaestus veniret, ut fenerationem, aut quaestus magnus et solus peteretur, ut mercaturam, in primis eam, quae voluptati magis et luxuriae, quam necessitati, serviret, et *opificia* partim non satis honestas, partim turpes habitas esse atque etiam vitae genera omnia, quae ob quaestum magis, quam utilitatem publicam, exercerentur, parum honesta minimeque digna cive ingenuo existimata esse libertinisque relicta. Cf. idem *de negotiatoribus Rom.* ibid. p. 8. De omni βαναυσίᾳ apud Rom. ad servos amandata testis citatur Dionys. Halic. II. c. 28. et de opificiis etiam apud Graecos inhonestis Gernh. conferre iubet Heindorfium ad Plat. *Theaetet.* 85. p. 402. Eadem improbabat Socrates, quod animum opificum debilitarent, ut scribit Xenophon in *Oecon.* 4, 2. s. Cf. Garve ad h. l. p. 276. ss.

artes hae] Degen cum Heus. *eae*, quod habent Gu. 1. 2. 3. Gryph. et Bald. At vero prospectat pronomen ad *cupedinarios*, qui deinceps recensentur Terentii versu ex *Eun.* II. 2, 26. ubi intt. docent, *avium fartores* dici *aviarios altiliarios*, qui *anseres*, *gallinas* etc. *farciunt*, i. e. turundis saginant. V. Cato *R. R.* 89. Degen tamen sibi non patitur eripi *farcimina*. — *Cetarii* non recentes, ut fere *piscatores*, sed muriaticos pisces vendunt et salsamenta, unde iidem *salsamentarii* vocantur. — *Coquus vilissimum antiquis mancipium* dicitur Livio XXXIX. 6. ex. Cf. Plaut. *Aulul.*

ut ait Terentius. Adde huc, si placet, unguentarios,
151 saltatores totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest aut non mediocris

II. 4, 1. Columella *praefat.* §. 5. et Cic. *p. Rosc. Am.* 44, 134. ubi describitur *officina nequitiae.* — *Vnguentarii* etiam ap. Horat. *Serm.* II. 3, 228. iidem sunt, qui Graeco nomine in Plauti *Trin.* II. 4, 7. (407.) dicuntur *myropolae*, Plutarcho in *Pericle* 1., ubi de eorundem contemptu, μυρεψοί. Delectabantur delicatiores homines prae ceteris *amomo*, *malabathro*, *myrrha* et *nardo*: de qua *merce Syra* v. Mitscherlich ad Hor. II. *Carm.* 2, 8.

saltatores] ὀρχησταί, histrionum et pantomimorum genus, qui vel cantui addebant motum corporis aptum et ad numeros compositum vel sola saltatione exhibebant fabulam, ut Sostratus ille ap. Sext. Empir. l. I. *adv. Math.* Vid. Sueton. in *Calig.* 54. et Krugii *Aesthetic.* p. 478. 487. cl. p. 579. Notae sunt etiam virorum gravissimorum querelae de alio *saltatorum* genere, Ionicos motus et saltationes lascivas docentium iuvenes et maturas virgines: quae propter haec *cantandi saltandique obscoena studia* Horatio, corruptos seculi sui mores notanti, reprehensione dignae videbantur, III. *Carm.* 6, 21. Sallust. *Catil.* c. 25. Eo alludit etiam Seneca *de tranq. anim.* 15. post med. qui *epist.* 90. ante med. *officinis odores coquentium* iungit *officinas molles corporis motus docentium mollesque cantus et infractos*. Describit *ludum saltatorium* Macrob. *Sat.* II. 10. Luculentius de indecente hac et scurrili saltatione exposuit Graev. ad h. l., quem sequitur Birnbaum *de natura ac usu studii antiquitatum* p. 95. De infamia horum saltatorum v. Mich. Heusinger in diss. *de studiis juvent. apud Rom.* n. 2. et ad Cornel. Nep. *Epam.* c. 1. Sed in primis adhibe *Abhandlung von den Pantomimen historisch und kritisch ausgeführt.* Hamburg. 1749. 8.

totumque ludum talarium] i. e. omnes aleatores. Nam *ludum talarium*, vel, ut Quinctil. *Instt.* XI. 3. p. 306. ed. Bip. loquitur, *talarem*, cuius rationes explicat Casaubon. ad Sueton. *Octavian.* c. 71. hic pro toto genere eorum, quibus ex alea quaestus est, poni, cum Heus. notat Schütz in *Lex. Cic.* s. v. *Ludus* 1. Hic turpis erat (cl. Ovid. *Trist.* II. 472. v. Rupert. ad Juvenal. I. 88. XI. 174.) et legibus vetitus. *Phil.* II. c. 23. Horat. III. *Od.* 24, 58. Binkes ad h. l. p. 31. *n.* 73. laudat Gravinae *Orig. Jur.* l. III. c. 105. p. 443. Bachii *H. J.* l. II. c. 2. sect. 1. §. 95. 97. Barbeyracii *Traité du Jeu* III. 1, 7. et 9, 9, ss. A. Boxmani diss. *de legibus Rom. sumtuariis* (L. B. 816.) p. 52. s. et Joh. Jac. Lindii *diss. ad Tit. ff. de Aleatoribus* (L. B. 816.) p. 18. ss. Add. Ill. Hauboldi *Instt. iur. Rom. priv. lineamentt.* §. 752. *b*).

§. 151. *Quibus — inest aut — quaeritur*] Pron. relat.

utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, hae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestae. Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est: sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vani-

---

ad verba diversi regiminis semel tantum ponitur e Graecismo, de quo v. Matthiae in Grammat. Graec. majori §. 474. p. 656. et Hermannus §. 28. ad Viger. p. 707. s. cl. *Fin.* III. 7, 25. ex. ubi nemo, opinor, Görenzii artificium ei, quae Bremio placuit, rationi praeferet. Sic etiam ibid. V. 9, 26. explicandus foret locus supra ad c. 4. pr. adscriptus: nisi facilius cum Bremio insereretur *ut.* — *Medicorum* artem antiqui Romani, quaestum esse immani pretio vitae recusantes, damnabant; Plinii (XXIX. 1. sect. 8. post in.) adhuc aetate paucissimi Quiritium attigerant. Plerique medici aut Graeci erant aut servi. V. Seneca *de benef.* III. 24. Sueton. in *Calig.* 8. Binkes n. 74. ea de re laudat ICTorum fragmenta, quae collegit Weber *von d. natürl. Verbindlichk.* §. 17. ss. p. 45. ss. Heineccius *syntagm. antiquitt. Rom.* l. I. tit. 25. §. 19. Primus Julius Caesar eos, qui liberi essent et peregrini, civitate donavit. Sed nec medicinae nec architecturae nec *doctrinae rerum honestarum* (i. e. philosophiae omniumque artium liberalium) professio senatorio aut equestri ordini et fortunae convenire existimabatur; scientiam autem, quae quaestum sperneret, omnibus ornamento fuisse, ostendit M. Heusinger.

Mercatura] antiquis Romanis ignominiae fuit. V. Heineccius l. c. lib. IV. t. 7. §. 1. In causas inquirit G. Brender à Brandis in *Vaderl. Magaz.* T. II. p. 377. quem laudat Binkes n. 75. cl. Montesquieu *Esprit des lois* XXI. 10. s. Sed non solum equites, verum etiam senatores per servos certe, non tamen sine offensione, negotiari solebant. *Propolas*, καπήλους, etiam a militia exclusos fuisse, docuit Mich. Heusinger in diss. *de studiis iuv. ap. Rom.* n. 4. Ceterum ad vv. *undique apportans* non possum non comparare, quae Hermannus, Flacco longe praestantior vates, de Rege nostro cecinit:

Per te moratorum osor ab ultimis
Mercator oris Hesperias vehens
Commutat Eoasque merces
Plurimus, emporiisque acervat:
Vnde et, remotis obiicibus, lubens
Intravit urbes Copia, libero
Cornu refundens, quidquid orbis
Gignit opum variatus horis.

Quae nos, iisdem metris in patrium sermonem conversa, cum nostris popularibus communicavimus. — Degen et

tate impertiens, non est admodum vituperanda. Atque etiam, si, satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu in agros se possessionesque contulit, videtur iure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero dignius. De qua quoniam in *Catone Maiore* satis multa diximus, illinc assumes, quae ad hunc locum pertinebunt.

152 XLIII. Sed ab iis partibus, quae sunt honestatis, quem ad modum officia ducerentur, satis expositum videtur. Eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio et comparatio, de duobus honestis utrum honestius: qui locus a Panaetio est praetermissus. Nam cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia

---

Schütz hic etiam retinuerunt scripturam *impartiens*. V. ad 92. p. 207 ex. Tum volgo legitur, *se in agros*. Ernestus cum cod. Duisb. transposuit *in agros se*, taxatus a Schellero et Gernhardo, quod, hunc ordinem, dixit, non docuit, esse Ciceronianum. Nostrum est, hoc docere. Eodem igitur modo hoc pronomen Accusativos, copula coniunctos, disiungit et facit ambiguitatem III. *Catil.* 4, 9. *Cinnam ante se et Sullam fuisse*: quae hoc modo explicat Sallust. 47. *Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse.* Supra 144. pr. *apta inter se et convenientia.* Recte autem Gernh. e Gu. 1. 2. 4. λ et μ restituit Indicativum; quo modo praecessit *si tenuis est.*. Schütz et Degen tenent volgatum *contulerit* et deinde *nihil homine libero dignius.* Sed vocem *homine*, quae in aliis libris Adiectivo postponitur, cum Gu. 2. proscripsit Gernh., cum iam Heus. comparasset *Or.* I. 5, 17. 16, 72. *Pis.* c. 10. pr. *Timaei* 1. pr. *artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus.* Respicitur autem *Cat. Mai.* 15, 51 — 17, 60. Cf. *Rosc. Am.* 17, 48 — 18, 51. Xenophon *Oecon.* c. 5. Plin. XVIII. c. 3. et Columella I. *praef.* ubi §. 4. *res rustica proxima et quasi consanguinea sapientiae esse* dicitur. Virgil. *Ge.* II. a v. 485. Horat. *Epod.* II. Claudian. *Epigr.* 52.

C. XLIII. §. 152. *communitatis*] Nec hic nec 153. pr. nec 159. pr. recte interpretantur Hottinger et Degen.

magnanimitatis, quarta moderationis: hae in deligendo officio saepe inter se comparentur, necesse est.

Placet igitur, aptiora esse naturae ea officia, 153
quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione ducantur. Idque hoc argumento confirmari potest. Quod si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse con-

---

Communitas hic non obiective dicitur pro *rebus*, *quae sunt in iure societatis humanae*; sed subiective, ut III. §. 24. pr., pro *virtute*, *qua societas hominum coniunctioque servatur*: *omnis ratio humanitatis*, *ad hominum consociationem accommodata* (§. 100.). Resp. c. 7. pr. et de *partibus quatuor honestatis* c. 5.

§. 153. *officia* —, *quae ex cognitione ducantur*] *Officium cum hanc habeat viam*, *quae ducit ad conservationem naturae* (110. pr.): Stoici primum indagabant ingenerata virtutis elementa et proficiscentia inde honestatis studia persequebantur: *e quibus virtutum quasi scintillulis accendi philosophi ratio deberet*, *ut*, *Naturam* (sic corr.), *quasi Deum*, *ducem subsequens* (*Fin.* V. 15, 43. quem l. παρερμηνεύει Görenz. Cf. 24, 69.) ab iisdem illis principiis certa officiorum genera duceret virtutumque munera, naturae apta. Itaque §. 15. recte dici potuit *indagatio atque inventio veri nasci ex ea parte*, *quae sit sapientiae et prudentiae* (i. e. *cognitionis*). Delevi ibi *inest*, a cod. μ mutatum in *est*: de qua emendatione eo magis nunc confido, cum postea invenerim, eandem iam occupatam esse a V. D. in Annal. literar. Heidelberg. 1812. n. 3. p. 40.

Quod si contigerit] Importune ante haec vv. virgula distinguebatur, ut nexus esset: *hoc argumento*, *quod sapiens excedat e vita*, i. e. esse omnino nolit in vita, mortem sibi ipse consciscat. V. *Excurs.* XV. Plene interpunximus, ut I. *Divin.* 32, 71. pr. 38, 82. pr. *Quod* compensat particulam *enim*, quae *Fin.* III. 18, 59. argumentationem inchoat, aut *igitur*, quae argumentum, modo promissum, iam ipsum infert. Adiuvat igitur nexum, ut II. §. 29. ex. *Fin.* III. 15, 50. pr. ubi item *Quod si*, sequente *tamen*, pro *etiamsi* ponitur, ut IV. 11, 27. pr. et simplex *si* infra II. c. 8. ex. et *Cat. Mai.* 11, 13. (§. 38.), quae bina exempla iam ap. Tursellin. leguntur. Ea particulae conditionalis vis cum lateret scribas, ante vv. *omnia* — *contempletur*, inculcarunt *quamvis*, recte exclusum exemplo Fabritii, cum ap. H. Wolf. in margine inter *V. L.* e MSS. notetur: *ut in*

sideret et contempletur: tamen, solitudo si tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita. Principsque omnium virtutum illa sapientia, quam σοφίαν Graeci vocant (prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν, aliam quandam intelligimus, quae est *rerum expetendarum fugiendarumque scientia*) illa autem

---

o. r. a. copiis, omnia quae. Tum legebatur *si solitudo.* Sed Goth. et Gu. 3. particulam *si* (in qua cf. Tursellin.) notione primariae postponunt: ut §. 120. (p. 255.) et 144. *Atque hoc idem Sophocles si* etc. De vita solitaria minime vitali cf. 158. III. 5, 25. *Lael.* c. 23. ex. §. 87. *Fin.* III. 20, 65. V. 20, 57. pr. Diog. Laërt. VII. 123. ex. Arist. *Eth. Nicom.* IX. 9, 2. 7.

quam Graeci φρόνησιν] Schütz post haec vv. retinuit glossam *dicunt*, quae non magis, quam Gu. 5. et Ascensii *vocant*, agnoscitur a Graev. 1. Palat. 1. Vin. duob. Ox. et λ, μ, ψ neque ab edd. vett. plerisque. V. ad §. 142. Minus exacte locutus est Cic. III. *Fin.* 18, 61. *Prima — illa naturae, sive secunda sive contraria, sub iudicium sapientis et delectum cadunt: estque illa subjecta quasi materia sapientiae:* quod praecesserat *iudicium sapientis.* Propriè autem *prudentia*, quae alibi (III. 71. II. *de invent.* 53, 160. pr. *N. D.* III. 15, 38. pr. *Leg.* I. 23, 60. ex. *Fin.* V. 23, 67.) fere definitur *rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia*, locata est in *delectu mediorum*, i. e. τῶν βιοτικῶν, *cum commoda cum incommodis conferimus*, ut explicatur III. *ad Herenn.* 2. s. (ap. Schütz. c. 4. pr.) Cf. Sext. Empir. *Pyrrh.* III. 271. Diog. Laërt. VII. 126. Stobae. et 92. cum not. *Ecl. Eth.* II. p. 102. φρόνησιν δ' εἶναι ἐπιστήμην ὧν ποιητέον καὶ οὐ ποιητέον καὶ οὐδετέρων ἢ ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων. p. 112. φρονήσεως μὲν γὰρ εἶναι κεφάλαια τὸ μὲν θεωρεῖν καὶ πράττειν, ὃ ποιητέον. Idem plane sibi volt definitio p. 104. τὴν μὲν φρόνησιν περὶ τὰ καθήκοντα γίγνεσθαι. Etenim vitae agendae dux cum sit *prudentia*: hujus disciplina est ipsa doctrina *de officiis* (*vitae* nempe vel *mediis*). Quid, quod tota illa philosophiae pars, quae est vivendi, *Tusc.* V. 24, 68. dicitur posita *in descriptione expetendarum fugiendarumque rerum?* Has definitiones in clariori luce ponent *Excurs.* VI. IX. s. Bardili quidem in Hauffii *Philologia* II. p. 26. non Stoice explicavit; sed potius ex voluptariorum ratione, ut fere Epicureus ille I. *Fin.* 10, 36. ex., exclusa honestate, ad solam vitae vel necessitatem vel iucunditatem refert *prudentiam*: quam hujus notionem, a multis nunc celebratam, castigavit Lilie in *Comment.* I. p. 49. Cf. *Prudentiae* et *sapientiae* distinctionem et definitiones ap. Aristotel. VI. *ad Nicom.* c. 7. sect. 4. s.

sapientia, quam principem dixi, *rerum est divinarum atque humanarum scientia*: in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter

---

sapientia] definitur ap. Plutarch. *de phys. philos. decret.* ab in. et a M. Antonino III. 1. ἐμπειρία τῶν τε θείων καὶ τῶν ἀνθρωπείων, *scientia rerum divinarum atque* (Degeu h. l. cum Heus. e quatuor Gu. et Gryph. *et*. Sed cf. I. *Or.* 212. ex.) *humanarum* (*Fin.* II, 12, 37. pr. in Senecae *Epist.* 88. Quinctil. *Instt.* XII. p. 346. ed Bip.): quibus II. Off. 2, 5. adiicitur: *causarumque, quibus hae res continentur.* Senecae (*Ep.* 89. post in.) *supervacua videtur haec adiectio, quia causae divinorum humanorumque partes sint.* Assentitur Bardili l. c. p. 21. Sed nescio, an haec adiectio spectet ad *dialecticam* (cf. ad §. 17. pr.), cuius cum duabus alteris *philosophiae* (haec autem *sapientiae studium* est ideoque eodem modo definiri solet) partibus nexum expressum in ista definitione desiderabat b. Platner in *Aphorismis* nov. I. nota ad §. 18. p. 14. s. Certe in hanc me opinionem inducunt haec *Tusc.* V. 3, 7. s. et IV. 26, 57. ubi Cic. definit *rerum d. et h. scientiam cognitionemque, quae cuiusque rei causa sit. Ex quo efficitur, ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat*: ubi in promptu est, *scientiam rerum humanarum* (scil. *despiciendarum.* V. ad 61. p. 141.) Ciceroni esse agnitionem finis bonorum et αὐταρκείας virtutis. Sed vereor, ut satis sibi constiterit. Hic enim, ut apparet ex argumenti conclusione *in qua* (i. e. *ergo in hac*) *continetur* etc., eodem sensu cepit, quem huic definitioni tribuit Seneca *Ep.* 90. pr. Philosophiae *opus unum est, de divinis humanisque verum invenire. Ab hac nunquam recedit iustitia, pietas, religio et omnis alius comitatus virtutum consertarum et inter se cohaerentium. Haec docuit colere divina, humana diligere et penes deos imperium esse et inter homines consortium.* Similia sunt illa Ciceronis I. *Tusc.* 26, 64. et eodem sensu *iuris prudentia* ab Vlpiano in *D.* I. t. 1. l. 10. §. 2. definitur *divinarum atque humanarum rerum notitia.* Cf. Justiniani *praef.* I. *de conceptione Digestt.* §. 1. Argutatur igitur Bardili l. c. p. 21. haec accipiens de unius cuiusque nostrum natura singulari referenda ad universae legem huicque subiicienda. Imo hoc ipsum iam inest in *scientia rerum divinarum* sive *coelestium*, h. e. ordinis naturalis, aeterni illius semperque eiusdem, universum mundum regentis, τοῦ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχοντος, (ut ait Plato VI. *de re p.* ab in.) tamquam exempli, ordine rerum agendarum imitandi. Sic patet utriusque partis nexus; sed magis patebit, cl. *Excursu* VIII.

deorum et] Gernh. haec a glossatore ad superiora *rerum divinarum* adscripta censet: *cum societas inter ipsos esse debeat non deorum et hominum, sed hominum.* Nam quae

ipsos. Ea si maxima est, ut est: certe necesse est, quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio contemplatioque naturae manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet igitur ad societatem generis humani. Ergo haec co-

---

sequitur *communitas*, eam non esse nisi hominum inter homines, ex qua ducantur officia iustitiae. At vero obstant vv. extrema §. 160. Quidni igitur hic recte intelligatur *communitas deorum inter deos* (concordia Vniversi, ἡ ἐν τῷ παντὶ φιλία ap. Plotin. p. 707.), *hominum inter homines*, denique *deos inter hominesque?* Benefici cum sint in homines dii, homines in deos, par est, ut sint pii et grati. Sic *iustitia* complectitur *religionem*; quo verbo Ciceronem II. *Invent.* 53, 161. τὴν εὐσέβειαν interpretatum esse, monet Lilie I. p. 36. *). Non incommode autem legeretur cum Facciol. *societas ipsorum inter ipsos.* De hac societate humana cf. ad c. 16. pr. de divina illa locis a Gernh. adscriptis I. *Leg.* 7, 23. ss. *Fin.* III. 19, 64. *N. D.* II. 31, 78. (ubi cf. Creuzer) add. ibid. 62, 154. Arius Didymus ap. Euseb. *Paepar. Evang.* XV. c. 15. citatus ab Heus. et a Lipsio in *Physiolog. Stoic.* II. *diss.* 7. Diodor. citat. a Scaligero ad Manil. V. vs. 362. p. 390. (275, 6. ed. Lutet. 1579.) et praecipue Plato in *Gorg.* 63. p. 507. E. s. ed. Steph.

Ea si maxima est] refertur ad *sapientiam*, non ad *societatem*, quo refert Gernhard, qui Degenio eiusdem erroris auctor exstitit, cl. *Fin.* V. 23, 65. pr. *nihil est tam illustre nec, quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum.* „At *sapientia*, ut *princeps* dicatur, non continuo *maxima* appellabitur.“ Quidni? Eadem II. §. 6. dicitur *maximarum rerum ars.* Sed omnem scrupulum adimet l. V. *Fin.* 21, 58. pr. ubi *maximarum actionum* prima censetur *consideratio cognitioque* [male Schütz cum Görenzio, quos noster hic l. refellit, *ve*] *rerum coelestium.* Est ergo i. q. *gravissima*, *maximi momenti.* — *Vt* autem cum repetitione praecedentis verbi est concedendi formula. Cf. III. 117. *dicat Epicurus, sicuti dicit, satis fortiter.* V. *Epist.* 11, 4. *ex.* I. *ad Q. fratr. ep.* 1, 2. *sit — difficile ceteris, sicut est difficillimum.* V. Davis. et Heindorf ad II. *N. D.* 31, 78. pr. Schütz retinuit incommodam distinctionem, quae coniungit, *ut est certe.* Recte Gernh. usus fuerat exemplo *Fin.* V. 19, 64. ubi *certe* in consecutione apodosin inchoat. Sed minus recte in conclusione *ergo haec* refert ad *actionem*, cum pertineat ad *societatem generis humani.* Cf. §. 157. ex.

cognitioni anteponenda est. Atque id optimus quis- 154
que re ipsa ostendit et iudicat. Quis est enim tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei, tractanti contemplantique res cognitione

---

ex. Ceterum observatur, opponi haec maxime Peripateticis, quorum disciplinae M. filius traditus erat: *quibus maxime placuit vitae degendae ratio quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum.* V. *Fin.* 4, 11. ex. Argumentationis tenor hic est. „Sapientia est omnium virtutum princeps: unde sequitur, pariter etiam officium, quod illa iubet, esse primarium et praestare ceteris. Sapientia autem, quam nos intelligimus, nos primum ad deorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, erudiat iungatque communione, necesse est, vitae dux, inventrix legum, magistra morum et disciplinae. Ergo cognitio, si nulla actio rerum consequatur, sterilis et manca sit veraeque sapientiae, quae de hominum vita meretur, dissimillima.“ Est autem hoc alterum argumentum, quo Cicero non quidem unam rei publicae administrationem otio sapientium praefert, sed omnino *consideratam actionem*, quae communi hominum utilitati inserviat. Frustra hanc sententiam refellere suscepit P. Petitus *Miscell. Obss.* IV. c. 2. Quasi quidam monachus, fruges consumere natus, abutitur argumentis e Platonis et Aristotelis ratione, tum vero etiam e sua insipida sapientia depromptis. V. ad §. 92. pr. Copiosius contra hos otiosos philosophos Noster disputaverat in *Hortensio*, cuius fragmenta exstant ap. Lactant. III. 16, 2. et 5. Priorem locum Schütz XVI. II. p. 141. inter *Fragmenta librorum incertorum* posuit; alterum, cum illo arctissime connexum, ipse p. 105. non dubitavit inter *Hortensii* fragmenta ponere. Cf. Maximi Tyrii λόγος ι et ς.

§. 154. *Quis est enim*] Sic (ut §. 5. pr. II. 16. pr. et innumeris aliis locis) cum Gu. 5. omnes edd. vett. Volgo: *Quis enim est*: ut I. *Or.* 2, 6, ex. *Verr.* IV. c. 25. pr. *Divin.* II. 39, 82. pr. 56, 116. *Acad.* II. 7, 22. ex. 25, 79. pr. *Fam.* IV. *ep.* 2, 3. *Lael.* 8, 8. *Quis est, qui C. Fabrici — non cum caritate aliqua — memoriam usurpet —? quis autem est, qui Tarquinium Superbum — non oderit?* ubi fortassis alterum *est, qui* delendum ad similitudinem gemini loci *Fin.* V. 22, 62. pr. nisi malueris, servata anaphora, proscribere *autem.* *Att.* VIII. 14. (p. 423. ima ed. Schütz.) *Quis autem est, tanta quidem de re quin varie secum ipse disputet?* IV. *ad Herenn.* 35. (§. 48.) *Quid enim est, quare —?* (cl. I. *Divin.* 39, 84. pr. 47, 132. *Quid est igitur, cur*). *Leg.* I. 4, 14. *Quid enim est tantum, quantum —? Sull.* 31. ex. (89.) *Cat. Mai.* 2, 6. ex. (§. 5. ex.) *Quid enim est aliud —?* (cl. *Tusc.* V. 14, 41. ex. *Quae*

dignissimas, subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abiiciat, etiam si, dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse, arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici
155 re aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, studiis officiisque scientiae praeponenda esse officia iustitiae, quae pertinent ad hominum caritatem: qua nihil homini esse debet antiquius.

XLIV. Atque illi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt. Nam et erudiverunt multos, quo meliores cives utilioresque rebus suis publicis essent: ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus, Syracusium Dio-

---

est enim alia fortitudo, nisi — ?) *Tusc.* IV, 16. pr. (35.) et *Leg.* III. 1, 1. *Quid enim est elegantia tua dignius?* v. *est* fortassis eodem modo expungendum, quo in *Cat. Mai.* 9, 7. pr. (§. 28. ex.) nuperi edd. expulerunt. *Balb.* 3, 7. pr. *Vbi igitur est crimen?* Cf. ad §. 9. pr. — Nota porro constructionem *cupidus in:* qua eadem Catullo in *Epithalam.* dicitur *deditus in adultera.* Cf. ap. Gellium III. 1. *sese in quaerenda undique pecunia dediderunt.* Deinde *allatum*, nempe *fama*, i. e. q. *nunciatum.* V. Schaefer ad Sophocl. *Aiac.* 790. Denique *in amici re* i. e. q. *in a. causa; in a. commodum.*

§. 155. *hominum caritatem*] mutuam. Passive accipio, ut Genitivus sit Subiecti. *Homo homini carus esse debet.* Cf. *Fin.* V. 23, 65. — *Antiquius* XIII. *Phil.* c. 3. opponitur iis, quae *posteriora ducuntur.* Cf. I. *ad Q. fratr.* 1. c. 9. pr. Schützii *Lex. Cic.* s. h. v. n. 3.

C. XLIV. *Atque illi, quorum — versata est*] Ex his cogitatione denuo repetendum, *quamquam eorum — v. est*, cui opponitur sequens *tamen*, ut §. 38. pr. V. Tursellin. in *Tamen.* Dissimilia sunt illa, in quibus pron. relativum statim ab initio ponitur, ut *Fin.* V. 22, 61. ex. Proximo *Nam et* respondet *Neque* §. 156. pr. Praeterita autem *recesserunt* et *erudiverunt* ἀορίστως ponuntur pro *solent* cum infinito verbo. — *Lysis* vocatur epistolarum scriptor (Diog. Laërt. VIII. 42.), *Pythagorae auditor*, qui *Thebis scholas habuit*, teste Hieronymo in *Apolog. adversus Rufin.*, non *Lysias*, quo modo fere ubique nomen ejus olim cor-

nem Plato multique multos: nosque ipsi, quidquid ad rem publicam attulimus (si modo aliquid attulimus) a doctoribus atque doctrina instructi ad eam et

---

ruptum legebatur, memorante Tayloro ad Lysiae *Apologiam* p. 91. (ed. Reisk. p. 3.) V. de eo Pausan. IX. 13. pr. Plutarch. *de musica* et *de Socratis daemonio.* Diodor. Sic. XVI. et in Valesii *Excerptis.* Malchus (Porphyr.) in *vita Pythag.* et Jamblichus in ead. 30. Diogen. Laërt. VIII. 7. Aemil. Prob. XV. in *Epam.* 2, 2. Anacharsis *Reisen* II. p. 10. et VI. p. 284. Idem haud dubie apud Cebet. c. 2. pr. est ille, qui *tabulam* istam dedicasse dicitur. In *Epaminonda* philosophiae doctrinam laudat Justin. VI. 8. — Et *Dio quidem se totum Platoni tradidisse* memoratur ap. Aemil. Prob. X. 2, 3. et ab ipso Platone *Epist.* VII. p. 327. B. s. quem l. citat Plutarch. in *Dione* c. 4. Cf. Diog. Laërt. III. 21. et ad totum h. l. Aelian. *Var. H.* III. 17. Plutarch. *de liber. educ.* 10. §. 12. Cic. III. *Or.* c. 34. ex.

si modo] apertius, quam simplex *si* §. 113. et *eum quidem* VII. *Fam. ep.* 28, 1. cum iteratione praecedentis verbi per parenthesin formula est subdubitandi, ut *Or.* I. 58; 247. II. 38, 157. ex. *Divin.* I. 1, 1. [ex quo loco sic corrigendus Plin. *H. N.* II. c. 5. sect. 7. pr. *Quisquis est deus* (*si modo est aliquis*), ubi volgo legitur *alius.*] aut verendi formula est, ut *Fam.* VI. 19, (al. 20.) 1. H. l. modestiae inservit, ut in *Or.* 4, 12. pr. *Brut.* 91, 316. *De opt. g. or.* 4, 9. pr. *Fam.* IX. 14, 8. *Att.* XIII. *ep.* 19. ex. vel in clausula, ut in *Bruto* c. 49. *ego iudicabo; si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare.* Sed parenthesis indicanda in alia modestiae formula ib. 87. *etsi tu melius existimare videris de ea (si quam nunc habemus) facultate.*

a doctoribus atque doctrina] Cf. *Brut.* 43. ex. et 66; 233. (in Schütz. ed. c. 65. pr.) : qua in constructione est elegans *doctrinae* προσωποποιΐα. Non tamen idcirco Gernh. et Schütz cum λ, ϕ; ψ, Asceus., Victor., J. Gronov.; Facciol. Oliv. et Ernesto recte iterasse videntur praepos. *a* ante *doctrina.* Neque melius III. §. 84. e binis libris editur *a Tantalo et a Pelope.* V. ad §. 136. ex. et Görenz ad II. *Acad.* 35, 112. pr. — Pluribus locis Cicero, quid doctissimorum hominum familiaritatibus debeat, profitetur. *Or.* c. 4. (volgo 3.) et 42. ex. *Arch.* 6, 12. ss. *N. D.* I. 3, 6. s. I. *ad Q. fratr. ep.* 1, 9. *Non enim iam hoc me dicere pudebit; — nos ea, quae consecuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque tradita.*

156 ornati accessimus. Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent; sed hoc idem etiam post mortem monumentis literarum assequuntur. Nec enim locus ullus praetermissus est ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam rei publicae pertineret: ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur. Ita illi ipsi doctrinae studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferunt. Ob eamque causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare: quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum
157 comm unitate iuncti sumus. Atque ut apum examina non fingendorum fauorum causa congregantur, sed, cum congregabilia natura sint, fingunt fauos: sic ho-

---

§. 156. *otium suum ad nostrum negotium contulisse*] Elegans lusus verborum in antithesi: Ipsi procul negotiis doctrinae sese dediderunt, ut alios, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accommodaturi essent, efficiendi facultate, consilio et prudentia instruerent.

copiose, modo prudenter,] ut vitetur tum *flumen inanium verborum*, tum *orationis siccitas* in *subtilitate sententiarum*: quae contraria vitia notantur II. N. D. 1, 1. *Modo* dicitur pro *dum modo*: ut §. 92. p. 268. pr. §. 127. ex. *facere turpe non est, modo occulte.* II. 71. *modo ne.* III. 51. *Epist. Brut.* I. 17. med. *servitutem, honorificam modo, non aspernatur. Fam.* VII. 1, 2. pr. XVI. 12, 8. ex. — *Copiose loqui* dicitur orator l. I. *de Or.* 11, 48. pr. nescio, an non recte, cum ibid. continuo sequatur *copiose eloqui* et praepositio facillime absorberi potuerit a praecedenti syllaba. Facilius excusetur ib. §. 49. pr. *si ornate locutus est, sicut fertur et mihi videtur* (nimirum in libris), *physicus ille Democritus.* Opponuntur h. l. *prudenter* (i. e. sic, ut res et causa praesens postulat, sed volgi captum non excedentia) *eloqui* et *acutissime* (i. e. ea, quae volgi captum superant, difficilia ad intelligendum) *cogitare.*

§. 157. *apum*] In hac Genitivi forma, de cuius analogia v. Grotefendi *Lat. Grammat.* §. 56. 4), consentiunt codd. I. *Divin.* 33, 73. et *de harusp. resp.* §. 35. et h. l.

mines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi congregandique solertiam. Itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis,

---

Gu. 3. cum edd. vett. praeter primam Rom. Parum igitur me movet, quod Fabrit. Graev. e Palat. 1. duob. Guilielm. excerptis Pith. uno Manut. et Tertii libro, Facciol. et Heus. e 4 Gu. ediderunt h. l. *apium*: quod ne in *Cat. Mai.* 16, 44. ex. quidem e paucis libris, alioquin bonae notae, receptum probo. V. Columell. IX., 2, 2. 3, 1. et *Lexic. rusticum* s. h. v. — Inter apes societas operis et aedificiorum eleganter hominum civitatibus comparatur ap. Varr. *R. Rust.* III. 16, 4. ss. 9. Aristot. *Hist. Anim.* I. 1, 11. pr. IX. c. 40. Plin. XI. c. 5. 6. Virgil. *Ge.* IV. 202. 212. ss.

natura congregati adhibent agendi congregandique solertiam] Omnium, omnium antiquitatis monumentorum haec constans est lectio, omnium: nisi quod in quibusdam est *augendi*. Nihilo minus ab Aldo inde edd. omnes (incredibile memoratu!) Tullio obtrudere ausi sunt *agendi cogitandique*: scilicet, ut hominum congregatorum fructus esset *actio et cogitatio*, ὕστερον πρότερον! Quasi vero omnes homines sint tales Epimethei, quales isti critici, qui adhibuerunt *corrigendi insolentiam* ante *cogitandi solertiam*. Sed hoc commodius se res habet, quod ipse Tullius alibi fuit sui interpres. Hoc igitur sibi volt: „Quem ad modum apes, cum congregabiles natura sint, *congregatione coetum quodam modo civitatis imitantur* (*Fin.* II. 33, 109.) favosque fingunt: sic homines, ac multo etiam magis, natura *congregabiles* cum sint, adhibent solertiam *tum artibus, tum opera devinciendi ipsorum inter ipsos societatem* (§. 22. ex.): *in primisque eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate iuncti sumus.* Nam *quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere aut iam constitutis civitatibus leges, iudicia, iura describere?*" I. *Or.* c. 8. ex. Sed ne omnia adscribamus, cf. I. *Invent.* 2, 2. *Sext.* 42, 92. *Tusc.* V. 2, 5. Nimium igitur quantum conjectura aberravit Degen, opinatus, Ciceronem hic obiter *eloquentiae* mentionem iniecisse, ut se scilicet ipsum laudaret. Frustra etiam Garve mirum in modum ingenii sui vim torsit, ut ex editorum corruptela, sensu plane cassa, tolerabilem eliceret sensum. Latuit omnes adjectiva Participii vis, cum non attenderent ad vv. *ac multo etiam magis*. Eademque tum emergit e loco, quem hic expressit Cic., Aristotelis *Polit.* I. c. 2. πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζῴου μᾶλλον δῆλον. οὐδὲν γὰρ — μάτην ἡ φύσις ποιεῖ: tum inest in participiis *inaccessus*, *invictus* et similibus. Sallust. *Jug.* c. 91. ex. *Genus hominum mobile, infidum, neque beneficio neque metu coërcitum.* Liv. II. 55, 3. *Nihil*

id est ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et ieiuna videatur: itemque magnitudo animi, remota a communitate coniunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas. Ita fit, ut vincat cognitionis studium

---

contemptius, neque infirmius, si sint, qui contemnant: et quae alia F. Heus. notavit ad 17, 9. ibi ἀπροσδιόνυσα.

nisi ea virtus — attingat cognitionem] i. e. *coniuncta sit cum ea, si eam excludat;* vel, ut Facciol., *nisi excipiat cognitionem eamque perficiat!* Absurdus exiret sensus ex eo ordine verborum, quem proprie hic requiri autumat Degen: *nisi cognitio rerum attingat eam virtutem, quae* etc. Bavius Voorda *Lectt. et interpretationum Tullian.* c. II. (L. B. 1796.) „Cicero disputat contra eos, qui, per omnem vitam umbratico studio in sola rerum cognitione versati, nolunt hanc suam *sapientiam usu ipso conferre ad communem civium utilitatem*, succurrendo, si quod subito periculum obnuncietur, patriae, parentibus, amicis, civibus: quorum a ratione ita alienus est, ut prae hoc pietatis et iustitiae officio studium rerum, cognitione ceteroquin dignissimarum, tantisper intermittendum existimet. Hanc eius mentem prodit ampla disputatio per totum caput 43 et 44." Haec ille. Singularum sententiarum nexum perbene expedivit Gernh., fallit autem in eo, quod dicit, Facciolatum ante vv. *Atque ut apium* collocasse periodum : *Itaque nisi — immanitas.* Imo haec tantum : *Itaque nisi — ieiuna videatur.* Reliqua excludi volt Facciol.

itemque magnitudo animi] i. e. *pariter, ut m. a., remota a* — Hanc praepos., volgo, cum a praecedenti litera absorpta esset, omissam, inserui ex edd. Lugd. 1527. Anemoec. et Hervag. Cf. §. 63. ubi eadem haec Platonis sententia laudatur. Omnino et *communitatem* et *fortitudinem* comprehendit *ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis* (§. 12. ex. 17. pr. 23. ex. 28. pr.): ut Cicero longiori *fortitudinis* comparatione supersedere potuerit. Sed propter id ipsum obiter monendum erat, *fortitudinem* a *communitate* non posse seiungi. Cf. §. 62. Transponitur quidem ante hanc comparationem illa, quae sequitur, conclusio : *Ita fit, — communitas,* et a Gu. 4. plane omittitur. Probabiliter tamen defendit Gernh. monens, omnem hanc conclusionem, in qua comparatio illa fortitudinis, tantum non in parenthesi posita, ut levior, negligitur, pertinere ad cognitionis cum actione contentionem et referri tum ad illud argumentum, §. 155. s. e doctorum sapientiumque virorum iudicio ac consuetudine repetitum, tum ad alterum hoc in natura hominum congregatorum positum.

consociatio hominum atque communitas. Nec verum 158
est, quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem. Quod si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur: tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret. — Non est ita. Nam et solitudinem fugeret et socium studi quaereret; tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur.

XLV. Illud forsitan quaerendum sit, num haec 159
communitas, quae maxime est apta naturae, sit etiam moderationi modestiaeque semper anteponenda. Non placet. Sunt enim quaedam partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandae

---

§. 158. *quod dicitur a quibusdam*] Veretur Noster nominare Platonem, qui II. *de re publ.* p. 39. C. Γίγνεται — πόλις, inquit, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής etc. Hanc cum Aristotelica sententia conflavit Nemesius περὶ φύσεως ἀνθρώπου c. I. φύσει — συναγελαστικὸν καὶ πολιτικὸν ζῶον γέγονεν ὁ ἄνθρωπος. εἷς γὰρ οὐδεὶς αὐτάρκης ἑαυτῷ πρὸς ἅπαντα. δῆλον οὖν, ὡς αἱ πόλεις διὰ τὰ συναλλάγματα καὶ τὰ μαθήματα συνέστησαν. Ceterum acceptiones vel protases huius argumentationis ipse Cic. inductione probat II. §. 12 — 15. sed effici ex his ea, quae illi volunt, hic negatur. Ad seqq. cf. *Lael.* 23, 6. Degenium, qui *virgulam divinam* Mercurii intelligi, nos dedocet, dedoceat *Homer. hymn.* II. εἰς Ἑρμ. 529. ss. ubi dicitur ὄλβου καὶ πλούτου ῥάβδος: ut Luciano in *Deor. dial.* 7, 4. θαυμασίᾳ τὴν δύναμιν. Gesner in *Thes.* IV, 1040, 68. ss. cum Erasmo proverbium hoc a Palladis virga natum existimat. In postr. *illi* (vitiose Degen substituit in) *officio, quod cognitione et scientia* (v. ad §. 19. ex.) *continetur* i. valet ac, *q. a. c. et sc. ducitur.*

C. XLV. §. 159. *quaedam partim ita foeda*] Falsa

quidem patriae causa sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta, sed ita taetra quaedam, ita obscoena, ut dictu quoque videantur turpia. Haec igitur non suscipiet rei publicae causa: nec res publica, pro se suscipi, volet. Sed hoc commodius se res habet, quod non potest accidere tempus, ut interait rei publicae, quidquam illorum facere sapientem.

160 Quare hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur

---

videtur Mich. Heusingero Aldi interpretatio *crudelia*, cum Cicero de iis loquatur, *quae verecundiae repugnant et modestiae.* Imo omnino *intemperantiae* : in qua praeter libidinem, quae *flagitiosis* et *obscoenis* indulget, inest etiam *iracundia*, *saevitia* et *omnis diritas atque immanitas* : ex qua quae proficiscuntur atrociter facta (e. c. Atrei §. 97. et Atheniensium in Aeginetas III. 11, 46.), recte dicuntur *foeda* et *taetra*. V. Nizol. in his vv. Quam late eorum pateat usus, intelligitur e III. §. 36. 83. II. 27. ex. *Catil.* III. 1, 2. *foedissima* dicitur *flamma*, patriae a perditissimis civibus parata, *Tusc.* I. 45, 108. post exempla non sepultorum corporum, ut a canibus laniantur : *permulta alia colligit Chrysippus —; sed ita taetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio.* Haec interpretatio si displicuerit : nulla hic relinquetur distinctio. Tum vero delendum erit *partim* in priori loco cum cod. Vin. edd. Magont. trib. Venett. 1470. 84. 98. utraque Lips. Argentor. Lugd. 1527. Anemoec. Lang. Jac. Gron. et Facciol., in posteriori loco cum cod. Graevii et ed. Ven. 1544. Sed utrobique multo plures libri tuentur. De *Posidonio* v. ad §. 6. p. 16. *Ea* autem valet *talia*, *ejus modi*. IV. *Fin.* 11, 27. *desiderare valitudinem, vacuitatem doloris; appetere etiam conservationem sui earumque rerum custodiam.*

nec res publica] Hoc dedi e Gu. 4. Nam 3. et ed. vetus s. l. et a. adiiciunt *quidem*. Gu. 5. unus Aldi et Palat. 1. transp. *nec r. quidem p.* unde Jac. Gron. *ne res quidem p.* edidit : quam iam volgatam lectionem retinuit et Schütz, annotavit autem, se praetulisse *ne r. p. quidem* cum Gu. 2. (et antiquiss. Aldi) edd. Magont. Ven. 1498. utraque Lips. Lugd. 1527. Gryph. et Anemoec. Sed Gu. 1. *ne r. p. pro se quidem.* Cum praecederet *ne conservandae quidem patriae causa*: proclivis erat via ad glossam, quam saepe alibi additam observat Görenz ad II. *Acad.* 44, 136. ex. *Nec* per se i. valet q. *ne — quidem* II. *Fin.* 22, 71. pr.

§. 160. *teneatur h. societate*] i. e. q. *constet ex hominibus tuendis* §. 157. V. Schelleri *Lexic.* p. 11261. pr.

hominum societate. Etenim cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio. Ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter. Atque haec quidem hac tenus. Patefactus est enim locus ipse, ut non sit difficile, in exquirendo officio, quid cuique sit praeponendum, videre.

In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit; ut prima diis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.

Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi po- 161
test, non solum id homines solere dubitare, honestumne, an turpe sit; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius. Hic locus a Panaetio est, ut supra dixi, praetermissus. Sed jam ad reliqua pergamus,

---

Deinde Gernh., auctore F. Heusingero, e Bedae atque Eybi excerptis recepit *cogitationem prudentiamque.* Sed non vidit, repeti his eadem, quae 156. dicta sunt : ubi post *intelligentiam prudentiamque* item sequitur : *Ob eamque causam — melius* (h. l. *pluris*) *est*, *quam cogitare* etc. Vv. *cogitatio* et *cognitio* e compendio permutatae sunt tum alibi, tum extr. c. 6. Deinde *prima officia*, *diis immortalibus debita*, intelliguntur omnis sanctitatis, religionis, pietatis, sapientiae, cunctarum virtutum propagatio et confirmatio, superstitionis autem impietatisque eradicatio. Quae qui praestat, is vero est heros omnis humanitatis. Ea enim efficit, quae salutaria sint non patriae, sed orbi terrarum gentiumque omnium; non aequalibus, sed omnibus seculis. Aeterni regni civis aeterna condit. Haec fere Stoicorum principes, quamquam ipsi non ab omni populari superstitione alieni, videntur sensisse magis, quam edocuisse. Cf. *N. D.* II. 2, 5.

reliqua reliquis] Sic recte Schütz cum Vin., tribus Ox., aliquot libris Pearcii, Gu. 5., Beda, Eybo, omnibus edd. vett. et Facciolato. Rell. omittunt *reliqua*. Sed v. ad 53. p. 128. et de hac gradatione §. 58.

§. 161. *Hic locus*] de sede argumentorum dicitur, ut §. 44. pr. 156. V. Gernhard ad *Cat. Mai.* 9, 27. pr. — *Ut supra dixi* §. 10. 152.

EXCVRSVS I. AD C. II. §. 7.

Officii definitio.

Franciscus Binkes *de analysi et constitutione doctrinae in Cic. libris de off.* (L. B. 1819.) p. 10. cum G. F. van Lynden in *Disp. de Panaetio* p. 39. 94. 102. s. excusat, quod Panaetius suo iudicio et popularis elegantiae ac perspicuitatis studio definitionem divisionemque *officii* omiserit, communem, usu vitae collectam, notionem, eamque omnibus insitam, suo consilio et legentium intelligentiae sufficere, arbitratus: cumque populariter ad captum hominum in re publica versantium, in primis *Romanorum* (?), nec ad scholae normam scriberet, potuisse sane eum omittere definitionem. At vero, quamvis etiam a b. Tennemanno (T. IV. libri *Geschichte d. Philosophie* 379.) in eandem sententiam diputatum videam: ipsa tamen perspicuitas definitionem ejus quidem rei, qua de agitur, non omittendam, sed addendam potius suadet. Sed iidem illi Batavi cum aliis plerisque notant, ipsum Ciceronem vacuum istum locum ex mediis Stoicorum spinis explevisse ita, ut tamen definiendi diligentia desideretur. Atque etiam Lilie ad h. l. *commentat.* I. p. 30. et 39. Nostrum festinationis arguit, quod datam fidem non liberaverit, sed, ut in sermone et in scriptis sermoni similioribus non iusti syllogismi collocari soleant, sed aut sumptio aut assumptio omitti, sic praetermissa generis definitione ad formas accesserit, fortasse, ut morae impatientes lectores haberent, quo statim uterentur. Potest quidem videri *officii* universi descriptio exhibita esse *Fin.* III. 17, 58. *officium est actio talis, ut ratio postulet agere aliquid et facere;* vel, *quod ratione actum sit, id officium appellamus*: quae respondent his ap. Diog. Laërt. VII. 108. ὃ τε λόγος αἱρεῖ ποιεῖν. Verum enim vero diligentius attendenti ad nexum patebit, ne ibi quidem aliud significari, nisi *officium medium*: quod etiam h. l. probe definitur §. 8. ex. atque iterum 29, 102. Haec est autem illa ipsa res, qua de ab auctore, qui his libris honestatis virtutisque praecepta ad usum communis vitae in re publica transfert, suscipitur disputatio. Itaque consulto removet *officii* universi explicationem, utpote ab h. l. alienam, atque ad *medii* definitionem ut accedat, satis habet distinxisse, *officium* dupliciter dici, aut ita, ut *recte factum* intelligatur, quod pertinet ad finem bonorum et *perfectum officium* dicitur, aut ita, ut ad usum vitae communis in omnes partes conformandum spectet, quod *medium officium* nec non communiter *officium*, Graece καθῆκον,

dicitur : id quod docebit *Excurs.* IV. At eur Cicero, quid sibi vellet his libris, in ipso exordio occuluit aut legentium saltem oculis subtraxit, cum scriptoris, praesertim philosophi, longam ingredientis orationem, sit, quem sibi proposuerit finem, ante exponere, ut, quo tendant singula, lector intelligens, rectius promptiusque cuncta perspiciat? Ego vero miratus sum, VV. DD. sylvam non cernere prae arboreto. Quid enim sibi volunt verba : *hoc autem commune officium καθῆκον vocant* — ? Plane idem, quod illa III. §. 14. *Haec omnia officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant. Ea communia sunt.* De hoc pronominis demonstrativi usu cf. ad §. 142. ex.

EXCVRSVS II. AD C. III. §. 7.

Omniane officia perfecta?

Rerum mediarum differentiam (de qua v. *Excurs.* VI.) Pyrrho, Aristo, Herillus totam sustulerant earumque rerum omnium ἀδιαφορίαν statuebant (§. 6.). Ita ipsa *officia media*, i. e. *vitae*, sustulisse videbantur. Recte vero iudicabat gravissimus idemque omnium constantissimus philosophus Aristo, quaevis praecepta de *mediis officiis*, quae nostris Ethicis dicuntur *anthropologa*, semper manca fore atque Ethices, vitae usui accommodatae (*applicatam* volgo vocant), praesertim *casuisticae*, doctrinam ne a putido quidem μικρολόγῳ posse exhauriri : mutari enim media officia temporibus, τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα — παρὰ τὰς διαφόρους τῶν καιρῶν εἶναι περιστάσεις, ut est ap. Sext. Empir. XI. 65. et 67. Οὐ φυσική τις γίνεται ἑτέρων παρ' ἕτερα πρόκρισις, κατὰ περίστασιν δὲ μᾶλλον, i. e. *haec per sese ipsa neque honesta sunt neque turpia, sed, proinde ut a nobis aguntur, ita ipsis actionibus aut probanda fiunt aut reprehendenda* (Gellius II. 7. ex.), concedente ipso Cicerone §. 31. III. 95. Cf. Seneca *Epist.* 71. pr. 89. med. et 94, 2. *Aristo Chius hanc partem* (philosophiae, quae dat propria cuique personae praecepta) *levem existimat et quae non descendat in pectus usque : at illam non habentem praecepta plurimum ait proficere ipsaque decreta philosophiae constitutionem esse summi boni; quam qui intellexit et didicit, quid in quaque re faciendum sit, sibi ipse praecipit.* Nam *rectum* (i. e. *perfectum officium*) *id quidem unum est*, ut ait Cic. in *Or.* 21, 72. Ita est profecto. Sapientem, veri rectique tenacem, in quo divina illa imago aut non oblitterata aut restituta est, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσει εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Huic nunquam deerit ἀγχίνοια, qualis ap. Diog. Laërt. VII. 93. definitur : eumque ne tangit quidem *dubitatio*, quae fere *cogitationem significat iniuriae.* (I. *Off.* §. 30. ex.) Numquid unquam salutis auctor, qui Ipse quoque, unum tantum idque perfectum officium esse, iudicat (ap. *Matth.* VII. 12.), dubitationi locum dedit in controversis? cuius generis sunt haec : liceatne contra com-

munem omnium superstitionem diebus religiosis operam praestare inopibus; esurienti edere de patella (ib. XII. 3.); utrum Caesari, cuius imperio invita pareat provincia, populus Deo devotus censuarius esse debeat; quisnam arctissimo necessitudinis vinculo nobis devinctus censendus sit etc. Ergo, *si veritas ipsa limetur in disputatione*, prae ceteris probandus Aristo, *cum inter omnis philosophos constet ab ipsoque* Cicerone II. §. 35. et alibi *saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnis habere virtutes.* Sed quia saepe multumque peccando natura humana nimium quantum depravata est ratioque prius defertur ad mala, quam, quid bonum sit, suspicari possit (*Tusc.* III. 1, 2.) : omnibus progressionem ad virtutem facturis nec Cleanthis sententia spernenda, qui *utilem quidem iudicat et hanc* (de officiis) *partem, sed imbecillam, nisi ab universo fluit* (i. e. a pura Ethica, cujus est constituere summum principium bene recteque vivendi), *nisi decreta ipsa philosophiae et capita cognovit* : in Senecae *Ep.* 94. et 95. ubi de utriusque partis utilitate Stoicorum dissensio exponitur. Cum Cleanthe consentit Exc. Krug in *Aretologia* p. 11.

EXCVRSVS III. AD C. III. §. 8.

Divisio officii.

Stoici distinguebant κατόρθωμα et καθῆκον μέσον *), ita, ut utrumque subiicerent universo τῶν καθηκόντων generi. Τῶν δὲ καθηκόντων τὰ μὲν εἶναί φασι τέλεια, ἃ δὴ καὶ κατορθώματα λέγεσθαι —, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν, teste Stobaeo *Ecl. Eth.* II, p. 158. ed. Heeren. al. p. 174. Ibid. p. 184. Κατόρθωμα εἶναι λέγουσι καθῆκον πάντας ἐπέχον τοὺς ἀριθμοὺς ἢ τέλειον καθῆκον. Vide, quae Binkes debet Tennemanno l. c. IV. p. 109. s. et Krugio (*Geschichte d. Philos. alter Zeit* p. 324. s.). *Perfectis officiis* continetur ea vita, *quae ex summo bono degitur* et, *quia coniuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit* (*Fin.* IV. 6, 15. V. 24, 69.). Nam *virtus* soli Deo et iis, qui Dei vitam in terris imitantur, quos et θείους vocant, tribuitur. (V. notam nostram ad c. 15. pr.) Iniuria igitur hodierni philosophi Ciceronem taxant, quod Deo tribuerit *virtutem*. At vero alia est Stoicis παρακοπή, quam vos *virtutis* nomine ornatis, alia ipsa *virtus*. Hanc eandem et *sapientiam* et *libertatem* vocant; *sapientiam*, quod in iudicio de bonis et malis nunquam falluntur sapientes; *libertatem*, quod cupiditatibus iis soluti sunt, quibus constricti plerique vel corpori serviunt vel hominibus, qui vel ter-

---

*) Non, ut et Schütz et Binkes ex F. Heusingeri nota obiter inspecta docent, simpliciter μέσον, suppressa voce καθῆκον; quod fieri non potest, nisi in oppositione.

rere eos vel inescare possunt. (V. ad §. 67. p. 155. s.) *Agere* in iis, qui virtutis impedimenta superaverunt ipsi, nihil fere est, quam *cogitare* aut *benè* de aliis *mereri*. Saepissime igitur *beneficentia* et *iustitia* sapienti tribuitur. Itaque *officia perfecta*, quae et *recte facta* et *honestae actiones* vocantur, quales edidit unus ille θεάνθρωπος ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, nusquam paene in hac vitae nostrae mediocritate quaeras, sed eodem referas, quo divinae naturae praestantia et *ipse finis bonorum* refertur, ut docet Lilie l. l. p. 37. ss. qui p. 58. s. (cl. p. 50.) utriusque officii discrimen constituit hoc modo: „*Recte factum* uno tantum verbo definit Cicero: *perfectum* (τέλειον) vocat*). Sed cum ab eodem (*de Fin.* III. 18, 59.) officium medium *inchoatum* vocetur cumque a Stobaeo (*Ecl. eth.* p. 174. ap. Tiedemannum III. p. 303. II. p. 158. ed. Heeren.) appelletur κατ' ἀρετὴν ἐνέργημα: satis apparet, quam vim habeat hoc verbum. Ipsa rationis perfectio, ipsa virtus spectatur. **) Cicero (*Fin.* III. 18, 59.) dum *juste* depositum reddere in recte factis ponit, in officiis depositum reddere, de consummata sapientis justitia cogitat, et omnes negat juste depositum reddere, qui, vel integerrimo virtutis amore incensi, tamen non assequantur, sed sequantur justitiam. Totus liber primus de officiis docet, et media officia ad virtutem ipsam dirigi, licet non a virtute proficiscantur. Officia omnia, quae ad corporis et vitae curam spectant, non minus in sapiente, quam in stultis, media et communia habentur. Sapientes et perfectis et communibus officiis, sapientiae studiosi et reliqui omnes solis communibus funguntur. Sed communium officiorum nomen in sapientiae studiosis latius patet; nam complectitur non ea tantum officia, quae ad vitae necessitatem spectant, sed ea etiam, quae, cum e virtutis inchoatae (προκοπῆς) fonte manent, recte facta inchoata vocari possint. Etiam improbissimi interdum officiis funguntur, i. e. non semper pecudum ritu vivunt: rationem audiunt tum, cum satiata libido nihil desiderat.“ Ergo *media officia, quasi secunda quaedam honesta* (i. e. simulacra honesti), quae *omnia aut pleraque servantem, vivere, inchoati cuiusdam offici est* (*Fin.* IV. 6, 15.) *non sapientium modo propria, sed cum omni hominum genere communia* (*Off.* III. §. 14. s.) *magis ad rerum mediarum selectionem et reiectionem*, (v. *Excurs.* VI.) i. e. *ad vitam communem, spectant*: unde Peripateticis eadem dicuntur *officia vitae* (*Fin.* IV. 25, 68). Eadem *honesta et decora* dici, i. e. officia imperfecte determinata s. imperfecta, memoravit Krug *Aretolog.* p. 140.

---

*) Semper autem additur *officium.*

**) Cf. L. III. *ad Herenn.* c. 4. pr. ed. Schütz. (al. 2. sub. fin. al. §. 3.) *Rectum est, quod cum virtute et officio fit.* Amprosius L. c. 11. *Hoc est igitur perfectum officium, quod* κατόρθωμα *dixerunt Graeci, quo corriguntur omnia, quae aliquos potuerunt lapsus habere.* Plutarcho *de Stoic. repugn.* p. 1038. memoratur Chrysippi liber I. τῶν κατορθωμάτων.

EXCVRSVS IV. AD C. III. §. 8.

Καθῆκον, *officium sensu strictiori* pro *officio medio.*

Κατόρθωμα et καθῆκον sibi etiam opponi, observarunt iam Gedike in *Cic. historia philosophiae* p. 279. s. Garve ad h.l. p. 23. s. et Tennemann l. l. IV. p. 107. ss. Quid vero? Etiam *officium* ex Stoicorum formula simpliciter opponitur *recto* apud Cic. in *Or.* 21, 72. quem locum ad uncos damnavit Schütz, cum non attenderet ad ea, quae ib. 22, 74. pr. sequuntur. *Officium* igitur ibi intelligitur *medium*, ut II. *Divin.* 4, 11. *Acad.* I. 10, 37. *Fin.* III. 18, 60. ubi docetur, *ab his rebus mediis*, quae neque in virtutibus sunt neque in vitiis, *omnia proficisci officia*; et 17, 58. *Est autem officium, quod ita factum est, ut ejus facti probabilis ratio reddi possit*: ubi bene monet Görenz, exprimi vocis originem: quam scriptor, aemulatus Stoicos Graecos, ab *ob* et *favere* derivat. Cf. I. *Off.* c. 29. pr. Stob. *Ecl. Eth.* II. p. 158. Ὁρίζεται δὲ τὸ καθῆκον „τὸ ἀκόλουθον ἐν ζωῇ, ὃ, πραχθὲν, εὔλογον ἀπολογίαν ἔχει." Diog. Laërt. VII. 107. καθῆκόν φασιν εἶναι, „ὃ, πραχθὲν, εὔλογόν τινα ἴσχει ἀπολογισμόν." Hanc significationem Zeno ex ipso etymo elicuit, ut est ib. 108. κατωνομάσθαι δὲ οὕτως ὑπὸ πρώτου Ζήνωνος *) τὸ καθῆκον, ἀπὸ τοῦ „κατά τινας ἥκειν" τῆς προσονομασίας εἰλημμένης. Cf. Suidas s. v. Sed quoniam media etiam officia tamen ad finem collineant, ut ad §. 7. ex. docuimus: idcirco hunc popularibus verbis ita expressisse videtur Archidemus πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν et Diogenes τὸ εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ: quae formulae ap. Diog. Laërt. 88. ex. non nisi verbis discrepant. Ἐκλογῆς rationem, in posteriori significatam, explicamus *Excursu* VI. Ex hac igitur notione καθῆκον, *officium*, versatur non modo in *honestis*, sed etiam in *utilibus*: est enim *facinus, quod cur fiat, probari potest*, i. e. virtutis inchoatae rationisque considerate agentis specimen: *zu rechtfertigende (tugendliche, saltem vernunftmäßige) Handlung*: minime vero ipsa honesti regula, praeceptum rationis, cui voluntas obedire debeat, νόμου πρόσταγμα, aut, quam hoc affert, obligatio: quo sensu nos dicimus *Pflicht*, quasi *Obliegenheit*; i. e. *munus*, ab *auflegen, ob legen*, quod contrahitur in *pflegen*: quam vocabuli vernaculi enodationem debemus ingenio G. F. Ch. Krausii, Praeclarissimi Philosophi Dresdani.

---

*) Hoc falsissimum esse, apparet e Xenoph. *Cyrop.* I. 2, 5. ex. τὰ καθήκοντα ἀποτελῶσιν.

EXCVRSVS V. AD C. III. §. 10.

Honestorum comparatio.

Omni comparatione maius lucet per se *illud honestum, quod proprie vereque dicitur neque a virtute divelli unquam potest.* Stoicis enim *omnia recte facta aequalia.* V. ad §. 7. p. 19. cl. Lipsii *manuduct. ad Stoic. Philos.* III. *diss.* 4. pr. Non comparantur igitur, nisi *similitudines honesti, quasi secunda quaedam honesta* (III. §. 13. ss.), atque etiam haec ipsa in abstracto tantum utrimque honestatem suam servant, in certamen composita; in singularibus factis alterutrum abhorret et mutat. Recte igitur Lilie *comment.* I. p. 56. s. monet, non fuisse, quod Ciceronem, qui aliud alio honestius et utilius judicasset, a Stoicis defecisse iudicaret J. M. Heusinger ad h. l. „Verbis potius, quam re ipsa discrepare videtur; quidquid enim his libris continetur, ex eorum numero est, quae majorem minoremve aestimationem, ἀξίαν, habent, et hoc tantum consuetudini dedit, ut *honesta* et *utilia* vocaret honestatis initia et commoda vitae.“ Officia communia autem, cum et ipsa in mediis numerentur, alia aliis praeferri possunt. Distinguuntur enim apud Diog. Laërt. VII. 105. et in Stobaei loco allato a Tiedemanno Vol. III. p. 287. τῆς ἀξίας significationes tres: quas interpretando apte expressit Lilie: *Preis, Werth, Würde*, nos Latinis verbis: *pretium, laus* s. *honos, dignitas* s. *majestas.* Cf. *Fin.* III. 10, 34. Seneca *de vita beata* c. 22. ex. *Ep.* 71. ex. Sed injuriam Tullio facit Lilie p. 55. s. ejus fidem desiderans, quod in *aestimabilibus* iisque *mediis* non annumerarit ipsam προκοπὴν, *progressionem ad virtutem*, quam Diog. Laërt. VII. primum 106. ad προηγμένα refert, deinde 107. commemorat in iis, *quae* δι' αὐτὰ προῆκται, h. e., interprete Cicerone, *per se ipsa praeposita sunt.* At vero non omisit Cicero neque III. §. 14. in. 17. ex. neque *Acad.* I. 10, 37. *Zeno inter recte facta atque peccatum officium et contra officium media locabat quaedam: recte facta sola in bonis actionibus ponens: prave, id est peccata, in malis. Officia autem et servata praetermissaque media putabat.*

EXCVRSVS VI. AD L. I. C. III. §. 10. ET AD L. II. C. III. §. 9.

De delectu officii.

Omnis haec ratio quintuplex officii persequendi videtur superstructa *rerum mediarum* (τῶν μέσων) distinctioni, a Zenone inventae: quam distinctionem non illustravit, sed perturbavit Goerenz *Excursu I: ad Acad. L.* I. cujus sententiam refert Exc. Krug in libro *Gesch. d. Ph. alter Zeit* §. 128. Rem longe acutius dudum enuclearant Lipsius

l. II. *Manuduct. ad Stoic. Phil. diss.* 23. Opp. T. IV. p. 486. ss. Gedike in *Cic. histor. philos.* p. 277. s. et Tennemann l. l. Vol. IV. p. 86. ss. Goerenzio enim, ut Ciceronis ibi, in extremis verbis fortassis mutili, errorem tueretur et, adhibitis artificiis vel potius fallaciis quibusdam, explicaret, *rejecta* s. ἀποπροηγμένα, quae *contra naturam* sunt adeoque quam maxime *inaestimabilia*, cum contrario genere eorum, in quibus non satis est causae, cur aliis aestimabilibus anteponantur, sed quae nihilo tamen secius sunt *secundum naturam* et *quadam aestimatione digna*, confundenti adversatur praeter Diogenem Laërt. VII. 105. s. (qui tamen et ipse a Tennemanno recte castigatur) Sextum Emp. l. c. et Stobaeum p. 174. et 282. (ed. Heeren. II. p. 142. 154. ss.) ipse Cicero *Fin.* III. 15, 50. ss. maxime IV. 25, 71. s. Scilicet Zeno, qui, ad terminos philosophiae moralis subtilius constituendos novam quasi viam ingressus, principium, quo contineretur omnis disciplina morum, proposuisset hoc, ut *praeter honestum*, h. e. virtutem et recte facta, *nihil bonum* iudicaretur (v. ad §. 67. p. 155. cl. *Fin.* III. 7, 26. ex.), *rerum mediarum*, quae ipsae propter se quidem neque *admirandae* aut *optandae* aut *expetendae* essent nec *fugiendae*, tamen, cum earum usus vel rectus beatae vitae vel pravus miserae auctor esset (ib. 17, 58. s. cl. Seneca *Ep.* 82. circa med. Diog. Laërt. VII. 104), volebat esse quandam cum officio *selectionem*, αἵρεσιν, ἐκλογὴν, πρόκρισιν, et item *reiectionem*, φυγὴν, ἀπεκλογὴν, ut *convenienter naturae viveretur.* (Cic. ib. 6, 20. ss. 9, 31. 15, 50. ss. *Off.* III. §. 13. Sen. *de v. beata* c. 25.) Itaque *quia non in re bonum est, sed in e l e c t i o n e, qua actiones nostrae honestae sunt* (Sen. *Ep.* 92. ante med.):

I) *media* illa, quae *bona* non audebat dicere (Cic. *Fin.* IV. 19, 56. 21, 60.), quibus vero concessit, ut haberentur κατὰ φύσιν, *apta*, *habilia et ad naturam accommodata* ideoque ὁρμῆς, quam βούλησις, *voluntas*, i. e. εὔλογος ὄρεξις, *prudens appetitio*, sequitur (*Tusc.* IV. 6, 12. cl. Diog. Laërt. VII. 116.), κινητικὰ, *appetenda* et ληπτὰ, *sumenda*, *selectione digna*, i. e. *legenda* v. *eligenda*, atque ἀξίαν ἔχοντα, *aestimabilia*, i. e. *aestimatione aliqua digna*, *eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, aestimanda* (*Fin.* IV. 21, 58.), haec igitur *potiora* distribuerat in

1) τὰ πολλὴν vel ἱκανὴν ἀξίαν ἔχοντα, *pluris aestimanda*, quae vocabat προηγμένα, *producta*, *praecipua*, *praeposita*, in quibus satis est causae, cur quibusdam, alioquin aestimabilibus, anteponantur, quorumque ordo in vita proxime accedit, ut secundus sit ad regium honesti (τοῦ καλοῦ), quod primore loco est, principatum, et

2) τὰ βραχεῖαν ἀξίαν ἔχοντα, *minoris aestimanda*: prouti plus minus *usus* haberent. Distinxit igitur εὔχρηστα vel εὐχρηστήματα, *commoda* 1) maioris et 2) minoris momenti. Seneca *Ep.* 74. ante med. 87. post med. Pariterque

II) *media* illa, quae *mala* non audebat dicere, quibus vero

vero concessit, ut haberentur παρὰ φύσιν, *naturae contraria* v. *aliena*, ideoque ἀφορμῆς, quam εὐλάβεια, *cautio*, i. e. εὔλογος ἔκκλισις, *cum ratione declinatio*, sequitur (*Tusc.* IV. 6, 13. cl. Diog. Laërt. VII. 116.), κινητικὰ, *vitanda*, et ἄληπτα, *non sumenda*, i. e. *reiicienda et quasi secernenda*, atque ἀπαξίαν ἔχοντα, *inaestimabilia*, *nulla aestimatione digna*, distribuerat in

1) τὰ πολλὴν vel ἱκανὴν ἀπαξίαν ἔχοντα, *ea*, *quae satis habent causae*, *quam ob rem reiiciantur*, eaque appellabat ἀποπροηγμένα, *remota*, *reiecta*, *reiectanea* : et

2) τὰ βραχεῖαν ἀπαξίαν ἔχοντα, *ea*, *quae non satis habent causae*, *quam ob rem reiiciantur*. Distinxit igitur δυσχρηστήματα, *incommoda* 1) *aspera*, *dura*, *molesta*, *odiosa*, *difficilia toleratu* etc. (*Fin.* IV. 19, 52. 26, 72. V. 26, 78. *Epist.* IX. 7, 4.) et 2) *leviora tolerabiliaque*. Vid. *Fin.* III. 21, 69. Jam I) *appetendarum rerum partes sunt* 1) *honestas* (non ea, quae proprie vereque dicitur, sed, quae communiter appellatur *honestas*, i. e. officiorum communium, quae ab honestatis partibus ducuntur, conservatio) et 2) *utilitas* (non ea, quae ab honestate seiungi non potest; sed ea, quae communiter appellatur *utilitas*); II) *vitandarum* 1) *turpitudo*, i. e. officiorum communium praetermissio, et 2) *inutilitas*. Vtrumque genus, cui media interiecta sunt οὐδέτερα, *neutra* quaedam, *nec sumenda nec non sumenda*, i. e. *negligenda* vel *non curanda*, de quibus nulla omnino officiorum praecepta traduntur, fusius illustratur *Rhet. de inv.* II. 52, 157 — 56, 169. Sed in utroque genere ibi Cicero constituit *quiddam ex horum partibus iunctum*, et in expetendis quidem (vel, ut Stoici malunt, *appetendis*) *tertium quiddam*, *quod et sua vi et dignitate nos inductos ducit et prae se quandam gerit utilitatem*, *quo magis expetatur* (*appetatur*), *ut amicitia*, *bona existimatio*. *Sed quia maior vis est honestatis*, has iunctas ex duplici genere res *in meliorem partem vocabuli conferri et honesta nominari* volt. Quod hic secus fit. Etenim res illae, *quae nos cum dignitate*, *tum fructu quoque suo ducunt*, propter *utilitatem adiunctam* in lib. II. de ratione *utilitatis* inde a 6, 20. tractantur ita, ut doceatur, eas plurimum conducere ad tenendas et augendas opes utilitatesque et sibi et suis comparandas. Haec autem omnia, ad quae, tamquam ad materiam, virtutis studium refertur, aut contrarietate aut gradibus differre statuebant. Comparantur igitur aut officium et contra officium aut officia inter se : et libro I. quidem (quasi) *honesta*, i. e. ea, quae per se ipsa praeposita sunt (δι' αὐτὰ προῆκται), cum *turpibus*, i. e. iis, quae per se ipsa reiicienda sunt (ἀποπροηγμένα δι' αὐτά). Tum inde a c. 43. adiungitur eorundem προηγμένων inter se comparatio, quatenus alia *per se aestimanda* sunt *pluris*, alia *minoris* : quem locum Panaetius praetermisit. (Cf. *Excurs.* V.) Liber II. continet comparationem (quasi) *utilium*, quae ob eam rem *praeposita* dicuntur, quod ex se aliquid efficiant (προῆκται δι' ἕτερα, ὅτι περιποιεῖ χρείας οὐκ ὀλίγας), partim tamen simul etiam per se

ipsa praeposita sunt, cum *inutilibus*, quae item partim propter alia, partim simul etiam per se ipsa reiicienda sunt, ut infamia, ut inimicitiae. Deinde in ea parte, quam, a Panaetio praetermissam, ipse Cicero ex suo ingenio supplevit, eadem προηγμένα comparantur cum iis, *quae propter alia sunt aestimanda minoris*; itemque contraria, quae sive propter alia tantum sive simul per se *reiectanea* sunt, cum iis, quae βραχῖταν ἀπαξίαν habent: nimirum, ubi praecipitur: MINIMA DE MALIS! De qua ratione v. omnino *Rhet. de inv.* II. 6. ed. Schütz. (volgo 5, 18. ex.) Liber III. denique de dubitandi genere eo, *cum pugnare videtur cum honestate id, quod videtur esse utile*, continet eorum, quae sunt *per se ipsa praecipua*, cum iis, *quae* vel simul vel non nisi *propter alia aestimantur* (quibus tamen illa semper praeferenda sunt), comparationem; itemque *turpium*, quae sunt per se ipsa reiectanea, cum iis, quae non, nisi propter alia, vel simul tamen *propter alia reiiciuntur*, quae tamen turpibus semper sunt praeferenda. Nam CALAMITOSE POTIUS, QUAM TURPITER. Cf. Christus ap. Matth. 16, 25. s. De *rebus alius modi*, quibus de rebus opinio fallit homines, v. *Rhetor. de inv.* II. 7. ed. Schütz. (al. 6, 21.) Haec autem quaestionum genera, sive simplicia sive ex comparatione, omnia dicuntur *consecutionis*. V. omnino III. *de or.* §. 116. ss. et *Rhet. de inv.* II. ubi 57, 171. ss. *comparatio necessitudinum*, ad quas *adiunctio* accedit (i. e. causa, propter quam aliquid facere necesse sit) et 58, 176. *affectio*, i. e. officiorum ex tempore commutatio, sive *quaestiones eae, in quibus ex tempore officium exquiritur* (III. *Off*. c. 6. ex.), dilucidius illustrantur. Cicero autem quintuplicem rationem, a se propositam, non recta via persequitur; sed passim vagatur et aberrat. Consulto etiam hic, Stoicorum dumeta vitaturus, abstinere videtur illa *rerum mediarum* divisione neque ex formula loqui. Etenim nova verba a Zenone invecta acerbe exagitat, cum saepe, tum *Fin.* IV. 25, 71. ss. V. 25, 74. Vid. omnino ib. c. 29. s. §. 89. ss. cl. III. 2, 5. pr. Augustino *de C. D.* IX. c. 4. et Lipsio l. c. I. *diss.* 14. p. 449. A. Sed idem admirandi ingenii vir *diss.* 15. p. 450. A. et II. *diss.* 24. p. 489. iam fuit auctor eiusdem sententiae, quam tuitus Lilie, quo verius de Zenone statuatur, qui, quo iure Aristotelem logicae auctorem dicunt, eodem ethicae conditor vocandus videtur, cum uterque, quae sparsa erant, ad doctrinae normam subtilius disposuerit et suis quaeque locis tribuerit, *commentat.* I. p. 44. hoc in primis observari volt: cum omnes fere, qui novarum rerum inventores ferebantur, nova etiam verba, quibus inventa sua notarent, protulissent, Zenonem longe audacius ad res volgo notas et populo carissimas significandas nova verba attulisse; ad ea vero, quae de humanae naturae praestantia subtilius sibi indagasse videbatur, indicanda — omnia fere, quae in honore erant, vocabula occupasse et virtuti quasi vindicasse. Si enim hominibus persuaderi posset, ut, quoniam non sunt in potestate nostra, *bona* et *utilia* appellare desi-

nerent ea, quae a teneris aut sola aut ardentius expetierant, quam majora illa, quae adulta ratio probat: magnopere hoc valere videbatur ad pravam hominum opinionem corrigendam. Magna enim in mores vis est imaginationis, notiones rerum, quae verbis significantur, consociantis. Eandem ob causam amphibolia antiquae illius formulae: *Nihil appetimus, nisi sub ratione boni; nihil aversamur, nisi sub ratione mali*, utpote philosophiae morali perquam perniciosa, corrigenda videbatur Cantio. V. Ej. *Critik der praktischen Vernunft* p. 103. ss. Igitur quae causa Cantium impulit, ut philosophiae, quam vocant, practicae, terminos ita quasi referret, ut nihil ei, quod non a libertate penderet, relinqueret, eadem Stoicos in *boni* notione angustius constituenda et volgari vitae usu eximenda commovisse recte videtur acutissimo Lilio p. 43. Cf. quae notavimus ad c. 20. pr. Quae, a Cicerone accepta, Stoicis opponi solent, a natura eos deficere, dum bona dicant ea sola, quae adulta ratio probet, contra haec idem ille, Stoicorum causam strenue agens, monet, cum bona esse negent omnia, quae non sunt in nostra potestate, non deserere Stoicos ea, quae omnium animalium desideriis appetuntur; sed id tantum agere, ut *et fines doctrinae moralis regant et ipso verborum usu virtutem commendent.* Adde huc e *Fin.* V. 29, 88. id etiam, *ut inconstantiae crimen effugiant.* Jam vero, cum vix ruinas quasdam templi eximii spectemus, quodam modo tamen vel ex his conspici potest admirabilis Stoicae disciplinae ordo et compositio, quam Cato Stoicus apud Cic. *de fin.* III. 22, 74. tantopere laudat: quam quidem laudem eidem facile concedit ipse Cicero ibid. IV. 19, 52. ex. et V. 28, 83. de Stoicis fatetur, *mirabilem esse apud illos contextum rerum; respondere extrema primis, media utrisque, omnia omnibus.* Cf. *Acad.* I. 2, 6. ex. In eadem hac laude omnes paene, qui aut tueantur aut impugnent hanc philosophorum familiam, consentire, ut Lucianum, acerrimum Stoicorum exagitatorem, (*Hermot.* p. 100. Vol. IV. ed. Bip.), annotavit Lilie p. 32.

EXCVRSVS VII. AD C. IV. §. 11.

Prima constitutio Naturae.

Primi ex omnibus philosophis Xenocrates et Aristoteles, quos aemulantur Stoici, dixerunt, *cum omnium artium finis is esset, quid Natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae.* *Fin.* IV. 8, 19. cf. *Antonin. de vita* V. §. 16. Itaque facillime se arbitrabantur Naturae voluntatem posse cognoscere, si observarent plane perspicua nec dubitanda indicia Naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali. Propterea hominem cum reliquis animantibus comparabant, ut inveniretur, quid ipsi esset optimum et ad id aptum, quod humana natura

desideraret, quodque huic deberetur. Vid. §. 97. ex. 103. p. 104. et ad c. 30. pr. *Fin.* V. 9, 24. — 15, 45. 20, 55. Seneca *ep.* 121. *Atque ita re primo simpliciter collocata, reliqua subtilius persequentes, de animi bonis accuratius exquirebant, in primisque reperiebant inesse in his justitiae semina virtutumque omnium.* Hoc dicitur *ordiri a prima constitutione Naturae* (*Fin.* IV. 6, 15. extr. 7, 17.), *a prima* vel *communi commendatione* (ib. II. 12, 35. V. 14, 40. 15, 41. ubi additur: *quae a Natura nostri facta est nobis*: ut 11, 35. *qua (omnes) se ipsi diligunt.* Cf. ib. 17, 46. pr. h. e. *a prima conciliatione hominis ad ea, quae sunt secundum naturam* (ib. III. 6, 21.). De hac iam Garvius Obss. Vol. I. p. 11. s. monuit, duas quasi vias ingressos esse veteres philosophos, quae ad boni notionem et agendi legem ferrent, observationem ipsius hominis a primo ortu ad aetatis usque maturitatem, et comparationem hominis cum brutis animalibus. Distinctius Lilie *comment.* I. p. 26. s., postquam monuit, omnes fere primae aetatis, infantiae et pueritiae observationi tantum videri tribuisse, quantum in hac ethicae parte ei concedi vix debeat (cf. *Fin.* V. 22, 61.), addit: Academicos et Peripateticos diligentiores fuisse in observanda hominis a teneris ad senectutem natura et minus indulsisse comparationi, quam Stoicos et Epicureos. Horum utrosque tantum dedisse comparationi, ut non lucem solum inde mutuarentur, sed ipsam, quam tuebantur, sententiam comparando quasi explerent. *Quanta autem differentia sit in* p r i n c i p i i s n a t u r a l i b u s, *tantam esse in finibus bonorum malorumque, quo iisdem a principiis omne officium referatur, dissimilitudinem,* demonstratur *Fin.* V. c. 6. s. §. 17. ss. Et Epicurei quidem in iis substiterunt, quae communia sunt homini cum animalibus rationis expertibus. *Fin.* I. 21, 71. II. 10, 32. Stoici cum divinam animo naturam in physicis tribuissent eo, quod *rationem diis hominibusque communem, in illis consummatam, in nobis consummabilem,* ceterum, *quia haec nostra ex illa* (divina) *sit, eandem esse,* agnoverant: non ipsam quidem virtutem, divinae naturae propriam ita, ut eam non voluntate paraverit Deus, sed naturae suae vi habeat, i. e. *sanctitatem*, at eam tamen voluntatis vim concessam homini statuebant, quae omnia virtutis impedimenta superare et quasi mortalem quendam Deum ita effingere posset sapientem, ut per hanc quasi apotheosin attingeret beatam vitam, *quae in hoc uno posita est, ut in nobis ratio perfecta sit.* (Seneca *Ep.* 92.) Praeterea recte observat Lilie, fuisse hoc Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum commune, quod, profecti a primis Naturae, i. e. a *primis invitamentis Naturae* (*Fin.* V. 6, 17.), in quibus voluptati aut nullum aut perexiguum locum dabant, *summum* hominis bonum collocarent in v i r t u t e: quae ib. 14, 38. *rationis absolutio* definitur, sive I. *Leg.* 8, 25. *in se perfecta et ad summum perducta natura.* Cf. Tennemanni *Geschichte d. Ph.* IV. p. 318 — 321.

EXCVRSVS VIII. AD C. IV. §. 13.

Cognitio Naturae ad bene vivendum necessaria.

Consideratio cognitioque rerum coelestium et (explicative pro *id est*) *earum, quas a Natura occultatas et latentes indagare ratio potest* (*Fin.* V. 21, 58.) *maxima* esse videbatur Stoicis quoque: ejusque sententiae duplicem invenimus rationem. Et primum quidem virtutis legem in ipsius animi conscientia reperiebant. Legem sine legis auctore Deo difficilius mente concipi posse, intelligebant. Quo fit, ut legem non fere commemorent, nisi vel de universa Natura vel de iustitia praecipientes. Zeno igitur, cum clarius legem divinam, in universo mundo (μακροκόσμῳ) dominantem, ex universae naturae contemplatione sibi videretur perspexisse, eandem quasi minoribus literis in animo nostro (μικροκόσμῳ) scriptam, ut communem Deo cum hominibus sequi iubebat. V. *N. D.* I. 14, 36. pr. quem l. ad §. 11. p. 25. adscripsi. Diog. Laërt. VII. 88. pr. Stob. *Ecl.* II. p. 190. ss. 216. ss. ed. Heer. Cf. Exc. Krugii *Gesch. d. Phil. alter Z.* §. 122. 126. et *Aretolog.* §. 6. n. 2. p. 23. s. Jam adhibe Senecae *Epist.* 104. *Natura dedit nobis excelsum spiritum, — simillimum mundo, quem, quantum mortalibus passibus licet, sequitur aemulaturque*: unde ap. Cic. *N. D.* II. 14, 37. *homo* dicitur *ortus esse ad mundum contemplandum et imitandum.* Ὃ γὰρ ἄγαταί τις, καὶ μιμεῖται, ὅσον αὐτῷ οἷόν τε, ut ait Hierocles in *Aur. Carm.* I. p. 22. laudatus ibi Davisio. Arrian. *Diss.* I. c. 6. Deus τὸν ἄνθρωπον θεάτην εἰσήγαγεν αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ. Sublimior atque augustior est Christi vox ap. Joann. *Ev.* V. 17. 19. Sed iam propius accedamus ad rem. Quem ad modum igitur ap. Clement. Alex. *Strom.* l. VII. p. 312. Gnosticus ἀρξάμενος ἐκ τοῦ θαυμάζειν τὴν κτίσιν — θεὸν καὶ πρόνοιαν ἐπίστευσεν, ἐξ ὧν ἐθαύμασεν: sic, secundum Stoicos, *astrorum ortus, obitus cursusque — contuens animus accipit ab his cognitionem deorum: ex qua oritur pietas, cui coniuncta iustitia est reliquaeque virtutes, e quibus vita beata exsistit, par aut similis deorum, nulla alia re, nisi immortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens coelestibus.* (*N. D.* II. 61, 153. cl. 56, 140.) Ab hac Stoicorum iactantia alienus, eandem tamen argumentationem adhibet Lactant. III. 9, 9. s. cl. V. 14, 12. VII. 4, 16. 5, 4. et *de ira Dei* 14, 1. s. Quod Anaxagorae discipulus Euripides *Phoen.* 546. (553. ss.) introduxit Iocasten eadem argumenta adhibentem, ut filio insinuet, *ne quid nimis*, inde Wyttenbachius in *Animadvv.* ad Plutarch. *de S. N. V.* p. 28. s. alia, quae apud ipsum legantur, docte comparans, coniicit, fuisse hoc Anaxagorae, ordinem, quem in motu rerum coelestium admiramur, nobis in vita esse exprimendum. Ego vero potius ad Pythagoram retulerim. Huius enim auctoritate impulsum se ita credere fatetur Cato *Maj.* ap. Cic. *de senect.* 21, 5. (77.) *deos immortales*

sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur quique, coelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo atque constantia; ubi Wetzel praeter alia apposite laudavit Antonin. XI. 27. Pythagoreis, non dubium est, quin debeat idem decretum Plato in *Timaeo* p. 47. C. Ἀλλὰ τοῦτο λεγέσθω παρ' ἡμῶν, ... ἐπὶ ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ θεὸν ἡμῖν.... δωρήσασθαι ὄψιν, ἵνα, τὰς ἐν οὐρανῷ τοῦ νοῦ κατιδόντες περιόδους, χρησαίμεθα ἐπὶ τὰς περιφορὰς τὰς τῆς παρ' ἡμῖν διανοήσεως, συγγενεῖς ἐκείναις οὔσας, ἀταράκτοις τεταραγμένας· ἐκμαθόντες δὲ, καὶ λογισμῶν κατὰ φύσιν ὀρθότητος μετασχόντες, μιμούμενοι τὰς τοῦ θεοῦ πάντως ἀπλανεῖς οὔσας, τὰς ἐν ἡμῖν πεπλανημένας καταστησαίμεθα: quam rationem summus philosophus satis ridicule etiam ad corporis motum transfert p. 88. s. ed. Steph. Priorem ejus locum respicit Plutarch. περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων p. 14. s. quod latuit Wyttenbachium l. c. Ceterum Stoicis cum Pythagoreis et Platonicis commune fuisse videtur, ut, quidquid humano subiicitur aspectui, templum Dei vocarent, qui sola mente concipitur: in quod templum per ortum inducimur veluti ad initia et mysteria quaedam tranquillo et laeto nobis animo spectanda ac peragenda, ritu viventibus sacerdotum. V. Macrob. *in Somn. Scip.* I. c. 14. Sed exstat ap. Plutarch. *de Stoicor. repugn.* p. 1035. locus classicus Chrysippi, cujus prima verba adscripsi ad §. 12. pr. Totum exhibet Tennemann l. saepius l. IV. p. 254. unde explicari potest, quo modo *Chrysippus legis perpetuae et aeternae vim, quae* q u a s i d u x v i t a e e t m a g i s t r a o f f i c i o r u m *sit, Jovem* dixerit *esse, eandemque fatalem Necessitatem* appellarit, *sempiternam rerum futurarum veritatem*, teste Cic. *N. D.* I. 15, 40. ex. ubi cf. Creuzer p. 70. a. cum Tennemanno IV. p. 320. Quo modo iudicium boni vel norma, qua in iudicio de bonis et malis utamur, in physicis tradatur et hoc quasi vinculo physica cum ethica coniungi potuerit, subtilissime explicavit Lilie I. p. 53. ss. adhibitis luculentissimis locis *Fin.* III. 22, 73. et *Tusc.* V. 25, 70. s., quae Stoica esse, declaratur primis capitis 27. (§. 73.) verbis. Hic igitur observat, cum e reliquiis libri *de fato*, tum clarius e Stoicorum, aera nostra posteriorum, libris intelligi, totum paene iter physiologiae Stoicae, quae et physicam nostram et theologiam complectitur, ad locum de fato tendere; ibi discrimen illud constitui inter res in potestate nostra positas, h. e. vel bonas vel malas, et eas, quae, potestate nostra exemptae, arbitrio divino parent. Ea, quae sunt in potestate nostra, Stoïci *voluntaria*, προαιρετικὰ (*libera*), vocant atque, ut illi videtur, fato liberant. De reliquis ipsa V. D. verba haec sunt; „Qui intelligunt, ea, quae ipsorum in arbitrio non sint, causis tamen vincta esse, *Necessitatem*, qui causas has ignorant, Fortunam commemorare solent. Sed necessarius hic causarum ordo non vocatur, nisi comparatus cum hominum imbecillitate. Deum si spectamus, universa rerum compages non minus illius voluntate regitur, quam

paucula haec, quae nostro arbitrio permissa sunt. *Necessitatis* non solum, sed *Fortunae* etiam vocabulo ita interdum utuntur Stoici, ut Deum ipsum significari videamus: in quo idem secuti sunt, quod in virtutis disciplina sequebantur. Vt *bonorum* et *utilium* vocabula, ab iis rebus, quae vulgo aut sola aut maxime expetuntur, remota, virtuti consecraverunt, ita modo *Deo*, modo *Necessitati* et *Fortunae* nos *parere* iubent, ut ipso sermonis usu mutando religione imbuerent animos. Nam in ore populi illa necessarium, haec fortuitum rerum ordinem, utrumque sine ratione succedentem, significabat. — *Lex divina* (ὁ νόμος θεῖος), ad quam non solum Epictetus et Antoninus, sed antiquissimi etiam Stoici praecepta sua referunt (Diog. Laërt. VII. 88.), ex hac rerum divisione pendet. Epictetus optime eam his verbis exponit: (Arrian. p. 259. ed. Schweigh.) τίς δ' ὁ νόμος θεῖος; τὰ ἴδια τηρεῖν, τῶν ἀλλοτρίων μὴ ἀντιποιεῖσθαι, ἀλλὰ διδομένοις μὲν χρῆσθαι, μὴ διδόμενα δὲ μὴ ποθεῖν. Prior huius legis pars (τὰ ἴδια τηρεῖν) ad bona et mala, posterior ad commoda et incommoda (sumenda et reiicienda) pertinet: ut non inepte duas quasi leges, alteram agendi, alteram patiendi, Stoicis tribuere possis." Cf. nos supra p. 15. Huic legi obtemperare, id Antonin. V. 27. appellat συζῆν θεοῖς. His iam sic disputatis, patefacta est altera ratio, cur, ne stulte optes ea, quae non possis, atque id ipsum, quod rationis vi possis, constanter velis, a naturae et universae et tuae contemplatione proficiscendum sit, auctoribus Stoicis, quibus III. §. 13. pr. *summum bonum dicitur consentire Naturae: quod ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam reiicientemque contraria* II. *Fin.* 11, 34. ubi, non credimus Görenzio, illam Stoicorum ἔννοιαν expressam esse. Imo *cum intelligentia* i. e. q. ib. III. 9, 31. ex. *scientiam adhibentem earum rerum*, etc. κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. Stobae. *Ecl. Eth.* II. p. 134. Diog. Laërt. VII. 87. ex. ubi a Chrysippo ratio redditur haec: μέρη γάρ εἰσιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου. — Cf. Antonin. II. 9. 16. pr. IV. 29. Huc referas illa Senecae Ep. 107. *Natura hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. — Ad hanc legem animus noster aptandus est —:* usque ad fin. cl. Epictet. *Enchir.* 77. s. et quae Mitscherlich comparat ad Horat. II. *Carm.* 10, 15. Horum similia leguntur in *Aureis Carmin.* 50 — 54. Summa est, ut *sapientia* agnoscatur esse *divinorum humanorumque notitia*, i. e. *Wissenschaft der natürlichen Weltordnung als eines Vorbildes für die sittliche.* V. ad §. 153. p. 303. Senec. *Epist.* 74. sub. fin. 104. et Macrob. in *Somn. Scip.* I. c. 9.

EXCVRSVS IX. AD C. V.

Sapientia et Prudentia princeps omnium virtutum.

Sapientia §. 153. praedicatur *princeps* ob rationes superiori *Excursu* expositas, distinguitur autem a *prudentia*, quam §. 160. *cognitioni* adiunctam, dicitur sequi *considerata actio* : sine qua *cognitio rerum* §. 153. *manca quodam modo atque inchoata* ac 157. *solivaga et ieiuna videtur.* Ibi igitur *prudentiae* vox usurpatur pro sola *intelligentia scientiaque*, quae opponitur *actioni*. De *cognitione veri* agitur c. 6. cuius loci brevitas, nescio, an ex ea potissimum causa veniat, quod *veri inquirendi atque investigandi* praecepta dialecticorum sunt : ut c. 37. pr. *rhetorum* esse dicuntur *contentionis praecepta* : quae propterea ibi praetermittuntur. *Prudentia* autem proprie nihil aliud est, quam ipsa *actio considerata* vel *agendi solertia* : quae *sapientiae* subiecta pars c. 6. vix verbo attingitur : de quo monitum est ad §. 143. pr. Causam subindicavimus ad §. 153. p. 302. Nimirum omnes tres libri alio atque alio nomine unam commendant *prudentiam* : quae (eodem modo, ut *Acad.* II. 8, 23. *sapientia*) *Fin.* V. 6, 16. definitur *vivendi ars*, vel 7, 18. ex. *ars vitae*, locata quippe in delectu officiorum III. 9, 31. Hoc fortassis secutus Apollophanes ap. Diog. Laërt. VII. 91. unam tantum agnoscit virtutem, τὴν φρόνησιν, quam Plato *Leg.* I. p. 631. C. III. p. 688. B. dicit πρώτην τὴν τῆς ξυμπάσης ἡγεμόνα ἀρετῆς : ut Socrates ap. Xenoph. *Mem.* III. 9, 5. πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι. Egregie hac de re disputavit Chr. Frid. Ammon, cuius habetur luculenta *Commentatio de Veritate Honestatis matre ad locum Cic. de Off.* I. 5. Erlangae 1809. 4. qua Vir Magnif. et S. Rev., qui eandem doctrinam, ex ipsis literis sacris haustam doctaeque antiquitatis suffragio confirmatam, celeberrimo libro *Ueber die Wahrheit als höchstes Moralprincip*, Gottingae 1803. et 1804. edito, uberius pertractaverat, comprobat, ex ipsa Ciceronis mente germanam, i. e. necessariam et summam, utilitatem non aliunde, nisi ab honestate, proficisci omnemque morum doctrinam in eo versari debere, ut virtutem e veritate originem ducere eamque per omnem vitam factis idoneis exprimere doceat. Hoc Summi Viri perspicax solertia cum ex iis coniicit, quae de fonte et ratione exquirendi officii disserit Tullius (§. 13.), tum ex iis, quae de appetitus, rationi obedientis, natura docet §. (101. ss.) 105. 107. 132. pr. (c. 36. ex.) : e quibus colligitur, honestatem in eo consistere, ut ea, quae cogitando vera sint intellecta, bona fiant agendo et in vitam transferendo. Idemque distinguit indagationem veri a sapientia vel cognitione summi boni, quae sine veritate nulla sit, itidem, ut inventio et contemplatio veri, quae proprie virtus non sit, sed eam antecedat, diversa esse iudicatur ab actione rerum sapienti, qua cogitationes e notione sum-

mi boni derivatae in societatem et vitam introducantur. Singula vero auctoris, omnem honestatem e certa veritatis persuasione originem ducere, significantis vestigia Summus Ammon persecutus est haec 6, 18. *errare turpe ducimus.* §. 30. *dubitatio cogitationem significat iniuriae* etc. §. 63. *viros fortis veritatis amicos esse volumus* *). 30, 105, s. ubi *decori* natura in eo sita esse iudicatur, ut *considerate* hominisque excellentiae convenienter agamus. Praeterea officiorum distinctionem pro temporum, aetatum et personarum discrimine (c. 34.) non nisi e communi veritatis fonte derivandam. Istam autem tum singularum actionum tum universae vitae aequabilitatem (§. 111. 144. pr.), quae perturbationes, quibus homines ad malum pelliciuntur, evitet (136. pr.), sine veritate, quae summa unitatis regula sit omnisque ordinis mater et conditrix, omnino locum habere nullum. Neque rectam utilitatis rationem in actionibus haberi posse sine scala bonorum et finium ordinisque vitae, quo constituti sumus, consideratione insta; neque ea, quae de utilitatum comparatione docuit Cicero l. II., ad virtutem transferri posse (l. III.) sine veritatis regula, qua adhibita intelligas, animi tranquillitatem et αὐτάρκειαν reliqua vitae commoda longo post se intervallo relinquere. Itaque sapientiae virtutisque principium duci ab ipsa veritate, numinis lege et indice, quae, licet in universum cogitatio simplex et nuda (formalis vel logica) deprehendatur, in singulis tamen actionibus appetendi materiam idoneam inventura sit ad eamque sancta officii necessitate voluntatem alligatura. Jesum etiam Christum omnem institutionem suam *veritatis* nomine comprehendisse, omnemque virtutem hac re absolvi, docuisse, ut homines veritatis formam voluntati et animo imprimerent. Joann. *Ev.* 3, 21. 8, 32, s. 12, 46. 18, 37. cll. Ejusd. *Epist.* III. 4. et Reinholdi *Anfangsgründe der Erkenntniſs der Wahrheit* (Kielae 1808.) p. 83. A Stoico haec sententia, *in virtutibus inesse non comprehensionem modo, sed etiam scientiam, a qua omnis nascatur constantia*, gravissimis argumentis fulcitur in II. *Acadd.* 8, 23 — 9, 27. Cf. Seneca *Ep.* 71. med. *Idem esse dicebat Socrates veritatem et virtutem.* Ibid. s. fin. *Quid erit haec virtus? iudicium verum*

*) Cf. §. 66. p. 152. s. §. 67. p. 155. s. ibique nota. Plato IV. *de re p.* 450. B. σωτηρίαν διὰ παντὸς δόξης ὀρθῆς τε καὶ νομίμου δεινῶν πέρι καὶ μή, i. e. *vim servatricem opinionis circa terribilia, sed opinionis rectae legique consentaneae*, definit *fortitudinem*, quae ap. Cic. *Tusc.* IV. 24, 53. eodem modo dicitur *scientia*, ut εὐταξία I. *Off.* c. 40. pr. Cf. *Rhet. de inv.* II. 54, 163. pr. 164. pr. Ceterum locum illum §. 63. expressit Marcellus, quatuor virtutum praeco, hoc disticho: *Nec nisi vir rectus, vir simplicitatis amicus, Magnanimi et fortis nomen habere potest*; itemque illa §. 14. *Quantus inest ordo rebus vel quanta venustas Solus homo solers percipit atque videt. Ergo nihil sordis, nihil et committere inepti Providet et nullam prorsus habere notam.*

et immotum : ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis species, quae impetum movet, redigetur ad liquidum. Plato *de re publ.* VI. 490. D. Ἡγουμένης δὴ ἀληθείας, οὐκ ἄν ποτε, οἶμαι, φαῖμεν, αὐτῇ χορὸν κακῶν ἀκολουθῆναι. Demosth. *Epitaph.* 1394. l. 3. Ἔστι γὰρ, ἔστιν ἁπάσης ἀρετῆς ἀρχὴ μὲν σύνεσις, πέρας δὲ ἀνδρία· καὶ τῇ μὲν δοκιμάζεται, τί πρακτέον ἐστὶ, τῇ δὲ σώζεται. Alia, eis; vide ap. Lipsium in *Manud.* III. *diss.* 3. (Opp. T. IV. p. 494.) et 4. ex.

EXCVRSVS X. AD C. V. §. 15.

Quatuor virtutis formae.

Omni placuit antiquitati quaedam statuere genera honestorum, varias formas variosque quasi voltus Virtutis describere, quam pariter atque animum ipsum, cuius tamen vis, veluti luminis radius a rebus inflexus, diversis temporibus diversam quandam efficientiam ostendit, revera unam esse et simplicem et in rectae rationis usu spectari, recte agnovit Zeno Cittieus I. *Acad.* 10, 38. pr. Quadripartitam autem virtutis indolem Stoici de communi cum veteribus philosophis sententia in homine agnovisse videntur Lilio I. p. 29. s., ipsas virtutes cardinales aliis aliter definiri, concedenti, sed, principia cuiusque in teneris parvorum animis eadem fere ab omnibus observata esse, affirmanti. Vestigia huius divisionis etiam in Empedoclis reliquiis reperiri. Quae apud Sturzium quidem, non memini, me ulla invenire. In *Socratis* autem *Memorabilibus* Xenophonteis (III. 9, 1. 4. s.) et nomina quatuor illarum virtutum leguntur explicanturque et initia illa, in quibus fovendis et regendis virtutis disciplina elaborat, iisdem paene notis agnoscuntur, quibus ap. Ciceronem. Xenophon in *Cyrop.* quae tota ad popularem intelligentiam accommodata est, cum Cyrum puerum talem nobis effingat, qualem sibi quivis pater filium optet, tria virtutis indicia primum commemorat, Cyrum fuisse φιλανθρωπότατον καὶ φιλομαθέστατον καὶ φιλοτιμότατον (I. 2, 1. 3, 1.). Cum paullum aetate processisset, pudoris etiam signa apparuerunt (ib. 4., 1.). Sed hic non est cupiditatis custos, sed qualis a primo ortu observatur, decori moderator. Huic Lilii observationi addimus, quod Xenophon ib. c. 2. §. 6. 8. 10. significat, omnem Persarum educationem publicam earundem quatuor virtutum disciplinam fuisse. Luculentus hujus rei testis accedit Plato, in cuius *Alcib.* I. c. 37. Persarum regem futurum quatuor electi praeceptores harum virtutum alius alia imbuere dicuntur. Tantum constat, certe non Stoicorum arbitrio primum talem virtutis divisionem esse inventam et prolatam; quippe quae, veritate omnique Graecae gentis Graecaeque philosophiae indole fundata, iam diu ante Stoae nomen inter philosophos auditum in ore volgi, poetarum (e. g. Simonidis ap. Platon.

in *Protag.* 72. ex. p. 339. A.) et hominum sapientium versaretur, etsi nondum Stoica illa subtilitate expressa: arbitro etiam Christi. Aug. Henr. Clodio, cujus, ut reliqua ejusdem ingenii monumenta, elegantissimae et bonae frugis plenissimae habentur *de virtutibus, quas cardinales appellant, commentatt.* II. Lips. 1815. 1820. 4. e quarum priori p. 4. s. ipsa Gravissimi Viri verba haec adhibere placuit: „Quum in singulis his virtutibus definiendis, qui id temporis de moribus philosophabantur, a vulgari loquendi usu huc et illuc seducti, sibi plane non constarent, quumque isti iustitiam a liberalitate et religione, fortitudinem a magnanimitate, sapientiam a prudentia saepe iterum seiungerent: sine dubio notiones primarum virtutum tanta obscuritate involvebantur, ut Socrates ille Platonicus, cum Menone de virtute disputaturus, hos scopulos libenter praeterveheretur atque moneret, se nec de justitia nec de fortitudine nec de sapientia neque de temperantia quaerere; sed velle se verbis definitam unam virtutem et simplicem, τὴν μίαν, ἡ διὰ πάντων τούτων ἐστίν. *) Nihilo minus alio loco ipse Plato partitionis illius cancellis includi se passus est, nimirum in libris de re publica, cui quatuor illae virtutes tribuuntur **). Praeterea cuilibet etiam illarum quatuor virtutum singulatim a Platone dialogorum unus dicatus est ***). In Archytae Pythagorici fragmento, quod Stobaeus *Serm.* I. exhibet, ab animi bonis bona corporis distinguuntur et in bonis animi solum φρόνησις, ἀνδρεία, δικαιοσύνη, σωφροσύνη annumerantur.“ Etiam Plato *de Leg.* I. c. 513. 22. p. 631. C. dividit *bona* (ἀγαθὰ) in *divina* (θεῖα, i. e. quatuor has virtutes cardinales) et ex his apta *humana* (ἀνθρώπινα), quorum item quatuor enumerantur; ὑγίεια, κάλλος, ἰσχύς, πλοῦτος. Cf. Diog. Laërt. III. 80. ex. et Appulej. *de doctr. Plat.* l. II. ab in. Ad eandem formulam prope accedit Julian. in *Constantii encom.* p. 10. C. Stoici autem εὐχρηστήματα vocant, non agnoscentes *bona*, quae *humana* nuncuparat Plato, usus solenni hac virtutis in quatuor partes distributione tum alibi, tum *de re p.* IV. 428. A. ss. in primis 433. D. ss. 441. E. ss. VI. 487. B. 504. A. *Leg.* III. 688. B. XII. 963. B. D. *Phaedon.* c. 13. p. 69. C. ed. Steph. ubi notavit Wyttenbach. sumptam esse hanc divisionem ex Pythagoreorum doctrina, ut appareat in eorum fragmentis ap. Stobaeum *Floril.* I. e. g. Theagis p. 8 — 12. Metopi p. 7. Cliniae p. 8. indidemque sumpsisse Aristotelem, dissentientem tamen a Platonis ratione. De quo dicetur ad II. 5, 18. Improbabiliter autem Jo. Alb. Fabricius ad

*) *Menon.* c. 5. ex. ubi Biester laudat congruum l. *Protagorae.*

**) Nimirum Plato justitiam in re publica, quasi in maiori tabula efformatam, clarius ob oculos poni posse putabat, ut postea Stoici virtutis legem in universo mundo: quae est Lilii observatio I. p. 35.

***) Theages, Gorgias, Laches, Charmides.

Marini *vitam Procli* quatuor illas virtutes ad τετρακτὺν, παγὰν ἀενάου φύσεως, in *Aureis carminibus* 47. s. celebratam, refert: in qua aliud quiddam latere, intelligi potest tum e Macrobii *in Somn. Scip.* l. I. c. 6. tum ex aliis, quae alibi persequemur. Stoicae harum virtutum definitiones memorantur ap. Diog. Laërt. VII. 92. sed verbis ibi extr. τὴν δὲ δικαιοσύνην substituendum haud dubie ?: ut duplex exhibeatur *prudentiae* definitio. Nam trium reliquarum virtutum definitiones excidisse videntur, facile e §. 126. supplendae, hoc fere modo: τὴν δὲ δικαιοσύνην ἐπιστήμην ὧν ἀπονεμητέον etc. Apud Plutarch. *de virt. morali* Zeno, *prudentiam*, dum suum cuique tribuit, esse ait *iustitiam*, dum res eligit, *temperantiam*, dum tolerat, *fortitudinem*. Sed non possum non Lectoribus communicare memorabilem Exc. Clodii I. p. 11. s. observationem de hujus partitionis fundamento et principiis. Plerique veterum, hanc rem tractantium, inquit, fontem non ignorabant, e quo haec virtutum, sermone hominum disiunctarum et sigillatim laudatarum, varietas manaret, ipsum scilicet animum humanum, vires et facultates sibi innatas partesque sibi tributas discrimine quodam separantem. Quod demonstrant dilucida verba Metopi Pythagoraei ap. Stob. *Serm.* I. (l. c.) Τό τε πλῆθος τᾶν ἀρετᾶν ἀπακὰν ἐκ τῶν μερέων τᾶς ψυχᾶς κατίδοιτό κά τις, ὡσαύτως τε καὶ τὰν γένεσιν καὶ τὰν σύστασιν τᾶς ἀρετᾶς. Idem, ut virtutem describat, ἀρετὰ, inquit, ἐντὶ ἀνθρώπω τελειότας φύσεως ἀνθρώπω (cf. *Excurs.* VII. ex.) et ut ab ista definitione genera virtutum varia derivet, addit: φανερὸν, ὡς κατὰ λόγον τοῖς μερεσὶ τούτοις τᾶς ψυχᾶς καὶ τὸ πλῆθος τᾶν ἀρετᾶν ἀκολούθηκεν, καὶ διαφοραὶ καὶ ἰδιοτᾶτες τούτων αὐτῶν. — Sed carebant vett. philosophi subtiliori animi partitione, unde etiam factum est, ut ii, qui omnem virtutis ambitum quatuor generibus metiebantur, nunquam tamen de ordine convenirent, quo singulae virtutes ponendae et describendae essent, nec de dignitate et praestantia, qua una reliquis forte antecelleret. Nullo certo ordine collocantur illae quatuor et nominantur apud Laërtium VII. in *Zenone.* Alium fere ordinem Plato, alium Aristoteles, alium Pythagorei et Platonici iuniores in explicanda harum singularum virtutum indole sequuntur. Ac M. Tullius, adiutus fortasse sententiis Panaetii, qui teste Laertio [VII. 92. pr. cf. quae notavimus ad §. 17. pr.] aliam in contemplando, aliam in agendo virtutem posuerat, orditur a *prudentia, cui materia quasi subiecta sit veritas,* deinde pergit ad *reliquas, quibus actio vitae continetur,* inter quas primam mentionem iniicit *iustitiae.* — Theages ap. Stob. *S.* I. (l. c.) ducem facit prudentiam, comites fortitudinem et temperantiam, compositam ex his appellat iustitiam: quapropter ab hoc Pythagorico, quem ad modum a Platone, illa justitia ultimo loco ponitur et explicatur. Cum hoc consentire videtur alius Pythagoraeus Hierocles: ex cujus sententia qui recta ratione utitur et prudentia est praeditus, is sociam sibi adsciscit in adversis quidem fortitudinem, in voluptatibus autem temperantiam, in omnibus vero simul iustitiam. — Sic ii ipsi, qui quatuor vir-

tutum genera statuebant, hanc tamen divisionem iterum tollere solebant, modo prudentiam [de qua cf. *Excurs.* IX. pr.], modo iustitiam universae virtuti exaequando, fortitudinem autem vel temperantiam ita definiendo, ut iam latius, iam strictius pateret horum verborum sensus. Alia ejusdem philosophi incomparabilis elegantissima observatio est complurium, quos iam pridem antiqua, a Pythagorae praeceptis profecta philosophia distinxerat, virtutis graduum, quibus escenderet quasi animus progressione quadam in coelum et ad dignitatem divinam. „Hinc," inquit p. 5. s., „illa alia et a Stoicorum rationibus paululum aliena virtutum in *quatuor* genera distributio, apud Pythagoricos et Platonicos recentiorum aetatum obvia, quam Plotinus et Porphyrius potissimum excoluerunt, uti ex Porphyrii fragm. ap. Stob. *Serm.* I. et ex Macrobii commentario I. *in Somn. Scip.* (c. 8.) didicimus. Erat fortassis haec a Pythagoricis in ordinem redacta divisio paullo recentior illa Stoica partitione, multo tamen latius patebat, illam complectebatur et ex antiquissimo decretorum Pythagoricorum fonte manaverat. — Ex Plotini sententia aliae virtutes sunt hominis civilis et cum homine societatem coëuntis, aliae purgatoriae hominis philosophantis, a faece humana sese purgantis et domesticas quasi in animo res curantis, aliae hominis iam perfecti et vere religiosi, aliae denique, *quae in ipsa divina mente consistunt, a quarum exemplo reliquae omnes per ordinem defluunt.* — Porphyr. ap. Stob. προδρομοὶ δὲ πολιτικαὶ ἀρεταὶ τῶν καθαρτίων." Tertii autem gradus virtutes, quarum officia, nisi fallor, eadem sunt, quae Stoicorum κατορθώματα, recte iudicat Clodii integritas, excedere iam modum virium humanarum. „Quis enim mortalium, qui nondum careat rebus humanis, ita purus est ac beatus, ut de coelo suo nunquam detrudatur? Imo nec decet nec convenit homini, officiorum vinculis ligato, penitus sese immergere in res divinas, humanarum oblivisci." Laudantur autem isti philosophi, quod egregie et acute viderunt, animum, religione destrictum omniaque bona ad deum auctorem referentem, summo numini cuncta tribuere virtutum humanarum fundamenta et exempla, quae a Porphyrio vocantur ἀρεταὶ αἱ τοῦ νοῦ αἱ παραδειγματικαὶ καὶ συνδρομοὶ αὐτοῦ τῇ οὐσίᾳ. Ac primum quidem *sapientia* divina illis appellatur ipsa mens divina, quae cuncta scientia complectitur; *temperantia* divina est beata illa sibique sufficiens natura; *fortitudo* divina ἡ ταυτότης, ergo sanctitas. Denique *iustitia* summi numinis definitur summa rationis absolutio ac perfectio et conscientia aeternae legis, cum qua res procreatae omnes concordent. — Stoica illa partitio invenitur in Martini Abbatis ad Mironem regem libello *formula honestae vitae*, quae adeo St. Paullino iustitiae formam et virtutis summam complecti videbatur, sed eas potissimum virtutum notiones exhibet, quae a Porphyrio *politicae* appellantur, de earumque mensura ad normam mediocritatis illius, ab Aristotele probatae, disserit: unde non mirum videtur Clodio, quod alii ecclesiae doctores, ut Proclus Patriarcha,

cum de recta fide scriberet, hoc de quatuor virtutibus gentilium iudicium tulerit, eas *humi repere et ad terrena proiectas esse.* Vix igitur doctoris angelici auctoritas illas gentilium virtutes sustinere potuit, quin *vitiorum splendidorum* nomine salutarentur, ut ab Augustino. Tamen virtutum cardinalium nomen adeo celebratum est, ut statuarii pictoresque Itali faciem earum et imaginem ad exornandas pontificum aulas in marmoribus coloribusque exprimerent. Quidam etiam inter recentiores philosophos, de moribus et vita atque de officiis disputantes, rem omnem ad quatuor illa genera virtutum revocarunt, ut Fordicius Anglus, sed omnibus longe ingeniosior ille ipse, cui has notitias debemus, Clodius, cui (T. 14. ss.) *temperantia* esse videtur virtus atque perfectio sensus, qui variarum rerum ubertatem vitaeque motum et fluxum sensim percipit, *sapientia* intelligentiae, cujus ope *cogitamus*, i. e. scientiae unitate in visorum praeterfluentium varietate notiones rerum permanentium colligimus, *fortitudo* voluntatis, cui data est futuri status ambigua optio, *iustitia* denique rationis, qua animus aeternae naturae fit conscius et causam aliquam necessariam, cur omnia fiant et fieri debeant, agnoscit. Sed ipse Clodius *fortitudinem* primo loco posuit, quippe quod honestatis vox primam inter animi facultates voluntatem vocet. *Ratio* autem ibi, ubi in animo explicatur, adjuvat et *sensum*, ut imaginatio temperantiae ope ab affectibus et a perturbationibus purgetur contraque rerum aeternarum, visa superantium, amore incensa, ad divinum ordinis, pulchritutinis, decoris sensum evehatur, et *intelligentiam*, ut uno eodemque consilio vitam regat animique notiones omnes huic consilio accommodet, et *voluntatem*, ut sibi constet et idea boni necessarii semper impellatur. Igitur ut recta ratio reliquas formas animi simul omnes plenissima absolutaque conscientia complectitur et penetrat et ad normam aeternam necessitatis dirigit: sic *iustitia*, ut Platonicis quoque iunioribus placuit, omnibus virtutis numeris expleta est. Ita vero descripta, plane cum *religione* congruit, qua affectus animus deum colit et in se et in aliis. (Cf. ad §. 153. 160.) Absolvitur igitur hominis *virtus* (*viritus*, i. e. *virium* omnium perfectio) in sensus puritate ac sublimitate, intelligentiae claritate et profunditate, voluntatis magnanimitate, rationis ad universas ac singulas partes permanante efficacitate. Sed cum ratio saepius lateat, obscuro quodam sensu obruta: potest animus a virtute, i. e. ab eo statu, ubi natura superior ac dignior hominis explicatur, cum formis sibi ingenitis ad inferiorem naturam inclinare ita, ut improbus suo arbitrio omnia, Deo et aliis nihil tribuat, et ut sensus non nisi visionibus fortuitis, animo quasi aegrotanti obversantibus, indulgens, nullum modum servet in libidinibus et voluptatibus, cogitatio veritatem fugiat et erroris convinci nolit, voluntas denique idea boni necessarii ad totum Fortunae regnum vincendum impelli reformidet. Hinc quatuor illis principibus virtutibus opposita sunt totidem *vitiositatis* humanae genera. Sed

ipse Tullius noster *temeritatis* accusandus esset, si scripsisset, quod *Fin.* III. 11, 39. tuetur Görenz: *Stultitiam — et temeritatem et iniustitiam et intemperantiam.* Satis acute Guyetus coniecerat, *temeritatem* mutandam esse in *timiditatem.* Ego vero contendo, *stultitiam* esse glossam *temeritatis*, penultimo autem loco excidisse *et ignaviam.* V. *Rhet.* II. 54, 165. ubi *fortitudini contraria esse* dicitur *ignavia; audacia* autem *non contraria, sed apposita ac propinqua.* At eadem foret *temeritas.* Sed haec II. *Cat.* 11, 25. in contentione virtutum vitiorumque omnium opponitur *prudentiae*, ut *ignavia fortitudini.* Cf. Diog. Laërt. VII. 100. 102. pr. et Zeno ap. Stob. *Ecl. Eth.* II. p. 92. Heer. (al. p. 166.) Sed ne haec quidem Stoicorum propria est inventio et excogitatio. Nam iam Plato *de re p.* IV. p. 444. C. virtutibus opposuit *τήν τε ἀδικίαν καὶ ἀκολασίαν καὶ δειλίαν καὶ ἀμαθίαν καὶ ξυλλήβδην πᾶσαν κακίαν.* Hos vitiosos habitus cum *perturbationibus*, quae potius motus sunt, confundit Lilie I. p. 63. cui Cicero hanc quoque philosophiae Stoicae partem parum perspexisse videtur, ordinem et perspicuitatem saepe hic desideranti. Mihi secus videtur. Adhibe haec illis ad 69. p. 161. pr. Ne vero mirere, hanc partitionem virtutum a Garvio, qui ad l. I. p. 60. ss. paullo confusius disserit, revocari ad quatuor naturarum, quascumque attribuit conditio nascendi et corporis temperatura: cf. Clodii *comm.* II., quam laudavimus ad §. 117 pr., et quae alius, item admirandi ingenii philosophus, Exc. Heinroth, tam sapienter, quam populariter, disseruit Vol. II. aureoli libri: „*Gesammelte Blätter von Treumund Wellentreter.*" Lips. 1818. disquisitione II. de diversa vitae facie.

EXCVRSVS XI. AD C. XI. §. 33.

De particula AN.

Operae pretium videtur, satisfacere desiderio Dölekii in libro, qui a. 1819. Hildesiae prodiit, inscriptus *Kritische Bibliothek* Vol. II. P. II. vel n. 8. p. 804 — 809. ut enucleatius doceatur de vi et usu particulae *an*, quae potissimum spectatur in formulis *nescio* v. *haud scio, an,* etc. de quibus disputarunt, (ut alios ab Heusingero ad h. Cic. l. et a Meinero p. 47. libri ad §. 2. pr. citati laudatos omittam) Drakenborch. ad Liv. XXXVII. 54, 16. Westerhov. ad Terent. *Andr.* III. 2, 45. et *Adelph.* IV. 5, 33. Bauer ad Sanct. II. p. 293. *d*). Scheller in *Lex.* s. v. *An* III). s. v. *Haud* 5) et s. v. *Nescio* a) p. 6731. s. Gernhard ad Cic. *Cat. Mai.* 16, 56. p. 108. et Ill. Hermannus solita subtilitate in *Leipz. Literatur-Zeitungen* 1819. n. 122. s. quem prae ceteris sequimur. Nam ille quidem Döleke eandem esse putat hanc particulam et Graecam *ἄν*, i. e. *etwa, wann, etwann,* in oratione indefinita poni solitam: quae

fuit etiam Schelleri opinio in *Lex*. Nobis vero non verisimile fit, hanc ἂν, quae tantum non enclitica nunquam in principio sententiae ponitur, transisse in interrogativam *an*, quae nunquam postponitur. Nec nunc quaerimus, quam apte comparetur ἄρα. Quanto enim probabilius, si quidem incomparabilia comparare fas sit, Hermannus: cui, quem ad modum *atque* ex *autque* vel *autce* *) itemque *ac* ex *atque* : sic *an* ex *autne* contracta videtur. Quod vero, affixa etiam *ne*, dicitur *anne*, non magis mirandum, quam quod γὰρ particulae, ex γὲ ἄρα compositae, denuo adiicitur ῥα. Sed quod *an* in principio interrogationum negat, ut *Tusc.* IV. 23, 52. pr. haec non ipsius est vis, sed figurae rhetoricae : ut memoravimus ad §. 48. p. 116. s. Pariter *Num*, quae eodem modo est a *nunc*, quo *tum* a *tunc*, negandi vim non affert, sed adiuvat tantum *Tusc.* II. 24, 59. *Cat.* I. 11, 29. Potest enim, salva negatione, utraque particula abesse, ut III. *Off.* 83. *Potest cuiquam esse utile — ?* et contra in affirmatione *Cat.* III. 9, 22. ex. *Id non divinitus factum putatis ? Phil.* II. §. 13. *Non est iudicatus hostis Antonius ?* et in duplici interrogatione I. *Off.* 114. p. 245. Hoc quidem, dudum ab ipso Hermanno probe enucleatum, non latuit Dölekium, qui tamen in alio est errore, affirmans, omnino esse negationem in interrogatione, quam ducit *ne*. Imo, quod ipse deinde concedit, saepius inest affirmatio, e. c. *Meministine ?* unde haec particula iterari potest ita, ut duplicis vel reciprocae interrogationis membra disiungat, v. c. in Virgil. *Aen.* XI. 126. Praeterea, si *ne* interrogativa, quae contra, quam *ne* prohibitiva, corripitur, per se negaret, tunc *necne*, quippe duplex negatio, non posset non affirmare : quod contra est. Quod autem dicit Döleke, ex ista quidem originatione *an* non posse locum habere in simplici interrogatione, a qua *aut* alienum sit : parum perspexit ille interrogationis naturam, quae extra figuram semper ambigue aliquid pronunciat ita, ut quodam modo vicaria sit sententiae disiunctivae, e. c. *An abiit ?* i. e. *aut abiit aut non. Nescio equidem; sed scire pervelim.* Ergo in simplici interrogatione fit Ellipsis oppositi membri, subintelligendi. Sed invaluit usu, ut nemo de primitiva particulae *an* vi cogitaret, non magis, quam de interrogativa vi particulae *quin*, cum Imperativo iunctae. Enim vero ex ista Hermanni notatione planissime intelligitur, cur *an* in duplicis interrogationis ejusque compositae altero demum

*) Dölekio *que* itidem, ut cum *nam*, coniuncta videtur cum *at* sic, ut nullam addat vim. Sed, etiamsi concesserimus, *set* factum esse ex *et*, vix tamen probare poterit V. D., *et* quasi Dorice pronunciatam esse *at*. Non enim Dorice (nam quid sibi velit additum illud *quasi*, parum curamus) mutatur ε in α brevem, sed η in α longam. Eidem *que* in *utroque* et *quoque* intensiva vi pollere videtur. At vero vim primitivam servat. Nam *uterque* est *unus et alter; quisque* et *quicunque* est *hic et ille et quivis* (*quilibet*) *alius*.

mum membro admittatur. *Aut* enim ad aliud quid respicit. Quoniam igitur dicendum est: *Quasi ego id curem, quid hic aiat aut neget:* itidem dicitur: *aisne an negas?* φὴς ἢ οὐ φής; *Leg.* II. 2, 5. *Numquid — an —? Att.* I. *Ep.* 3, 2. Recte igitur Görenz emendaverat *Cat.* II. 6, 13. pr. *Quaesivi a Catilina*, *in* [vitiosissime in novissimis adhuc edd. scribitur *an*] *nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne.* Hinc etiam explico usum particulae *an* pro *aut*, Tacito familiarem, e. c. *Ann.* II. 42, 6. *finem vitae, sponte an fato, implevit.* Ib. XI. 26. pr. XIV. 59. pr. respondet praecedenti *sive* v. *seu.* Et ipse Cicero extra interrogationem dixit: *Simonides an quis alius* II. *Fin.* 32, 104. ubi Görenz comparat *Brut.* c. 23. *an — an* pro *sive — sive.* Sed male Scheller in *Lex.* in v. *An* p. 726. huc retulit *Att.* II. 6. ubi est potius anaphora. Perspicuum est igitur hoc, Dölekium, re parum explorata, negasse, inter *an* et *aut* ullam intercedere significationis cognationem. Imo interdum hae particulae permutantur. Nunquam autem, nunquam iungitur *aut an*: quod ex Dölekii commento proprie fieri deberet in duplici interrogatione. Denique ex eadem enodatione etiam apparet: qui *nescio*; *an* idem fere denotet, quod *fortasse*, ut III. §. 105. *N. D.* II. 4, 11. ex. Coniunctivi autem in hac formula constructionem Hermannus per attractionem quandam explicat, qua bina enunciata in unum coalescunt. E. g. haec *N. D.* I. 2, 3. s. *perturbatio vitae sequitur. — Atque haud scio, an — societas generis humani tollatur*, solvi possunt, si placet, hoc modo: *haud scio, illa perturbatio vitae quanta foret quamque nefaria: aut tolletur* etc. —? itemque extr. l. II. *de Divin.* cogitatione hoc modo suppleri poterit oratio: *haud scio, quam absoluti et perfecti putarentur* (Stoici) *aut soline iam philosophi putarentur?* Aliud attractionis genus observavimus I. *Off.* 72. ex. ubi, quamquam Coniunctivus etiam absque formula illa in priori quoque membro recte admitteretur, tamen cum V. D. in Literar. Annal. Heidelberg. 1812. n. 3. agnoscimus Ellipsin, hoc modo supplendam: *nihilo minus, quam philosophis* [*adhibenda est atque*] *haud scio* etc. quod certe fieri debet in Livii loco XXIII. 16. *ingens eo die res* [gesta est] *ac, nescio, an maxima illo bello* (intell. *res eo die*) *gesta sit.* Omnino vero haec formula sic in usum abiit, ut illa attractionis ratio non ubique expedienda sit e. c. 37, 132. *Tusc.* III. 8, 16. in Caecinae ad Cic. *Epist.* VI. 7, 7. pr. (ubi affirmationem recte agnoverat iam Badius Ascensius). Etenim saepe eodem modo, quo *nihil aliud*, mediae orationi immiscetur: ut *Fin.* V. 3, 7. *N. D.* III. 27, 69. Quinctil. *Instt.* II. 1. ex. Nec semper facit circumlocutionem quandam, per quam exprimatur *fortasse*, e. g. in Plin. *Epist.* VI. 21, 3. *Nescio, an noris hominem. Quamquam nosse debes*, i. e. imo non dubito, sed certus sum, tibi notum esse. Tum fere postponitur, ut in M. Senecae *prooem. ad controv. l.* I. ed. Bip. p. 63. *In aliis autem an beneficium vobis daturus sim, nescio: in uno*

accipio; et L. Seneca *Ep.* 25. pr. scribit : *An profecturus sim* (i. e. *Ob ich was ausrichten werde*), *nescio* : de quo ipse non satis fiduciae habet. Huc etiam refero illud Horatii IV. *C.* 7, 17. *Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae Tempora di superi?* i. e. *Nemo scit, incertum est et ambiguum* : quem ad sensum cf. ib. vs. 7. s. I. 9, 12. et *C.* 11. II. *C.* 3, 4. 15. ss. Omnino circumspecte cavet Hermannus, ne in negativa sententia statim corrigatur *nullus* etc.; cum frequentetur *nescio, an quisquam; nescio, an ullus*, ut perinde sit ac *nescio, an nemo.* Quippe eam esse interrogativorum *quisquam, ullus, usquam, unquam* etc. naturam, ut in iis lateat negatio : cui alibi solent iungi. V. notam ad §. 110. ex. et p. 166. de Livii loco *) et II. §. 27. 28. Eadem est ratio interrogativorum post Comparativum positorum, nisi ipse Comparativus adiunctam habeat negationem. Et sic fortasse explicandus locus, quo abutitur Döleke, in *Brut.* 88, 301. *memoria tanta* (i. e. maiore fuit), *quantam* (quam) *in ullo cognovisse me arbitror.* Recte igitur Hermannus in *Cat. Mai.* 16, 56. tuetur codd. MSS. lectionem : *Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia, haud scio, an ulla beatior esse possit* : i. e. *beatiorne ulla vita potest esse?* quae interrogatio, latente negatione, non differat ab hac : *beatiorne esse nulla vita potest?* nisi, quod paullo indefinitius eandem sententiam exprimat. Expressa est negatio *Brut.* 33, 126. *Fam.* IX. 14, 12. III. *Off.* §. 6. pr. I. *ad Q. fratr.* 1. c. 9. (al. 10.) ubi pro *nemini* etiam scribi potuisset *ulli* : ut II. *Or.* 4, 18. *Omnium autem ineptiarum, haud scio, an ulla sit maior.* IX. *Epist.* 9, 4. ex. *quod, nescio, an ulli unquam nostro acciderit imperatori* : quae lectio improvide a Benedicto mutata est. *Lael.* 6, 1. *Amicitia — : qua quidem, haud scio, an, excepta sapientia,* [*nihil*] *quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum* : ubi Ernestus, cuius notam repetiit Wetzel, praeter necessitatem addidit *nihil.* Revocanda igitur codd. lectio *Att.* IV. *ep.* 3. *non dicam, bonorum, qui, nescio, an ulli sint, sed* cet. et ap. Aemil. Prob. XX. in *Timol.* pr. *huic uni contigit, quod, nescio, an ulli.* Affirmativis autem pronominibus, qualia sunt *quis, aliquis, quispiam, quidam,* aut adverbiis *alicubi, uspiam, aliquando, interdum* etc. adhibitis, contrarius exsisteret sensus : ut in primo exemplo, *agriculturam minus iucundam, minus dulcem esse, quam aliud vitae genus* etc. Vnde vitiose dicitur *nuspiam.* Dicitur, *illud habet aliquam dubitationem*, et, *non sine* (i. e. *cum*) *aliqua dubitatione*; sed *sine aliqua d.* idem foret, q. *sine alia qua d.*, non, *sine ulla* (i. e. omni) *dubitatione*: quod Döleke affirmat ille quidem; sed non probavit. Insolentius est illud, quod

*) Male Döleke ibi legendum coniicit : *perfugeret.* Discat e Grotefendi *Lat. Gramm.* §. 159. 3) et 4). Quod si subtiliorem interpretationem adhibere placuerit : videbis, in verbis, *ut nemo arma caperet*, spectari inceptum, in *perfugerit* eventum.

idem, si militibus imperaretur, omnes interficere, excepto uno, hoc ita expressum volt: *ne aliquem interficerent.* Imo potius: *quendam!* Alia res est ap. Val. Max. II. 6, 2. *ne hostibus fiduciae aliquid afferret* (aspectus cruoris): ibi enim indefinitum manet, quantum fiduciae afferre soleat; affirmativum autem pron. refertur ad verbum, non ad negationem. Maiori etiam perversitate ille obloquitur Görenzio *Acad.* II. 9, 27. ex. restituenti e codd. *Non potest igitur dubitari, quin decretum nullum* (Döleke coniicit *ullum*) *falsum possit esse sapientique satis non* (Döleke repudiat hanc negationem) *sit, non esse falsum, sed etiam stabile — esse debeat*; itemque Schützio in *Or.* 9, 32. quem recte ibi laudat Görenz, eidemque Görenzio *Acad.* II. 12, 38. tuenti verissimam librorum plurimorum lectionem: *non potest animal ullum non appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat.* Nos quidem non satis creduli sumus, ut nobis persuaderi patiamur, ubi nulla sit ambiguitas, ibi scriptores classicos bene etiam absurde loqui posse. Quod recte tantum in ironia fieri potest: ut si dicatur, *Doelekii Sardorum venalium mangonium non potest displicere. Est enim perelegans; non modo Latinitati accommodatum.* Sed redeamus ad Hermannum, qui a superiori formula distinguit eam, in qua pro *an* sequitur *ne*: ut Caesar *B. G.* V. 54. rem non mirandam significans, scripsit: *idque adeo, haud scio, mirandumne sit.* Subauditur *an non sit mirandum*: quod adiiciendum fuisset, si placuisset plene dicere, ut Ciceroni *Fam.* II. 5. 3. pr. *Vnum illud, nescio, gratulerne tibi, an timeam.* Alia ratio est particulae *anne*: quippe quae dubitandi aliterque existimandi etiam causam adesse significet, ut in Terentii *Andria* V. 2, 10. ubi Simo, audiens, Pamphilum modo introisse ad amicam, attonitus, interrogat: *Anne 'st intus Pamphilus? Eho, non tu dixti, esse inter eos inimicitias?* Hinc Hermanno in ejusd. *Heautont.* V. 2, 46. vera videtur lectio: *Etiam haud scio, anne uxorem ducat.* Comparantur praeterea ab Hermanno formulae: *Nescias, an* ap. Horat. II. C. 4, 13. s. et *qui scis, an* in Terent. *Eun.* IV. 7, 20. et *Hecyr.* II. 1, 38. Ait etiam Seneca *Ep.* 17. *unde enim scis, an iam nimis habeas?* i. e. *nimis habes*: quod statim sequitur. Cic. *Tusc.* IV. 23, 52. pr. *Nescio, ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus.* IX. *Epist.* 7, 5. *Att.* II. 6. et Aemil. Prob. VIII. 1, 1. *dubito, an.*

EXCVRSVS XII. AD C. XI. §. 36 ET 37.

Locus de *Catonis filii tirocinio sub Popilio imperatore* interpolatus.

§. 1.

C. Popilium posse *imperatorem* dici, negaverat Jo. Gottlieb Lindner in *Commentat. crit.* Arnstadtii 1771. contra quem disputat Martini in *Vindiciis commentationis criticae*

super h. l., Ratisbonae 1772. 4. editis, p. 12. distinguens triplicem vim, quae *imperatoris* vocabulo in historia R. subiicitur, et duplicem quidem, si hoc voc. nomini proprio postponitur, ut h. l. *Imperator* igitur dici solitus est quicumque belli dux, qui imperium belli suis auspiciis administrandi a populo acceperat quemque Romani veteres *praetorem*, Graeci ἡγεμόνα, στρατηγὸν nuncuparunt. Eodem est appellatus summus quisque belli dux, qui, re in provincia fortiter prospereque gesta, certum hostium iustorum numerum interfecerat adeoque victor evaserat. Cf. Schützii *Lex. Cic.* s. v. Hac igitur appellatione uterque Popilius ornari voluit; quodam modo potuit. Et *M.* quidem *Popilius Laenas* COS., cui Ligures decreti fuerant, iussus est novas, quibus provinciam obtineret, legiones conscribere. Liv. XLII. 1. Ibi in agro Statiellati ad oppidum Carystum decem milibus Ligurum caesis, reliquos, deditos in fidem Populi Romani, ipsos bonaque eorum vendiderat. Ib. 7. 8. Legionibus in hibernacula missis, Romam rediit, ut ob bello rem bene gestam supplicatio decerneretur: qua tamen propter pessimum saevitiae in afflictos exemplum non impetrata, in provinciam Galliam Cisalpinam, cuius pars est Liguria, rediit. Ib. 9. Tunc quidem; pacata quasi provincia, unam illam legionem, cui Cato adscriptus erat, dimissam, suspicantur et Martini *comment. crit.* I. (quam mihi ex amplissima bibliotheca sua communicavit Exc. Spohnii amica voluntas) p. 16. et Lindner §. 6. Idem Proconsul pugnavit iterum cum Statiellatibus Liguribus ac decem milia eorum occidit anno proximo. Propter cuius iniuriam belli ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum *C. Popilius Laenas*, prioris frater, et P. Ailius Ligus COSS. in eandem provinciam ire iussi (ib. 10.) exercitum a M. Popilio ceperunt. Exitu prope anni C. Popilius COS. Romam rediit atque in aede Bellonae de rebus in Liguribus gestis disseruit. Ib. 28. Ergo uterque frater eundem honorem affectavit quidem neque tamen ab Senatu impetravit: etiam si forte a militibus *Imperator* appellatus sit. Ex quo Martini suspicatur, Popilium non tam altero, quam primo, vocabuli significatu *imperatorem* dici a Cicerone. Igitur *M. Popilius* secundo, *C. Popilius* proximo anno ante bellum Macedonicum secundum sive Persicum COS. et Imperator adversus Ligures fuit. (Ib. 1. et 10.) Neuter autem in Macedonia auspiciis suis bellum administrasse aut legionem auctoritate et arbitratu suo ibi dimittere potuisse videtur. Fuit quidem M. Popilius consularis apud Macedonicas legiones; sed tamquam tribunus militum Q. Marcium Philippum Consulem secutus principio veris a. 584. teste Livio lib. XLIV. in. A Martinii sententia, p. 6. s. et 15. proposita, non magnopere discrepant, quae Lindner suae *comment.* §. 4. disputat, sub nullo alio, quam sub *M. Popilio* bello Ligustico Catonis Censorii filium militare potuisse tironem, cum annum ageret vigesimum primum. Nam Catonis filius mortuus est, ut scribit Plutarch. in *Cat. Mai.* c. 24. post med. στρατηγῶν, i. e.

praetor designatus (teste Cic. *Tusc.* III. 28, 70: et Gellio XIII. 18. cl. Floro *Epitom. lib. III. Liv.*) post lustrum quinquagesimum quintum, quod Q. Fulvio, T. Annio COSS. vel a V. c. 600. conditum censet Sigon. in *Comment. in Fastos et triumphos R.* Certe mortuus est ante a. 602. quo anno consules fuerunt L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus; ergo, si ex lege Villia annali suo quidem anno factus est, quadragenarius, ut natus videatur circa a. V. 560. Jam volgo quidem Romani nobiliorum familiarum iuvenes, tirocinium posituri, imperatoribus commendabantur, ut horum in contubernio adeoque circa duces et horum sub oculis forent, cum his versari, ab eis in arte militari erudiri eorumque consiliis interesse, quantum liceret, possent. V. Schützii (vel Ernesti) *Lex. Cic.* s. v. *Contubernalis* n. 2. cl. Sueton. in *Caes.* c. 2. Optimus quisque autem iuvenis R., et qui pugnandi amore tenebatur, sumpta anno fere septimo decimo toga virili, sine mora rem militarem attingere et primum merere stipendium solebat, ut sibi hoc pacto aditum ad summos honores patefaceret. Cuius rei exemplo est P. Scipio Aemilianus, qui, septimum decimum agens annum, patrem Aemilium Paulum ad bellum Persicum proficiscentem comitatus est (Liv. XLIV. 44.); item *M. Cato* pater, quem annorum decem septemque primum stipendium meruisse, scribit Cornel. Nepos 1, 2. Catonis filium propter infirmiorem valitudinem (de qua testatur Plutarch. in *Cat. Mai.* c. 20. post med.), facile est ad credendum, corporis debilitate fuisse impeditum, quo minus maturius rem attingeret militarem; sed primo et vigesimo saltem anno nomen dedisse suum ac legioni alicui adscriptum esse tironem. Cf. Wetzelii Excurs. in Cic. *Cat.* §. 6. p. 296. s.

§. 2.

Catonis senis ad Popilium epistolae, in Liguriam missae, exemplum fortasse interierat, ut suspicatur et Martini *comment.* I. p. 16. et Lindner §. 8. Non est igitur mirandum, si priscus aliquis Grammaticus Ciceronis, quem memoria lapsum opinaretur, errorem notare voluit, memor, Catonis filium sub L. Aemilii Pauli Macedonici auspiciis in bello contra Persen, ultimum Macedoniae regem, militasse et in proelio omnium postremo ad Pydnam pugnasse cum praeclara fortitudinis laude (V. Plutarch. in *Aem. Paulo* c. 21. p. 266. C. in *Cat. Cens.* c. 20. ex. p. 348. T. I. ed. Frcf. vel 638. ed. Steph. Justin. XXXIII. 2. in. et Frontin. *Stratag.* IV. c. 5, 17. ap. Martinium *comm.* I. p. 7.) memor etiam, quem ad modum Turnebus *Advers.* XXVI. 32., epistolae commemoratae Plutarcho *Quaestion. Rom.* XXXIX. p. 273. E. qua, cur nefas fuerit, hostem feriri ab alio, quam qui sacramento militari adstrictus esset, eique, qui priori sacramento solutus esset, nullum, etiam si in castris versaretur, ius fuerit, hostem volnerandi necandive; cur, qui secus fecisset, caedis reus visus sit, — huius instituti causam explicat, ad Catonis epistolam provocans:

Διὰ τί τοῖς μὴ στρατευομένοις μὲν, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἄλλως ἀναστρεφομένοις οὐκ ἐξῆν ἄνδρα βαλεῖν πολέμιον οὐδὲ τρῶσαι, καὶ τοῦτο Κάτων ὁ πρεσβύτης ἐν ἐπιστολῇ τινὶ δεδήλωκε, γράφων πρὸς τὸν υἱὸν καὶ κελεύων, εἰ παρεθείη (*si dimissus foret*) τῆς στρατείας, ἀποπληρώσας τὸν χρόνον, ὑποστρέφειν ἢ, προσμένοντα, λαβεῖν παρὰ τοῦ στρατηγοῦ τὸ ἐξεῖναι τρῶσαι καὶ ἀνελεῖν πολέμιον· ὅτι τὴν ἀνάγκην μόνην ἐξουσίαν εἶναι δεῖ τοῦ ἀνελεῖν ἄνθρωπον ὁ δὲ ἄνευ νόμου καὶ προστάγματος τοῦτο ποιῶν ἀνδροφόνος ἐστίν. Quo tempore hae literae scriptae sint, Plutarchus non significat. Ex his ipsis autem patet, scriptas fuisse, filio nondum dimisso ab imperatore. Errat igitur Gernh., cui noster l. a Plutarcho expressus videtur, nondum corruptus glossemate: *cum in Macedonia Persico bello miles esset*: quae glossatori deberi, post Martinium Gernhard pulchre intellexisse cum videretur Schützio, hic ea quidem expunxit. Sed pulchra illa intelligentia Gernhardi parum sibi constat, quippe qui, verbis illis obolo notatis, nihilo minus, ut reliqua, invîtis Chapmanno et Pearcio, retineat, bello Persico dimissas esse legiones, probaturus, praesule Lindnero, abutatur testimonio Livii XLV, 1. 2. Quam vellem locum ab ipso V. D. inspectum! Ita enim hoc quoque pulchre intellexisset, perlato demum Romam nuncio de hostium debellatorum internecione ac deditione dimissum esse senatus auctoritate exercitum, qui nondum profectus fuerat in provinciam, ubi bellum esset, nedum hostem conspexerat, sed in futurum belli eventum aliis locis dispositus fuerat: *cum quo* exercitu, *si res posceret*, *C. Licinius collegae ferret opem*. Quid, quod hoc ipso loco declaratur, in bello Persico nunquam copiarum partem ab ipso imperatore, cui etiam novi milites suppetias mittendi colligerentur, esse dimissam? Etenim belli huius, intentiori, quam alias, cura gerendi et varia fortuna ita, *ut* Consules *semper successoribus traderent gravius*, *per quadriennium tracti* (Liv. XLV. 39. 41. Vellej. I. 9, 1.) ratio fuit ea, ut ante id confectum legionem integram dimittere posset dux copiarum R. nullus. Livius enim commemorat (XLII — XLV. maxime XLII. 29. 31. 33. 49.) bellum isthoc Romanis visum esse gravissimum et hanc ob causam multa praecipua data sorti Macedoniae ac non solum legiones eo transmittendas ceteris auctiores fuisse, sed Consuli etiam permissum, ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, usque ad quinquaginta annos etc. Altero illius belli anno, V. c. 583., A. Hostilius, Licinii COS. in Macedonia successor, (XLIII. 6. s. 11.) nullam rem bellicam memorabilem gesserat, eo, quod ad militarem disciplinam ab effusa licentia formare militem deberet (XLIV. 1.). Atque etiam hujus auspiciis multa minus prospere gesta fecerant, ut Patres, veriti, ne qua maior ignominia acciperetur, legatos in Macedonium M. Fulvium Flaccum et Caninium Rebilum mitterent, *qui comperta, quae agerentur, referrent, et ut A. Hostilius COS. primo quoque tempore in urbem rediret.* Ib. 13. Haec valent contra Gronovii coniecturam, in *Popilii* locum substituendum esse *A. Hostilium*. Nam quae

ibi et 16. narrantur de *gratiosa* multorum militum P. Aelio, C. Popilio COSS. postve eos consules in Macedoniam scriptorum ante emerita stipendia missione, quam A. ille Hostilius aliive Macedonicarum legionum imperatores per ambitionem concesserant, ea minime Catonis filio conveniunt. Et propter rationem et difficultatem belli gravioris, quod minus ex sententia administrabat Hostilius, incredibile videtur Martinio *comm. cr.* I. p. 11. eum suo iudicio, suo arbitratu integram legionem dimittere potuisse adeoque Catoni opportunitatem ad se scribendi suppeditare; praesertim, cum ipsius exercitus anno exacto iam per se esset ita diminutus, ut insequenti anno Patribus videretur supplementum in Macedoniam mittere: cuius delectus habendi maior, quam alias, propter bellum Macedonicum cura erat (XLIII. 14.). Quin eius anni Censores milites ex Macedonico exercitu, quorum ingens numerus incertis commeatibus aberat a signis, in provinciam cogebant (c. 16. s.) Peditum duodecim milibus, equitibus quingentis amplius scriptis copiisque Romanorum ita auctis, Q. Marcius Perseum levi proelio in fugam dedit. Verum ne tum quidem belli Macedonici cura desierat stimulare Romanos (XLIV. 17. 20. ss.). L. Aemilio Paulo, cui Macedonia anno post evenerat, ex SCTo et novum datum est supplementum, et ex omnibus tribunis militum, quos vellet, eligere permissum est, ut finem imponeret Macedonico bello. Id quod est factum. L. vero Paulum COS., ad cuius exercitum confirmandum quatuordecim milia peditum, mile et ducentos equites mittendos, Patribus videbatur, non credit Martini I. p. 9., integram legionem ante proelium cum Perseo commissum dimittere aut voluisse aut potuisse. Quod si igitur legio in Macedonia, dum bellum Persicum esset, cuius cura Romanos tam vehementer angeret, dimissa est nulla: nec Cato F., in ea militans, missus est factus, ut pater haberet, cur vel ad filium vel ad imperatorem R. vel ad utrumque eo nomine literas mitteret. Pugna autem ad Pydnam pugnata Perseoque brevi in fuga capto bellum ipsum confectum erat a. V. 585. Jam vero universus exercitus victor, quasi praemii causa, in urbem adduci debuit ad triumphum, cujus appetens imperator in provincia unam legionem dimittere non potuit, nisi neglectis Romanorum institutis militaribus atque iniuria tum exercitui, bene de se merito, tum sibimet ipsi illata, utpote cujus triumphum non posset non augustiorem reddere victor exercitus, ipsius currum comitaturus. Triumphare per instituta R. ne licuisse quidem, nisi exercitu victore eoque integro e provincia deducto, contendit Martini in *Vindic.* p. 9. s. nescio, an e Livii l. l. c. 38. ex. cui tamen opponi potest Plutarch. in *Mario* c. 24. pr. et in *Pompeio* 43. ex. Tantum constat, teste Livio c. 34. s. (cl. 41. et Plutarch. in *Aemil.* c. 30. pr. 36. med.), *cum toto Macedonico exercitu* (μετὰ τῶν δυνάμεων) ad urbem reduci Aemilio triumphum invidentes legiones in Capitolio increpatas esse: *Macedoniae legiones, suo abrogato, triumphos alienos*

spectabunt? (Liv. c. 39.) Hic autem triumphus omnium ante actorum comparationem amplitudine sua et magnificentia longe superavit. Ἐδαφνηφόρει δὲ καὶ σύμπας ὁ στρατὸς, τῷ μὲν ἅρματι τοῦ στρατηγοῦ κατὰ λόχους καὶ τάξεις ἑπόμενος, teste Plutarcho in *Aem.* c. 24. med. p. 273. cl. Velleio I. 9. ex. Floro II. 12, 12. Tantum igitur abest, ut Manutii patris de h. l. coniectura, *P. Aemilius* pro *Popilio*, probabilis sit, ut, ne si omnes quidem libri ad eam commendandam conspirarent, fidei quidquam habitura esset, quamvis multos patronos et propugnatores nacta, in his Aldum filium, Fr. Fabritium et Degenium, non tamen a Martinio et Gernhardo, cui eadem coniectura placet, dissentire ausum. Qui factum, ut M. Cato e Liguria in Macedoniam devenerit, satis illud quidem declarat Livius XLII. 27. scribens, C. Popilium COS. legionem, quae maxime veterana in Liguribus erat et quatuor milia peditum, ducentos equites Cn. Sicinio praetori ad obtinendam Macedoniam misisse. In horum igitur militum numero etiam Cato iuvenis fuisse videtur Lindnero §. 6. Sed quo minus illum quatuor annis post, nempe ultimo demum belli Persici anno, sub Aemilii Pauli auspiciis in Macedonia tirocinium posuisse statuamus, non tam facinus praestantissimum, quod hoc bello edidit, quam ipsius aetas adversatur. Is enim Aemilio Paulo, C. Licinio Crasso COSS. certe annum vigesimum sextum inchoaverit, necesse est. Cf. computum §. 1. extr. Hac autem aetate iuvenes R. eosque nobiles ac generosos stipendium primum meruisse, prorsus improbabile videtur Martinio *comm. cr.* I. p. 6. s. 9. quod multo minus existimari potest de Catonis filio, a patre ipso quam prudentissime instituto, pugnandi cupido neque ignaro, gloriae et laudum paternarum hereditatem ad se pertinere. Hunc quidem, *quo nemo vir melior natus erat neque pietate praestantior*, ipso patre teste ap. Cic. *de senect.* 23, 12. hunc igitur patris gravissimi exemplum bellicae laudis non maturius imitatum esse: id a iuvenis optimi ingenio alienum videtur. Nam teste etiam Plutarcho c. 20. post med. in eo τὰ τῆς προθυμίας ἄμεμπτα ἦν καὶ δι' εὐφυΐαν ὑπήκουεν ἡ ψυχὴ, τὸ δὲ σῶμα μαλακώτερον ἐφαίνετο τοῦ πονεῖν. Propterea pater ἐπανῆκεν αὐτῷ τὸ σύντονον ἄγαν καὶ κεκολασμένον τῆς διαίτης. Ὁ δὲ, καίπερ οὕτως ἔχων, ἀνὴρ ἀγαθὸς ἦν ἐν ταῖς στρατείαις. Quare per annos, quos Cato F. belli Macedonici secundi tempore habebat, fieri non potuit, ut tum demum tiro in exercitu R. versaretur. Istum enim vel ante haec tempora fortiter ac strenue in proeliis versatum, recte colligit Martini ex his Plutarchi verbis: ἀνὴρ ἀγαθὸς ἦν ἐν ταῖς στρατείαις καὶ τὴν πρὸς Περσέα μάχην ἠγωνίσατο λαμπρῶς, Παύλου στρατηγοῦντος. Accedit, quod viri cognomen *Paulus*, nomini gentilicio antepositum, non recte scribi potuisset *P.*, utpote quod compendium sit praenominis *Publius*: unde novus nasceretur error. Ne vero cum Lindnero credas, Catonis filium cum exercitus parte in Macedonia remansisse turbarum metu: Martini in *vind.* p. 10. monet, in regione pacata Romanum exercitum

relinqui non solitum neque turbas metuendas fuisse populi liberi. Libertatem enim Macedonibus indulserat suisque legibus vivere iusserat *Aemilius*, bello confecto, decedens. Liv. XLV. 29. s. 32. 34. Plutarch. in *Aemil.* c. 28. 29. Aliquamdiu demum post Macedonia in provinciae Romanae formam redacta est. Quoniam igitur id, quod *in Macedonia bello Persico* factum dicitur, per ipsius belli rationem dubiumque et ancipitem eventum ibi accidere, h. e. integra legio ab imperatore quocunque Romano dimitti, non potuit: vv. illa, *cum in Macedonia b. P. miles esset*, νόθιας nomine suspecta fuerunt Martinio *comm. cr.* I. p. 12. ss. „Sapiunt haec verba," inquit, „Grammatici cujuspiam observatiunculam, qui Catonem F. in Macedonia fuisse ibique in proelio cum Perseo singulare virtutis documentum edidisse, recordatus, sine intentiore indagatione, de eodemne loco ac tempore an de diverso hic disputetur, ea verba adscripserat in margine: unde posthac per librariorum incuriam in textum sunt recepta." Adhuc tamen cum ipso Martinio, cui verba illa, scriptoribus aliis, id bellum de industria dicendo persecutis, plane repugnantia, omnem fere parere difficultatem videbantur, quaeri poterit: „Qui literae, ad Popilium datae, paucis versibus deinceps ad M. filium scriptae possunt appellari? Vnde tam subitanea mutatio et quasi μεταμόρφωσις?" (Ib. p. 4.) Idem recte animadvertit in *vind.* p. 14. ut, utramque epistolam diverso tempore scriptam esse, intelligeretur, Ciceronem scribere debuisse: *M. quidem* (vel potius, Chapmanno arbitro, *Ejusdem quoque*) *Catonis a l i a est* etc. Haec tamen quodam modo excusari ac controversia de duplici Catonis epistola quam facillime diiudicari posse videtur Martinio et Gernhardo ita, ut Cato, vir religiosissimus ac veteris disciplinae observantissimus, certior factus, filium ab imperatore cum legione sua missum factum, dicatur quam certissime simul tum ad ipsum imperatorem, rem gerentem, tum ad filium, qui in exercitu remansisset, literas misisse atque ab illo quidem petisse, ut hunc iterum militiae sacramento obligaret, ab hoc autem, ut exauctoratus in proelio non versaretur. Quod quin ita factum sit, nullus equidem dubito. Sed locus ne sic quidem satis salvus nec Cicero verbis tam aptis, quam solet alias, sententiam explicuisse videtur ipsi Martinio in *comm. cr.* p. 5. Quod si ea, quae commemorat, de duplici epistola intelligi voluisset: nullum sane est dubium, quin alteram ab altera curiosius distinxisset, allatisque, quae de priore dicenda erant, concinniore ratione ad posteriorem progressus esset, quam hac formula: *Adeo summa erat observatio in bello movendo! M. q u i d e m Catonis senis epistola est ad M. filium:* qua longe aptiores atque exquisitiores exempla iungendi formulas in his ipsis *de Off.* libris adhibet, ut II. §. 25. s. Itaque tantum abest, ut hoc duarum epistolarum super una eademque causa scriptarum commentum rem expediat, ut eam potius maioribus obruere difficultatibus videatur. Ne urgeamus illud duabus epistolis interpositum

epiphonema, quod non nemo ut ineptum emblema revolsit, hic, ubi *Popilii Laenatis* mentio fit, alter quidam Popilius Laenas idemque laniarius Tullio caput truncans, quasi hunc iterum proscripsisset aliquis triumvir Joannes Sarisberiensis, qui in *Policrat.* VI. 7. p. 347. ed. Lugd. singula huius loci verba praeter hoc transcripsit: quamquam nos taedet eius modi chirurgiae funestae, quae, sphacelosis relictis, resecat sana; alio tamen nitamur argumento. Quod si binas hic Catonis epistolas commemorare voluit scriptor: videtur Hermanno coniungere debuisse fere sic: *Et ad Popilium scripsit — et filium monuit:* ut factum videmus II. §. 48. Inepte autem ac ratione prorsus singulari per *quidem* distinxisset. Hoc enim tam pravo exordio alius a priore induci videretur; quod recte notat Chapman. Dumtaxat hanc particulam, quam Lindner §. 9. pro *certe* positam volt, ei voci, ad quam proxime pertinet, subiectam oportuit. *Ad M. quidem filium est M. Catonis senis epistola.* Atque ita quidem *est* significaret *exstat:* quem sensum secuti, Heusinger et Gernh. e 4 Gu. et vett. edd. receperunt *est epistola*, scilicet, ut in *est* praecipua quaedam vis cumularetur. Verum volgatam lectionem, *epistola est*, ita tuemur cum Hermanno, ut totam hanc annotationem suppositam iudicemus. Debetur Ciceromastigi, nescio cui, qui hoc sibi voluit: *Catonis senis epistolam non ad Popilium esse, sed ad Marcum filium* *): quod ut manifestius argueret, addidit, quo eam tempore opinaretur scriptam: *bello Persico.* Nec vero fucum facere debet Fr. Fabritius, qui, Catonis ad filium epistolam, ait, citari a Prisciano l. VII. Perlegimus librum neque aliud quidquam invenimus, nisi hoc: *Cato in epistola ad filium: „Ex dolore, ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis.“* Hanc si qui eandem esse epistolam opinatus fuerit: hic suffragio privator, hic, Grammaticorum tribu motus, in Caeritum tabulas refertor!

EXCVRSVS XIII. AD C. XII. §. 37.

Hostis.

Plurima est in XII tabulis antiquitatis effigies et verborum prisca vetustas cognoscitur, ut ait Cicero I. *Or.* c. 42. pr. Propterea easdem adhibet testes de primitiva verbi *hostis* significatione. Scilicet *hostem* illis dici pro *peregrino.* Sed multo Tullio cautior Exc. Krug *Dicaeolog.* p. 425. n. ampliandum censet, mansuetudinemne an barbaram ferociam potius testetur ista εὐφημία. Imo et Tullius hic et Varro

*) Huic Gernhardi *Index* ad Cic. *Cat. Mai.* p. 304. b. *Q.* praenomen tribuit, inde scilicet, quod eum cum *Q. Fabio* confudit.

l. IV. *de L. L.* patrii sermonis morisque maiorum non satis gnari fuerunt, suum ipsorum humanitatis sensum bellicosis maioribus suis tribuentes. Primum enim in universum monuit Hottinger, nimiam maiorum admirationem Ciceronis aciei quasi praestigias quasdam intulisse et nebulam offudisse. Veri similius esse, cum mores paullatim humanitate assuescant, rudem atque alienis quibusque hominibus inimicam antiquitatem et *peregrinum* et *perduellem*, discrimine, quod cultioribus et mansuetioribus posteris placuit, nondum agnito, significasse communi *hostis* nomine, ut Graece similiter ἀλλότριος φὼς antiquitus is dicebatur, qui postea πολέμιος. V. Hom. *Il.* V. 214. *Odyss.* XVI, 102. cl. Alberto ad Hesych. s. v. Ἀλλότριος. Quod si contra esset, vix explicari posset, qui factum, ut id nomen a *peregrino* recesserit et proprie in *eo*, *qui arma contra ferret*, remanserit. In primis attendendum censeo ad veriloquium, *Hostis*, ut *hostia*, est ab *hostiendo* et *hostiando*, quod, pro *fostire* dictum, proprie idem fuit ac *fendere*: a quo, non ab ἱερὰ, fit *festum*, i. q. *feria*, dies *feriendae* victimae. Vt verbi *defendo* (i. e. propulso, hostes arceo; cf. ad §. 23. ex.) Supinum est *defensum*: sic ab *infendo infensum* itemque alia forma *infestum*. Similiter *manifestum* est, quod sua sponte se offert, ita, ut *manus fendant* in eo. Porro a *festim* venire videtur *festino*. Nam *confestim* est, *quam cito mutui ictus colliduntur et conflictus fit*. Quoniam vero *hostes* mutuis damnis inferendis et reciproca talione ulciscendis (*représailles*) iniurias iniuriis compensant et aequant: inde *hostire* maximeque *hostiare* accepit vim aequandi pariaque referendi pro merito. Ergo *hostis* vel, ut veteres loquebantur, testibus Grammaticis antiquioribus, *fostis* non longe abest a *fusti*. Sed veriloquii immemores Romani atque humanitatis sensu aucti, ut populi, quicum bellum esset, pars inermis a militibus, arma contra ferentibus, distingueretur, *hostes* promiscue, solos armatos proprie appellabant *perduelles*. Praeterea bellicosam nepotum Martis Gradivi immanitatem praeter originum memoriam arguit ritus ille, quo *Ianum Quirinum*, qui patebat bello, *cluserunt*, pace reconciliata: quod vix semel iterumque solenniter factum est. Fuerat autem *Ianus* iste *Quirinus* ad ipsum forum antiquissima exiguae adhuc urbis *porta* e Palatio Septem Triones versus, *Quirinalis*, postea *Ianualis* dicta, ex qua per montem *Quirinalem* iter tenderet *Cures*, Sabinorum oppidum, cuius cives *Quirites* primi fuere Romanorum hostes atque utrique maxime se invicem infestabant duellis. *Duellum* autem sive *bellum* eo quidem tempore, quo omnes circum circa finitimi essent *perduelles* hostiumque ditio ex ipsa urbe conspici posset, nihil aliud erat, nisi latrocinium, civibus vel ad inferendam vel ad propulsandam vim hostilem profectis, aperta, sed diligenter custodita, porta, ut, cum adverso Marte pugnatum esset, fusos fugatosque cives statim reciperet. Pax, quae quidem nihil habuisset insidiarum, fuit nunquam; sed *pax facta* dicebatur, cum cives e latrocinio redissent domum. Et tum quidem, ne hostes

relicti ex improviso urbem occuparent, porta, quippe in perpetua obsidione, semper, ut consentaneum est, tenebatur clausa. Cum igitur Ianus ille *Quirinus*, civibus, qui eo aperto erupissent, reversis, cluderetur: factum est, ut postea antiquo hoc ritu memoriae causa superstitiose servato et exitus ad bellum et reditus e bello ad pacem solenniter significaretur. V. *Abhandlungen der historisch-philologischen Klasse der K. Preufs. Akademie der Wissenschaften* 1816. p. 137. ss. 142. s. ubi Cel. Buttmann ingeniose et copiose *de Iano* disputat. Nos ea adhibuimus, quae manifestarent, eam fuisse vett. Romanorum feritatem, ut omnes exteros pro *hostibus* haberent.

EXCVRSVS XIV. AD C. XIII. §. 40.

Quae hac §. 40. continentur bina exempla, unum perfidiae privatae, alterum justitiae publicae in hostem exclusa a codd. Victorii et Calcagnini, a nonnullis H. Wolfii et Lambini veteribus, ab exemplari Balduini, Guilielmii *M.*, Palatino Gruteri, Pithoeano aliisque Graevii, Gothano, Vinar., Cur., a F. Heusingeri libris, a λ, μ, ψ et ab edd. praeter Roberti Stephani minorem antiquioribus Hervagio: ab hoc autem sine nota edita a. 1534. repertaque in Augustano ab Anemoecio, qui argumenta ad eorum fidem firmandam in adjecto dialogo protulit, in duobus veteribus ab Aldo Manutio, in uno Parcensi a Carolo Langio, a Fr. Fabritio in optimo suo et in quibusdam codd. Hier. Wolfii et Th. Cockmanni, tuentur Pearce et F. Heusinger. Degenio ampliandum arbitrante, inculcata esse ab aliena manu statuit etiam Schütz, commotus praesertim internis νοθείας indiciis, quae diligenter et acute exposuerit Gernhard. Sed paullo severior hujus quidem fuit censura in notandis singulis, etiam iis, quae non modo excusari posse videntur, sed sano Latinitatis colore praeprimis nitent.

Virum D. in primo exemplo maxime hoc offendit, quod scriptor eadem bis non eodem modo narravit et primum quidem minus probabiliter, auctore nullo commemorato; contra III. 113. Polybio, *bono auctore in primis*, laudato. Quod vero ibidem monetur: *de his non omnes eodem modo*, id, par fuisse videtur Gernhardo, priori hoc loco disputari. Non quo hoc mangonium vindicemus, sed ut ratio cum ratione concurrat, dubitanter contra monere liceat, illorum luculentorum auctorum narrationes Ciceroni hunc primum librum conscribenti fortasse non in promptu fuisse atque ob eam ipsam causam fieri potuisse, ut, qua erat diligentia, quodam modo retractaret ea, quae hic ex aliorum auctorum fide retulisset. Livius XXII. 61. postquam eodem modo, quo Cicero infra, auctoribus tum Polybio, tum Acilio (quocum fere consentit Cornelius

Nepos apud Gellium VII. 18. ex.) duplicem de captivis famam exposuit, addit : *Mirari magis, adeo discrepare inter auctores, quam, quid veri sit, discernere, queas.* Quod cum iam olim Tullii quoque lectori cuipiam accidisset, fieri certe potuit, ut, medicina illa, a nostrae aetatis chirurgis criticis, mirantibus magis, quae discrepare videntur, quam, quid veri sit, discernentibus, mirifico cum successu panaceae instar adhiberi solita, usus, discrepantiam removeret, tota struma illa, quae ipsi negotium facessere videbatur, exsecta, atque ita Tullium suum mutilando restitueret, misertus *N. D.* I. 33. 92. 35. 99. lamentantis : „*Quam molestum est, uno digito plus habere!*" Potuit etiam vetusti codicis forma minori, eiusque maiusculis literis scripti, intercidere folium unum aut pro uno a scriba verti duplex. Qua de causa equidem, nisi, quae iisdem eorundem codicum MSS. testimoniis damnantur, eiusdem se esse farinae, suspicionem moverent, prius exemplum non gravarer retinere, ut superiori exemplo, in quod nulla cadit dubitatio, Reguli fidei datae tenacis, *primo Punico bello* etc., responderet hoc alterum, idque contrarium, decem equitum, fidem datam perfide fallentium, *Secundo autem Punico bello* etc., eodem plane modo, quo III. 113. *Sed ut laudandus Regulus in conservando iure iurando : sic decem illi — vituperandi.* Irmischio quidem, quamquam ipse quoque interpolationem agnoscat in *diss. de h. l.* (Lips. 1755. 4.) p. XXIII. tamen, cum exempla contrariam rem continentia in mentem venire ac succurrere hominibus soleant atque cogitantibus commentantibusque veluti umbra praesto esse, videtur hoc ipsum exemplum ingenio naturaeque humanae ac cogitatis convenienter additum, fortassis, ut callidis et malitiosis veteratoribus calumnia praecideretur et excusatio. Quod tamen supra iam factum §. 33. Itaque ab illius exempli analogia hoc, quo de ambigitur, tam parum habet patrocinii, ut potius videatur supervacuum, cum, quae tum ibi, tum infra de eadem re commemorata sunt, facillime huic disputationi supplendae accommodare liceat. Poterant igitur h. l. alia brevius tangi, alia silentio plane praetermitti, concedente ipso Irmischio p. XXVII. s. et coniiciente, hoc exemplum adjectum esse ab aliquo, hanc partem, ut instituto auctoris satisfieret, desiderante : cuius generis accessiones Heumannus memorasse laudatur *lib. art. crit.* §. 25. Itaque cum eodem Irmischio p. XXV. fatemur, magnam omnium temporum felicitatem fuisse in praestigiatorum studio, animi causa aliis fucum facientium arte imitandi solertiam naturae.

Tolerandum vero alterum etiam exemplum Irmischio p. XXIV. videtur propter capitis XIII. extrema verba : *De iustitia satis dictum est.* Gernhard autem cum Erfurdtio ab h. l. alienum censet, exspectans potius fidei hostibus conservatae a singulis exempla. Quidni vero adiungi certe potuit eiusmodi exemplum, cum (§. 23.) *iustitiae fundamentum* sit *fides* et de *belli aequitate* omni §. 36. exorsa disputatio statim post hoc exemplum §. 41. pr. finiatur de-

mum verbis: *Ac de belli quidem officiis satis dictum est*—? Ne de hac quidem re a. V. 475. facta omnes eodem modo. Vid. Liv. *epit.* XIII. ex. Eutrop. II. 12, 3. ss. Seneca *epist.* 120. paullo ab in. et Hieronym. *epist.* 101. *ad Pammach.* c. 1. Pro *Fabricio*, qui etiam III. 16. exempli instar *iustus* nominatur, unus Florus I. 18, 21. *Curio* hanc laudem tribuit, Tacitus *Ann.* II. 88. indefinitius *priscis imperatoribus.* Plutarchus in Pyrrho c. 21. pr. et ἀποφθ. ῥωμ. Δ'. ἰ. p. 195. B. regis medicum literis ad Fabricium consulem missis hoc pollicitum narrat. Cic. *Fin.* V. 22, 64. *Nostri consules regem inimicissimum, moenibus iam appropinquantem, monuerunt, a veneno ut caveret.* Quadrigarius apud Gellium III. 8. profert ipsas consulum ad Pyrrhum literas, in quibus regis ille parricida Nicias nominatur: cui quidem convenit illud, quod habet Zonaras, Pyrrhum Miloni, quem, Italia decedens, ad custodiam arcis Tarentinae reliquit, ut paris exitii metu in fide maneret, sellam dedisse, cuius lora fuerint ex Niciae pelle, quem, compertis in caput suum insidiis, occidisset. Sed e Valerii Antiatis historia apud eundem Gell. et ap. Valer. Max. VI. 5, 1. Ambraciensis quidam Timochares, cuius filii pocula in convivio regi ministrarent, hoc veneficium pollicitus, eaque re a Fabricio ad senatum scripta, legati a senatu missi memorantur, qui, Timocharis nomine suppresso, Pyrrhum monerent, ut a proximorum insidiis salutem tutaretur. Eiusmodi igitur famam Tullii interpolator secutus videtur: nisi forte in errorem incidit, parum intellectis iis, quae leguntur III. 86. pr. *Pyrrhi bello a C. Fabricio consule iterum et a senatu nostro iudicatum est*, et 87. pr. *Vtrum igitur utilius vel Fabricio, — vel senatui nostro, — armis cum hoste certare, an venenis?*

EXCVRSVS XV. AD C. XXXI. §. 112. ET C. XLIII. §. 153.

Εὔλογος ἐξαγωγή.

Mortis voluntariae scelus inexpiabile visum esse Graecis, certe Atheniensibus, significat Aeschines *in Ctesiphont.* p. 88, 38. s. Plato, qui tamen IX. *Leg.* p. 873. *C — E.* excusationes quasdam, quo minus id legibus puniatur, admittit, ut impium detestatur in *Phaedone* §. 6. s. ad q. l. cff. Apulejus *de doctr. Plat.* l. II. p. 195. ed. Bip. Augustin. I. *Civ. D.* c. 18 — 23. praecipue 22. Davis. ad Max. Tyr. *Diss.* I. p. 10. et Reinhardi *disp. de morte voluntaria.* Viteberg. 1778. Provocat in eo Platonis l. Socrates ad Pythagoram. V. praeter Olympiodor. *schol.* ap. Beckium, Ill. et Splend. Equitem, (p. 338. s.) et Wyttenbach. p. 130. C. ad *Phaedonem*, ipse Pythagoreus Euxitheus ap. Athenaeum IV. c. 14. p. 157. Cf. etiam Mücke p. VII. libelli supra p. 62. laudati. Idem p. XIII. s. animadvertit,

nihilo minus ex Socratis schola, qui τὸ μελέτημα τῶν φιλοσόφων nihil aliud esse voluisset, nisi μελέτην θανάτου *), prodisse philosophos, quibus status ille animi, omni corporis admixtione liberati, temere expetendus videretur, ita, ut mortem voluntariam probarent et commendarent aliis, in primis ex disciplina Cyrenaica Hegesiam illum Πεισιθάνατον, cuius vesaniam Ptolemaeus, Aegypti rex, edicto coërcuit. V. Hofmanni *diatribe de αὐτοχειρία philosophorum* et Godofredus *n.* 9. ad *Digestt.* L. III. *t.* XXI. *l.* 3. §. 4. Aristoteles *ad Nicom.* V. 11. pr. docet, autochiria iniuriam civitati fieri, et III. 7. ex. facinus hoc esse ignaviae: quae sententia multorum communis fuit, obvia e. g. ap. Euripidem in *Herc. fur.* 1350. (al. 1347.) ss. itemque ap. Curtium V. 9, 7. Ad Pythagorae sententiam inclinant Neo-Platonici, Liban. *de vita sua* T. II. opp. ex edit. Morelli p. 45. in primis Plotin. *de dubiis animae* II. c. 44. et ap. Macrob. I. c. 13. *ad Somn. Scip.* c. 3. §. 7. et 10. ubi Cicero orationem, ut de eadem re passim Epictetus, a Platone mutuavit. V. Trilleri *Poëtische Betrachtungen* I. p. 405 — 493. et Bruckeri *histor. philos.* I. 1069. Idem Cic. in *Catone Maiore* 20, 5. (cf. §. 1. al. 72. s.) Pythagorae utitur auctoritate. Sed e I. *Tusc.* 30, 74. intelligitur, illorum philosophorum, *non contra ordinem mortem cogendam naturae, sed exspectandam esse naturam*, praecipientium, oracula a Cicerone ibi adhibito argumento reciproco, quod Graeci, teste Gellio V. 10., ἀντίστροφον appellant, accommodata esse temerariae Stoicorum, providentiae nutus, h. e. numinis, quod fata regit, voluntatem divinatione quadam interpretari pro arrogantia sua non verecundantium fatisque cedere nesciorum, sententiae: quam satis absurdam magis etiam corrupit Gernhard ad *Caton.* §. 72. ex. in hunc detorquens sensum: „*Non tum demum, si deus jussisset, licere sapienti vitam deserere.*" Imo Stoici hoc ipsum volebant esse sapientis, agnoscere, *si quam causam iustam deus ipse daret moriendi, ut Socrati aut Catoni* **), eamque causam

*) H. e. ἀπόστασιν σώματος καὶ τῆς ἀλόγου παθητικῆς κινήσεως v. χωρισμὸν ψυχῆς ἀπὸ σώματος: quae Porphyrii et Jamblichi definitiones *philosophiae* ib. p. VIII. explicantur. Explicatius Hierocles, *Pythagorici carminis aurei* interpres: ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν — ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητώδους σώματος et τὴν τῶν ὑλικῶν μολυσμῶν ἀπόθεσιν.

**) Nimirum *Socrates* indecora apologia incolumitati consulere aut supplex fieri dedignabatur; sed potius, quasi magister ac dominus iudicum esset, quidquid ad irritandos et exacerbandos istorum animos pertineret, contulit eorumque affectus aculeatis dictis suis ita fodicavit et sauciavit, ut tandem feralem ipsi sententiam ferrent: quam ille obstinato ad moriendum animo exsecutus est. V. ad §. 148. pr. cll. Diog. Laërt. II. 41. 42. ibique Menagio. Cato autem ensi incubuit, *ne patriae superstes esset*: quo fere modo ὑπὲρ πατρίδος ap. Diog. Laërt. VII. 130. ex. interpretatur Aldobrand., nescio, an verius, quam Lipsius in *Manuduct. ad Stoic. philos.* l. III. *diss.* 22. Opp. T. IV. p. 582. b. et Tennemann in *Geschichte d. Phil.* IV. p. 146.

nactum, *se emittere*, h. e. *excedere e vita* (I. *Off*. §. 153.), si multa occurrunt, tranquillitatem turbantia et quae impedimento futura videantur ad omne, propter quod vivitur. *Nam frustra mala omnia ad crimen Fortunae relegamus. Nemo, nisi sua culpa, diu dolet*, ut ait Quinctil. sub. fin. *prooem.* ad l. VI. *Instt.* Epictet. ap. Arrian. *Diss.* II. 6, 22. 16, 37. IV. 1, 108. s. 10, 27. Stobaei *Serm.* III. Quamcumque igitur ob causam satis gravem vita non amplius videatur vitalis, ut in summa solitudine, tum aequo animo quasi medicinam quandam sibi adhibere mortem, quippe *indifferentem*, (Seneca *Ep.* 82.), atque uno gradu transire ad libertatem: hoc sapientis officium inter praecipua virtutis specimina ponunt Stoici, quibus omnia officia, quae ad corporis et vitae curam spectant, media sunt, non perfecta; ipsamque vitam in rebus mediis reliquerunt ideoque potestati sapientis subiectam esse volunt: non enim vivere bonum putant, sed e virtute sapienter beateque vivere. Hoc autem summum, idque solum bonum, quo, licet eam *sapientiam* intelligerent, quam §. 46. pr. interpretati sumus, tamen hominem in hac vita potiri posse somniabant, non fieri temporis productione maius adeoque quam brevissimae vitae beatae longiorem non anteponendam. *Fin.* II. 14, 45. ss. N. D. II. 61, 153. Seneca *Ep.* 53. ex. 73. ex. *Non est virtus maior, quae longior.* Ex hoc Stoicorum παράδοξῳ colligitur id, in quo ap. Macrob. l. c. concludi vides. *Ergo, qui iam perfecte purgatus est, manum sibi debet inferre, cum non sit ei causa remanendi: quia profectum ulterius non requirit, quia* [f. *qui*] *ad supera pervenit.* Non est igitur, quod cum multis mirere, quo modo Cato lectitando *Phaedone de animorum immortalitate* non deterritus sit a temeritate, sed incenderit potius moriendi furorem pariter ac Cleombrotus ille, in quem exstat Callimachi *epigr.* 24. citatum Ciceroni *Tusc.* I. 34, 84. Poterant autem Stoici eo facilius abuti Socratis auctoritate, quippe qui certe ambigue locutus esset in *Phaed.* c. 5. de philosopho: Οὐ μέντοι ἴσως βιάσεται αὑτόν. Haec enim videbantur locum relinquere *opportunitati moriendi*, quam Epictet. significat per tropum, ἤνοικται ἡ θύρα (I. 9, 20. ibique Vpton. c. 24. ex. 25, 18. 20. s.), *liberum ostium*, i. e. *patet exitus* (Seneca *Ep.* 26. ex. *De providentia* c. 2. 6. ex. *Consol. ad Marc.* 1.) vel (ὁ θεὸς) τὸ ἀνακλητικὸν σημαίνει, τὴν θύραν ἤνοιξε καὶ λέγει σοι „ΕΡΧΟΥ!" III. 13, 14. cl. 8, 6. Sed ib. 22, 34. Σοὶ δὲ — ἡ θύρα κέκλεισται; οὐκ ἔξεστιν ἀποθανεῖν; nihil amplius valet, quam: *nonne tu mortalis es?* Praeter necessitatem etiam haesit Schweighaeuser ad II. 1, 19. Πρὸς πάντα γὰρ ἠνοῖχθαι χρὴ τὴν θύραν καὶ πρᾶγμα οὐκ ἔχομεν. Sensus est: *Nunquam hoc privamur solatio, ut quovis infortunio patere exitum e vita mori non recusantibus, mortem semper in promptu esse.* Cf. Plin. Mai. *H. N.* II. c. 7. sect. 5. (1. n. 30. p. 73. T. I. Hard.) et c. 65. sect. 63. qui credit, *Naturam venena, nostri misertam, instituisse.* Aliis autem Epicteti locis omnino adhibenda est illa interpretatio: *Quemvis casum, qui talis sit, ut vel ferri ab homine nullo*

nullo prorsus modo vel non honeste ferri possit, sapiens veluti vocem Dei esse indicabit, signum receptui dantis homini. Cf. III. 24, 34. s. 96 — 99. 101. c. 26. §. 29. ss. Ergo verba dari sibi passi sunt, qui cum Lipsio l. c. III. *diss.* 23. p. 526. quasi Epictetus, a vero adactus, parum sibi constiterit, de exspectanda omnino morte naturali acceperunt illa I. 9, 16. Ἄνθρωποι, ἐκδέξασθε τὸν Θεόν. Ὅταν ἐκεῖνος σημάνῃ καὶ ἀπολύσῃ ὑμᾶς ταύτης τῆς ὑπηρεσίας, τότ' ἀπολύεσθε πρὸς αὐτόν· (29, 29.) μόνον μὴ ἀλογίστως, μόνον μὴ μαλακῶς, μὴ ἐκ τῆς τυχούσης προφάσεως. — Ἐὰν δὲ σημήνῃ (ὁ Θεὸς) τὸ ἀνακλητικόν, ὡς τῷ Σωκράτει, πείθεσθαι δεῖ τῷ σημαίνοντι, ὡς στρατηγῷ. Cf. 25, 7. 14. III. 13, 4 — 13. ubi disertis verbis declaratur, officium esse interdum, se abdicare vita, modone sine indicio certo attrahatur more rabie quadam odioque vitae. Neque alia mens est Senecae Ep. 30. ex. Scilicet *etiam docuerunt, quas causas habere debeat mors voluntaria,* ut notat Lactant. *Epitom.* c. 39. ex. Quocirca τὸ, εἰ ἤδη ἐξακτέον αὐτὸν [corrig. αὑτὸν], ἐφιστάνειν — λογισμοῦ συγγεγυμνασμένου πάνυ χρῄζει, ait Antonin. III. 1. Cf. 5. 7. V. 29. et ad hos ll. Gataker. Seneca *de ira* III. c. 15. ex. Ep. 17. sub fin. 58. ex. 69. ex. 77. 91. ex. maxime vero 70. multis fallaciis exsecrabilibus defendit illud, quod *Zeno*, qui vim attulit vitae suae, teste Diog. Laërt. VII. §. 28. ex., docere dicitur *Ep.* 104. *mori, antequam necesse erit,* i. e. non exspectato exitu, quem Natura decrevit. Primarius huius sententiae patronus Chrysippus notatur Plutarcho περὶ Στωϊκ. ἐναντιωμ. p. 1042. C. et περὶ τ. κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τ. Στωϊκ. p. 1060. D. Cf. Stobaei *Ecl. Eth.* l. I. t. IV. §. 8. (II. p. 226.) Cic. *Fin.* III. 18, 60. s. ibique Görenz; Gedike in *Cic. histor. philos.* p. 305. ima; Victori *Var. Lect.* VI. 11. ubi explicatur, quid sit εὔλογος ἐξαγωγή, de qua exstat liber Plotini inter *Enneadas.* Scripserat etiam Varro satiram περὶ ἐξαγωγῆς, ex qua hi deprompti sunt versus Bacchiaci:

quemnám te esse dicám, ferá quí manú cor-
poris fervidós fontium áperis lacús san-
guinis teque vitá levás ferreo énse?

ap. Nonium p. 336. e. II. n. 375. Perstringit etiam Martial. XI. 57. Ipsam Stoicorum philosophiam, quorum principia fastu tumeant, in hoc decreto secum pugnare, eleganter insinuat Alexander Aphrodis. in quaestione, εἰ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, et Augustin. *C. D.* XIX. c. 4. de reiectaneis loquens: *Quae mala Stoici, miror, qua fronte, mala non esse, contendant: quibus, fatentur, si tanta fuerint, ut sapiens ea vel non possit vel non debeat sustinere, cogi eum, mortem sibi inferre atque ex hac vita emigrare.* Cf. Dornfeldii *Finem hominis Stoicum* p. 21. s. Disputat quidem Epictet. II. 1, 19. ss. III. 24, 71. hujus solatii

fructum longe pulcherrimum et iis, qui revera erudiantur, dignissimum, universo Stoicae sapientiae mysterio detecto, esse ἀταραξίαν, ἀφοβίαν, ἐλευθερίαν: contraque caput malorum omnium homini et degeneris animi et timiditatis esse οὐ θάνατον, μᾶλλον δὲ τὸν τοῦ θανάτου φόβον III. 26, 38. Verum recte opponit Erckius in diss. Τὰ τοῦ Ἐπικτήτου ὑπέρσοφα καὶ ἄσοφα *circa officia hominis erga se quoad animum excolendum observata* (sub praesidio Lud. Christi. Crellii) Lips. 1716. 4. p. 50, s. desperationem potius, e venenata perversissimae φιλαυτίας, animo suo, ut Deo, obsequentis, radice natam, quam constantiam, esse, quae hoc ultimo εὐπαθείας καὶ ἀπαθείας firmamento, hoc extremo refugio utatur, tam temerario. Adeo Schopenhauer, quamquam ipse redivivus Hegesias Ἀποκαρτερῶν, in l. „*Die Welt*" p. 135. Stoicos arguit Eudaemonismi, ex quo nascatur fanatismus hic heroicus, quem in iisdem reprehendit Kant in *Critik der prakt. Vernunft* 153. et Krug *Aretolog.* p. 204. s. *) Ceterum incertum est, utrorum decreto usus sit Horat. *Ep.* II, 2, 213. ss. Stoicorum, an Epicureorum. Nam Stoicorum oratio videtur Görenzio imitata esse his, quae Epicureus loquitur I. *Fin.* 15, 49. quibuscum cf. Lucret. III. 951 — 956. et Seneca *Ep.* 12. ex. ubi laudatur Epicuri vox, *Malum esse, in necessitate vivere; sed in necessitate vivere, necessitatem nullam esse.* Huic nationi addictus *Atticus* fame vitam finiit, teste Cornel. Nep. c. 21, 4. 22. Quo modo utrorumque philosophorum ratio diversis viis ad eundem finem ducat, intelligenter aperuit Tzschirner, Vir Magnif. et S. Rev., in *den Selbstmord betreffenden Abhandlungen* Lips. 805. p. 152. s. qui liber multa antiquitatis eruditione conspicuus et a nobis iam p. 240. laudatus, e *Staeudlin's Magazin für Religions- Moral- und Kirchengeschichte* T. II. P. I. p. 1 — 31. dissertationis, Romanorum de auctochiria sententiam examinantis et in causas, cur illi aliter, atque nos, eadem causa iudicarint, inquirentis, summam, secundis curis expolitam et novis auctibus ornatam repetit p. 140 — 167. egregieque docet, heroismum

*) Non poeniteat operae comparantibus ea, quae acutissime in utramque partem disputantur a Russavio in *Julia* (*la nouvelle Héloise*), a celeberrima illa Anna Germ. de Staël in *Réflexions sur le suicide* (Holmiae 1812.) et a Fischhabero in *Zeitschrift für die Philosophie* (Stutgard. 1819.) P. II. 230. ss. praecipue 241 — 247. ubi veritatis vi sophismata infirmantur.

illum, libertatis vindicem, cum feroci et superbo Romulidarum ingenio sub extrema rei publicae tempora coaluisse. Nam scriptores seriores tale facinus tamquam honestum atque admirabile generosique animi argumentum celebrare solent. V. Plin. I. *epist.* 12, 5. ep. 22. sub fin. III. 7. pr. multaque apud Tacitum et Valerium Max. exempla. Etiam Petito IV. *Miscellan. obss.* c. 8. Cicero hic popularem philosophandi modum secutus videtur. Olim quidem Romanis autochiriam visam esse detestabilem, diserte testatur Dio Cassius XLVI. 28. p. 353. ed. Steph. Servius ad *Aen.* XII. 603. cl. Plinio *H. N.* XXXVI. c. 15. sect. 24. n. 3. ex. Ejus rei significatio etiam in Virgil. *Aen.* VI. 434. latere videtur. Denique, quod Binkes in *Analysi* p. 27. *n.* 58. censet, Stoicorum sententiam receptam esse a ICTis Romanis, non est, quod refellamus, cum haec quorundam opinio satis refutata sit a D. God. Guil. Hermanno, Viro Consultissimo, *de autochiria et philosophice et ex legibus Romanis considerata* Lips. 1819. cap. II. in cuius diss. appendice plurimi de morte voluntaria libri enumerantur.

CORRIGENDA ET MONENDA.

P. 14. not. 1. in fin. pro „p. 339." leg. „p. 389. s."

P. 15. n. l. 10. De Paulli *ep.* I. *ad Corinth.* 15, 29. nunc assentior Hoogeveeno ad Viger. III. 1, 1. p. 42. s. Cf. Schelleri *Obss.* p. 320. s.

P. 17. n. l. 11. 12. recte distinxisse videmur. Nam *quae res agatur* i. e. q. *qua de re agatur* in *Topic.* 25, 95. *Mur.* 13, 28. ex. ubi v. Matthiae.

P. 40. C. v. ex. l. „conser*v*abimus."

P. 50. l. penult. adde: „Hoc attractionis genus explanavit Hermann. ad Viger. iterum p. 894. Cf. etiam Xenoph. Cyrop. V. 2, 4. ex. (al. §. 2.) et Plat. *Phileb.* p. 20. D. o. 10. §. 29. cum docta Stallbaumii nota p. 46. s."

P. 57. n. ult. ad. §. 25. videmur recte sustulisse verbum substantivum in priori orationis membro; sed dubitari potest, an non recte alii in clausula. Certe ex Ciceronis more structa foret oratio: *fugienda semper iniuria est.*

P. 59. l. 1. v. *sancta* videri potest glossa e sqq. petita: quam non agnoscit Columella, ad eundem Ennii versum alludens IX. 9, 1. ex. Est quasi ἓν διὰ δυοῖν, ut Seneca *Ep.* 74. post in. dicit, *Fortunam in hunc mortalium coetum honores, divitias, gratiam excutere, quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia infida societate divisa.* Tum vero in seqq. revocanda volgaris lectio: *sanctam servare.*

P. 65. text. l. ult. „tue*n*dae."

P. 117. n. 1. ex. In Virgilii et Theocriti l. c. est interrogatio absque figura.

P. 149. in citatis Platonis locis utique restituendum φιλόνικον et φιλονικίαν, ut saepe alibi, ubi cum his iungitur φιλότιμον, φιλοτιμία etc. Fere ubique peccatur in scriptura, ut in Plat. *de re p.* IX. p. 581. D. ubi commemoratur hominum genus φιλόνεικον, pro quo ib. E. ὁ φιλότιμος. Sed ib. B. πρὸς τὸ νικᾶν ὁρμῆσθαι dicebatur φιλόνεικον καὶ φιλότιμον. P. 583. A. Εἰ δὲ τιμῇ τε καὶ νίκῃ καὶ ἀνδρείᾳ [suppl. ἄριστα ἐκρίνετο τὰ κρινόμενα], ἆρ' οὐχ [intell. ἀνάγκη ἂν ἦν ταῦτα ἀληθέστατα εἶναι], ἃ [u. ἐπῄνει] ὁ φιλότιμός τε καὶ φιλόνεικος; 586. D. διὰ φιλοτιμίαν ἢ — διὰ φιλονεικίαν ἢ θυμῷ πλησμονὴν τιμῆς τε καὶ νίκης καὶ θυμοῦ διώκων· ubi E. sequitur: περὶ — τὸ φιλόνεικον ὅσαι ἐπιθυμίαι εἰσίν.

P. 156. n. l. 11. 12. pro „ὄρεξις — ergo" leg. „non omnis quidem ὄρεξις καὶ ἔκκλισις secundum Epictet. III. *diss.* 24, 54. est εὔλογος, sed βούλησις καὶ εὐλάβεια, quae".

P. 162. text. l. 1. „*et* sunt".

P. 176. text. l. 4. pro ? pone punctum. Nam *quin* hic gradationem adiuvat. — P. 204. l. 1. l. „su*m*missius".

P. 211. n. 1. l. 10. Reiskii coniecturae praestat lectio ἔτις — ἐπανθεῦσα. V. Homer. *Il.* VIII. 306. cl. Hermanni ad Viger. nota 215. ex. — Ib. n. 2. l. 8. corr. „*Brut.* 73, 255."

P. 251. l. 15. a fin. Metri causa corrige etiam ὑδάτεσσιν.

Reliqua in literulis et accentibus non correctoris, sed typothetarum, culpa hic illic admissa sphalmata non tanti sunt, ut propter ea videantur fluctus excitandi in simpulo.

M. TVLLI CICERONIS

DE

OFFICIIS

LIBRI TRES

AD PROBATISSIMORVM QVORVMQVE EXEMPLARIVM FIDEM EMENDATI ET CVM COMMENTARIIS EDITI

A

CAROLO BEIERO

PHIL. PROF. E. D. LIPS. ET REG. SAX. SEMINARII SOCIETATISQVE PHILOLOGICAE SODALI HONORARIO.

TOMVS II. LIBER II. ET III.

LIPSIAE

SVMPTIBVS STEINACKERI ET WAGNERI

MDCCCXXI.

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ET . REI . PVBLICAE . DIGNITATE
EXCELLENTISSIMO
IOH. AVGVSTO . FÜRCHTEGOTT
A . GLOBIG
DYNASTAE . GIESSENSTEINII
AVGVSTISS. SAX. REGIS . REAPSE . CONSISTORIANO
PRINCIPI . SENATVS . SACRI
ET . CONSISTORII . SVPREMI . IN . SAXONIA . PRAESIDI
CVBICVLI . REGII . COMITI
ORDINIS . VIRTVTIS . CIVICAE . SAXONICI
PRAEFECTO . RELL . RELL

DE . COMMVNI . GERMANORVM . PATRIA . ET
CONCORDIA . LEGIBVS . INSTITVTISQVE . FIRMANDA
CONSILIORVM . SALVBRITATE
SINGVLARITER . MERITO
IAM . VERO . MVNVS
ET . CHRISTI . ECCLESIAM . ET . OMNIA
BONARVM . ARTIVM . INSTITVTA . PER . SAXONIAM
REGVNDI . AC . GVBERNANDI . GRAVISSIMVM
AVSPICATO
CVLTIORIS . HVMANIORISQVE . VITAE
AMPLIFICATORI . MAXVMO
PATRONO . OPTVMO . INDVLGENTISSIMOQVE

DEVOTISSIMO . SVMMISSAE . MENTIS . CVLTV
CVM . OBSERVANTISSIMA . CONGRATVLATIONE
AC . PIIS . PERPETVAE . FELICITATIS . VOTIS

COMMENTARIORVM . IN CICERONIS . DE OFFICIIS
LIBROS . DENVO . RECOGNITOS
VOLVMEN . HOC . ALTERVM

REVERENTIAE . SVMMAE . QVAMVIS . TENVE
MONVMENTVM . ET . DOCVMENTVM . PVBLICVM

S. E. V

VENERABVNDVS. EDITOR.

LECTORIBVS AEQVIS S. P.

Quamvis benignis de priore volumine iudiciis viri harum literarum peritissimi, quorum apud nos auctoritas summa, iam satis multi spem nostram erexerint: tamen non sine sollicitudine quadam emittimus volumen hoc alterum. Quod si, opere ad finem perducto, adhuc in nostra potestate esset, ut illud de integro retractaremus: a plerisque certe me liberarem opprobriis, quibus nunc, vereor, ne obnoxius videar. Quorum autem inertia, literis studiisque discentium damnosa, quippe, cum in tanta librorum abundantia recentissimi quique in honore sint, paullatim in meliorum, dudum partorum, oblivionem adducens, notionem atque animadversionem criticam effugere non potuit, eos cum bona venia dimitteremus potius, quam ullam ipsorum rationem habere dignaremur. Verum tamen mihi quidem non

concessum fuit, omnia sedulo praeparata iterum iterumque castigare ac corrigere, ut tandem confidente animo possem manum de tabula. Faxit Deus, ne unquam posthac eadem excusatione nobis utendum sit. Illud minoris, quod aliis negotiis impeditus sum, quo minus librum, Lectores salutandi moras impatienter ferentem, nunc statim instruerem, ut volueram, indicibus: qui quidem reservantur alii cuidam Ciceronis libro philosophico, proxime edendo. Nec vero dubitamus, quin communes indices, plura compendiosius comprehendentes, lectorum usibus futuri sint habiliores.

De *aetate* horum librorum satis dictum videtur ad I. c. 1. pr. et ad L. III. in fine p. 418; de *descriptione* eorum *Excursu* VI. *ad L.* I.; de *fontibus* I. p. 15. s. et locis ibi citatis. Cf. *Exc. I. ad L.* II. p. 423. Sed cum longe abessem ab illa arrogantia, ut crederem, Lectoribus mancam hanc editionem esse satis facturam: appendicis loco addidi recensum editionum priorum: in quo partim ex Fabricii *B. L.*, ab I. A. Ernesto aucta, supplevi, ne levissimis quidem, si brevis eorum mentio iniici posset, omnino neglectis, ea, quae b. Harles praeterierat. Repetii tamen etiam e libris, ab hoc iam recensitis, eos, quorum in notis frequens fuisset commemoratio aut qui accuratius notandi viderentur. Denique adiecimus alia quaedam, iis, qui ampliorem apparatum desiderent, fortasse haud inutilia futura. Nostris studiis quam liberaliter subvenerit IOHANNES

Henricus Bremi, Vir Celeberrimus atque Eruditissimus, suppeditatis codicis, ante mile annos descripti, excerptis, narravimus p. 204. ex. Placuit subiicere eius lectiones in libros priores. Qua in re nova passim subnata est coniectura. Emendationes distinximus asteriscis. Quod si nobis relictum fuit, qualiacumque rectius constituere aut obscuriora in luce sua reponere: hoc sibi vindicat non doctrina, non ingenium (a quibus virtutibus quam parum instructus sim, neque me celo nec dissimulo), ne diligentia quidem (licet huius nunquam me piguerit), sed felicitas quaedam atque opportunitas. Etenim commodissima quaeque, quae saepe momentum facerent, in ipso temporis articulo libros evolventis manibus oculisque praeter spem se obtulerunt. Itaque, etsi alias temerarium est, interpretari velle Divinae providentiae nutus: tamen cum Deus omnis veritatis auctor sit et magister, rite ad hunc apud maiores nostros grati animi pietas, quovis opere perfecto, omnem referre gaudebat laudem. Quod nobis quoque nunc faciendum, ni vereremur, ne nimium rudi huic opusculo tribuere videamur. Hoc tantum dictu fas arbitramur, id unum nobis in votis fuisse, aliquid afferre ad horum de arte vitae librorum studium commendandum, ut Ciceronis, qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putabat, sapientia, idoneas complexa naturas, quam plurimorum generosis animis insitam virtutem his praeceptis confirmaret.

Quod si opera nostra publice non omnino improbata fuerit: VV. Doctorum admonitionibus et correctionibus (quae utinam mox nobis obtingant!) usi, succinctam editionem curabimus in usum scholarum; neque redemptores, qui et in hac editione nullis sumptibus parserint, deerunt externo eam cultu ornare quam maxime.

INTRODVCTIO IN LIBRVM II.

Praefatur scriptor I) *de instituto* ac II) *de iudicio suo*. Quod ab h. l. alienum visum est Garvio, in cuius sententiam clar. Frotscher, familiaris noster, in *observatt. in varios locos vett. Latinorum P.* I. (Lips. 1820. 8.) p. 8. docte et subtiliter de Sallustii in Catilina prooemio disseruit, esse cuiusque fere scriptoris hanc consuetudinem, ut quibusdam cogitationibus praecipuo amore inhaereat easque non raro ibi explicet, ubi ad rem vix pertinere videantur: quo factum sit, ut Cicero, priusquam ad locum *de Vtili* transiret, hoc prooemium scriberet, quod et ipsum ita comparatum sit, ut introitum in quemvis librum Ciceronis philosophicum constituere aut etiam commode a tota disputatione abesse possit: quod unde evenerit, Garvio quidem ad h. l. p. 11. ss. satis declarasse videtur ipse Cicero XVI. *ad Att. ep.* 6. ex. *Habeo volumen prooemiorum. Ex eo eligere soleo, cum aliquod σύγγραμμα institui.* Facilius ex isto electum videatur *tertii libri* prooemium, quamquam ibi quoque extrema §. 1. verba potissimum ad ipsum scriptionis tempus spectant. In hoc autem *secundi libri* prooemio VV. DD. non attenderunt neque ad ea, quae §. 6. neque ad ea, quae §. 7. pr. leguntur, quaestioni *de officiis* accommodatissima. Abesse autem a tota disputatione hoc prooemium poterat illud quidem: sed scriptor, hoc libro praecipue capessendae rei publicae viam monstraturus, intelligebat, praefando esse declarandum, cur ipse se a rei publicae procuratione removisset.

Primum igitur excusat studium suum philosophandi redditque rationem, cur se ad philosophiam Latinis literis explicandam converterit, ut l. III. c. 2. Etenim multi Romanorum Ciceroni nostro aequalium de hac eius laude detrahere solebant: et hoc maxime tempore vir consularis male audiebat, quod a foro et curia abesset: cuius rei hic in primis considerandae significationem XIII. *Att.* 20. neglexit Garve ad

h. l. II. p. 3 — 7. ceteroquin acute disputans, cl. II. *Or.* c. 1. ex. et Sallust. *Jug.* c. 85. de causis contemptae a Romanis Graecae sapientiae, quippe quae neque satis digna aestimaretur gravitate Romana neque ad virtutem doctoribus quidquam profuisse videretur moveretque arrogantiae et malitiae suspicionem metumque afferret, ne is, qui illa didicisset, se efferret insolenter et in negotiis publicis alios quasi praestigiis quibusdam et captionibus depelleret ab iis, quae clara essent *). V. *Or.* c. 41. ubi dicit Cicero, *invidis referta esse omnia;* sed c. 42. ex. *Ego semper, me didicisse, prae me tuli.* Illis igitur obtrectatoribus respondent prologi galeati. V. Exc. Krugii nostri *Geschichte d. Philos. alter Zeit* §. 152. b) p. 373. s.

Deinde a c. 2. §. 7. philosophus de iudicio suo disputat contra alterum genus reprehensorum, quibus Academiae adolescentioris ratio non probabatur. *Acad.* II. 3, 7. ss. Haec brevissime exprimitur ib. 34, 111. ex. *Probandi species est; percipiendi signum* (i. e. *Kennzeichen des Wesen-Wissens*) *nullum habemus.* Multa, quae Academiae invidiam facerent, erant *contra hanc ἀκαταληψίαν praeclare collecta ab Antiocho* (Ascalonita, in *Soso,* libro contra Philonem, doctorem suum, edito) XIII. *Att.* 19, 3. et ad fin. epist. Vid. Tennemanni *Geschichte der Philos.* T. IV. p. 402. s. cl. Cic. Acadd. II. 10, 31. ubi his, *qui negant, quidquam posse comprehendi,* objicitur, quod *vitam totam evertant funditus:* et 19, 61. s. *ea philosophia, quae confundat vera cum falsis, spoliet nos iudicio, privet*

*) Fere easdem ob causas *studia liberalium artium a philosophis vett. nonnullis aut neglecta aut impugnata esse,* elegantissime docuit Ch. D. Beck, Eques Splend., in erudito *Examine caussarum, cur* etc. Lips. 1785. 4. p. 15. ss. In n. ad p. 17. s. Vir Illustr. ostendit, quae fuerint a Rom. literae cultae et quo modo ad septimum usque urbis seculum. Ceterum quod olim liberalibus artibus Romani non vacarint, id partim a bellicis eorum studiis repetit (Suet. *Ill. Gramm.* c. 1.) partim timori cuidam tribuit, ne maiorum instituta mutarentur et adolescentes a rebus gerendis avocarentur (Plut. II. 595. et 596. ubi refertur Catonis iudicium πᾶσαν Ἑλληνικὴν μοῦσαν καὶ παιδείαν ὑπὸ φιλοτιμίας προπηλακίζοντος, et ib. 597. vaticinanti, ὡς ἀπολοῦσι Ῥωμαῖοι τὰ πράγματα, γραμμάτων Ἑλληνικῶν ἀναπλησθέντες), et, cum omnino e Graecis disciplinis Romanae fluxerint (Quinctil. I. 1, 12.), credit, etiam omnia de earum dignitate iudicia ad Romanos ex eodem fonte derivata pervenisse. cll. *Jagemanni Geschichte der freyen Künste und Wiss. in Italien* T. I. p. 103. ss. et Fergusoni sui *Gesch. der Röm. Rep.* T. I. p. 322. s. 376. s. quibus in n. ad p. 21. praeter alios multos, qui de educatione Romanorum literaria scripserunt (Fabric. *bibliogr. ant.* p. 955. ss.) additur Paulli (*Versuch einer Method. der lat. Sprache* P. I.) et Rizhaub. (*De Romanorum educatione literaria, disquisitio prima.* Wisbadii 1784. 4.) Cf. Becker in *Tusc.* I. p. 5.

approbatione (i. e. *Zuversicht*), *sublata assensione* (i. e. *Ueberzeugung*), *omnem actionem rerum sustulisse* dicitur. Quam philosophiam qui sequeretur, omnium minime *praecepta officii persequi* posse videbatur. Etenim *a comprehensione* (i. e. *Gewissheit*) *et scientia omnem virtutis constantiam nasci*, monetur ib. 8, 23 — 9, 27. et recte quidem. Vide, quae attulimus ad I. I. *Exc.* IX. p. 329. s. et Krugium in *Aretologia* §. 6. n. 4. qui Probabilismum hunc ethicum, etiam patribus istis, qui societatis Jesu nomine se dignarunt, familiarem, reprobat. Tantum constat, Ciceronem hic defecisse tum a Carneade (v. ad III. 119.) tum ab aliis Academicis, constituentibus, *extremum bonorum et summum munus esse sapientis, obsistere visis assensusque suos firme sustinere* (III. *Fin.* 9, 31.), adeoque in eandem fere reprehensionem, quam *Pyrrho*, *Aristo*, *Herillus* (I. §. 6. p. 14. s.), incurrentibus, arbitro etiam Lilie *comment.* I. p. 25. Vt tamen Noster iudicium suum utcumque tueatur, monet §. 8., placere Academicis *ea*, *quae probabilia videantur, sequi: quae contra, improbare. Volunt enim, probabile aliquid esse et quasi verisimile eaque se uti regula et in agenda vita et in quaerendo ac disserendo*. II. *Acadd.* 10, 32. ex. 31, 99. ex. 33, 107. ex. 34, 108. ex. *Tusc.* IV. §. 17. c. 4. pr. *Divin.* II, extr. Illud Arcesilas τὸ εὔλογον, Carneades appellabat τὸ πιθανὸν vel τὴν πιθανὴν φαντασίαν καὶ τὴν πιθανὴν ἅμα καὶ ἀπερίσπαστον καὶ διεξωδευμένην: unde ap. Cic. *Acadd.* II. 11, 33. *sive tu probabilem visionem, sive probabilem at quae non impediatur, sive aliud quid proferes, quod sequare.* V. Sext. Empir. *Hypot. Pyrrh.* I. 228. 231. ss. et *adv. Math.* VII. 158. ss. 166. Nam quod utriusque vocabuli discrimen statuit Franc. Doroth. Gerlach p. 15. ss. commentationis, exhibentis *Academicorum iuniorum, in primis Arcesilai atque Carneadis de probabilitate disputationes* etc. (Gottingae 1815. 4.), id nullum videtur Exc. Krugio in *Leipz. Liter. Zeitung* 1817. n. 85. p. 675. s. et in *Aretologia* §. 6. n. 4. p. 31. *). Emendandus est hac de re l. I. *N. D.* 5, 12. *Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui, omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse, dicamus, tanta similitudine, ut in iis* (corrig. *his* e Glogau. et Rehd. et sine dubio aliis pluribus MSS. Nam solennem horum pronominum confusionem semel notare satis habuit Moser p. 23. n. 68. Certe h. l. Gud. 2. exhibet *hiis*. Nimis vage dicitur *iis*) *nulla insit* (non solum Thanneri, sed Marsi etiam ed. cum cod. Rehdig. habet *sit*) *certa iudicandi et assentiendi nota: ex quo exsistit et illud, multa esse probabilia: quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur.* Eo in loco Subiunctivi Imperfecta ut contra Heindorfium tueretur cum censore quodam in *Ienaer Allgem. Literatur-Zeitung* 1816. n. 108. p. 388. F. A. Wolf P. II. libri a se editi, *Literarische Analekten*, comparavit exempla ib. c. 15, §. 39. 40. obvia, maxime vero I. *de or.* c. 28. Sed in his omnibus, sententia quaedam ante propo-

sita repetitur per orationem obliquam: cujus proprium Imperfectum illud Subiunctivi vindicabimus inferius ad 3, 9. pr. Ibi autem auctor, sui iudicii rationem expediturus, argumentatur: id quod testantur vv. *ex quo e x s i s t i t illud*: sic enim cum Davis. legendum, eliminata particula *et* plurium codd. auctoritate. Nobis quidem, si a tanto Viro dissentiri sine temeritate potest, postrema facillime sic corrigi posse videntur. *Quae quamquam non percip i a ntur* (e MS. Rehdiger., quam lectionem Moser h. l. neglexit): *tamen, quia visum h a b e n t* (e cod. Oxf. e) *quendam insignem et illustrem, his sapientis vita r e g e t u r.* De constructione particulae *quamquam* cum Coniunctivo v. *Cat. Mai.* 13. §. (6. ex.) 44. cl. Görenzio ad III. *Fin.* 15, 48. *Sed quamquam — ne g e n t* : — *attamen — putant.* Quem ad modum vero interdum verbi ex secunda declinatione flexi Imperfectum Subiunctivi mutatum observare licet in praesens Ind., neglecto syllabae *ere* compendio (e. g. 3, 9. pr.): ita non incredibile est, eodem compendio huc addito Indicativos *hab e nt* et *reg e tur* mutatos esse in Imperfecta Subiunctivi ab eo, qui praecedenti Infinitivo accommodare vellet orationem obliquam. Sic certe *Fin.* V. 10, 28. pr. *concurr e n t* in uno Davisii alioque Oxon. libro corruptum est in *concur r e r e n t.* Futurum hac in re proprium est. Cf. *Acad.* II. 31, 99. ex. *quidquid acciderit specie probabile, si nihil se offeret, quod sit probabilitati illi contrarium* : *u t e t u r eo sapiens ac sic omnis ratio vitae g u b e r n a b i t u r.* 100. *Huius modi igitur visis consilia capi e t — et — move b i t u r.* 33, 105. *iisdem hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus iste vester, coelum, terram, mare intue bi t u r ; eisdem sensibus reliqua — senti e t* etc. 34, 108. ex. 110. ex. Sext. Empir. *adv. Logg.* I. 158. ὁ προσέχων τῷ εὐλόγῳ κατορθώσει καὶ εὐδαιμονήσει. Garvio in obss. ad hunc librum p. 8. ss. etiam haec Ciceronis excusatio videtur hic quidem superflua propterea, quod unus quisque sanae mentis homo, licet ei non satis cognita esset Academicorum sententia, vel non admonitus, facile credidisset, illos vitam aliorum hominum ritu degere. Quasi vero hic quaeratur, quamnam illi vitam agant, non, quid horum sententiae, si quidem ea constanter retineatur, consentaneum sit. Ceterum hic Ciceronis probabilismus est eclecticismus et syncretismus potius, quam universalismus: ut Cicero, qui II. *Divin.* 1, 1. *hoc philosophandi genus minime arrogans maximeque constans* (i. e. decretis suis haud ab se discrepans) *et elegans* arbitratur, ipse probabiliora loqui videatur XIII. *Att.* 25, 3. hoc modo iocans: *O Academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc!* Quamquam Noster etiam infra III. 4, 20. ex. *sibi ab Academia hanc licentiam dari,* contendit. Denique in hoc ipso scribendi consilio, quod Cicero in his libris non philosophorum diversas sententias comparare voluit, sed, quae sibi probabilia viderentur, aperire sic, ut popularem et a disceptationis subtilitate alienam perspicuitatem atque elegantiam Panaetii

sequeretur, dialogicae formae, quam reliqui Ciceronis libri philosophici prae se ferunt, in his officiorum praeceptis tradendis, cum ea ad quietum disputandi genus rerumque tradendarum amplitudinem minus visa esset convenire, repudiandae causam fuisse, putat Gernh. in *Praef.* p. XVIII.

De rebus ipsis Rath non ita, ut oportuit, disputat: *summum bonum partim ex honestate constare, partim ex beata vita, quae vero, cum in aliis alia sit, variis appelletur nominibus. Illam igitur vitam beatam h. l. utile* κατ᾽ ἐξοχὴν *dici.* Stoici quidem hanc sententiam detestarentur: quibus potius l. III. 3, 13. pr. summum bonum dicitur *convenienter naturae vivere*, i. e. *cum virtute congruere semper, cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent.* Jam vero praeter *decus honestatemque* secundum naturam est *utilitas*, quam prae se gerunt ea, quae ob eam rem *praecipua* dicuntur, quod ex se aliquid efficiunt suntque virtutis instrumenta. Πολλὰ μὲν γὰρ πράττεται, καθάπερ δι᾽ ὀργάνων, ut ait Aristot. *Nicom.* I. c. 8. ex. Ab his ducuntur *officia, quae pertinent ad vitae cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultates*: ergo, si quidem prae ceteris spectantur ii, qui rem publicam capessunt aut administrant, *ad copias, ad opes, ad potentiam* (I. 3, 9. II. 1, 1. 3, 9.). Haesit autem Garve in hac utriusque officiorum generis distinctione sic, ut universam operis descriptionem reprehenderet et ad h. l. p. 10. s. et ad l. I. p. 41. s. cum in uno quoque officio et honestas spectari possit et utilitas, cum haec non alia voluntatem vi movere debeat, quam honestatis: fatetur tamen, homines in consilii capiendi deliberatione modo ad honestatis, modo ad utilitatis momenta respicere, actionumque si fontem spectemus, in alia honestatis, alia utilitatis rationem clarius atque apertius perspici. Sed hae dubitationes inde ortae sunt, quod Garve, in vernaculae vocis potestate haerens, non tenebat veram *officii* notionem, quod ad *rerum delectum* pertinet: e quarum divisione omnem hanc partitionem aptam esse, satis declaravimus ad l. I. *Exc.* IV. et VI. p. 321. s. Quod vero dicit, repeti hoc libro prudentiae officia: hoc quam vim haberet, ipse nescius fuit; sed hoc quidem satis iam explicavimus ib. *Exc.* IX. pr. Est omnino hujus libri argumentum *prudentiae*, i. e. *artis vivendi*, pars quaedam, eaque *civilis*, quae conciliat animos hominum et ad usus suos adjungit. Vid. 5, 17. s.

CONSPECTVS RERVM LIBRI II.

I. Ex Stoicorum sententia, qua, quia beata vita virtute continetur, utile ab honesto secerni nequit, unde non, nisi honestis consiliis iustisque factis, te, intelligas, ea, quae velis, consequi posse (3, 9. s.); agitur
1) de utili universe;
2) deinde de rerum utilium generibus (§. 11.): id vero proposito convenienter; non enim de omnibus rebus utilibus accuratius exponitur [cf. 24, 86. s. 25.]; sed de iis tantum, quae ad hominem augendum honestandumque pertinent, de *gratia* et *gloria*, quae nos eum vi et dignitate, tum fructu quoque suo ducunt [v. T. I. p. 321.]: de ceteris obiter tantum. Quae ergo ad vitam hominum pertinent, partim sunt inanima, partim animata; horum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Horum duo genera ponunt (3, 11.): deorum unum, alterum hominum. Cum, diis exceptis, homines hominibus plurimum et prosint et obsint (3, 11 — 5, 17.): proprium hoc est virtutis, conciliare animos hominum et ad usus suos adiungere: unde revocari virtutes in memoriam 5, 18. censet Rath. Sed nova potius virtutis proponitur divisio, eaque Peripatetica, ut quibusdam visum est, ab interpolatore. [V. *Excurs.* I. ad h. l.]

II. Studia igitur hominum ad utilitates nostras excitanda sunt. Quaecumque autem homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum [qua de re summatim c. 6. singulatim vero c. 7 — 24; 85.], ea
1) aut benevolentiae gratia faciunt aut metu, (c. 7. 8.);
2) aut magnorum virorum gloria ducti (c. 9 — 14);
3) aut beneficentia et liberalitate commoti (c. 15—24.85.).

NB. ad 1) Nihil vero aptius est ad opes tuendas, quam diligi, nihil alienius, quam timeri: id quod probatur ex tyrannorum exitu (c. 7.); ex Lacedaemoniorum iniuste imperantium (7, 26.) et Romanorum exemplo (8, 26 — 29.). Vnde colligitur, eo magis esse curandum singulis, ut caritatem adipiscantur sibique comparent amicitias (29. ss.).

NB. ad 2) Summa vero et perfecta gloria constat ex tribus his (9, 31.):
A) si diligit multitudo;
B) si fidem habet;
C) si cum admiratione quadam honore dignos putat.
NB. ad A) Multitudinis benevolentia beneficiis capitur (9, 33.), movetur etiam benefica vo-

luntate; maxime autem iis virtutibus, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem.

NB. ad B) Fides ut habeatur, duabus rebus efficitur: cum prudentia, tum iustitia (33.). Vtraque virtus comparatur (34.) ostenditurque, cur hae virtutes seiungi possint, quamquam male hoc Stoicorum disciplinae convenire videatur (10, 35.).

NB. ad C) Admirantur autem homines communiter quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animadverterunt; separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quaedam bona (36. s.). In hoc genere est animi despicientia (37.) et maxime justitia, cui virtuti immoratur (c. 11 — 12, 42.).

Monstratur deinde via, quam Socrates ad gloriam proximam dicebat esse (12, 43. 13, 44.).

Denique, paucis ante dictis de prima aetate, quae aut habeat causam celebritatis aut propter humilitatem in ignoratione hominum versetur (13, 44. s.), exponuntur adolescentium officia, quae valeant ad gloriam adipiscendam (13, 45 — c. 14.). Duplex est autem ad gloriam via [quae non distinguitur a Rathio]:

a) una castrensis et militaris: ubi prima est adolescenti commendatio, si qua ex bellicis rebus comparari potest (45.);

b) altera urbana et civilis: quae gratior est (46.). Hic prima commendatio proficiscitur a modestia cum pietate in parentes, in suos benevolentia. Facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros contulerunt. Maximam denique vim habet ad gloriam comitas sermonis (14, 48.) atque eloquentia (48 — 51.).

NB. ad 3) Beneficentiae ac liberalitatis ratio duplex est. Nam benigne fit indigentibus A) aut pecunia (c. 16 — 18.) B) aut opera (c. 19 — 24.).

Vtriusque rationis comparatio (c. 15.).

NB. ad A) Qui pecunia bene faciunt, *largi* dicuntur, quorum duo genera sunt: unum prodigorum (c. 16, 57 — c. 17.); alterum liberalium (c. 18.). Vtrumque genus exemplis illustratur et comparatur (16, 55. ss.).

a) Prodigi vero pecunias effundunt in eius modi res, quarum memoria brevis est aut nulla, ut in popularia munera (16, 57 — 17, 59. ubi copiosius agit de splendore aedilitatum); aut in ejus modi res, quae ad usum rei publicae pertinent, ut in muros, navalia cet.: quae meliores quidem impensae, at prodigorum tamen (60.); aut in eius modi res, quae rei pu blicae sunt orna

mento, ut in theatra, porticus, cet. Ceterum tota haec ratio sumptuum ad *universum populum* spectat.

b) Liberales vero idoneis hominibus de re familiari impertiunt, idque diligenter moderateque et suis facultatibus convenienter. Opitulantur calamitosis; adiuvant tenuiores, ut altiorem gradum adscendant (18, 61. ss.); in exigendo non acerbi sunt; multa multis de iure suo cedunt; hospitales sunt (64.). Ceterum tota haec ratio largitionum ad *singulos* spectat.

NB. ad B) Quae autem opera beneficia dantur; haec tum in singulos cives, tum in universam rem publicam conferuntur.

a) Singulis civibus operam praestat, gratam multis, qui in iure cauet, consilio iuvat etc. (19, 65.). Gravior est dicendi facultas et gratior et ornatior (66. s.). Licet etiam prodesse multis commendatione etc. (67.). Ceterum videndum, cum iuvare alios velis, ne quos offendas (68.). In hominibus vero iuvandis honestius est mores hominum sequi, quam fortunam (c. 20.).

b) Beneficiorum, quae ad rem publicam spectant, tribuendorum cura magistratibus gerenda est. Horum, ut concilient benevolentiam multitudinis, officium est, leges ferre rei publicae salutares (21, 72.) et curare, ut suum quisque teneat (73.); item providere, ne tributo de bonis privatorum publice deminutio fiat (74.); et consulere, ut earum rerum copia sit, quae sunt necessariae (ib.); atque in omni procuratione negotii et muneris publici avaritiam pellere, abstinentes esse et continentes (75. 22, 76. s.); item cauere, ne, tentatis tabulis novis legibusque agrariis, sit sollicita suae rei cuiusque custodia (22, 78.). Quid hoc iniuriae genere consequantur novarum rerum studiosi, exemplis demonstratur ex historia Graecorum et Romanorum (23, 80.). Contra laudatur Arati ratio cum civibus agendi (82. ss.). Quam ob rem, ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum (24, 84.). Denique operam dabunt ii, qui rem publicam tuebuntur, ut iuris et iudiciorum aequitate suum quisque teneat. Denique, quibuscumque rebus poterunt, rem publicam augeant (85.).

III. Obiter de aliis rebus utilibus. Cura valitudinis (86.) et rei familiaris (87.).

IV. Vtilium comparatio (c. 25.).

M. TVLLI CICERONIS
DE
OFFICIIS
AD
MARCVM FILIVM
LIBER II.

I. Quem ad modum officia ducerentur ab honestate, 1
Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur, ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultates, ad opes, ad copias. [In quo tum quaeri dixi, quid utile, quid inutile; tum, ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile.] De quibus dicere

---

C. I. §. 1. *ad earum rerum — facultates*] Haec MS. Cantabrig. et Meadiani 2., Gu. 4. et ed. Venetae 1506. lectio placuit Pearcio, displicuit F. Heusingero, tuenti cum rell. *facultatem*. Sed cf. 3, 9. pr, et I. §. 9. p. 22. ubi fortasse eadem, quae hic est usurpata, restituenda praepositionis est anaphora: *ad facultates rerum, ad* (pro *atque*) *copias, ad opes* etc. Ceterum ut hic Gu. 1. et 2.: eodem modo libri quidam post *earum* omittunt *rerum* V. *Fin.* 6, 15. ubi v. Görenz p. 547. s. Proxima vv. recte a VV. DD. uncis notata sunt. Mich. Heusingero videntur in margine adscripta verbis *libro superiore*, ubi tamen §. 9. ne dictum quidem fuerat, quaeri etiam de Superlativo. Praeterea in uno Ox. et Vinar. ed. Magont. et Ven. 1470. statim post *vitae cultum* sequitur membrum hoc extremum: *tum, ex utilibus — quid maxime utile*, quod Gu. 5. habet in

aggrediar, si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixero.

2 Quamquam enim libri nostri compluris non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt: tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque, in ea tantum me operae et temporis ponere. Ego autem, quam diu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnis meas curas cogitationesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur neque esset usquam

---

margine, plurimi alii, iique optimi, codd. et ed. Martyni Herbipolensis plane excludunt. Neque, his interpositis, seqq. *de quibus* satis commode referri possent ad *haec officiorum genera*. Non tamen necesse foret, haec si sana essent, *In quo* referre cum Gernhardo ad *vitae cultum*. Imo intelligeretur: *in persequendo haec officiorum genera*.

dicere aggrediar] non magis est periphrasis, quam seqq. *ad scribendi studium*; sed una quaeque res suis coloribus distinguitur. — *De instituto meo*, i. e. *cur ad hoc nos studium potissimum contulerimus*, interprete ipso Cic. 2, 6. ex. cf. N. D. I. 4, 8. pr. — *de iudicio meo*, i. e. *de nostra sententia; de philosophia nobis potissimum probata*: cuius ratio defenditur inde a 2, 7. Cf. *Tusc.* IV. §. 7. c. 4. pr. ubi *iudicium* et *institutum* promiscue usurpantur, quatenus aliquis immanet iudicio, quod semel suscepit. Hic autem incommode Degen explicat quasi per ἓν διὰ δυοῖν *de causa et consilio instituti mei.*

§. 2. *libri nostri — excitaverunt*] V. ad I. 1, 1. ex. II. *Divin.* 2, 5. ex. ubi scriptor item hoc fructu laboris sui gloriatur. — *Quibusdam bonis viris* ambigue dicitur cum levi ironiae umbra. Opponuntur enim *doctis et eruditis* §. 7. pr. Notantur igitur non satis periti, sed stultiloqui. Hottinger comp. III. §. 39. pr. *Tusc.* I. 3, 6. pr. Cur his *philosophiae nomen invisum*, diximus in *Introd.* p. 2. Goth. Gu. 3. et Non. in v. *Ponere* ordinem seqq. vv. sic immutant: *in ea me tantum operae*. Sed efficacius *tantum*, interposito pronomine, a Genitivo diremptum, praemittitur. Cf. *Fin.* I. 1, 1. Degen autem indignis modis Tullium nostrum vexat, quasi hic nimium suo philosophandi studio tribuerit.

dominatu unius] Julii Caesaris. V. ad I. 8, 26. p. 59. s.

consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae
rei publicae, summos viros, amisissem: nec me an-
goribus dedidi (quibus eram confectus, nisi iis resti-
tissem) nec rursum indignis homine docto volupta-
tibus. Atque utinam res publica stetisset, quo coe- 3
perat statu, nec in homines non tam commutandarum,
quam evertendarum, rerum cupidos incidisset! Pri-
mum enim, ut, stante re publica, facere solebamus,
in agendo plus, quam in scribendo, operae ponere-
mus; deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed

Socios tuendae rei publicae, i. e. administrandae sic, ut eius dignitas et decus sustineretur servarenturque leges (I. 124.) cum summa omnium salute, Cicero vocat *summos viros*, i. e. *consulares*, quorum nomina dat II. *Phil.* c. 5. s. Cf. *Ep.* IV. 13. 6. 8. s. *Att.* XIII. 10. pr. Deinde libri quidam exhibent *dedi* pro *dedidi*, quod vindicabimus ad §. 3. pr. Cf. ad I. 71. p. 164. s. In parenthesi, quam et hic et in I. *Or.* 43, 108. ad §. 3. emendando nos primi indicavimus, e Nonio s. vv. *Committere* et *Confectum* F. Heus. reposuit Ind. *eram* pro volg. *essem*, cl. §. 67. pr. V. de hac modi Enallage ad I. 9, 28. p. 65. pr. et Ruhnken ad Rutil. Lup. II. 7. p. 107. Adde Tacit. *Ann.* I. 23. *ni propere — pernoctuisset, haud multum ab exitio legati aberant.* 35. *ferrum a latere deripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent.*

§. 3. *quo coeperat statu*] Schütz cum Gernh. post *coeperat* virgula distinxit. V. de hoc attractionis genere, quale est ap. Virg. *Aen.* II. · 12. s. Exc. Reisigii *Coniect. in Aristoph.* L. I. p. 133. s. 1. aec post Aldum et Heinzium in notis ad versionem h. l. theotiscam p. 139. Gottleber rectius, quam cum aliis Mich. Heus. et Degen, refert ad ea tempora, quibus post necem Cae- - is res publica, h. e. libertas, restituta videbatur. *Divin.* II. 2, 7. Contra III. 120. H. Wolf intellexerat enim rei publicae statum, quem Octavianus, auctoritate Ciceronis adductus et veterum legionum praesidio adiutus, defendendum susceperat. Aperte hic status opponitur meliori illi, qui fuerat *stante re publica*, i. e. *quam diu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat* (§. 2.), nempe ante Caesaris parricidium patriae.

non tam commutandarum, quam evertendarum, rerum] Hoc ordine vv. ponunt Gryph. Ascensius, Balduin. Graev. et Heus. e MSS. Gu. . Schütz praetulit volgatum *μεσόζευγμα* n. t. *comm. rerum, quam e.* Sed cf. III. *Catil.* 10, 24. ex.

actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus. Cum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino: illae scilicet
4 literae conticuerunt forenses et senatoriae. Nihil agere autem cum animus non posset: in his studiis ab initio versatus aetatis, existimavi, honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adolescens, discendi causa, temporis tribuissem: postea quam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, tantum

---

Haec ad Antonium spectant, item ut seqq. *cum res publica — nulla esset omnino.* Cf. ad I. §. 35. p. 83.

actiones] recte intelligit Gottleber cum Ernesto ad h. l. et in *clavi* de orationibus, quas habuit Cicero in *foro* vel iudiciales, ut *pro Archia*, *Verrinas* etc., vel pro concione, ut *pro lege Manilia*, *Catilinarias* II. et III. et in *senatu*, ut *Catil.* I. et IV. et *Philippicas* I. II. de qua v. *Fam.* X. *ep.* 28, 4. s. Hae, scriptis mandatae, mox dicuntur *literae forenses et senatoriae.* V. ad I. 3. pr. *Acad.* II. 2, 6. Ex nostro h. l. itemque e *Bruto* 5, 19. 6, 22. ex. 94, 324. pr. et ex *or. p. Mur.* 10, 22. ex. corrigendum suspicor in *Orat.* 43, 108. *Quis — hanc mihi non daret veniam, ut, cum meae forenses artes et actiones publicae conticuissent* (pro *concidissent*), *non me aut desidiae (quod facere non possum) aut moestitiae (cui resisto) potius, quam literis, dederem?* Ex quo l. simul vindicatur supra §. 2. ex. *nec me angoribus dedidi*: ubi monuimus etiam de Parenthesi, bis admissa. — *Scilicet* hic esse doloris, necessitati parentis, significationem, recte monuit Gernh. Cf. *Tusc.* II. 11, 27. ex.

§. 4. *Nihil agere autem*] i. e. *Plane cessare.* Quidam transponunt: *Nihil autem agere*: quod foret, *inanem operam sumere.* V. Gesneri *Thes.* III. p. 438, 36. ss. — *In his studiis* Facciol. accipit pro „in defensionum laboribus et senatoriis muneribus": quam perversissimam interpretationem secutus etiam Pearce in seqq. pro volgata *molestias*, quam firmat Non. c. IV. 119. in v. *Deponere*, conjecit *ea.* Sed intelligitur *philosophia*, a qua Cicero doloris medicinam petebat, ea studia, in quibus non mediocrem a primo tempore aetatis operam curamque consumpserat (*N. D.* I. 3, 6. ex.), renovans, ut animus hac potissimum re *molestiis* (i. e. angoribus) levaretur (*Divin.* II.

erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus. Id autem omne consumebatur in legendo; scribendi otium non erat.

2, 7. pr. *Tusc.* II. 4, 11. pr. *Cat. Mai.* 1, 4.) *et otii oblectationem hanc* *honestissimam* (i. e. docto homine dignissimam) iudicabat I. *Acad.* 3, 11. *Fam.* IV. *ep.* 3. §. 9. ex. 11. ex. *De Ciceronis eruditione et industria* exstat Perizonii oratio, et *de Philos. Ciceronis eiusque in universam philosophiam meritis* alia item oratio Chstphori Meiners in ejusd. *Vermischtt. philoss. Schriften* Vol. I. p. 274. ss.

quantum superfuerat — r. p. temporibus] Recte hanc ed. Rom. Venett. Argent. Ald. lectionem receperunt nuperi edd. praeter Degenium, qui, servata MSS. lectione *temporis*, ad v. *superfuerat* supplet *tempori*, vel, ut mavolt, *negotiis*, quod construatur cum Genitivis. En Ellipsium artifex! At enim ad *quantum* e praecedd. cogitabis *loci*, i. e. temporis vacui ac liberi, otii. Cf. *Fin.* IV. c. 22. ex. §. 62. pr. *Tempus* autem et *tempora*, ut Gr. καιρόι, usurpantur pro eo, quod tempore aliquo accidit, pro fortunae conditione, in primis difficili et adversa, pro necessitatibus eorum, qui ope indigent, ut rei, quibus dies dictus est. *Coel.* c. 5. *servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore* etc. Hoc dicit Cicero, *se tantum tribuisse doctrinae temporis, quantum forenses feriae concessissent* (*Or.* III. c. 22. ex.), cum *omne suum tempus amicorum temporibus* (i. e. periculis) *transmittendum* putaret (*p. l. Manil.* 1, 1, 2. ubi v. Matthiae), et *ita viveret, ut ab nullius unquam suum tempore aut commodo otium suum abstraxerit*, et, *quantacumque in se sit oratio et facultas, nunquam amicorum periculis defuerit* (*Arch.* 6, 12. s.), posteaque, cum e civium iudicio fructum esset amplissimum consecutus, tantum fuisse legendis de philosophia libris loci, *quantum vacaret a publico officio et munere* (*Divin.* II. 2, 7. ex.). Itaque ib. I. 13, 22. ubi Vrania Musa, Nostrum affata, loquitur: *Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas, Quod patriae vocis studiis nobisque sacrasti*, malim cum Davisio legere, *Quod patria vacat, his studiis* etc., quam cum Schützio *Quod* mutare in *quam*, nempe *requietem*; e qua voce Hottinger cum Ernesto per synesin supplet *otium*. Sed Davisii emendatio hunc praebet sensum, nexui cum antecedd. accommodatissimum: „*otia, quae relinquuntur ab officio, patriae debito, studiis laetus tenes decoris, e quibus ereptum primo iam a flore iuventae te patria in media virtutum mole locavit.*" *Vacare* cum Ablativo, cui non semper praemittitur Praepositio *a*, e. g. I. *N. D.* 1, 2. *Leg.* I. 3, 8. ex., idem valet, q. hic *superesse* cum Dativo. Ad sententiam cf. etiam *Phil.* II. c. 8. ex.

5 II. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quae nec satis erant nota nostris et erant cognitione dignissima. Quid est enim (per deos) optabilius sapientia? quid praestantius? quid melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, *philosophi* nominantur; nec quidquam aliud est *philosophia*, si interpretari velis, praeter *studium sapientiae.*

C. II. §. 5. *assecuti videmur*] scil. *nobis*, ut II. *Att.* 2. pr. *Fin.* V. 2, 4. ex. *quem videre videor.* V. ad 1, 1, 1. p. 4. *Philosophiam usque ad suam aetatem nullum habuisse lumen literarum Latinarum*, dicit Cic. I. *Tusc.* 3, 5. *Res cognitione dignae* autem proprie dicuntur eae, in quibus versatur philosophia, *Fin.* III. 11, 37. Deinceps Nonius c. IV. 363. in v. *Praestare* legit *praestabilius*, ut in comp. l. I. *Leg.* 21, 38. Vid. Schützii *Lex. Cic.* s. v. p. 519. s. F. Heus. hujus Comparativi assertorem citat Cortium ad Sallust. *Jug.* I. 2. Sed recte praefert Gernh. *praestantius* propter formae varietatem. Cf. fragm. *de Vniverso* extr.: qui locus, expressus e Platonis *Timaeo* p. 47. B. simillimus est. *Vatin.* c. 3. ad fin. *Quid — praestantius mihi potuit accidere? quid optabilius — ?* *N. D.* I. 43, 121.

nec quidquam aliud] Sequitur *praeter* pro *nisi* vel *quam:* quae olim volgaris lectio est etiam in Lactant. *Instt.* III. non, ut Schütz notat, c. 10. med., sed c. 13. §. 10. *qui cum in libris officiorum; "philosophiam nihil aliud esse," dixisset, "quam studium sapientiae, ipsam autem sapientiam rerum divinarum et humanarum scientiam"; tum adiicit* etc. Cf. ejusd. *Epitom.* 31, 2 — 5. et 34, 6. — *Philosophia* I. *Tusc.* 1, 1. dicitur *contineri studio sapientiae*, de cuius definitione quae ad I. 153. p. 303. (cf. *Excurs.* VIII. ex.) dicta sunt, ea confirmantur loco Quinctil. *Instt.* I. c. 10. ed. Bipont. p. 66. *Sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique et (ut dicunt) mortalis quidam deus, non modo cognitione coelestium vel mortalium putant instituendum; sed per quaedam parva sane, si ipsa demum aestimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: non quia Ceratinae aut Crocodilinae possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli.* Aperte his subest tripartitae philosophiae notio. Verbum *est*, ut videtur, non agnitum Lactantio, si abesset, facile e praecedd. intelligi posset. Non tamen ausim sollicitare hunc verborum ordinem in definitionibus: *Sapientia autem est:* Sic P. *Or.* post med. *Genus autem est id, quod* etc. Alia res est *Tusc.* IV. 24, 53. *Fortitudo*

S a p i e n t i a autem est, ut a veteribus definitum est, *rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus hae res continentur, scientia.* Cuius studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio quaeritur 6
animi requiesque curarum: quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur: aut haec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam, dicere, maximarum rerum artem esse, cum

---

e s t igitur affectio animi etc. *Fin.* I. 13, 43. et in iis, quae ibi Görenz p. 60. b. comparat exempla: in quibus omnibus confirmantur praecedentia. Sed ibid. statim post in vv. *cupiditates enim s u n t insatiabiles* etiam sensus hunc postulare videtur ordinem; *c. s u n t enim i.*, i. e. *denn es giebt unersättliche Begierden*, *die* etc. Hic autem molestum est ὁμοιοτέλευτον, cum sequatur: *ut a v.* [*philosophis*] *definitum est*, quod facile evitari potuisset scribendo *definitur.* Displicet tamen transpositio in Gu. 1. *e s t diffinitum.* Sed adiectum volgo glossema *philosophis* ed. vet. s. l. et a. mutat in *doctoribus*, nos cum cod. μ exclusimus. Mox in Degenii ed. pro *quidnam* vitiose legitur *quidquam.*

§. 6. *aliquid a n quirunt*] Nannius *Miscell.* IX. 10. memorat in vetustis legi *aliquid in quirunt*, *quod spect a t et valeat ad r e c t e beateque v.* Sed v. ad I. 105. p. 229. *Philosophiae studium* ob eam causam, quod valeat et ad vitae constantiam et ad delectationem animi, laudatur I. *Acad.* 2, 7. 8. Plato *de re p.* IX. 583. A. Τριῶν — οὐσῶν τῶν ἡδονῶν, ἡ τούτου τοῦ μέρους τῆς ψυχῆς, ᾧ μανθάνομεν, ἡδίστη ἂν εἴη· καὶ ἐν ᾧ ἡμῶν τοῦτο ἄρχει, ὁ τούτου βίος ἥδιστος. Manutius comparat Aristot. Polit. β'. Εἴ τινες βούλοιντο δι' αὑτῶν χαίρειν, οὐκ ἂν ἐπιζητεῖν, εἰ μὴ παρὰ φιλοσοφίας, ἄκος. — *Ratio constantiae autem virtutisque ducitur* ab ea potissimum philosophiae parte, quae est de officiis. Cf. III. 2, 5. Dictionis exempla praeter *Verr.* II. 52, 129. 63, 154. v. in Schützii *Lex. Cic.* II, II. in v. *Duco* n. 17. p. 172. s.

eas assequamur] μ interponit *res*, quae vox facile excidere potuit inter syllabas similes, ut §. 1. *rerum.* Sequitur impeditior structura, obliquae orationi interposito v. regente *dicere*, ut §. 7. *vellem.* V. ad I. §. 59. ex. *Maximae res* solenniter dicuntur eae, circa quas versatur philosophia.

minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis: ubi ea quaeretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Sed haec, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur, orbati rei publicae muneribus, ad hoc nos studium potissimum contulissemus.

Occur-

V. ad I. 153. p. 304. *Or.* II. c. 6. (al. 5. ex.) §. 21. ex. III. c. 34. *Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia.* N. D. I. 1, 2. ex. *Tusc.* I. 4, 7. Mox *atque* i. valet q. *potiusque; imo.* De intensiva hujus voculae vi v. ad I. §. 33. p. 78. 79. Paucis post videtur corrigendum *Sin autem*, ut solet in aperta oppositione, e. g. *Or.* I. 23, 109. pr. *Epist.* III. 8, 27. IV. 8, 4. *Rosc. Am.* 47, 137. ex. *Acad.* II. 15, 48. *si nulla visa sunt probabilia, —. Sin autem sunt* etc. *Fin.* II. 30, 98. ubi cf. Görenz p. 270. b. Aut transponendum *si est autem.* Cf. II. *Divin.* 8, 21. *Ubi est igitur divinatio —?* Vitiose igitur ib. paullo ante §. 20. ex. *Nulla igitur est divinatio.* De quaestione ipsa v. ad I. 60. pr. p. 140. Cff. Platonis *Meno* et *Protagoras* itemque Aeschinis dial. περὶ ἀρετῆς. Ceterum variandae orationis caussa pro *disciplina* dicitur *discendi genus.* Nam Degen satis barbare vv. *cum — discesseris* explicat: *praeter* [imo *praeterquam* v. *nisi*] *in hac scientia, de qua in* (?) *hoc libro ago.* Male idem deinceps iunxit *haec, cum — cohortamur.* At vero ad *haec* intelliges, *quae hoc tempore breviter attigi.* Opponitur subaudiendum *tunc*, ad quod refertur illud *cum.*

alio quodam libro] *Hortensio.* V. II. *Divin.* 1, 1. *Acad.* II. 2, 6. *si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata: profecto eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est;* et ib. 19, 61. ubi inconsiderate Görenz cum aliis scriptorem ἀναχρονισμοῦ insimulat propter Luculli cum Cicerone colloquentis verba: *Tune, cum tantis laudibus philosophiam extuleris Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris;* scilicet quod liber hic post Hortensii ipsius mortem demum editus fuerit. At hoc quid ad rem? Disputarat Cicero cum Hortensio in cognomine libro similiter, ut cum Lucullo in cognomine libro, post Luculli demum mortem edito, de quo ipse testatur ib. 2, 7. et XIII. *Att.* 19, 3. pr. *sic constitueram, neminem includere in dialogos eorum, qui vive-*

Occuritur autem nobis, et quidem a doctis et 7
eruditis, quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui, cum, percipi nihil posse, dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus et hoc ipso tempore praecepta offici persequamur. Quibus, vellem, satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore nec habeat unquam, quid sequatur. Quae enim esset

---

viverent. Ipsi autem Görenzio eius modi ἀναχρονισμοὶ familiares sunt, quippe qui ad II. *Acad.* §. 48. p. 92. a. haec (si fides oculis habenda) scripserit: "Davis. et Ernesti—Lambinum, audacem alias, cautum fecere et religiosum"!! Sed cf. *Fin.* I. 1, 2. *philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata* (nimirum in illo ipso libro) *ab Hortensio.* E XIII. *ad Att.* 18. (cl. ep. 13.) apparet, *Hortensium* scriptum esse ante Academicos libros ad Varronem perfectos, i. e. ante m. Iul. a. 708. Eum librum mirifice laudat Augustin. III. *Confess.* c. 4. Novum eius fragmentum indicavimus ad I. 153. ex. Cf. Fabricius in *M. T. Cic. historia* ad a. LXII. n. 36. ss.

§. 7. *Occurritur a. nobis*] i. e. *Adversantur* (ἐναντιοῦνται) *nobis docti.* V. II. *Acadd.* 14, 44. *Fin.* II. 33, 108. Schütz in *Lex. Cic.* III, II. s. v. n. 3, 12. De re dixi p. 2. s.

Non enim sumus ii] Perverse Degen pron. *ii* refert ad Peripateticos. Consulat Vir S. Rev. de hac locutione *Lat. Grammatik v. Baumgaertner* (Sulzbaci 1819. 8.) §. 634. Tum intelliget, nihil amplius dici, nisi hoc: *Non ea est nostra sententia, ut vagetur noster animus.* Cf. III. §. 12. pr. *Quod si is esset Panaetius, qui — diceret. — Sed cum sit is, qui id solum bonum iudicet:* *Or.* II. §. 20. ex. c. 5. extr. ed. Schütz. (al. med.) cl. 6, 25. pr. maxime vero l. supra p. 3. ex. cit. *N. D.* I. §. 12. s. ubi *enim* eodem modo, ut hic, respondet nostrae particulae *ja*, graviter insinuanti, ut *Mur.* 18, 38. *sunt enim populi ac multitudinis comitia.*

quid sequatur] Ern. ex edd. prr. receperat *quod*, idque est etiam in Gu. 1. et in V. L. Hier. Wolfii. Et sic quidem omnium ll. consensu legitur *N. D.* I. 5, 12. *Nec tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, hi nihil habeant, quod sequantur:* quae Wyttenbach interpretatus, *ut nullum placitum, nullam sententiam tueantur,* observat, *sequi* in primis dici de *sectis,* quae vox ab illo verbo orta sit. Equidem metaphoram repetierim a vestigiis, quae perse-

ista mens vel quae vita potius, non modo disputandi, sed vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri, alia certa, alia incerta esse, dicunt, sic, ab his dissentientes, alia probabilia, contra alia, di-
8 cimus. Quid est igitur, quod me impediat, ea, quae mihi probabilia videantur, sequi; quae contra, improbare: atque, affirmandi arrogantiam vitantem,

---

quitur venator: ut dici possit de norma, qua iudicia ac consilia nostra regantur, de eo, quod certum habeamus quoque utamur, ut mox *probabilia sequi.* V. ad I. 35. p. 81. s. Quinctil. *Instt.* I. 2. p. 22. ed. Bip. *iam explicemus, quid ipsi sequamur*, i. e. sentiamus. Verum interest, utrum praecesserit *nihil* (ut VII. *Att.* 19. pr. *Lael.* 27, 8.), an *unquam.* Recte F. Heus. discrimen constituit in hunc modum, ut subiiciatur *quod*, ubi ad v. *habeo* additum sit *nihil*, vel ubi intelligatur *aliquid* (quod nobis recte fieri posse videtur etiam VII. *Fam. ep.* 3. §. 19.): addimus etiam, ubi i. valet, q. *est (causa)*, *ut*, *cur* v. *quare*, ut VI. *Fam.* 2, 4. *Cat. Mai.* 5, 2. ex. Sin autem ad verbum illud Participia *cognitum*, *constitutum*, *deliberatum*, *exploratum*, *perspectum*, aut similia intelligi possint, ita, ut verbum illud significet *scio* vel cum negatione *nescio*, *ἀπορῶ*: tum requiri *quid.* V. Matthiae ad *or. p. Rosc. Am.* 15, 45. Huius modi exemplum reperitur *Off.* III. 21, 84. pr. ubi Mich. Heus. has rationes non satis distinxit. Male igitur Schütz cum Ernesto XV. *Att. ep.* 5. pr. *plane non habeo, quod scribam*, cum praecesserit, *consilium meum magnopere exquirunt*: ut recte monuit Conradus Heusinger in *praef.* ad ed. mai. *Cic. de off.* p. LI.

quae enim esset ista mens —?] Gu. 4., omisso v. *esset*, efficacius quaerit. Cf. huius modi Ellipsin II. *Divin.* 66, 136. *quis enim auctor istorum?* Sic Gu. 3. infra III. 62. *Haec igitur illa pernicies.* Fortassis etiam II. *Acadd.* 11, 33. verbo *est*, quod in libris transponitur, excluso, legendum: *Quae ista regula veri et falsi?* i. e. *qua vera et falsa iudicentur*, in *Bruto* §. 152. ex. ut I. *Leg.* 6, 19. *iuris atque iniuriae regula.* Temere igitur edd. ibi expulerunt vv. *veri et falsi*, recte vindicata a Wernsdorfio *Notarum critt. in Cic. Dispp. Acadd. Specim.* II. (Leucopetrae 1808.) p. 6. Ceterum ab Academia nova *et iudicium esse veri* (*κριτήριον ἀληθείας*) *et finem bonorum*, quae duo sunt maxima in philosophia, ignorante, *non modo disputandi, sed vivendi ratio tolli* videbatur Antiocho. Vid. *Acad.* II. 9, 29.

contra alia] Additam post haec vv. a quibusdam ll. glossam, *non probabilia esse*, minime, ut refert Schütz,

fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utraque parte causarum esset facta contentio. Sed haec explanata sunt in *Academicis* nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Ci-

---

excludunt edd. Rom., Venetae et Arg., sed mutant in *improbabilia esse.* Cf. statim post §. 8. pr. Nec opus videtur verbo *esse*, cl. I. §. 94. ex. Acad. II. 32, 103. pr. Ex eiusd. l. 3, 8. pr. itidem, ut ex h. l. perspicitur, Academicos non Scepticorum exemplo omne veri falsique discrimen tollere, sed de asseverationis, qua aliquid affirmari posset, gradu tantum ambigentes, *nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi posset* (III. *Or.* c. 18.), dixisse: ut recte notat Garve ad h. l. p. 8. ss. V. supra p. 2. 3.

temeritatem] cum *affirmandi arrogantia* coniunctam, Degen interpretatur *Dreustigkeit*, ut non videatur animadvertisse, hanc ut caecam atque incautam (*Unbesonnenheit*) opponi sapientis gravitati sobriae illi ac circumspectae. V. ad I. §. 18. ex. Dicitur *contra omnia disputari* ab Academicis, ut a Carneade contra iustitiam ap. Lactant. V. 14, 4. 17, 9. Laudatur haec *Academiae consuetudo* in *Tusc.* I. 4. 8. II. 3, 9. pr. Acadd. II. 3, 7. I. 12, 45. ex. ubi frustra Görenz tuetur corruptam lectionem de Arcesila: *Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies iam plerosque* (in pluribus MSS. est *pleros*) *deduceret*, quod Wernsdorf in *dedoceret* mutandum coniecerat, probante Gernhardo in *Jenaër Allg. Lit. Zeit.* 1811. n. 195. Schütz autem in *Lex. Cic.* s. v. *Deducere* extr. n. 10. probat Gesneri coniecturam, *ut, contra omnium sententias dicens, iam plerosque eo deduceret, ut* etc. Addere liceat nostras coniecturas, audaciores illas quidem, sed tamen, antequam certius quid inventum fuerit, satis commodas. Poterit igitur e scribendi compendiis corrigi aut, *ut contra omnium sententias atque etiam pro omnibus diceret*, aut, *ut contra o. s. disserens, nullam rem aperte iudicaret* (cl. I. *N. D.* 5, 11.) vel, *nullam ipse philosophiam doceret*, cl. ib. §. 10. *Obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui, se docere, profitentur*, et *Fin.* II. ab in.

in Academicis nostris] quorum duplex a Cicerone facta est editio, primum duobus libris, qui inscripti fuerunt *Catulus* et *Lucullus*, e quo posteriori, i. e. libro II., solo superstite, huc pertinent c. 10. §. 32. c. 31 — 34. Explicatur ibi Carneadis sententia, proposita in Clitomachi libro primo *de sustinendis assensionibus.* Deinde Cicero, dialogi

cero, quamquam in antiquissima nobilissimaque philosophia, Cratippo auctore, versaris, iis simillimo, qui ista praeclara pepererunt, tamen haec nostra, finitima vestris, ignota esse nolui. Sed iam ad instituta pergamus.

9 III. Quinque igitur rationibus propositis offici persequendi, quarum duae ad decus honestatemque pertinerent, duae ad commoda vitae, copias, opes, facultates, quinta ad eligendi iudicium, si quando ea, quae dixi,

---

personis mutatis, Academicam omnem quaestionem ex duobus libris contulit in quatuor, quorum non nisi primi initium servatum est. V. Görenzii *Introductio in Ciceronis Academica* p. XV — XXXVIII. et Schützii in eosd. ll. *Prolegomena* p. 4 — 16. Cf. de hoc auctoris responso Scholtenii disp. *de loco philosophiae Ciceronianae, qui est de divina natura,* p. 3. laudata Wyttenbachio ad I. *N. D.* c. 5. §. 11. pr.

qui ista praeclara pepererunt] Mich. Heus. et Schütz intelligunt *Socratem et Platonem*. Non excludo: sed praecipue tamen intelligo *Aristotelem*. Nam *ista* spectat ad Peripateticam philosophiam, in qua M. filius versabatur, et *Cratippum parem summis Peripateticis* iudicat Cic. I. *Divin.* 3, 5. ex. II. 48, 100. et in *Timaeo* c. 1, ex. *omnium, quos quidem ipse audiverit, facile principem.* V. ad I. 1, 1. p. 2. Seqq. verbis *haec nostra, finitima vestris,* abusus est Clericus in *Arte Crit.* III, I. c. 27. §. 23. ut doceret I. 1, 2. p. 5. legendum esse, *utrumque et Stoici et Peripatetici esse volumus.* Sed cf. *Tusc.* II. 3, 9. pr. In extr. *ad instituta pergamus* et III. *Or.* 24, 90. *ad instituta redeamus* i. e. q. II. *Divin.* 2, 7. ex. *ad institutam disputationem.*

C. III. §. 9. *quinque rationibus propositis*] I. 3, 10. ex. ubi cf. *Excurs.* VI. Statim post volgatur *pertinent*. Recte F. Heusingero placet e Gu. 2. *pertinerent*, quod, accomodatum ad seq. *viderentur,* confirmat μ. Repetuntur haec sic, ut sensus sit, *quae pertinere diximus*. Omnino orationis obliquae sive aliorum sententiam referentis sive eorum, quae ante a se dicta sunt, reminiscentis, proprium est Subjunctivi Imperfectum aut in praeterita re Plusquamperfectum. Cf. §. 1. 14. ex. 36. pr. ubi item olim volgabatur *pertinent*, ut I. §. 29. ex. *eas res ante constituimus, quibus iustitia continetur,* ubi Gu. 4. *contineretur*, Heus. e 2. cum

pugnare inter se viderentur: honestatis pars confecta est, quam quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. In quo lapsa consuetudo deflexit de via sensimque eo deducta est, ut, honestatem ab utilitate secernens, et constitueret,

---

Anemoec. et Gryph. recte *contineretur*. 44. pr. 45. pr. 61. pr. III. §. 12. ex. ubi Pearce pro *videretur* et *compararetur* male ex uno libro praetulit *videtur* et *comparatur*; in plerisque aliis est *comparetur*. 13. pr. 34. pr. ubi pro *viderentur* alii *videntur*, Facciol. *videantur*; sed recte paullo post, *introduxit eam, quae videretur esse, non, quae esset, repugnantiam*. II. *Or*. 6, 25. pr. cl. 5, 20. ex. *Fin*. I. 11, 38. iam quidem multorum codd. auctoritate *caret* mutatum est in *careret*. V. Görenz ibi ad III. 11, 39. pr. et 21, 71. ex. Sic in re iam facta Plusquamperfectum usurpatum vidimus supra 2, 6. ex. *Or*. I. c. 20. pr. *Lael*. 10, 4. ex. Horat. *Sat*. I, 5, 65. ss. Corruptelae ex scribendi compendio causam patefecimus in *Introduct*. p. 4.

honestatis pars] cuius ratio est duplex, *confecta* (i. e. absoluta) *est* libro I. Haec citat Nonius IV. 93. in v. *Confectum*. In prox. *hoc* est Subjecti, *id ipsum* Praedicati loco pariter ac *Tusc*. V. 9, 26. *nisi idem* (i. e. Epicurus) *hoc ipsum* (in Accus.), *honeste* —, *ad voluptatem referret*. Importunissime igitur hic locus succurrit vel occurrit potius Görenzio ad I. *Acad*. 1, 2. ex. omnia permiscenti, ut hanc scilicet linguae regulam poneret φιλολογώτατος Vir, *conduplicari auctori pronomina solere in locis, quae δειxτιxῶς dicuntur*, ibique tueretur lectionem *ad hunc eum ipsum* (*me autem dicebat*) *quaedam institui*. Ne illud quidem II. *Att. ep*. 1. ex. *me illum ipsum vindicem*, tum quod ibi est oppositio, tum quod diversa pronomina sociantur, recte comparatum esse, bene monuit Gernhard in *Jenaër Allgem. Lit. Zeit*. 1811. n. 195. Pron. *is* ante *ipse* a scribis addi solere, observat ipse Görenz ad *Fin*. II. 28, 93. p. 261. a. V. 8, 23. p. 557. a.

quod utile appellatur] nimirum *ad volgi opinionem* (III. 84. pr.). Itaque *in quo*, i. e. *cuius rei respectu*; *quod attinet ad haec*, hic fere i. valet q. *in qua appellatione*: Frustra igitur non nulli addunt *verbo*. Quamquam hoc quis tueatur e Quinctiliano, qui ex Stoicorum mente disputat *Istt*. XI. c. 1. ed. Capperonner. p. 673. *Nos secundum communem potius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam, divisione hac utimur, ut ab eo, quod deceat, utilitatem separemus*. Cf. Cic. *Tusc*. V. 19, 55. ex. *sermonis errore labimur*. Deinceps edd. vett. *ut ab honesto utile secerneret*: quibuscum conspirat Gu. 5. nisi quod *secer-*

honestum esse aliquid, quod utile non esset, et utile, quod non honestum: qua nulla pernicies maior hominum vitae potuit afferri.
10. Summa quidem auctoritate philosophi severe sane atque honeste haec tria, genere confusa, cogitatione distinguunt. Quidquid

---

nens exhibet. Haec notavimus, quoniam aliter sunt indicata a Schützio.

§. 10. *Summa quidem auctoritate philosophi*] nempe Socrates et Stoici. V. III. 3, 11. ex. *Quidem*, cui Degen vim concedendi tribuit, hic i. potius valet, q. *certe*, scilicet, ut volgi opinio illa elevetur. — *honeste*, i. e. ita disputantes de utili, ut illud non sejungatur ab honesto; sed *graviter et severe parva illa, quae abiectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda indicantes*, ut huc accommodemus verba Quinctiliani l. c. Cf. Cic. *Fin*. II. 8, 24. *graviter et severe voluptatem secernit a bono* Hinc etiam corrigendus l. *Fin*. III. 21, 71. ex. *gravissimeque et severissime* (pro *verissime*) *defenditur, nunquam aequitatem ab utilitate posse seiungi; et, quidquid aequum iustumque esset, id etiam honestum: vicissimque, quidquid esset honestum, id iustum etiam atque aequum fore.* — Statim post edebatur *haec tria genera confusa.* Schütz substituit *duo* e coniectura non, ut ipse ait, Heus., sed Hottingeri, quae argutior videbatur Gernhardo. Mich. Heus. cum Rachelio *haec tria* refert ad seqq. *iustum, honestum, utile.* At enim, recte vidit Hottinger II. p. 189. s. *iustum* esse huius syllogismi terminum s. finem medium, in quo quae conveniant, etiam convenire inter se, concluditur. Itaque cum in praecedd. non nisi *honestum* et *utile* opposita sint, suspicabar *tria* a glossatore adscriptum. Non tamen sollicito propter l. l. Cf. etiam Ambros. II. c. 6. *Liquet igitur, quod honestum est, utile et iustum esse, et, quod iustum, utile et honestum;* sed idem c. 7. *Est igitur non solum familiare contubernium honestatis et utilitatis, sed eadem quoque utilitas, quae honestas.* Deinde vero, cum H. Wolf in *V. L.* habeat *genere*: coniecit F. Heus. post hoc voc. excidisse *re*: quod Schütz inseruit, compar. *Or*. II. c. 4. quem eundem l. in *Lex. Cic.* s. v. *Confusus* 2. citat ex *Or*. 11. Sed est *Or*. II. 43, 177. ex. *ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.* Adde l. ad I. §. 15. pr. citatum e *Tusc*. IV. 11, 24. Adversatur Gernh. comp. I. 95. ipse tamen fassus, scriptorem hic minus dilucide locutum. Hoc igitur opprobrio ut liberaretur, reposuimus illud ipsum *genere*, quod i. e. ac *re* vel *propria vi sua*, *wesentlich*, III. 3, 11. *natura cohaerentia.* Sic te usurpatur *Fin*. III. 10, 34. et *Tusc*. V. 8, 22. (non, ut Schütz in *Lex. Cic.* s. v. *genus* n. 4. citat, c. 19.) *quae*

enim iustum sit, id etiam utile esse censent: itemque, quod honestum, idem iustum. Ex quo efficitur, ut, quidquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt, hi saepe versutos homines et callidos admirantes, malitiam — sapientiam iudicant. Quorum error eripiendus

---

genere, *non numero*, *cernerentur*, ut *de opt. g. or.* §. 4. *non genere*, *sed gradu*. Ceterum ut hic *genere confusa* dicuntur, quae aliud ab alio non possunt separari: sic *Fin.* V. 23, 67. pr. *confusio virtutum*.

id etiam utile] Ascensius *etiam* non male omittere videtur Gernhardo. Sed tum, nescio, an Cicero pro *id* scripsisset *idem*. Cf. III. 4, 20. et n. ad I. §. 43. ex. Facilius cum Vin. edd. vett. et Facciol. hunc verborum acceperim ordinem, *id utile etiam*, ut l. c. *Fin.* III. 21, 71. ex. Ceterum non satis liquet, quo tandem modo, *quod honestum*, *idem iustum* sit ex nostri quidem auctoris sententia, qui *iustitiam* descripserit ita, ut non sit nisi pars *honestatis*. Magis hoc convenit Platonicorum posteriorum senteutiae: de qua v. ad L. I. *Excurs.* X. p. 334. De veriloquio vv. *versutus et callidus* v. *N. D.* III. 10, 25. Scilicet *versuti*, i. e. πολύτροποι καὶ πανοῦργοι, qui in omnem partem *versant* animos nihilque intentatum relinquunt, quo suis rationibus consulturi esse videantur, et *callidi*, i. e. diuturno rerum usu ita eruditi, *ex aliorum incommodis sua uti parent commoda*, ut loquitur Comicus, nec a malis artibus abhorreant, volgo, quia copias, opes, facultates fraude et malitia adipiscuntur, sapientes et prudentes existimantur: ut bene explicat Aldus. *Malitia* autem, cui *p. Rosc. Com.* 7, 20. ut aequipollens, iungitur *calliditas*, a *sapientia* vel *prudentia* dissidet plurimum. Cf. I. 63. pr. III. 71. pr. 96. 113. ex. *Partit.* 23, 81. Aristot. *Eth. Nic.* VI. c. 12. ex.

Quorum error eripiendus est] Sic hoc verbum absolute struitur, non adiuncto Dativo, I. 68. ex. *Epist.* IV. 13, 1. ut *detrahere* IV. *Tusc.* 31, 65. IV. *Fam.* 13, 9. ex. *N. I.* 3, 6. *eam — philosophiam*, *quae lucem eriperet et quasi noctem quandam rebus offunderet*: ubi Heindorf v. *rebus* positum volebat aut post *offunderet* aut post *eriperet*, F. A. Wolf autem, alioquin Latinissimus, P. II. libri a se editi, *Literarische Analekten*, etiam ad prius membrum recte referri posse, arbitratur. Sed cf. *Acad.* II. 10, 30. *quid eum facturum putem de abditis rebus et obscuris*, *qui lucem eripere conetur?* ad quae respondetur 32. ex. §. 105. pr. *non lucem eripimus*. Ib. 10, 31. (Academici) *haec ipsa eripiunt vel instrumenta vel ornamenta vitae*. 32, 103. *ab Aca-*

est opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis iustisque factis, non fraude et malitia, se intelligant ea, quae velint, consequi posse.

11 Quae ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quae gignuntur e terra, ut alia generis eiusdem; partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis — equi, boves, reliquae pecudes, [apes,] quarum opere efficitur aliquid ad usum hominum atque vitam. Ratione autem utentium duo

---

demia sensus eripi. Liv. X. 32. *Nebula erat — densa adeo, ut lucis usum eriperet.* Sic etiam Virgil. *Aen.* III. 198. s. *nox humida caelum Abstulit.* Statim post *opinioque omnis ad eam spem*, non *speciem*, quod est in 4 Cockmanni aliisque ll., agnoscunt etiam vetusti codd. Nannii *Miscell.* IX. 10. Ponitur autem abstractum pro concreto. Cf. *Mur.* 21, 43. (candidatorum minae, competitoribus intentatae) *populi opinionem* (i. e. populum) *a spe adipiscendi avertunt*, h. e. faciunt, ut populus abiiciat spem, fore, ut candidatus honores adipiscatur. Ad clausulam cf. I. *Or.* c. 5. ex.

§. 11. *inanima*] Sic cum melioribus ll. Nonius II. 452. in hac voce. Edd. vett. hic et alibi *inanimata.* Deinde recte F. Heus. e Gu. 1. 2. 3. Goth. atque ed. Gryph. recepit *generis eiusdem.* Gernh. et Schütz cum rell. *eiusdem generis*, quo modo item transponitur I. 4, 11. p. 26. III. 5, 24. ex. Sed cf. ib. 10, 43. I. 16, 51. p. 124. *Fin.* IV. 2, 4. pr. V. 23, 65. ex. Deinde *apes* Facciolato videntur additae ab aliquo, qui, apes *pecudum* genere contineri, nesciret. Virgil. *Ge.* IV. 527. *pecudum* (i. e. apum) *custodia solers.* Uncis notavimus hanc omnium quidem librorum vocem cum Gernhardo, qui suspicatur, sciolos sic *reliquas pecudes* enumerare coepisse aut, apibus plurimum utilitatis deberi, censuisse. Statim post Schütz revocavit volgatum ordinem: *ad hominum usum.* Recte, si in v. *hominum* hic potior inesset vis, ut *Tusc.* I. 28, 69. ex. *hominis utilitati agros omnes et maria parentia.* *N. D.* I. 2, 4. *ab iisdem* (diis) *hominum vitae consuli.* Sic enim volgatum ordinem, *vitae hominum*, quem tenet Schütz, e codd. recte mutavit Heindorf, ut praecesserat §. 3. *nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit.* Ib. II. 63, 158. ex.

genera ponunt: deorum unum, alterum hominum. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas. Proxime autem et secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt.

---

c. 64. pr. §. 159. ex. Sed hic potior vis inest in v. *usum*, ut ib. 162. pr. et I. 2, 4. ex. I. *Off.* 7, 22. p. 51. Elegantior est etiam μεσόζευγμα, casu recto medio interposito. Mox, spreta librorum bene multorum eorumque optimorum auctoritate, Schütz revocavit lectionem: *duo g. ponuntur.* At sequitur §. 12. pr. *putant* et *arbitrantur*. Idem retinuit volgatum ordinem *unum deorum*. Recte Heus. e Gu. 1. 2. 3. 4. et Goth. praetulerat chiasmum: *d. u.*

Deos placatos p. efficiet] Seneca *Ep.* 95. p. med. *Vis deos propitiare? bonus esto.* Cf. ad I. 44, 160. ex. De *pietate*, quae *p. domo* c. 41. *honesta de numine deorum ac mente opinio* definitur, et de *sanctitate* v. *N. D.* I. 2, 3, 20, 56. 41, 116. ex. ibique Creuzer p. 188. b. qui laudat B. P. van Wesele Scholten *diss. de loco philosophiae Ciceronianae, qui est de divina natura*, p. 70. ss. ibiq. Cic. *Top.* c. 23. ex. 90. *ad Quir. post red.* 8, 20. cum annot. Marklandi et Wolfii p. 117. s. *p. Planc.* 33. ed. Schütz. p. 405. Fabric. ad Sext. Empir. *adv. Math.* IX. 124. et de vi v. *sanctus* Duker. *de Latinit. Iurisconsultt. vett.* p. 465. 425. ed. Lips. Ceterum Lilie *comment.* I. p. 31. monet, cauendum esse, ne, cum *utilem* Deum vocet Cicero, eam utilitatem cogitemus, cuius h. II. l. viam ostendit: in quem errorem incurrere proclive sit, cum vitae commoda saepe Deorum munera vocentur, ut est apud Horatium: *Det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo.* At enim ipsam *utilitatis* notionem, in qua ad vitam regendam conferenda multa turbet Cicero l. II., a germanis Stoicis ad solam honestatem referri, nec illud, ὁ Θεὸς ὠφέλιμος, quidquam significare, quam Deum et virtutis parandae facultatem nobis dedisse et virtutis studium iuvare. V. Seneca *ep.* 110. pr. et *de providentia*, cl. Lipsii *Manuduct.* II. *diss.* 19. Sed latius patet secundum Stoicos beneficentia deorum, quippe quorum beneficia sint omnia, quae in terris gignuntur ad usum hominum. V. ad I. 7, 22. p. 50. et Seneca *de beneff.* IV. 4. ss. Ad pleonasmum *proxime et secundum* F. Heus. observat, plus esse *secundum*, quam *proxime*, laudato Nonio in v. *proximum* et comp. Horat. *Od.* I, 12, 18. s. Sed potest etiam contrarium probari ex allato ibi a Mitscherlichio loco Quinctil. *Inst.* X. 1, 155. qui, *quamquam Antimacho secundas fere Grammaticorum consensus deferat: apparere*, ait, *quanto sit aliud, proximum esse; aliud, secundum.* Sed auctores utriusque linguae multis solent verbis simpliciter addere alia, quibus vis supe-

12 Earumque rerum, quae noceant et obsint, eadem divisio est. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obesse plurimum, arbitrantur.

---

riorum declaretur magis et definiatur: ut observavit Fischer ad Plat. *Apol.* c. 1. n. 16. Cf. infra III. 101. ex. *prima et summa.* *Cat. Mai.* 4, 6. pr. *intus domique.* De sententia cf. Erasmi *adag.* 69. s. ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, p. 47. s. ed. Froben.

§. 12. *Earumque item rerum*] Sic volgo editur. Sed parti *item* in libris hic cum adverbio *iterum* confunditur eodem modo, ut II. *Leg.* 17, 68. p. 208. ed. Görenzii, qui ad II. *Fin.* 9, 26. p. 160. b. comparato h. l. „*Item*," inquit, „probatiores scripti multi" [quinam praeter edd. Gruter. Graev. Facciol. Ern.?] „ignorant et in his tres nostri. Recte: nam sufficit *eadem.* *Item* additum a scribis dixeris, cum vim transeundi, quae in *que* inest, ignorarent." Cf. §. 14. *Ab eisdemque et eae, quae nocent, interficiuntur.* Ceterum non est, ut haec vv. *Earumque — arbitrantur,* citata a Servio ad *Aen.* XII. 725., parenthesi separemus aut sic interposita existimemus, ut illa I. 79. p. 184. §. 157. p. 310. ubi alterum comparationis membrum in argumentatione persequenda plane negligitur. Neque fidem habemus Gernhardo, suspicanti, Ciceronem in seqq. nullam particulam interposuisse, ut *ipsa* sustineret locum particulae, quam non semel librarii, alius aliam, adscribendam putaverint, ut h. l. in Gu. 4. legitur *Ea igitur ipsa.* Non magis audiendus V. D. I. 101. pr. auctor proscribendi particulam *enim.* Pron. *ipsa* particulam non compensat; id quod videbis cl. I. 67. p. 155. Nihil autem offendere debet, quod scriptor, proposita divisione, ordinem sequens, revertitur ad membrum prius, eoque copiosius explicato, deinceps 5, 16. ex. accedit ad alterum, non tamen diligentius persequendum, cum Dicaearchus scriptori hac in re otium fecerit. Cicero si suspicatus esset, fore, ut interpretibus aliquando in his minutiis aqua, i. e. intelligentia, haereret, post *diximus* inculcasset (*ut a prima propositae divisionis parte incipiamus*).

deos nocere non putant] Cf. III. 102. 104. Seneca *de ira* II. 27. *Epist.* 95. post med. Lipsii *Physiol. Stoic.* I. *diss.* 10. Ceterum clar. Göring in Progr. ad 5, 18. laudando, p. 5. s. monet, indicari quidem his verbis, cur de iis, quae dii hominibus largiuntur quaeque homines, ut Deos placatos habeant atque propitios, servare debent, perpauca tantum a Cicerone exponantur et explanentur eaque tam exilia et tenuia; sed videtur eidem aliud quid latere idque multo gravius et efficacius, quod explicet, unde in maxima et

Ea enim ipsa, quae inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta, quae nec haberemus, nisi manus et ars accessisset; nec his sine hominum administratione uteremur. Neque enim valitudinis

---

copiosissima materia rationum causarumque, quae a divinis rebus desumantur, tanta sit paucitas atque tenuitas: quam illarum causarum inopiam omnem tribuit illi discrimini, quod inter veterum recentiorumque de moribus doctrinam cernatur, quodque inter causas, quas prisci honestati colendae decorique servando subiiciebant, quasque recentiores iisdem subdant rebus. Nunc quidem deorum vim et maiestatem omnibus rebus virtutibusque substerni et e religionis fonte, quae ad honeste agendum nos impellant, hauriri; olim autem in virtutis dignitate et praestantia, in patriae amore et caritate, in rerum commodo et utilitate, quaecumque ad virtutem expetendam commovere viderentur, poni solita fuisse: quo factum sit, ut diis neglectis, homines hominibus longe plurimum et obesse ed prodesse dicerentur eamque ob rem ad hominum animos sibi conciliandos eosque ad suos usus adiungendos optimi quique, qui civibus egregie consulere vellent, maxime admonerentur. Similiter Garve Obss. Vol. II. p. 14. ss. alieno loco quaerit, quo societatis vinculo religio cum ethica coniuncta sit: de quo recte admonuit Lilie l. c. Etenim non attenderunt VV. DD., explicari hic officia media, quae pertinent ad usum vitae communis, non de principiis honestatis ipsis quaeri. Ad quae ubi Cicero redit, i. e. ad constitutionem primam Naturae, tamquam fundamentum officii, I. c. 4. 35. 126. ex. (cff. *Excurss.* VII. VIII.): ibi utique significat, obligationem activam et virtutis legem positam esse in Naturae summa ratione, i. e. in Dei voluntate: ut omnia officia referantur ad finem summi boni, homini a deo propositum. Nusquam vero ethicae Stoicorum cum religione nexus magis perspicitur, quam apud Epictetum.

nisi manus et ars accessisset] Sic Heus. e Gu. 1. 2. 3. et ed. Lugd. 1527. Schütz reduxit volgatum *accessissent*. Sed quae ad unum genus referantur, iunguntur singulari verbi numero, ut I. 4, 14. (p. 32. ubi cf. nota) 81. ex. *tempus necessitasque.* 106. *victus cultusque corporis.* Variandae orationis gratia *manus* dicitur pro *opera*: ut h. c. extr. Utraque vox iungitur §. 14.

curatio neque agri cultura neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio sine homi-
13 num opera — ulla esse potuisset. Iam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur. Eademque ratione nec lapides e terra exciderentur ad usum nostrum necessarii,

nec *ferrum*, *aes*, *argentum*, *aurum* effoderetur,
penitus abditum,

sine hominum labore et manu.

N. e. valitudinis curatio, * *n. agri cultura*] Expuli * vv. *neque navigatio*, cuius inter res ad vitam hominum tuendam prae ceteris necessarias commemoratio perinepta irrepsit e glossa ad §. 13. pr. adscripta. Potest quidem *rerum exportatio et invectio* tam iumentis, quam navigiis, fieri et in compari loco II. *N. D.* 60, 151. primum inter hominum opera commemorantur *quadrupedum vectiones* et deinde §. 152. *navigia, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiae* etc. At hic ipse locus glossae suspicionem confirmat. Apparet enim, illa §. 13. de navigiorum usu esse accipienda. Sed quod rem dirimit, agitur hic de utilitatibus *ex rebus iis, quae sunt inanimae*, et §. 14. demum agitur de *commoditate, quae percipitur ex bestiis, quas sine hominum opera domare non possemus.* — Mox *fruges* proprie dicuntur frumentum et legumina; *fructus* totius generis est appellatio. Hinc *de senect.* 7, 8. Cato Maior memorat, quae *in agro maiora opera* fiant, *serendis, percipiendis, condendis fructibus.* 19, 15. *tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata.* — Plusquamp. *esse potuisset* spectat ad tempus primae inventionis (§. 14.), ut c. 4. pr. et §. 14. *perspicuum est, ea nos nullo modo — capere potuisse*, §. 15. pr.

§. 13. *his muneribus*] i. e. hac procuratione et administratione. *Cat. Mai.* 11, 34. ex. 35. *nullum officium aut omnino vitae munus exsequi.* *Brut.* c. 30. *Magnum munus de iure respondendi sustinebat.* In seqq. nutriunt versus trochaici tetrametri catalectici monstrum, a Grutero partum. In ed. Magont. est *effoderentur*: quo verbi numero admisso, alii etiam mutarunt *abdita*, ut Vinar. edd. vett. et Facciol. Nisi omnia me fallunt, est glossema, ab aliquo ludi magistro adscriptum, ne Ellipsis verbi *excideretur*, ex antecedentibus supplendi, tirunculos vexaret. Vix enim

IV. Tecta vero, quibus et frigorum vis pelleretur et calorum molestiae sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent aut postea subveniri, si aut vi tempestatis aut terrae motu aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab homini-

---

ipse Cicero senarii, contextis accommodandi (*Or.* II. §. 257.), numeros tam sinistre infregisset. Quamquam dubitari potest, ipsiusne poëtae sit vocula *nec*, an ab auctore in pronominis locum substituta. Ad eundem poëtae versum respicit II. *N. D.* 60, 151. *nos aëris, argenti, aúri venas, penitus ábditas, invenimus*: ubi Moser p. 464., quasi locus ille e nostro esset interpolatus, praetulit glossema *metallorum*, nihil attentus ad illa, quae praecedunt: *nos e terrae cavernis ferrum elicimus.* Favere tamen Viro Docto videatur quodam modo Salei. Bassus *ad Pis.* 213. (*Poët. Min.* IV. 274.) *Abdita quid prodest generosi vena metalli, Si cultore caret?* quem comparavit Mitscherlich ad Hor. *Od.* II. 2. pr. Sed ex illo potius loco I. *de N. D.* hic, auctore F. Heusingero, mutandum pro metallorum pretio putavimus volgatum verborum ordinem, *aes, aurum, argentum*, quae Facciol. transposuit sic: *f.*, *aurum, aes, arg.* Inversus verborum ordo habetur ap. Senec. *Benef.* IV. c. 3. pr. de deo: *tot metalla defodit, tot flumina emisit in aëra, super quae decurrunt sola, aurum vehentia; argenti, aeris, ferri immane pondus, omnibus locis obrutum, cuius investigandi tibi facultatem dedit ac latentium divitiarum in summa terra signa disposuit.* Gernhardo, cui volgaris ordo videtur poëtam non dedecere, scilicet, ut, quae in suo quodque genere nobiliora sunt, medium locum teneant, suum elegantiae sensum relinquimus. Sed, ut tirones discant, artis criticae in vett. poëtarum reliquiis Iunonem esse metricam peritiam, quam Goering in Progr. ad c. 5. §. 18. citando, p. 6. s. calumniis vexat, hac opportunitate usi, etiam aliud indicabimus glossema item in senario *Tusc.* I. 28, 69.

Fontes scatere, [herbis] prata convestirier.

C. IV. *quibus — pelleretur et — sedarentur*] Haec Imperfecta Subiunctivi, subiective accipienda, referuntur ad eorum consilium, qui *arborum consectione omnique materia et culta et sylvestri usi sunt ad aedificandum, ut tectis septi frigora caloresque pellerent.* II. *N. D.* 60, 151. ex. Ad seq. *subveniri* Hottinger, Schütz, Degen incommode supplent *generi humano.* Rectius Scheller in *Obss.* ad h. l. et in *Lexico* p. 10779. s. praefert eam rationem, ut e praecedd. intelligatur et *potuisset* et *iis*, nempe *tectis.* Recte *subveniri* impersonaliter dici, docuit Gesner in *Thesauro* IV. 622, 20. cl. *or. de harusp. respons.* §. 57. ex. V. infra §. 15. pr. — *Cadere* de ruina usurpatur etiam ap. Lucret. V. 1236. *concussaeque* (terrae motu) *cadunt urbes.* Deinde *communis*

14 bus harum rerum auxilia petere didicisset? Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos: quae unde sine hominum opere habere possemus? Ex quibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus quaeque utilitates ex rebus iis, quae sunt inanimae, percipiantur, ea nos nullo modo sine ho-

---

vita, quam Hott. interpretatur *das gesellschaftliche Leben*, rectius a Garvio accipi videtur pro volgari experientia, usu vitae collecta. Plenius *communis vitae consuetudo* dicitur I. *Or.* 51, 221. pr. Cf. *Off.* I. 3, 7. ex. *Lael.* 6, 3. II. *Divin.* 41, 86. ex.

§. 14. *Adde ductus aquarum*] Sine his civibus urbis regiones longe a Tiberi dissitas incolentibus non modo haesisset, ut aiunt, sed omnino defuisset aqua. In primis memoratur *aqua Appia*, Romam perducta ab Appio Claudio Caeco censore a. V. 441., *Anio* et *aqua Martia*. Qui aquis operam dabant, erant in plura ministeriorum genera distributi, *aquileges*, *curatores silicarii*, *tectores*, *castellarii*, *villici* etc. V. Plin. XXXI. c. 3. Sext. Iul. Frontini *de aquae ductibus urbis Romae commentar.* c. *Poleni int. editus* Alton. 792. Fabretti *de aquae ductt.* 4. Rom. 1680. (qui uterque liber habetur etiam in Graev. *Thesaur. antiqq. R.* T. IV.) Alex. Donatus de Vrbe Roma III. c. 18. ap. Graev. T. III. p. 762. ss. Georg. Fabricius in *descriptione Romae* 8. (ap. Graev. l. c. T. III.) Aldus Manutius l. I. *de quaesitis per epistolam*, et Rosini *antiqq. Rom.* l. I. c. 14. ed. Col. 645. p. 129. s. cum Paralipomenis p. 136. ss. Magna in his operibus, quibus aquae super planicies et depressa vallium ducebantur, iam apud antiquissimas gentes conspicua fuerat ars. Nam in Aegypto iam Sesostris, in Babylonia Semiramis, apud Israëlitas Salomo et Hiskia exstruxerant aquae ductus. — *Flumina* autem *derivantur* fossis canalibus. — Ad formulam *adde* cf. I. 150. ex.

sine hominum opere] Sic e plerisque libb. edere voluisse videtur Gernh., quamquam retinuit *opera*. *Opus* pro ipso labore dici, cll. Virgil. *Aen.* VIII. 515. s. et phrasibus *damnari ad opus publicum*, *dari in opus* (*l.* 10. 17. et 28. *D. de poenis. l.* 28. *D. de iure fisci*), porro, *opere mulctari*, confirmavit, praematura morte exstinctus, Car. Aug. Haase *de opere locato et conducto Rom. commentat. grammatica* (Lips. 1814.) p. 3. Sic etiam in plurium numero *N. D.* II. 40, 151: *operibus hominum*, *id est manibus*. Statim post Schütz in nota facit cum Heus., qui e Tertii libro, duobus Aldi et Gu. 1. 2. edidit *inanima*,

minum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus aut quae commoditas, nisi homines adiuvarent, percipi posset? Nam et qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus, homines certe fuerunt neo hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas aut domare aut tueri aut tempestivos fructus ex his capere possemus: ab eisdemque et eae, quae nocent, interficiuntur et, quae usui possunt esse, capiuntur.

---

laudans de subiecto alius generis Substantivis Neutro Cortium ad *Epist.* XVI. 4, 6. et ad Sallust. *Iug.* 41, 1. atque Oudendorpium ad Sueton. *Claudium* c. 38. pr. His Gronovii *Obss.* III. 2. p. 338. addit Gernh., qui tamen rectius, retento feminino *inanimae*, sequens *eas* ante *nos* cum Gu. 2., correctore quinti et Ascensio mutavit in *ea*, ut referatur et ad *fructus* et ad *utilitates*. Recte praeterea Göring in Progr. ad 5, 18. memorando, p. 15. monet, phrases in *Epist.* et Sall. longe aliam ferre explicationem. Idem valet in Suetonii locum.

h. manu atque opera] Vt c. 3. ex. duplex voc. concinnitatis gratia ponitur, cum praecesserit, *qui fructus quaeque utilitates.* Observante Gottlebero coniunguntur haec duo *pro Marcello* 4. [§. 11.] *opere aut manu factum;* opponuntur autem *manu* et *arte factis* rebus eae, quae *nascuntur et ipsae* (i. e. sua sponte) *proveniunt natura*, ut est ap. Quinctilian. l. V. 14. p. 488. ad quem v. Burmann. [ed. Capperonn. p. 345. n. 139.] it. ad Ovid. *Ib.* v. 148. [146.] Quoniam vero scriptor hic agit experientia teste de rebus, vitae usu iam perceptis, id propterea usurpat Praeteritum *capere potuisse*, cuius rationem parum perspexisse videtur Degen. Cf. ad §. 12. ex. Ceterum hanc conclusionem, quae iam sexies in singulis rebus facta est, nunc totum genus inanimorum complecti et Nostrum in argumentando repetendoque eodem iudicio non parcum esse, observat Gernh. cl. I. c. 43. 44.

quem — possemus] Imperf. subiective accipiendum de excogitatione eorum, qui principes inveniendi fuerunt. V. ad c. 3. pr. cl. I. 158. pr. — *Tempestivi fructus* sunt, (ut cum Firmico Materno p. 8. ed. L. B. 1672. loquamur) *in quibus colligendis homines ordinatis temporis legibus serviunt.* Nam ut est in *Cat. Mai.* 10, 7. ex. *maturitas naturale quiddam habet, quod* s u o t e m p o r e *percipi debeat.* Paucis post ante vv. *quae nocent* desideratur *et eae* ap. Non. s. v. *Interficere.*

15 Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Qui enim aegris subveniretur, quae esset oblectatio valentium, qui victus aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent? quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum. Vrbes vero sine hominum coëtu non potuissent nec aedificari nec frequentari: ex quo leges moresque constituti, tum iuris aequa descriptio certaque vivendi disciplina:

---

§. 15. *vita omnino nulla*], „i. e. *iniucunda*, *insuavis*, βίος ἀβίωτος. Sic *de or.* II. 5, [20. ex.] *ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus*, ubi v. Ern. Paullo post e. l. c. 6. [§. 25. pr.] variat orationem: *quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis.* βίον ἀβίωτον bene explicavit Valken. ad Theocr. Ἀδων. p. 215. Cf. *Menex.* Plat. c. 19. Ceterum vocat Plato *de Re p.* l. I. eius modi homines, *quibus vita est nulla*, οὐ ζῶντας, qui opponuntur τοῖς εὖ ζῶσι." Haec Gottleber. Deinceps Schütz cum Degenio retinet volgatam lectionem: *Quis enim aegris subveniret?* in nota autem probat verissimam Gernhardi emendationem, *qui* (i. e. quo modo, ut 17, 46. pr. III. N. D. 6, 14. ex. 14, 36. pr. 15, 38. ubi, ut hic, confunditur cum *quid*) e Gu. 1. 2. μ, ψ et Tertii libro, et *subveniretur* e tribus Aldi, quod melius convenire docetur sequentibus. Cf. *Cat. Mai.* 11. §. (6. pr.) 36. Infra confunduntur *tenerent*, *tenerentur*, *tuerentur*, e compendio scribendi *tur*. In prox. est pleonasmus v. *rebus*, i. e. *artibus*. Nam *ministrare* neutraliter dicitur. V. Schütz *Lex. Cic.* s. v.

distat] i. e. differt. V. Görenz ad IV. *Fin.* 25, 70. et Schütz in *Lex.* s. v. *Cultus* autem *bestiarum* dicitur omnis earum ratio aetatem transigendi, maxime cubandi in latibulis aut cavernis aut nidis. Comparatur hic enim fera agrestisque vita bestiarum cum humano cultu civilique. V. ad I. 50. p. 122. — Seq. part. *vero* gradationi inservit. *Iuris aequa descriptio* ἰσονομία dicitur Plat. *Menex.* c. 8. notante Gottlebero. V. ad I. 88. pr. Sic *ius aequum* dicitur Livio I. 50. sub. fin. Paullo aliter dicebatur *Off.* I. 124. ex. *aequum et par ius*, quo cum civibus vivere oportet. Sed v. ibi nota de formula *iura describere*, itemque ad I. 51. pr. I. *Or.* c. 13. legum latores dicuntur *scire optime* (dicere) *de iure civium generatim in ordines aetatesque descripto.* Cf. *Leg.* III. 19, 44. ex. II. 49. c. 20. pr. *Pro Caecina* c. 26. *decentissime descripta a maioribus iura.*

ef-

plina: quas res et mansuetudo animorum consecuta et verecundia est effectumque, ut esset vita munitior atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus.

V. Longiores hoc loco sumus, quam necesse 16
est. Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quae pluribus verbis a Panaetio commemorantur, neminem neque ducem belli nec principem domi magnas res et salutaris sine hominum studiis gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles,

---

effectumque, ut esset] De his ἀορίστως positis v. ad I. §. 25. p. 56. cl. *Epist.* I. 7, 31. quem l. ad I. 86. pr. adscripsi. In seqq. Schütz retinuit volgatam lectionem: *mutandisque facultatibus et commodis:* quam lectionem e compendio scribendi ortam esse, post Fabritium vidit Gottleber. Dicitur quidem I. 7, 22. ex. *mutatio officiorum* de mutuis officiis. Sed laudatur hic l. a Nonio c. IV. p. 640. in v. *Commodare*, ubi pro eo, quod editur, *mutandisq. f. et commodandis*, Heus. e MS. Gu. veram eruit lectionem, quam Fabrit. iam coniectura invenerat, *mutuandisque f. et commodandis*, i. e., interprete Nonio, *mutandis.* Concinnitatis in exaequandis membris servandae gratia scriptum etiam puto *dando et accipiendo*, cum alias copula in tali oppositione omitti soleat, e. c. I. 56. p. 134. s.

C. V. §. 16. *neque d. belli nec p. domi*] Schütz adhaeret volgato Ablativo *bello*. Sed in partitionibus et disiunctionibus fit zeugma quoddam eorundem casuum. Itaque Genitivus *belli* absolute ille quidem usurpari non solet; sed hic attractus est ab altero illo G. *domi*. Sic saepe iunguntur *domi militiaeque* (ap. Sallust. *Catil.* 9. pr. 53. *Iug.* 31. sub fin.), *belli domique* (Liv. III. 19.), *domi bellique* ib. I. 36. ex. Aemil. Prob. VII. in *Alcib.* 7, 1. ubi Cel. Bremi laudat Drakenborch. ad Liv. I. 34, 12. V. etiam Nic. Heins. ad Ovid. *Metam.* XII. 185. et Grotefendi *Lat. Grammat.* §. 70, 2. ubi recte monetur, comparari non debuisse Cic. I. *Or.* c. 7. *ut dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani.* Ibi enim Genit. pendet ab alio Substantivo, ut intelligi possit *dies curiae proprius* etc. V. Ernesti *clavis* in v. *Curia* ad fin. — Mox de *Themistocle* v. not. ad I. 75. pr. de *Pericle*

Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos, negat, sine adiumentis hominum tantas res efficere potuisse. Vtitur in re non dubia testibus non necessariis.

Atque, ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. Est Dicaearchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni et copiosi, qui, collectis ceteris

---

ad I. 108. p. 233. — *Cyrus*, Cambysis et Mandanae f., qui Persarum regnum condidit, magis ex Herodoto I. inde a c. 107. et ex Iustino I. c. 5 — 8. noscendus, quam e fabulosa, ut volgo putant historici, Xenophontis *Cyropaediae*, cuius tamen fidem defendit Thom. Hutchinson *diss.* I. *de Xenophonte eiusque scriptis* §. III — V. — *Agesilai* vitam praeter Xenophontem, qui huius regis res gestas luculenta oratione celebrat, scripsit Plutarchus, idemque et Arrianus et Q. Curtius Rufus *Alexandri*.

Atque, ut — : sic] *Atque* potest hic habere continuativam vim sic, ut, novum quid addens, augeat quodam modo ea, quae iam dicta sunt. Potest tamen etiam adversative accipi, ut I. 144. p. 290. pr. *Tusc.* V. 21, 62. ex. Comparantur autem contraria pariaeque verissima, ut in Quinctil. *Instt.* X. 5. *Sed quem ad modum forensibus certaminibus exercitatos et quasi militantes reficit haec sagina dicendi : sic adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri.* Cic. *Tusc.* I. 4, 7. pr. — Mox eodem modo iunguntur synonyma, ut *Fin.* V. 23, 66. *conspiratio consensusque.* Sic *Off.* I. §. 21. ex. *scientia cognitioque* et 58. pr. *contentio et comparatio* et ib. *vita victusque communis.* In seqq. volgo *Dicaearchum* laudari putant propter scribendi genus, quod efflorescat *copia.* At vero *copiosus* hic dicitur potius is, *a quo multa didiceris*, interprete ipso Cicerone II. *Att.* pr. Ib. VI. *ep.* 2. sect. 2. dicitur ἱστορικώτατος. Contra *Tusc.* I. 4, 7. pr. ubi Aristoteles *vir summo ingenio, scientia, copia* dicitur, *scientiam* non cum Bechero in Prolusione Lignitii 1820. evolgata, *Cicero's Prolog zur I. Tusc. Disp., kritisch-philol. erläutert, Fortsetz.* p. 37. rationem subtiliter disserendi et quaeque ad ultimam sui generis formam speciemque redigendi, sequentia adiungendi, perfecta concludendi etc. interpretamur, sed multifariam doctrinam, *copiam* autem cum Davisio ad II. *Divin.* 1, 4. ut sit *flumen orationis aureum* (II. *Acad.* 38, 119. *Or.* III. c. 18. *Off.* I. c. 1. ex.). Minime comparandus erat l. I. *Or.* c. 5. pr. De *Dicaearchi* libris historicis v. Reines. *V. L.* III. 3. p. 377. Ionsius *de scriptt. histor. philos.* I. c. 16. Suidas et

causis, eluvionis, pestilentiae, vastitatis, beluarum etiam repentinae multitudinis (quarum impetu, docet, quaedam hominum genera esse consumpta), deinde

---

Menag. ad Diog. Laert. III. §. 4. Nuper demum in lucem prolatum est opus geographicum: Δικαιάρχου τοῦ Μεσσηνίου ἀναγραφὴ καὶ βίος Ἑλλάδος *cura et studio* *Guil. Manzi.* Romae 1819. Bourlié.

ceteris causis, eluvionis etc.] Degen talia in vitio ponit. Pudeat, se profiteri Ciceromastiga! Genitivus ex Graecismo, de quo v. Ill. Hermann. ad Viger. p. 878. s. ed. alt., hoc modo explicandus: *causis, quas affert eluvio* etc. Sic etiam explicandus foret locus *Phil.* VIII. c. 3. pr. si quidem sana lectio; sed nullus dubito corrigere: *Ceteris enim bellis maximeque civilibus contentio* (pro *contentionem*) *rei publicae causam* (pro *causa*) *faciebat.* Sequitur enim: *Horum omnium bellorum causae ex rei publicae contentione natae sunt.* Sed ad h. l. cf. 7, 25. pr. *cruciatu timoris.* III. 36. ex. 96. ex. *Phil.* I. §. 28. ex. *Famil.* V. 13. pr. X. 4, 2. Plin. *H. N.* X. 43. sect. 60. *aemulatione vicinitatis*, i. e. cuius causa fuit vicinitas. Quinctil. *declam.* IX. p. 170. ed. Bip. *emendatio poenitentiae.* Cic. *Fin.* III. 15, 51. pr. *eorum in aliis satis esse causae, quam ob rem quibusdam anteponerentur, ut in doloris vacuitate, ut gloriae, divitiarum.* Ibi Görenz supplet *anteponendarum ratione.* Equidem ex antecedentibus: *causam, quam praeberet gloria, aut quam divitiae praeberent, cur quibusdam anteponerentur, satis idoneam esse. Leg.* I. 10, 40. *Catil.* I. 6, 13. *nota domesticae turpitudinis*, i. e. macula e domestica turpitudine adspersa; ib. *privatarum rerum dedecus*, i. e. e domestica difficultate conceptum. *Phil.* III. c. 11. *casum illum temporum et dolorem tuli. Or.* II. 16, 63. *explicentur omnes causae, vel casus vel sapientiae vel temeritatis.* Paullo aliter visum est Augusto Matthiae, Viro Cel., ad II. *Catil.* 11, 24. pr. ubi *coloniae* et *municipia* generis nomine comprehenduntur, *urbes coloniarum et municipiorum*, cll. *Or.* III. 14, 52. pr. 24, 91. pr. 38, 165. pr. *Ligar.* 10, 29. ex. haec ita explicanti, ut *casus*, *sapientia*, *temeritas* formae sint, generi, id est *causis*, subiectae, ut *Mur.* 10, 23. *Aliis — virtutibus, continentiae, gravitatis* pro *nempe continentia* etc. Sic igitur nostrum h. l. explicat: „*ceteris causis* interitus hominum, *nempe eluvione, pestilentia, vastitate*,“ i. e. sterilitate, ut *N. D.* II. 5, 14. pr. et in Senecae *Herc. fur.* 701. *Sterilis profundi vastitas squalet soli.* In seqq. parenthesin seclusimus.

deinde comparat] i. e. comparatione docet. Ernestus in *clavi* comparat Liv. II. 32. ex. Gottleber monet, pendere constructionem; pronomen enim *qui* nihil habere in hoc membro, quo referatur; sed Ciceronem in priori

comparat, quanto plures deleti sunt homines hominum impetu, id est bellis aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate.

17 Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus et prosint et obsint: p r o p r i u m h o c, statuo, e s s e v i r t u t i s, c o n c i l i a r e a n i m o s h o m i n n m et a d u s u s s u o s a d i u n g e r e. Itaque, quae in rebus inani-

---

membro omisisse verbum, ut fere *docet*, iungere autem proximis verbis; *collectis causis* resolvi quoque posse in vv. *p r i m u m colligit causas.* Hanc eandem rationem amplexus Gernh. in *Exc. de anacoluthis* p. 447. observat, *deinde* post Abll. absolutos paullo remotiores et propter interposita *quarum — docet*, a quo verbo esset v. *comparat* distinguendum, ad perspicuitatem loci impeditioris iuvandam prope necessarium esse. Sed eadem abundantia post Participium *deinde* verbo praemisit Virgil. *Aen.* II. 391. Est solennis Graecismus, de quo v. Zeune ad Viger. p. 339. s. et ibid. Hermanni *annot.* 219. Matthiae in Gramm. Graec. mai. §. 566. 3. p. 825. Weiske in *Pleonasmis*. p. 148. et interpp. Gregorii Corinth. p. 145. s. ed. Schaefer. Add. Xenoph. *Anabas.* I. 2, 25. ex. ed. Wels.

quanto plures deleti s u n t] De Indicativo particulis interrogandi etiam in oratione obliqua iunctis v. ad I. 7, 25. p. 52. et ad §. 90. p. 204. Cf. infra 6, 23. *declarat, quantum — valet.* I. *Or.* c. 51. pr. *Rosc. Am.* 6, 16. et ibid. A. Matthiae ad 30, 85. cui F. Heusinger, hac etiam in re Degenii antesignanus, cum variandae orationis causa hoc fieri dicat, hoc modo omnibus soloecismis patrocinari videtur. Laudat Heus. I. *Att. ep.* 1. ex. *Vides enim, in quo cursu s u m u s*, ubi tamen Schütz cum al. servat *simus*, accommodatius sane ad seqq. *et quam omnis gratias — acquirendas p u t e m u s.* Caute in his esse versandum, exemplis docet Ill. Creuzer ad I. *N. D.* c. 41. ex. De sententia v. Senecae *Epist.* 103.

§. 17. *Cum — homines et prosint et obsint: proprium* etc.] Rath apodosin explicat hoc modo: *necesse est, ut eorum animos conciliemus. Sed proprium hoc est virtutis.* Similiter cum aliis Degen. Rectius Rachel: *Hoc cum ita se habeat: virtutis et officii humani est, ut quisque sibi conciliet animos hominum.* Non enim hic, ut infra §. 32., de vi et potestate virtutis singulari agitur, ut nihil in animis conciliandis relinquatur aliis rebus: cui Garvii ad h. l. p. 83. ss. et Gernhardi sententiae obstare videtur §. 22. pr.

mis quaeque in usu et tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis; hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum prompta ac parata — virorum praestantium sapientia et virtute excitantur.

[*Etenim virtus omnis tribus in rebus fere 18
*vertitur: quarum una est in perspiciendo, quid
*in quaque re verum sincerumque sit, quid consen-
*taneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque
*gignantur, quae cuiusque rei causa sit; alterum,

Docetur potius, esse hoc virtutis officium et munus. Virtus, ne manca sit neve utilitatis expers, (cf. 10, 36. ex.) debet etiam conciliare animos hominum. Huic interpretationi fauet etiam comp. l. *Fin.* III. 4, 12. ex. Ne in seqq. quidem inest ea, quam cum aliis intt. Gottleber quaerit oppositionem: nulla virtute opus esse in rebus inanimis et artibus operosis; at studia hominum non aliter, quam virtute, parari posse. Imo distinguitur potius institutio, quo modo homines utilitates sibi comparare possint, *technologica*, *politica*, *diaetetica* et *oeconomica* vel χρηματιστική. Non nisi secundam diligenter persequitur scriptor, tertiam et quartam breviter tantum attingit inde a 24, 86; primam omnino excludit *artificibusque* et *opificibus* relinquit, ut I. c. 37. pr. *contentionis praecepta rhetoribus.* Male autem Degen cum Heus. dedit *in tractatione*, exclusis verbis *usu et.* Sed apposite Gernh. comparat *Or.* I. 23, 109. pr. *quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi*, ubi v. Schütz.

§. 18. *tribus in rebus f. vertitur*] i. e. q. I. c. 6. pr. *consistit.* V. Schelleri *Lex.* p. 12204. Mox vitiose in Degenii ed. scriptum est: *quin consentaneum.* Deinde in uno Ox. et Gu. 5. est *altera*, item in cod. Laudensi, teste Gottlebero: quae dicendi ratio, praeterquam quod in Neutrius usu ad Graecismum Ellipseos πρᾶγμα, ἔργον etc. refugere possimus, confirmatur exemplis *Or.* I. 15, 68. et 69. pr. quae comparavit clar. Göring in Progr., accuratius *Excursu* I. de huius §. θέσις indicando, p. 15. ss. monens, in exemplis ab Heus. in auxilium vocatis generis mutationem non in ipsis vocabulis, quae inserviunt enumerationi continuae, sed alibi cerni. Idem refellit etiam Bornii opinionem, mutatum genus esse propter Infinitivum, quem ipsum urguet Facciol. Hunc igitur Inf., Gottleber docet, more Graecorum, articulum adhibentium, Subiecti locum

*cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη *nominant, appetitionesque, quas illi ὁρμὰς, obedientis *efficere rationi; tertium, iis, quibuscum con-

occupare: τὸ ἐπικρατεῖν τῶν ὁρμῶν δεύτερόν ἐστιν. V. ad I. c. 39. ex. p. 284. s. ad quem l. ipse provocat Facciol.; ut frustra sit Göring, cui hic gravius quid monuisse videtur, scilicet de inceptae enunciationis interruptione (ἀνακολουθίᾳ) in ipsa enumeratione partium rei, in quibus recensendis Cicero solet variare constructionem, observante Gottlebero. Dissimulatis, quae iam Gernh. recte comparat, exemplis, 5, 16. ex. *deinde comparat.* I. 6, 18. s. 5, 8. p. 20. quibus addi potest I. §. 141., ipse Göring adhibet *Or.* I. c. 27. II, 9. 27. ibique ed. *alteram* Harles. p. 249., Gernhardo, in *Excursu* p. 445., eius modi conversiones in eloquendo ad gratam negligentiam referri posse, omnino neganti, adstipulans, cum nulla usquam possit negligentiae esse gratia, sed in ipsa notionum serie, in rerum exhibendarum natura, in animi cogitantis indole, in rhetoricis scribendi praeceptis probabilis iustaque mutatae constructionis causa ratioque quaerenda sit. Sic, si Cicero orationem accuratissime ex grammaticis regulis continuasset: *altera in cohibendo* etc. *tertia in utendo* etc.: eadem constructio repetitaque enumerationis structura, per plures periodos easque longiores et ampliores continuata, vel taedium quoddam facilius creasset legenti vel animum minus, quam mutata verborum constructione factum videtur, in rem, quae exponenda erat, intentum servasset. Explicat etiam Göring, unde ex animo et cogitatione Ciceronis inter scribendum haec orationis conversio, quae ob id ipsum nec dura nec inopinata videri possit, enata sit. „Quoniam in prima periodi parte," inquit, „post τὸ" [cur non alius, sive antiquioris, sive recentioris, linguae articulum, si quidem V. D. eo non facile carebat, usurpare placuit?] „*vertitur* auctor scripserat, *quarum una est*, haec ipsa vox, cui Infinitivus saepe numero iungitur, scribentis animo ita obversabatur, ut reliquam orationis partem ei annecteret. Liceat praeterea interrogare: nonne Cicero statim in periodi initio accommodate ad suam rem usumque loquendi pro *in perspiciendo* scripsisset *perspicere*, nisi ob antecedens vocabulum *vertendi* ex usitata huius vocis constructione ad praepositionis usum deductus esset?" Minime. Structura verborum haec est: *una, in qua virtus vertitur, res est in perspiciendo.* Cf. c. 14. pr.

motus a. perturbatos] Sic e Graev. 1. et ψ (vel, ut a Gernh. in *V. L.* p. 426. enotatur, μ) et Ascens. edere voluisse videtur Schütz; reliquit autem cum Degenio *turbatos*. Gernh. citat *Tusc.* III. 5, 10. πάθη describit Aristot. *Eth. Nic.* II. c. 5. §. 2. Ab his differunt ὁρμαί,

*gregamur, uti moderate et scienter: quorum studiis
*ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque
*habeamus per eosdemque, si quid importetur no-
*bis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos,
*qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena affi-
ciamus, quanta aequitas humanitasque patitur.]

VI. Quibus autem rationibus hanc facultatem 19
assequi possimus, ut hominum studia complectamur
eaque teneamus, dicemus, neque ita multo post; sed

---

quas male Hottinger interpretatur: *leidenschaftliche Triebe.* Imo significatur τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν, quod μετέχει πως λόγου, ἢ κατήκοόν ἐστιν αὐτοῦ καὶ πειθαρχικὸν, nec est παρὰ τὸν λόγον, nisi ἐναντιούμενον τούτῳ καὶ ἀντιβαῖνον, quae sunt ὁρμαὶ τῶν ἀκρατῶν. V. ib. I. c. 13. sect. 4.

uti moderate et scienter] Dictum ex imitatione I. *Or.* §. 132. *iis, quae habeant, modice et scienter utantur.* Mox *importari* dicitur *incommodum*, ut alibi *inferri*. V. Schützii *Lex.* s. v. p. 96. s. Idem retinuit volgatam lectionem *poena afficiamus, quantam — patitur:* in qua est ambiguitas. Recte Heus. e Gu. 1. 4. restituit, *quanta* cum Ellipsi, quae verbum semel positum repetere iubet, *ut eos afficiamus*, uti *Ep.* I. 9. (al. 10.) §. 24. quem l. aliosque v. ap. Perizon. ad Sanct. *Min.* IV. 12, 5. et Oudendorp. ad Sueton. *Calig.* c. 43. laudatos ab F. Heus.

C. VI. §. 19. *Quibus autem*]. Non erat, quod Göring p. 9. in hac particula haereret, scilicet bis posita, si illa, quae ab interpolatore interposita videntur, excludantur. Autumat V. D., eam nullo modo ferri posse, Ciceronemque, si verba, quae dubia visa sunt, omitterentur, statim post v. *excitantur* ad causas, quibus hominum utilitatem (voluntatem?) nobis conciliare possemus, exponendas accessurum fuisse, adhibita particula non *autem*, sed *igitur*. Nullam enim fore oppositionem. At vero, quam ipse Göring, locum illum, ut genuinum, tuitus, huic Coniunctioni tribuit vim, ut assumptionis sit particula, eandem retinere potest, etsi non serviat connexui, qui nec breviore parenthesi nec paullo longiore expositione interruptus erat, restituendo. V. ad I. c. 8. pr. — Deinde *ita ut* ap. Caes. *B. Civ.* II. 6. *non ita multo reliquorum civium fatum antecedere*, pro *adeo* posita, in multis libris permutatur cum pron. *ista*, cui eandem etiam *Fin.* IV. 15, 40. ex., ubi legitur, *nunc ista separantur, ut disiuncta sint*, substitui volt Görenz, sed praeter necessitatem, cum saepe ante *ut* subaudiatur *ita*.

pauca ante dicenda sunt. Magnam vim esse in Fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas, quis ignorat? Nam et, cum prospero flatu eius utimur, ad exitus pervehimur optatos et, cum reflavit, affligimur. Haec igitur ipsa Fortuna ceteros

Magnam vim esse in Fortuna.] Lactant. III. 29, 4. ex h. l. citat *Magnam esse Fortunae vim.* Placeret, verbis in hunc modum transpositis, *M. Fortunae e. vim*, vel, *M. v. e. Fortunae.* Sed M. Heus. comparat 13, 44. pr. *Pro domo* c. 55. *Magna vis est tum in deorum immortalium numine, tum vero in ipsa re publica.* Add. II. *Catil.* 12, 27. ex. *Magna* (est) *in re publica dignitas, — magna vis est conscientiae.* Gottleber comparat Demosthenis *Olynth.* II. p. 24. Reisk. Μεγάλη γὰρ ῥοπὴ ἡ Τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. V. supra I. 73. pr. 90. ex. cl. nota ad II. 38. p. 95. vs. 4. Menander ap. Stob. *Phys.* c. 10. Ἅπαντα νικᾷ καὶ μεταστρέφει Τύχη. Eurip. *Troad.* 1206. Οὐδεὶς αὐτὸς εὐτυχεῖ ποτέ. Attius *Medea*:

„*Fors dóminatur neque ulli vita própria*
in vita est."

Plaut. *Capt.* II. 2, 54. Plin. *Hist. N.* II. c. 7. post med. Horat. I. *Od.* 34, 12 — 16. ibique Mitscherlich. Ipse Noster XIV. *ad Att. ep.* 13. rerum suarum incertus haec scribit: *Sed haec Fors viderit, ea, quae talibus in rebus plus, quam ratio, potest.* Etenim, quae ratio, quasi quaedam formica, operose baiulando coacervat, ea Fors veluti venti impetu uno momento aut conflat aut dissipat. — Proprie autem *flatus*, quo *ad exitus pervehimur optatos*, dicitur *prosperus* (πρόσφορος) et *secundus* (a *sequendo*), i. e. *opportunus*; vel *adversus*, i. e. *importunus* potestate activa, ut *Palaemon*, qui per mare tutissimas praestat commeantibus navigationes, dicitur *Portunus* a *portu*. Hinc etiam ipse *exitus* v. *reditus prosperus* et *res secundae* v. *adversae*. Eadem ad Fortunam translatione usus Eurip. in *Herc. fur.* 102. καὶ πνεύματ' ἀνέμων οὐκ ἀεὶ ῥώμην ἔχει, et Metrodor. ap. Cic. *Tusc.* V. 9, 27. *Fortuna, — omnis aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* Foedum igitur mendum hic corrupit Schützii editionem *statu* pro *flatu*. Ceterum hic occupat noster philosophus ea, quae obiici poterant, quasi in rerum earum, quae vel prodesse possunt vel obesse, enumeratione partem aliquam primariam omisisset. Nam *Fortuna* hominum vocibus, ut ait Plin. *H. N.* II. c. 7. *una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola arguitur. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Huic vulgari hominum opinioni favere videbatur Theophrastus non solum in libro *de vita beata*, in quo multum admodum Fortunae datum erat (*Fin.* V. c. 5, 12.), sed etiam in *Callisthene*, in quo laudarat illam sententiam: *Vitam*

casus rariores habet: primum ab inanimis, procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia; deinde a bestiis, ictus, morsus, impetus. Haec ergo, ut dixi, rariora. At vero interitus exercituum, ut proxime

---

regit Fortuna, non sapientia: quae Cic. *Tusc.* V. 9, 25. explicat, *plus Fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium, valere.* Sed ibid. §. 26. laudatur Epicuri dictum: *Fortunam exiguam intervenire sapienti.* Cf. ad I. 33, 120. pr. Hic igitur Cicero, ut recte viderunt Garve ad h. l. p. 86 — 90. et Gernh., sic disputat, ut eorum, quae volgo Fortunae imputari solent, causas, saepe latentes, ad ea rerum genera revocet, quae descripsit 8, 11. s. easque maxima certe ex parte in nostra ipsorum potestate esse doceat. Ea enim *fortuita*, quae, cum futura sunt, nullo consilio praecipi possunt, nullaque prudentia, si salutaria sunt, adduci, si pestifera, caveri, haec omnino solent esse rariora, sive ab inanimis aut bestiis, ferente sic rerum natura, sive ab hominum voluntate, flecti nescia. Ex his autem hominum voluntas omnium maximam habet vim in utramque partem eaque plerumque respondet moribus nostris. Fauent enim ei, qui hominum studia allicere ac complecti eaque tenere callet. Qui vero offendit, in hunc hominum odia concitantur.

Fortuna c. casus r. habet] accipiunt intt. pro *efficit*: ad sensum recte, sed nulla subtilitate grammatica. Verbum et hic et in aliis similibus locutionibus, ut *Cat. Mai.* 19, 4 pr. *Leg.* II. 26, 65. suam retinet vim sic, ut notet, coniunctum quid cum quo esse: quod de Gr. ἔχειν, ubi pro περιέχειν positum videtur, edocuit Ill. Hermannus ad Viger. annot. 184. ubi tamen Aeschyli vs. *Prometh.* 865. aliter explicat, quam *annot.* 99. Praepos. *ab* hic i. valet, q. *ex* vel *de*. Intelliguntur *casus*, qui ut eveniant, *inanimae* res in causis sunt, a quibus ut auctoribus casus illi proficiscuntur. Quae Gernh. praeter 9, 31. ex. comparavit exempla, non idonea sunt. Cf. II. *Divin.* 21, 47. *a nobilitate — periculum.* Valer. Flacc. VII. 484. *morituram patris ab ira.* Schütz cum Gernh. distinxit: *deinde, a bestiis ictus.* At vero explicationis causa apponuntur *ictus, morsus, impetus*: qui pluralis numerus refertur ad eius modi casus, quibus alii alio tempore locove afflicti sunt.

§. 20. *At vero*] Partum harum partt. vim declaravit Degen, qui, provocans ad Schützii *doctr. partt.* p. 88. ibi eas adhiberi, dicit, ubi superiora aut concedantur aut non concedantur, sequentia autem maiori cum vi efferantur. Imo hic contraria comparant, ut 70. pr. 79. med. 81. pr. III. 76. pr. Sed III. 109. pr. simul assumptioni inserviunt,

trium, saepe multorum; clades imperatorum, ut nuper summi ac singularis viri; invidiae praeterea multitudinis atque ob eas bene meritorum saepe civium

---

qua, negata quae fuerant ante, exemplis asseruntur. — *Interitus exercituum saepe multorum* recte explicantur *multorum, quorum alius alio tempore interiit*, cll. I. 74. pr. III. 40. pr. I. *Tusc.* 30, 74. *Catil.* III. 10, 23. Horat. I. 6, 10. Add. Cic. *Or.* III. 3, 9. Sic Graeci πολλὰ πολλάκις. V. ad I. 53. p. 128. — *proxime trium*, quorum summatim mentionem facit Sueton. in *Caes.* 35. 36., primi a. V. 705. qui inde Lucano V. 391. dicitur *Pharsalicus annus*. V. Caesar *B. Civ.* III. 99. Vellei. P. II. 52, 3. 6. Eutrop. VI. 16, 7 — 11. Appian. *Civ.* II. 82. Dio XLI. 58. Plutarch. *Caes.* 46. et *Pompei.* 71. s. et *Brut.* c. 6. Polyaen. VIII. 23. Frontin. III. 2. Alter exercitus interiit a. 707, in Africa (v. ad I. 112. ex.), tertius 708. die Liberalium XVI. Kal. April. in Hispania ad Mundam, duce Gn. Pompeio, Magni filio. V. Auctor *de bello Hispan.* Flor. IV. 2, 82. ss. Vellei. P. II. 55, 2. ss. Eutrop. VI. 19. Orosius VI. 16. Appian. 104. s. Dio XLIII. 36. ss. Plutarch. *Caes.* 56. Strabo I. III. c. 2. p. 243. (140.), ed. stereot. Lips. 226.

clades — nuper summi ac s. viri] Pompeii Magni, qui, cum fuga Aegyptum petisset, imperio arbitrioque Pothini (non, ut Degen scribit „*Photini*“), Aegyptii mancipii, iugulatus est, non, ut idem V. D. refert, a. V. c. 706., aetatis „*undesexagesimo d. XXVIII. m. Sept.*“; sed Olymp. CLXXXIII. secundum Hieronymi *chron. Euseb.* ed. Amstel. 1658. p. 152. aut *duosexagesimum annum agens, pridie natalem ipsius*, ut refert Vellei. P. II. 53, 3. ergo d. XXIX. m. Sept. a. V. c. 705. Iulio Caesare et Q. Servilio Isaurico COSS., aut (quae in die discrepantia ibi non animadversa est a Krausio) Kalendis Octobr. eiusd. a., nimirum ἑξήκοντα μὲν, ἑνὸς δέοντος, βεβιωκὼς ἔτη, μιᾷ δ' ὕστερον ἡμέρᾳ τῆς γενεθλίου τελευτήσας τὸν βίον, de quo cum Dione XLII. 5. consentit Plutarch. in vita c. 79. ex., qui c. 80. ex. cum Livio *Epit.* 112. confutat Degenii fabulam de Pompeii capite Caesari *Romam* misso. Cf. Plut. in *Caesare* 45. ex. et 48. ipse Caesar *B. Civ.* III. 104. Cic. II. *Divin.* 9, 22. ex. *Att.* XI. *ep.* 6. sect. 3. Flor. IV. 2, 52. Orosius VI. 15. Valer. Max. V. 1, 10. Eutrop. VI. 16, 12. ss. Appian. *Civ.* II. 86. Dio XLII. 5. Lucan. VIII. 536 — 686. X. 378. ss. 519. ss. Poeta Scholasticus *Anthol. Lat.* T. I. 200. *in Pompeios.* Seneca *Epist.* IV. *De Pompeii capite pupillus et spado tulere sententiam.* Hunc *Fortunae ludum* respicere videtur etiam Horat. II. *Od.* 1, 3. Pompeii tumulum ad montem Casium fuisse, memorat Plin. *H. N.* V. c. 12. ex. ubi v. Harduin.

expulsiones, calamitates, fugae; rursusque secundae res, honores, imperia, victoriae, quamquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. Hoc igitur cognito, dicendum est, quonam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus. Quae si longior fuerit oratio: cum magnitudine utilitatis comparetur. Ita fortasse etiam brevior videbitur.

Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad 21
eum augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia faciunt, cum aliqua de causa quempiam diligunt, aut honoris, si cuius virtutem suspiciunt quemque dignum fortuna quam amplissima putant, aut, cui fidem habent et bene rebus suis consulere arbitrantur, aut, cuius opes metuunt;

---

b. meritorum s. civium — calamitates] Hottinger cum Garvio accipit de naufragio fortunarum eorum, qui bona sua amiserunt. Videntur potius *expulsiones* esse genus, *fugae* voluntaria exilia, in quae ire solent rei, qui causae suae diffidunt, ut Africanus Maior Liternum (Liv. XXXVIII. 52. s.) atque ipse Cicero, cedens inimici sui tribunicio furori, aut civilibus armis expulsi, ut M. Marcellus et Nigidius Figulus, ad quem est *Epist.* 13. lib. IV. *Calamitates* autem interpretamur exilia, in quae mittuntur damnati, ut P. Rutilius, invisus equestri ordini, penes quem iudicia erant (*N. D.* III. 32, 80.). Cf. I. *Off.* 138. ex. et ad seqq. ib. I. 32, 115. — Denique *hominum opibus* i. e. q. 5, 16. *adiumentis hominum*. In fine alii *fortassis*.

§. 21. *aut honoris*] Intell. *causa faciunt*, quod §. 22. dicitur *dignitatis praestantia*. Sic saepe *quem honoris causa nomino*, i. e. *sic, ut dignitatis illius habita ratio esse intelligatur*, ut ipse Cic. explicat *Act.* I. *in Verr.* c. 7. ubi opponitur *contumeliae causa*. Additur autem hic uni cuique causae explicatio quaedam et amplificatio. Variaturque oratio ita, ut, cum in priori membro fuerit *si cuius*, in altero pro *et si quem* sequatur *quemque*, ut I. 5, 16. Deinde post *cui fidem habent* ad verbum diversi regiminis cogitatione repetendum pron. relat. *quem*, ut 7, 23. *quem — pertulit civitas paretque cum maxime mortuo*. 16, 37. ex. Cf. ad I. 151. pr. et ad totam sententiam Xenophont.

aut contra, a quibus aliquid exspectant, ut cum reges popularesve homines largitiones aliquas proponunt; aut postremo pretio ac mercede ducuntur, quae sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima et his, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam
22 confugere conantur (male enim se res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia); sed, quoniam non nunquam hoc subsidium necessarium est, quem ad modum sit utendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam subiiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis plu-

---

Hier. c. 7. §. 6 — 9. ed. Wels. — Denuo scriptori placuit nova constructio *aut postremo* (pessime enim hic Degen supplet *si*) *pretio ac* (ap. Non. in v. *Duci* corruptum est *aut*) *mercede ducuntur*, quasi auctorati. — Redit iam, quem ad I. 95. ex. notavimus pleonasmum pronominis *illa* ante part. *quidem*, cui deinceps respondet *sed*, ut in *Bruto* c. 29. ex. 34. 48. pr. 62. med. 89. *oratores, non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen*; et paullo post: *Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans.* *Phil.* II. c. 27. *lauta supellex — non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis.* V. §. 35. VII. §. 14. ex. *Epist.* XII. 1, 6. XVI. 21, 10. *Att.* XIII. *ep.* 47. ex. XVI. *ep.* 7. sub f. *causas habes — iustas illas quidem et magnas, sed* etc. *Leg.* I. 2, 6. *Tusc.* IV. 8, 17. *Fin.* V. 5, 12. ex. et 13. pr. c. 16, 43. ex. 24, 71. ubi abundat pron. *ea*, ut *Tusc.* IV. §. 5. c. 3. pr. pronomen *id.* Respondent etiam aliae particulae adversativae, ut in *Bruto* c. 30. *Sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem* etc. *Att.* X. 4. *Alter — bellum — comparat, non iniustum ille quidem, — suis tamen civibus exitiabile.* *Fat.* c. 18. *sequi illud quidem —, verum* etc. Male igitur in aliis editionibus haec §. desinit cum interpunctione maxima. Adhibuimus parenthesin: eodemque modo distinguendum est *Phil.* II. c. 9. *de morte P. Clodi — fuit quaestio, non satis prudenter illa quidem constituta (quid enim attinebat, nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quaestio constituta?); quaesitum est tamen.*

§. 22. *de causis pluribus*] MSS. *p*, *v* et edd. vett. praeter Magont. itemque Facciolatus transponunt *pluribus de c.*, non *de plur. c.*, ut Schütz., ad easdem illas auctorita-

sibi. Ducuntur enim aut benevolentia aut beneficiorum magnitudine aut dignitatis praestantia aut spe, sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis promissisque capti, aut postremo, ut saepe in nostra re publica videmus, mercede conducti.

VII. Omnium autem rerum nec aptius est 23
quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam

---

tes provocans. Transpositionis fontem Mich. Heus. in Vinar. reperit, in quo est *potestatibus de causis* pro *potestati pluribus de c.* quod qui emendarint, *pluribus* inter versus adscripserint, librarii vero postposuerint. Sed postposuit scriptor *pluribus*, ut spectet ad seqq. Causarum est autem et earum, quibus homines ducuntur ad aliquem augendum atque honestandum, et earum, de quibus subiiciunt se alterius (ut Marii, Sullae, Caesaris, Antonii) imperio, fere eadem descriptio. Non est igitur, quod cum Garvio p. 581 s. quaeras, cur Cicero tam subito, ab hominum favore ad eorundem obedientiam et parendi patientiam transierit. Fit nimirum gradatio doceturque, quibus de causis alicui homines bene velint, iisdem de causis non nunquam eos etiam imperandi potestatem cuipiam permittere. Exemplum luculentum habetur in *Catonis Maioris* ap. Plutarch. c. 16. ex. cum competitoribus de censura concertatione. In seqq. Substantiva verbalia *spe* et *metu* suorum verborum constructionem participant, ut *Fin.* I. 16, 50. *Off.* I. 13, 40. pr. (ubi cf. n.) II. 46. ex. *opinio* 86. *observatio.* *Epist.* II. 16, 6. ex. *suspicio.* Recte deinde legitur *promissisque* (non *promissionibusq.*) *capti.* Cf. *Sext.* §. 34. — Praesens verbi *ut saepe in nostra re publica* (n. fieri) *videmus* firmat Non. in v. *Conducere.* De re cf. Plutarch. in *Bruto* c. 23. pr.

C. VII. §. 23. *ad opes tuendas ac tenendas*] Observante Ernesto, Cicero talia synonyma iungit. Difficile esse, in talibus locis hoc decernere, monuit V. D. in *Bibl. critica* Vol. I. P. II. p. 19. Codd. Cockmanni omnes, praeter Ann., et edd. vett., praeter Wolf., tuentur haec verba: unde ea non eiicienda arbitratur Gottleber. Sed fluctuat lectio in Goth. *tenendasque.* Vtrumque omnino deest in cod. Duisb. Gu. 3. 4. atque ed. Graev. ut non improbabilis videatur Mich. Heusingeri suspicio iunctae duplicis lectionis. Certe utrumque v. confunditur 73. *ut sua tenerent,* al. *tuerentur.* I. 110. pr. *tenenda sunt sua cuique,* al. *tuenda.* Frustra comparatur *Fin.* II. 4, 11. ex. Ibi enim regnat amplificatio per anaphoram. Cf. Ambros.

diligi, nec alienius, quam timeri. Praeclare Ennius:

Quem metuunt, oderunt. Quem quisque odit,
periisse expetit.

Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec vero

---

II. 7. Deinde Schütz tenet volgatam lectionem: *Praeclare enim Ennius*. Particulam, cui Gu. 4. substituit *etiam*, Heus., secutus Gu. 1. ed. Venet. 1498. Lips. 507. et 513. Lugd. 527. Aldum et alios, expunxit. Cf. I. 144. p. 289. *Bene Pericles*. De Ellipsi verbi *dicit*, *loquitur*, *iudicat*, *sentit* etc. cf. III. 108. *Fin.* II. 13, 41. *Sed ille — vitiose*. *Lael.* 17, 9. *N. D.* II, 27, 60. *Concinneque, ut multa, Timaeus*, et Heindorf ibi ad I. 36, 101. pr. — Ennii versus videtur esse ex *Thyesta* et huic admonitioni respondisse Atreus: *óderint, dum métuant* (I. 97. p. 215. cl. Seneca *de clement.* I. 12.). Hoc mihi quidem admodum veri simile fit ex iis, quae l. ibi citato *Phil.* I. 14, 33. s. insinuantur. Ex eadem tragoedia, de cuius aetate v. *Brut.* c. 20., alius citatur versus *N. D.* II. 2, 4. (cf. 25, 65. III. 4, 10. 16, 40. Festus in v. *Sublimem*), ubi Atreus (sive quisquis alius) videtur esse admonitus, esse aliquod numen. *Tusc.* I. 44, 107. Dubium est autem, ex eademne fabula fuerint versus illi, non addito poëtae nomine laudati *Tusc.* III. 12, 26. *Or.* III. c, 41. (quos Bacchiacos, recte a Bentleio descriptos, Plank ad Ennii fragmenta, *Medeae* subiecta, p. 106. imperite in septenarios transfundere voluit) an ex Attii *Atreo*, cui *Off.* I. l. c. dubitanter adscripsimus illa N. D. III. c. 26. s. §. 68. *Or.* III. 58, 218. ex. Degen hic in vv. *quem quisque odit* et ap. Horat. *Serm.* I. 6, 96. *quisque* interpretatur *Jemand*, magis ex patrii sermonis idiomate, quam ex Latinitate. Alii enim alios odisse solent. Constructio, (*hunc*) *periisse expetit*, eadem est, quae in Terent. *Hec.* V. 1, 1. Ad totum h. l. cf. *Lael.* 15, 3. ss. et quae ad Terent. *Adelph.* I. 1, 40. citavit Westerhovius. Quae hic praecipiuntur de arte imperandi, haec eo valere, ut probetur, benevolentiam et caritatem firmissimum imperii esse fundamentum, observat Garve ad h. l. p. 98. s: Male autem haec omnia, quae sequuntur, Binkes p. 36. in *tria* praecepta confundit: „I. Hominum studia nobis esse adiungenda et retinenda non metu, sed amore. II. Illa studia nobis concilianda multitudinis benevolentia et opinione gloriae et fidei. III. liberalitate, non mercede aut pretio.“ Sed v. *Conspectum* p. 6. II.

nuper est cognitum] *Idibus Martiis* (i. e. d. XV. m. Mart.) a. V. 709., non, ut Degen putat, d. IX. Mart. a.

huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit : civitas paretque cum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valet ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum, quorum haud fere quisquam [talem] interitum effugit. Malus enim custos diuturnitatis metus: contraque bene-

---

710., Caesar, cuius hic et in seqq. itemque III. 4, 19. nomen indignatio supprimit, *interiit a paucis*. Nam, ut Eutropii VI. 20, 2. ss. testimonio utamur, *coniuratum est in eum a LX vel amplius senatoribus equitibusque Romanis.* Cf. Hieronymi *chron. Euseb.* ed. Amst. 1658. p. 152. ad *Olymp.* CLXXXIV. — *paretque cum maxime* (de forma hac elliptica, fere pro *nunc* posita, v. Ernesti *clav.* in v.) *mortuo*, i. e., *cuius etiam mortui valet auctoritas*, ut de Catone loquebatur Noster I. 79. ex. Hic autem eandem indignitatem queritur, quam *Epist.* XII. 1, 7. s. *Att.* XIV. 10. 13. ex. et 14. *Sublato tyranno, tyrannida manere video.* — *Cui servire ipsi non potuimus, eius* (mortui) *libellis paremus.* Hinc ib. *ep.* 18. *non multum Idibus Martiis perfectum iudico.* - V. Appian. 'Εμφ. II. Plutarch. in *Antonio* c. 14. s. et in *Bruto* c. 10. ss. 14 — 17. 19. s. Alia sibi finxit Degen.

declarat, quantum — valet] Indic. est in MSS. Lambini, in Goth. Gu. 1. 2. 4. 5. ed. utraque Lips. Argent. 498. Ascens. Lugd. 1527. Gryph. Bald. Ald. Sed in Vin. et ed. Magont., alia s. l. et a. et Ven. 470. est *valeret.* Schütz cum rell. *valeat.* Sed cf. 5, 16. ex. Interponitur autem Genitivis casus regens, interdum cum verbo, et ob sonum et ob voculationem, ut I. 56. *morum similitudo bonorum.* 75. pr. *clarissimae testis victoriae.* Exempla suppeditat Görenz ad *Leg.* II. 27, 68. p. 208. *Acad.* II. 28, 90. *Fin.* II. 14, 45. ex. III. 4, 15. (p. 327.) 11, 36. pr. V. 9, 26. p. 560. et ib. p. 701. in *Addendd.* ad p. 405. III. 22, 73. *vetera praecepta sapientium* mutavit in *veterum pr. sap.* Sic h. l. *reliquorum similis exitus tyrannorum.* Deinde edd. quaedam transponunt *interitum talem*; alii, ut Gu. 5. ed. Magont. et alia s. l. et a., utraque Lips. et Lugd. 527. *interitum similem*: ut cum Oliveto malim excludere *talem*, quam cum Langio et Facciol. utrumque voc. *talem inter.*, suspectum etiam Fabritio, proscribere. Potuit quidem etiam Substantivum e praecedd. suppleri; sed libri in eo consentiunt.

Malus enim] Additur volgo *est.* Schütz cum Heus. ex uno Gu. 2. (non 5.) recepit *Malus est enim custos.* Nisi v. *est* omissum esset in Goth. μ, exc. Beulae atque Eybi, ed. Magont., alia s. l. et a., utraque Lips. et volg.

24 volentia fidelis vel ad perpetuitatem. Sed iis, qui vi oppressos imperio coërcent, sit sane adhibenda saevitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. Qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, his nihil potest esse dementius. Quamvis enim demersae sint leges alicuius opibus, quamvis

---

(cuius ellipseos exempla posuimus ad I. 67. p. 154. ex.): praeferrem equidem ordinem verborum, qui est in Gu. 4. *M. enim c. diuturnitatis* (i. e. diuturnae incolumitatis, ut *Agrar.* III. 2, 10. agri *spem diuturnitatis*, i. e. auctoritatis diuturna possessione, *attingunt*) *est metus*, ut I, 7, 23. pr. Sed idem liber cum ψ (teste Gernh., qui tamen in *V. L.* p. 428. pro hoc citat μ) Oliv. Ern. et Schützio item *est* inculcat post v. *fidelis*, ubi cogitatione repet. *custos*. Verb. *est* aut expunxerim aut excluserim etiam in *Hortensii* fragm. ap. Non. in v. *Exsultare*. *Imbecillus autem est pudoris magister timor. Qui si paullulum aberraverit: statim spe impunitatis exsultat.* Idem nostrum h. l. citat in v. *Vel.* Cf. Ambros. II. 7. Plin. *Paneg.* 45. ex. *Infidelis recti magister est metus*, et 49, 1 — 3. Caesar tamen ap. Plutarch. in vita c. 57. ex. dicitur τὴν εὔνοιαν ὡς κάλλιστον ἑαυτῷ ἅμα καὶ βεβαιότατον ἑαυτῷ περιβαλλόμενος φυλακτήριον. Cf. Claudian. *de IV. consul. Honor.* 281. s. Herodian. histor. I. 4, 4. s. [illegible] ss.)

§. 24. *si aliter teneri non possunt*] nimirum *famuli*, quorum heri, ut recte monuit Hottinger ad h. l. p. 203. ss., comparantur *tyrannis* vel indebitae potestatis usurpatoribus, ut ex similitudine exempli omnibus satis cogniti magis appareat dira et tristis necessitas, qua hi tenentur adhibere saevitiam in eos, *quos, vi oppressos, imperio coërcent.* Similis igitur horum est conditio, quibus, ut Sallust. I. *Hist. Lepid.* 10. de Sulla ait, *habendus metus est aut faciendus.* In seqq. *his nihil potest esse dementius* dicitur, ut *Tusc.* I. 2, 5. *nihil mathematicis illustrius.* Servatum a Gernh. et Schützio ordinem volg. *esse potest* recte e Gu. 1. 2. 3. 5. et edd. vett. mutaverat F. Heus., cl. Lactant. V. 10, 4. *quid potest esse hac pietate dementius? quid inclementius — ?* Recte quidem dicitur *ut, ne, quasi, qui* etc. *esse possit* vel *posset* in *Verr.* II. 76, 187. ex. 77, 189. pr. 190. ex. III. 9, 23. pr. V. 12, 30. 61, 158. (al. 157.) ex. I. *N. D.* 10, 26. Contra *possit* v. *posset esse* in *Verr.* V. 49, 130. 54, 141. Legitime autem *potest esse*, ut *Catil.* III. 9, 21. pr. *Att.* II. 1. ad fin. Permulta huius positus exempla suppeditat Index, Heindorfii editioni *Cic. de N. D.* a nobis adiectus, p. 394. b.

demersae — leges alicuius opibus] i. e. *dominatu.* Cf. I. 86.

vis timefacta libertas; emergunt tamen haec aliquando aut iudiciis tacitis aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissae libertatis, quam retentae. Quod igitur latissime patet neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime, quae volemus, et privatis in rebus et in re publica consequemur. Etenim, qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi, necesse est. Quid 25
enim censemus superiorem illum Dionysium — quo

I. 86. pr. — Pro *timefacta*, l. c. *leryzelt*, legunt quidam *tremefacta*, minus accommodate ad opposita *emergunt tamen haec*: quod pronomen a cod. *p* abest. Loquitur autem hic Cicero graviter, adhibitis imaginum luminibus. Refricatur enim in viri consularis animo amissae rei publicae dolor. Aemulatus est Pseudo-Cic. *pro domo* §. 137. *in naufragio rei publicae, tenebris offusis, d e m e r s o p o p u l o Romano, everso atque eiecto Senatu.* Contra Turnebum, qui *Advers.* III. 16. pr. *iudicia tacita* esse voluerat ea, quae in candidatorum ambitionem fierent ante comitia, ut IV. *ad Att. ep.* 3. [in volg. editt. 16.] Graevius ex II. *Att. ep.* 19. sect. 2. et Sueton. Caes. 80. docuit, dici de populi, si non palam, at clam detrectantis dominationem atque assertores flagitantis sensu, e signis quibusdam perspiciendo. Cf. Plutarch. in *Caes.* c. 60. 61. *Anton.* c. 12. et *Brut.* c. 9. ex. 10. Teste Suetonio l. c. *post remotos Caesetium et Marullum Tribunos reperta sunt proximis comitiis complura* (occulta de honore) *suffragia, Consules eos declarantium.* Errat Binkes p. 36. n. 11. respici, opinatus, ad M. Lepidum, invito Sulla, Consulem factum, teste Plutarcho in *Sulla* (c. 34. ex.) p. 473. et *Pompeio* (c. 15.) p. 626. Nam cum illud fieret, Sulla iam descenderat dictatura sua et se togae reddiderat. Facilius comparari posset Plutarch. in *Sulla* c. 10. de Sullae propinquis repulsarum ignominia affectis. — Mox in Degenii ed. est Praesens verbi *consequimur*, ut in exc. Bedae atque Eybi. Vitiose. Ad extr. sententiam cf. Seneca *Ep.* 105. *de clem.* I. 12. et 19. *Tantum, necesse est, timeat, quantum timeri voluit* etc.

§. 25. *Quid enim censemus s. i. Dionysium* —] Post haec vv. interrogatio tenetur suspensa. Tum, adhibito pronomine interrogativo vel aliqua interrogandi particula, oratio continuatur, quasi non praecessisset *Quid* — ? ut *Or.* I. 17. 79. ex. Heindorf. ad I. *N. D.* 29. 82. pr. com-

cruciatu timoris angi solitum, qui, cultros metuens tonsorios, candente carbone [sibi] adurebat capillum? quid Alexandrum Pheraeum — quo animo vixisse arbitramur, qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen, ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, et eum quidem, ut

parat Demosth. *in Leptin.* §. 28. Plat. *Phaedr.* §. 118. Manut. ad Cic. *p. Rosc. Am.* 17, 49. pr. ubi cff: et Mich. Heusinger et Matthiae. *Phil.* XII. 9, 22. *Quid censetis, cum iter ingressus ero, longum praesertim, — nullasne insidias pertimescendas?* Interdum ante unum quodque multiplicis interrogationis membrum repetitur *quid* per anaphoram, ut Horat. *Epist.* I. 6, 6. ss. Similia etiam illa sunt, ubi ad aliam rem transitur sic, ut nomen, in quo vis posita est, et pronomen istud, quo seqq. quasi praeparantur, interrogationi ipsi cum pron. interrogative *Quid* praemittatur. Vid. *Tusc.* I. 24, 56. pr. Matthiae, V. S. Rev., ad *or. p. Rosc.* 33, 92. pr. Male igitur hic in seqq. distinguitur volgo: *Quid? Alexandrum — arbitramur?*

cruciatu timoris] i. e. *cruciatu, quo timor afficit, qui ex timore nascitur.* Cf. de Genitivis active accipiendis ad 6, 16. — Recte Heus. scripsit *candente carbone adur.* e Nonio in v. *Candet.* Eaque declinandi forma sola probatur Bentleio ad Hor. I. *Od.* 25, 17. et Grotefendo in *Lat. Gramm.* §. 35. ex. n. *) p. 59. ed. III. Significat enim affectionem rei non permanentem, sed celeriter transituram, ut ap. Virg. *Aen.* III. 573. et *rubente dextera iaculatus* ap. Hor. I. Od. 2, 2. — [*sibi*] *adurebat capillum*, i. e. filiarum suarum manibus ferrum non ausus committere, *instituit, ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent.* V. *Tusc.* 20, 58. ex. Valer. Max. IX. 13. extern. 4. Heus. comparat Sueton. in *Aug.* c. 79. *in capite comendo tam incuriosus, ut raptim pluribus simul tonsoribus operam daret ac modo t o n d e r e t, modo r a d e r e t barbam eoque ipso tempore aut legeret aliquid aut etiam scriberet.* Idem cum intt. ad Sueton. *Neron.* 1. docet, *capillum* esse capitis simul et barbae, deinde, ut res est, modo capitis, modo barbae, cf. Cic. *in Verr.* V. c. 49. pr. ubi memorantur squalor sordesque *sociorum*, praesentium *cum hoc* (subaudito nempe) *capillo.*

Alexandrum Pheraeum] i. e. *a quo tyranno Pherae, urbs in Thessalia tum admodum nobilis, crudeli dominatu vexabantur.* — *Thebe* fuit illius *Iasonis*, qui memorabatur I. 108. ex., filia. V. Plutarch. in *Pelop.* c. 28. — Verbis *ut scriptum legimus* Garvii versio fere hunc tribuit sensum: *fides rei penes auctores erit.* Cf. ad I. 10, 32. p. 71. For-

scriptum est, compunctum notis Thraciis, destricto gladio, iubebat, anteire, praemittebatque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebris et, ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent? O miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret, quam coniugem! Nec eum fefellit. Ab ea est enim ipsa propter pellicatus suspicionem inter-

---

tatis tamen hic provocatio ad rerum scriptores volt rei paene incredibili fidem facere: unde repetitur *ut scriptum est*.

Thraciis] Hoc, a F. Hens. e Gu. 1. 2. receptum, Lucas Fruterius *Verisimil.* l. I. c. 10. in Gruter. *Lamp.* II. p. 822. etiam Langii libris tribuit; sed in his est *Threciis*, non, ut Gernh. cum Fabritio refert, *Thraeciis*; sed in Saxis Capitolinis M. Licinii Crassi *triumphus ex Thraecia* exstare dicitur. Schütz ex ed. vet. s. l. et a. Ven. 498. Lugd. 527. et Gryph. cum Iac. Gronov. intulit formam poeticam *Threiciis*. Recte Turnebo *Adv.* III. 16. ex. scriptor videtur non satis habuisse *barbarum* dixisse, nisi adderet *compunctum notis Thraciis*, i. e. in immani barbarie natum. Thraces enim et aliae quaedam gentes barbarae se stigmatis notabant, teste Herodoto V. (*ε*). c. 6. lin. 7. et Strabone l. VII. (non, ut C. Lang. citat, l. IV.) c. 6. p. 103. ed. stereot. Lips. κατάστικτοι δὲ ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυρίοις καὶ Θρᾳξί. Cf. Phanocles ap. Stob. et in *Antholog. Gr.* 1. et Dio Chrysost. orat. I. de servitute et libertate. Eundem morem Aegyptiis et Sarmatis adscribit Sext. Empir. *Pyrrh. Hypot.* III. c. 24. Στίγματα autem ab Hesychio explicantur ποικίλματα. Solebant autem olim tyranni Thracibus uti ad caedem ministris et satellitibus. Hesychius: Τράλλεις. Οὕτως ἐκαλοῦντο μισθοφόροι Θρᾷκες τοῖς βασιλεῦσιν εἰς τὰς φονικὰς χρείας πληροῦντες. Eundem satellitem post appellat *stigmatiam*, ut habet ed. Lugd. 527. H. Wolf. et Nonius c. I. 194. p. 506. in h. v. Fortassis cuipiam placeat Accusativi forma Graeca. Nam Nannius *Miscell.* IX. 10. alios dicit habere *stygmatian*.

destricto gladio] Hoc verbum in MSS. volgo confunditur cum v. *distringere* et hic et III. 112. med. Etiam in Ambros. fragm. *or. in toga cand.* Patricius demum emendavit *duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere* e Q. Cic. *de petitione consulatus* c. 3. ex. V. Ernest. in Schützii *Lex. Cic.* s. v. — *Exquirere*, *excutere*, *scrutari*, *videre* et rell. vv., in quibus est *verendi* vis, adsciscunt *ne*, (ut in Gr. lingua μή) pro *an*, *si* etc.

Ab ea est enim ipsa — interfectus] i. e. ἀπεθνήσκει εἰτυχήσεν μὲν ὑπὸ τῶν τῆς γυναικὸς ἀδελφῶν, βουλῇ δὲ τῇ αὐτῆς ἐκείνης,

fectus. Nec vero ulla vis imperi tanta est, quae,
26 premente metu, possit esse diuturna. Testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander; non a paucis, ut hic noster; sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impe-

---

ut scribit Xenophon *Hellen.* VI. 4, 36. ss. Plutarch. in *Pelop.* extr. et Diodor., qui caedem istam Ol. CV. a. 4. factam statuit l. XV, p. 487. XVI. c. 14. p. 517. ss. ed. Steph. E Nostri h. l. sua habet Valer. Max. IX. 13. *extern.* 3. Cf. Cic. I. *Divin.* 25, 53. II, *de invent.* 49, 144. ubi sola *Thebe* memoratur, ut ab Ovidio in *Ibi* 321. s. *datus est leto coniugis ense suae.* Rectius igitur, quam in textu, ubi reliquit *ipse*, Schütz in *Lex. Cic.* II, II, p. 287. s. sequitur lectionem *ipsa*. Ibid. ad vv. *nec eum fefellit* supplet *res*, i. e. *non falsa fuit eius opinio* v. *suspicio*. Addunt hic vocem *opinio* volgo glossatores. Sed saepe impersonaliter ponitur *nisi me fallit*, ut *p. Sext.* 50, 106. pr. *Coel.* 19, 45. — *Premente metu* intell. *eos, qui alterius imperio subiecti sunt.*

§. 26. *praeter ceteros*] i. e. *plus, quam ceterorum crudelitas*, v. *supra ceterorum crudelitatem.* De hoc synecdochice comparandi genere v. ad I. 76. p. 176. cl. *Tusc.* V. 26, 73. *Epicuro — non multum differenti a iudicio ferarum.* Corn. Nep. in *Chabr.* 3. ex. et *Att.* 12, 1. ex. Hor. *Od.* II. 6, 14. ss. ibique Mitscherlich. *Praeter*, proprie i. q. *ultra*, saepe ponitur pro *supra*, ut 56. *praeter opinionem suam.* V. Gesneri *Thesaur.* I. p. 1038, 20. ss. Meineri ad I. §. 2. pr. cit. lib. de partt. p. 384. pr. et Schützii *Lex. Cic.* s. v. n. 3. et 4. Argumentationis tenor hic est: „Quod si metus fidelis custos esset diuturnitatis: incolumis mansisset certe Phalaris; huius enim *nobilitata crudelitas.* III. 6, 29. ex. Pindar. *Pyth.* I. vs. 185. (*Epod. 6.*) τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα νηλέα νόον ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾷ φάτις. Phalarin *coopertum lapidibus fuisse, hortante Zenone Eleate*, narrat Valer. Max. III. 3. *extern.* 2. sed eum *Phalarin* confudisse cum *Nearcho*, qui *Veliensium in Italia* tyrannus fuit, centum post *Phalarin* annis, e Diog. Laert. IX. §. 27. docuit Ric. Bentlei. *Respons. ad C. Boyl.* c. VI. ex. *Opuscc. philoll.* p. 225. ed. Lips., reiecto etiam I. Tzetzis *Chil.* p. 95. testimonio, *plumbeo eum vestimento indutum, fame periisse*, cum Ovid. in *Ibi* 439. s. auctor sit, in tauro illo, quem is, in cuius ipsius perniciem primi convertit hoc artificium, Perillus ita machinatus esset, ut eius, qui excruciabatur in eo, lamenta ope fistularum in machina latentium verterent in magitum, quo se tyrannus oblectaret, in hoc igitur eodem

tum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt universique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedaemonios, iniuste imperantis, nonne

---

tauro mugisse tandem ipsum tyrannum. Cuius rei testis adhibetur etiam Heraclides Ponticus *de Polit.* : „*Phalaris non nullos in tauro suo aereo concremavit* : *sed eum ulta est multitudo atque etiam matrem eius et amicos concremavit* (ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα). Timaeum Siculum, qui circa Olymp. CXXVIII. historiam scripserat Athenis et secus, quam refertur a Pindari ad l. c. Scholiasta, quodcumque de tauro aeneo narratur, id totum confictum esse dixerat, refellunt Polybius *Excerpt.* p. 58. et Diodor. p. 210. [l. XIII. c. 90.], citati a Bentleio p. 437. s. Nam Pseudo-Phalaris *Epist.* V. 28. auctor est auctoritatis expers. Iamblichi autem commentum, qui auctorem interficiendi Phalaridis *Pythagoram* fuisse tradit, Bentl. p. 175. s. coniicit, conflatum esse ex iis, quae scripsit Porphyr. *vit. Pyth.* p. 189. Pythagoram, postquam in Italiam et Siciliam venisset, non nullas ibi civitates fecisse liberas, Crotonem, Sybarin, Catinam, Rhegium, Himeram, *Agrigentum*, et ex iis, quae Lucianus in *Phalar.* I. Phalarin inducens, consuetudine gloriantem *Pythagorae*. Denique, Phalarin, quem Plinius *H. N.* VII. 56. *tyrannum primum fuisse* ait, et Pindari ad *Olympion.* III. vs. 68. (ἀντιστ. γ'.) et *Pyth.* V. Scholiastes ex Hippostrato, qui Siculorum genealogias composuerat, a Telemacho subactum, scribit, idem Bentl. p. 164 — 203. acutissime subducto calculo chronologico, demonstrat, non ultra Olymp. LVII. a. 3. tyrannidem exercuisse.

Demetrium] Poliorceten, Antigoni filium, Pyrrhi antea levirum. V. Plutarch. in *Pyrrho* c. 10. 11. ex. in *Demetr.* c. 44. ex. et in ei. *comparat.* c. 6. pr. Iustin. XVI. 2.

Lacedaemonios — socii desceruerunt] Isocrates περὶ εἰρήνης ed. H. Wolf. a. 558. p. 332. Lacedaemonii οὐδὲν ἐπαύοντο τοὺς μὲν ἄλλους κακῶς ποιοῦντες, αὐτοὶ δὲ τὴν ἧτταν τὴν ἐν Λεύκτροις προφασιζόντες, ἥν, φασί τινες, αἰτίαν γεγενῆσθαι τῇ Σπάρτῃ τῶν κακῶν, οὐκ ἀληθῆ λέγοντες. οὐ γὰρ διὰ ταύτην ὑπὸ τῶν συμμάχων ἐμισήθησαν, ἀλλὰ διὰ τὰς ὕβρεις τὰς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις καὶ ταύτην ἡττήθησαν καὶ περὶ τῶν αὐτῶν ἐκινδύνευσαν etc. Eos subiectis civitatibus ὑπερηφάνως καὶ βαρέως imperasse, dicit Diodor. XV. 28. Nimirum singulis civitatibus decemviros et harmostas obtruserant. Pausan. VIII. 52, 2. ex. Hinc ap. Aemil. Prob. XV. 5, 6. Epaminondas gloriatur, se *uno die totam Graeciam, Lacedaemoniis fugatis, liberasse.* Idem c. 6, 4. dicitur *Spartae coram legationum conventu eloquentia sua perfecisse, ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur.* V.

repente omnes fere socii deseruerunt spectatoresque se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis?

VIII. Externa libentius in tali re, quam domestica, recordor. Verum tamen, quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis: bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur; exitus erant bellorum aut mites aut necessarii; regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus;
27 nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius, quam

---

Xenoph. *Hell.* VI. 4, 15. Pausan. IX. 13, 4. pr. et de *Leuctrica calamitate* ad l. 84. p. 192. Similiter Cic. in *Bruto* 3, 12. dixit *Cannensem calamitatem.*

C. VIII. *Verum tamen*] Hottinger circumloquitur fere sic: Nihilo minus non possum, quin rem notatione dignam commemorem. — *Beneficia* hic intelligi videntur donatae sociis, ut Eumeni, ut Masinissae, civitates, quas hostes bello perdiderant, ut Antiochus, ut Carthaginienses. V. Eutrop. IV. 2, 11. Iustin. XXXI. extr. Strabo XIII. 4. p. 149. ed. stereot. Liv. XLIV. c. 13. ex. — *Bella pro sociis gerebantur*, e. c. Samniticum pro Campanis. V. ad I. §. 38. p. 92. Ibid. memorantur etiam bella gesta *de imperio*, i. e. *de eo, uter imperaret.* — *Exitus erant bellorum aut mites*, nationibus, de quibus parta victoria erat, in civitatem receptis, *aut necessarii*, eversis urbibus hostium capitalium. l. §. 35. p. 81. et 84. Cf. IV. *ad Herenn.* 16. in postremo *ratiocinationis* exemplo. De *regum portu et refugio senatu* vid. e. g. Sallust. *Iug.* c. 14. ab in. — De aequitate apud vett. Romanos domi militiaeque culta v. Sallust. in *Catil.* c. 9. et 12. ex. ubi eam cum sui seculi avaritia ac superbia comparat. Graviter *Romanos, orbis raptores*, perstringit Galgacus in Taciti *agricola* 30. ex. Sed defendit Lipsius *de magnit. Romana* IV. 3. Ceterum Gernh. cum F. Heus. apodosin huius periodi, pluribus partibus distinctam, terminavit verbis *bella aut — defendissent.* Schütz cum volgg. edd. interpunxit hoc modo: *Verumtamen quamdiu — gerebantur: exitus — necessarii. Regum — senatus. Nostri* etc.

§. 27. *patrocinium orbis terrae*] celebratur ap. Liv.

imperium, poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus, post vero Sullae victoriam penitus amisimus: desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, cum exstitisset in civis tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet et bonorum virorum et locupletium et certe civium, *praedam se suam vendere*. Secutus est, qui in causa impia, victoria etiam foediore, non

---

XXXIII. 35. ex. — Cum adv. *sensim* apte iungitur tempus inchoativum et continuativum *minuebamus*. De eventu autem usurpatur perf. *amisimus*. In seq. *desitum est* latet negatio. Propterea sequitur *videri quidquam*. V. *Excurs.* XI. ad I. p. 338. — *Honesta* dicitur *causa* Sullae, quia hic nobilitatis dignitatem et salutem imperiique maiestatem defenderat. Vid. *Phil.* VIII. c. 5. *Rosc. Am.* 6, 16. 47, 136. Ibid. 43, 126. notatur lex sive Valeria sive Cornelia, *ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt, aut eorum, qui in adversariorum praesidiis occisi sunt.* Cf. infra §. 29. Plutarch. in *Sulla* c. 31. 33. *Flor.* III. 21. ex. et Liv. *epit.* 88. 89. Vellei. P. II. 28, 3. s. cl. c. 22. ex. Appian. Ἐμφ. I. 95. s. Dio *fragm.* p. 55. Valer. Max. IX. 2, 1. Deinde Palatini 1. et Balduini lectionem *locupletium* retinuit etiam Schütz, ut III. 19, 75. *Parad.* VI. 2, 1. *Att.* VII. *ep.* 7. ex., in notula autem videtur facere cum rell. libris, in quibus est *locupletum*, ut I. *ad Q. fratr. ep.* 1. c. 9. p. 354. *Tusc.* V. 20, 58. Gernh. laudat Vossium *de analog.* II. 14. p. 741. — Lepidus in oratione contra Sullam ap. Sallust. *histor.* I. querens, *bona civium miserorum, quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam,* aperte respicit Sullae hanc vocem, *se praedam suam vendere*, quae eadem refertur III. *Verr.* c. 35. accuratius autem a Plutarcho in *Compar. Lysandri* c. 3. Nostro l. Schütz reduxit ordinem volgatum: *praedam suam se*, cum recte alii e Gu. 1. 2. 3. Goth. ed. Gryph. et Bald. reposuissent, *praedam se suam*.

Secutus est] Caesar, cuius *victoria* dicitur *etiam foedior* non propter *impiam belli causam*, cum in Sulla fuisset honesta, sed propter foedam in cives crudelitatem, qua immoderatius victoria abusus est, nempe *pecuniarum translatione a iustis dominis ad alienos.* I. §. 43. ex. *Epist.* IV. 13, 6. Sueton. in *Caes.* 50. 54. De partt. *non — sed* sibi respondentibus sic, ut gravitatis causa illic *solum*, hic omittatur *etiam*, v. Krause ad Vellei. P. II. 28, 4. pr. —

singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. Itaque, vexatis et perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus et ex ea urbe triumphari, sine
28

Ius de quacumque conditione, *quae ex iure oritur*, de *causa, in qua aliquis est constitutus*, dici, docet Heus. cl. III. *Agrar.* 2, 11. atque etiam *ius iniustum* dici Pedoni Albinov. in *consol. Liv.* 54. cl. *Digest.* I. 1, 11. ubi praetor dicitur *ius reddere, etiam cum inique decernit*: ut h. l. sensus sit: „Caesar victor hanc victis civitatibus conditionem tulit, ut una omnes pariter essent calamitosae, legem hanc eas accipere coëgit, quae universis calamitatem afferret." Degen v. *ius* modo active, modo passive explicat iungiturque in v. *comprehendere* : quod non nisi collectivam habet vim. *Unum* dicitur pro *communi*, ut *Catil.* IV. 2, 3. ex. *una rei publicae peste*, ubi Graev. comparat Statium I. *Theb.* 109. *populis mors una venit*, i. e. magna multitudo hominum eodem tempore perit. Ovid. *Met.* I. 721. Flor. III. 17. pr. *unum undique bellum*, per omnes populos eodem tempore diffusum. Add. Horat. *Ep.* II. 1, 108. s. Virg. *Ge.* II. 83. 85. IV. 184. *Aen.* II. 709. s. IX. 453. X. 201.

§. 28. *vexatis*] Explicandi causa additur *et perditis*. Auctore Gellio II. 6. *vexari* proprie dicitur is, *qui fertur et raptatur atque huc atque illuc distrahitur* : unde post Burmannum ad Phaedr. IV. *fab.* 15, 5. et Gierig ad Ovid. *Met.* XI. 435. ulterius quaesivit diligentia clar. Frotscheri *Observatt. in varios locos vett. Latinorum P.* I. p. 18. s. Docuit enim, eum, quodcumque huc illuc distrahitur, *de statu priori deturbetur nec sincerum neque integrum manere possit*, verbum *vexandi* transferri ad ea omnia, quae, *susque deque habita, contumelia afficiuntur* (quo sensu Sueton. in *Tiber.* 61. damnationem et supplicium dixit *vexationem ignominiamque*), quae *male habentur, reprehenduntur* (vid. v. c. Tacit. *dialog. de or.* 24. pr. 40. pr.), *disiiciuntur, periculis obiiciuntur, offenduntur, turbantur, laeduntur, franguntur, corrumpuntur, contaminantur, violantur* (ut *fauces laqueo* ap. Tacit. *Ann.* II. 6.), *evertuntur, depereunt* : quarum significationum exempla suppeditantur a Nizolio et Ernesto in *clavi Cic.* s. v. Dicitur hic de omni calamitatis et saevitiae genere, quod provinciae perpessae fuerant. Sic *Catil.* I. 7. 18. pr. iungitur *vexatio direptioque sociorum*. Cf. Ascon. ad I. *Act. in Verr.* c. 5. pr. §. 12. ed. Schütz. p. 275. et Gesner in *Thes.* IV. 1001, 90. 92. ss.

Massiliam] Galliae Narbonensis civitatem, quae, *fide melior, quam consilio prudentior*, ut ait Vellei. II. 50, 3.

quae numquam nostri imperatores ex Transalpinis triumpharunt. Multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno quidquam sol vidisset indignius. Iure igitur plectimur. Nisi enim multo-

---

novis Caesaris officiis veterem Pompeii beneficiorum in eos memoriam expelli non passa, portas Caesari, adversus Pompeii legatos in Hispaniam proficiscenti, clauserat, ut ipse narrat *B. Civ.* I. 34. s. Cf. Dio XLI. 19. Propterea ab ipso obsessa et post ipsius reditum ad deditionem coacta (Caes. l. II. c. 22. Dio c. 25. Lucan. III. a vs. 301. Flor. IV. 2. Liv. CX. Oros. VI. 15.) portata in triumpho Gallico est a. V. 707. (non, ut Degen scribit, 702.), i. e. imago eius ex citro inter pompae fercula translata est: ut colligit F. Heus. e Vellei. II. 56, 2. Nimirum ante triumphantis currum post senatum et tibicines praecedebant currus, quibus inter alia spolia captarum urbium, castellorum, montium, fluviorum, paludum, marium et omnium denique, quae capta erant, simulacra vehebantur (v. Quinctil. *Inst.* VI. 3, 61. p. 382. ed. Capperonner. Dio XLIV. p. 235. Ioseph. lib. VII. p. 978.) scripturis imaginibusque adiectis, gestorum seriem explicantibus: ut ex Appiano *de bello Mithrid.* p. 340. ad Panvinii *de Triumpho comment.* p. 9. ex. docuit Maderus p. 52. s. ed. Helmstad. (in Graev. *Thesaur.* T. IX.)

ex Transalpinis b e l l i s *tr.*] Volgata haec lectio potest illa quidem defendi ex analogia, qua dicitur *belli victor* ap. Liv. XLV. 36. et *de accessione potius belli, quam de bello, triumphari* ib. 39. pr. Sed cum in Goth. ante v. *bellis* inculcetur etiam *terris* (ex qua lectione Degen illam opinatur natam), in Gu. 1. *Alpibus:* non dubitavi incertam glossam proscribere, auctore Heus., qui comparat *Phil.* VIII. 6, 18. Masculino genere dicitur *ex Transalpinis*, ut *Epist.* XI. 4, 2. pr. *ad Inalpinos.* Deinde e volgato vv. ordine, quem reduxit Schütz, *si hoc uno sol quidquam*, exsistit oppositionis ambiguitas quaedam. Recte cum Balduino Heus. transposuit e Gu. 2. 3. 4. (1. *quidquid sol*) et Gryph. Adhibetur *quidquam*, quippe in negationis formula, ut *Acad.* II. c. 8. pr. §. 7. Sic infra 10, 35. *quasi quisquam possit.* V. ad I. 110. ex. *Solis* autem ap. Homerum (e. c. *Il.* Γ. 277.) perpetuum epitheton est, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει. In Orphico *hymno* VIII. (al. VII.) 1. invocatur, παμφαὲς ἔχων αἰθέριον ὄμμα. M. Heus. laudat Theognid. 168. 616. 848. et Solonis sententiam: οὐδὲ μάκαρ οὐδεὶς πέλεται βροτὸς, ἀλλὰ πονηροὶ πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ. Cf. Erasmi *Adag.* 4015. p. 1047. ed. Froben. — Proxima verte: *Darum geschieht uns schon recht.* V. Burmann. ad Phaedr. *fab.* I. l. 31, 15. Recte observat Degen, ab Hesychio πλάζεται explicari περιγίνεται, cl. Scheidio ad Lennepii *Etymol.* p. 787.

rum impunitates scelerum tulissemus: nunquam ad
unum tanta pervenisset licentia, a quo quidem rei
familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos impro-
29 bos venit hereditas. Nec vero unquam bellorum ci-
vilium semen et causa deerit, dum homines perditi

---

impunitates scelerum] Hanc Fabritio probatam lectionem, quam quidam in vett. libris inveniri testantur, pro volgata, *impunita scelera*, ex uno cod. et Nonio s. v. *Tollere* restitui iussit Görenz ad V. *Fin.* 16, 44. p. 588. s., ut regens casus rectis includeretur, sicut 7, 25. ex. Graevio quidem et Mich. Heusingero haec lectio parum ad Ciceronis mentem accomodata videtur, qui patientiam Romanorum reprehendat, Sullae, Clodii, Pisonis, Gabinii, multorum aliorum scelera inulta relinquentium: quae, non vindicata, novas res molientium audaciam incendebant, spe eiusdem impunitatis facta. De hac impunitate toties queritur Cicero in *Epp. ad Att.*, maxime in lib. II. et III. Sed minime huic lectioni officit oppositio *multorum* et *unius*. Sunt enim Genitivi duplices, ut ad priorem *multorum* intelligatur *hominum*, sicut *Verr.* V. 50, 130. (al. 131.) *multorum naufragia Fortunae.* Cf. ad I. *Off.* §. 43. p. 107. *Phil.* VII. 2. ex. *Huius* (Pansae) *magnitudini animi.* Postponitur etiam Genitivus Subiecti, ut ap. Vellei. P. II. 10, 1. *notae* (olim corruptum erat *notam*) *severitatem censorum.* Vt *Phil.* I. §. 27. *Ep.* X. 2, 2. sic etiam Velleio II. 3, 3. ex. *gladiorum impunitas* dicitur *impunitas gladiorum in caedes civium usus, licentia parricidarum, securorum a poenis*, ut ib. 125, 2. *paene in ultimum gladiorum erupit impunitas*: ubi pessime Krause struit, *impunitas erupit in ultimum gladiorum*, ut sit, *in ultimum, id est caedem.* Eodem modo ib. 22, 2. et Cic. *Epist.* IV. 9, 12. dicitur *gladiorum licentia.* Itaque hic vel ob vim comparationis memorandae erant *multorum impunitates*, quibus respondet *unius licentia* (scelerum). — De Caesaris *heredibus rei familiaris* v. Sueton. c. 83. Plutarch. in *Anton.* c. 16. pr. et in *Brut.* c. 22. pr. Vellei. II. 60. — De *cupiditatum hereditate* disputationem placuit exhibere *Excursu* II.

§. 29. *bellorum civilium semen*] i. e. concitatores. Sic *Catil.* I. 12, 30. ex. *Stirps ac semen malorum omnium.* Liv. III. 19, 5. *semina discordiarum.* Ciceroni *N. D.* III. 26, 66. *versus*, quo pravi dociles mentes corrumpuntur, dicitur *omnium seminator malorum.* — *Causam* autem malim pro *irritamento* accipere, quam cum intt. pro *praetextu.* Sensus est: *rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabunt*, ut loquitur Sallust. *Cat.* c. 16. Görenzio ad *Leg.* II. 21, 52. hic videtur glossa cum glossato iuncta, cum in duobus suis non legatur *et causa*, nec in edd.

hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem sexto tricesimo anno post a sceleratiore

---

Lipss. Verum haec, *s. et c.*, inepta puto, ut servaretur concinnitas: sequitur enim, *et meminerint et sperabunt.* Sic invicem respondent *bellorum civilium*, et *hastam cruentam*, quae cum interpp. intelligi potest sic dicta, quia sub ea vendebantur *bona occisorum*, quibus insidiabantur sectores. Cic. *Catil.* I. 10, 26. Caesar ap. Sallust. *Catil.* 51. de temporibus Sullanis: *uti quisque* (e. c. Chrysogonus Roscii Amerini) *domum aut villam, postremo aut vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. — Neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit.* Sed auctio, qua cuiuspiam bona hastae et voci praeconis subiiciuntur, ipsa *funeri* et bonorum emptores *carnificibus, pereuntis reliquias vitae lacerantibus et distrahentibus*, comparantur *p. Quinct.* c. 15. ex. §. 50. qui locus prae ceteris facit ad stabiliendam opinionem b. Weiskii ad *Catil.* II. 8, 18. legem *XII tab.* de rebus creditis ap. Gell. l. XXI. (imo XX., qui est ultimus liber) c. 1, 49. TERTIIS NVNDINIS PARTIS SECANTO, cum cordatioribus, ut ait, interpretibus iuris, explicantis sic: *nisi creditor solverit, creditores tertiis nundinis bona eius in partes secanto et inter se dividunto:* ut secundum antiquam loquutionem ipse secandus dicatur, cum res eius familiaris dissolvenda intelligatur. Nihilo tamen secius nobis quidem haec interpretationis humanitas posthabenda videtur Sexto Caecilio, apud Gellium prudenter disserenti de saevitia ista poenae, in XII tabulis decoctoribus propositae. Cicero autem *pro Q.* loco a nobis citato rem oratoria amplificatione exaggerasse censendus est. Neque enim legum est, tropica atque impropria oratione uti. Neque sic est dispicere, quid sibi velint verba legis adiecta: SI PLVS MINVSVE SECVERINT, SE (i. e. procul) FRAVDE ESTO. — Quae hic praecedunt, corrupta sunt ap. Nonium *de numer. et casib.* p. 499. *dum homines cruenti.* Nam *homines perditi*, interprete ipso Tullio *Catil.* I. 10, 25. sunt *ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelicti* et II. 4, 8. *oppressi aere alieno, ut, si salvi esse vellent, Sulla esset iis ab inferis excitandus* (ib. 9, 20.): cuius in sepulcro hoc epitaphium inscriptum fuit: *οὔτε τῶν φίλων τις αὐτὸν εὖ ποιῶν οὔτε τῶν ἐχθρῶν κακῶς ὑπερεβάλετο*, ut Plutarch. memorat in hui. vita extr. Cf. Sallust. *Cat.* c. 37. A Cornelio Nep. XXV. 6, 3. laudatur *Atticus*, quod *ad hastam publicam nunquam accessit.*

P. Sulla] Servii F., dictatore patruo suo L. Cornelio Sulla Felice, in vendendis civium proscriptorum bonis hastae praefuit a. V. 672. quae res tam fuit quaestuosa, ut Caesarianae quoque hastae praeesse curarit a. V. 708. (errat

hasta non recessit; alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus praemiis propositis, nunquam defutura bella civilia. Itaque parietes modo urbis stant et manent, iique ipsi iam extrema scelera metuentes; rem vero publicam penitus amisimus. Atque in has cladis incidimus (redeundum est enim ad propositum), dum metui, quam cari esse et diligi, maluimus. Quae si populo Romano, iniuste imperanti, accidere potuerunt: quid debent putare singuli? Quod cum perspicuum sit, benevolentiae vim

---

enim Manutius in indice annorum 684. et 709.) V. Cic. *Fam.* IX. *Ep.* 10. ex. XV. (non, ut in Schützii *ind. histor.* p. 580. citatur, XI.) 17, 4. ss. *Ep.* 19, 7. *Alter, qui in Sullana dictatura scriba fuerat,* is *Cornelius* dicebatur: de quo meminit Lepidus in oratione ad populum, quae adhuc ap. Sallustium legitur (l. I. *histor.* d. 941.); ut notatur in Corradi *Quaestura* ed. Lips. p. 369. Mich. Heusingero falli non videntur, qui P. Sullae, quem paullo ante nominavit, fratrem *Servium* intelligunt, qui e coniuratione Catilinaria evasisse dicitur, nescio, an contra auctoritatem Ciceronis *pro Sulla* c. 2. med. In partes vocatur Corte ad Sallust. *Catil.* c. 17. 3. p. 111. et ad c. 47. p. 275. Nolim hoc pro certo affirmare cum Degenio, qui nobis etiam narrat, illum P. Sullam non modo multorum a Sulla proscriptorum, sed postea etiam ipsius Pompeii bona emisse. Nescit igitur V. D., haec ab Antonio empta? De *Caesaris hasta* v. *Phil.* II. c. 26. VIII. 3, 9. ex.

parietes modo urbis] Hunc vv. ordinem recte adscivit Heus. e Gu. 1. 2. 3. Cum rell. libris Schütz, *p. urbis modo*. Sed Genitivo praeposito, vv. non poterant non sic collocari: *urbis modo parietes.* Verbis *rem p. penitus amisimus* adhibe ea, quae diximus ad I. §. 35. p. 83. In seqq. *putare* fere i. valet, q. *exspectare*, sicut I. 81. pr. ita tamen, ut ad interrogativum *quid* subaudiatur *sibi accidere posse.*

Quod cum] Waardenburg in *Opusc.* (Harlemi 1812. editis) p. 166. observat, ab initio periodi *Quod* ante *cum* positum pro *Quare*, ut *Fin.* III. 2, 8. pr. quem tamen l. ab hac ratione segregat Görenz; aliter autem ad IV. 8, 19. p. 445. b. indicare videtur de consimili l. III. *Off.* 112. Caesar B. *Civ.* III. 68: *Quod cum esset animadversum,* seq. Accus. c. Inf. Nexus causa hoc fit, ut praemittatur pronomen relativum, veluti ante *quia* I. *Fin.* 20, 67., ubi

esse magnam, metus imbecillam: sequitur, ut disseramus, quibus rebus possimus facillime eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide caritatem. Sed 30 ea non pariter omnes egemus. Nam ad cuiusque vitam institutam accommodandum est, a multisne opus sit, an satis sit, a paucis diligi. Certum igitur hoc sit, idque et primum et maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum et nostra mi-

---

Görenz p. 96. a. male comparat I. *N. D.* 20, 53. *Quod, quia, quem ad modum*, verba scilicet, non sensum, secutus. Ibi enim Accus. *Quod* pendet a seq. verbo *efficere*. Sed cf. idem ad III. 18, 59. ubi est *Quod quoniam*. Similiter *Quod etsi* Flor. IV. 2, 81. ex. *Quod ni* III. Off. 108. ex. *Quod nisi* II. *Or.* 55, 224. *Quod si* I. *Off.* 153. ubi cf. n. p. 301. cll. Cortio et Bengelio ad *Epist.* XIII. 40, 3. II. *Acad.* 8, 25. ex. Sed ib. §. 26. pr. infelicissime hunc quasi pleonasmum Ciceroni obtrusit Görenz, quem, a Gernhardo in *Ienaër Allg. Literatur-Zeitung* a. 1811. n. 195. v. 196. iure meritoque castigatum, nihilo minus secutus est Schütz, rescribere ausus: *Quid? quodsi, ista si vera sunt, ratio omnis tollitur — : tamenne —?* Ceterum etiam ante *utinam*, *ubi* et alia relativa (ut I. §. 44. pr.) ad praecedentia spectat *Quod*: in quo voc. cf. Ernesti *Clavis*. — Deinde in edd. vett. est *imbecillem*. Eodem modo fluctuat lectio *Fam.* IX. 16, 15. Sed cf. *Hortens.* citat. supra ad §. 23. extr. et *Phil.* I. 14, 33. ex. In *Laelio* autem, ubi §. 7. *ignaviae fortitudo* et §. 8. *imbecillibus* opponuntur *fortes*, corrigendum videtur *imbellibus*. Firmat ille locus coniecturam nostram T. I. p. 835. pr. propositam. Cf. I. 85. pr. *imbelles timidique*.

§. 30. *ad — vitam institutam*] i. e. q. *ad vitae institutum*. Post vv. *an satis* Schütz omisit v. *sit*, servatum in Gu. omnibus et edd.* vett. itemque a Gryph. Ascens. et Balduin. Solet in tali oppositorum comparatione iterari verbum substantivum. *Tusc.* V, 1, 2. *sin autem virtus — famula Fortunae est nec tantarum virium est, ut* etc. 7, 18. pr. — Ad proxx. vv. *certum — sit* cf. n. ad I. §. 38. vs. 7. Tum *amicitiae* declarantur periphrasi, *familiaritates fidae amantium nos* (ardore quodam benevolentiae nobis faventium) *amicorum et nostra mirantium*, i. e. nos nostrasque sive ingenii sive Fortunae dotes aestumantium et magni facientium. *Miramur* enim eos, in quibus virtutes quasdam esse agnoscimus; quibus aliquam praerogativam tribuimus. Saepius vero quaerunt homines aliorum attentionem, quacumque demum ratione allicere ob eamque rem ab iis observari et coli, varius

rantium. Haec est enim una res prorsus, ut non multum differat inter summos et mediocris viros, eaque utrisque aeque propemodum comparanda.
31 Honore et gloria et benevolentia civium fortasse non aeque omnes egent; sed tamen, si cui haec suppetunt, adiuvant aliquantum tum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.

---

diligi atque amari, disputat Garve ad h. l. p. 109. ss. ed. II. — Statim post volgatum vv. ordinem *Haec enim est* Schütz transposuit cum ed. Lugd. 527. *Haec est enim* (i. e. reperiri potest) *una res prorsus*, *ut non multum differat*, i. e. *in qua non multum differt*. Sic etiam *Caecin.* c. 26. pr. *Quod enim est ius civile* propter sensum transponendum, *Quod est enim* — ? *Denn wo giebt es ein bürgerliches Recht?* *Planc.* c. 33. ante med. *Haec est enim una virtus non solum maxima* etc. *Tusc.* I. 4, 8. *Fin.* III. 10, 34. ex. *Alia est igitur propria existimatio virtutis.* V. ad I. 3, 9. pr. Aliter autem transp. in l. ibi cit. I. *or.* 43. *Eadem enim elata sunt primum a* etc. Perincommode comparatur l. II. *Legg.* 19, 47. quo in loco, distinctione corrupto, interrogationis signum promoveri debet in paragraphi clausulam. Nam vv. *haec sit una sententia* pendent a praecedenti coniunctionis particula *cum.*

utrisque aeque pr.] Legebatur *u. est propemodum*, quod Pearce accipiebat pro *prope ad eundem modum*, Mich. (non, quem Schütz nominat, I. F.) Heus. pro *certo quodam modo*. Ipse Schütz in *Lex. Cic.* III, II. p. 366. interpretatur *prope omnibus utriusque generis*. Gernh. (nescio, quibus fidiculis) hunc, qui postulatur sane, extorsit sensum: *eaque aeque utrisque necessaria est*. Facciol. recepit I. Gronovii coniecturam, *pari modo*. Facilius rescribatur *pari prope modo*. Sed Ven. 1498. excludit v. *est*, reprobatum etiam Gernhardo, praesertim, cum Gu. 5. Goth. reliquae edd. vett. et Facciol. habeant transpositum *est utrisque*. Ex quo intelligitur, qui potuerit a praecedenti Dativo absorberi *aeque*, idque eo facilius, cum *ae* et *est* eodem compendio scriberetur. Ab initio h. §. praecesserat *pariter*, cui respondet *aeque*, quod iteratur statim §. 31. pr. Cf. Horat. *Epist.* I. 2, 25. s. *Propemodum* autem sic postponitur *Divin.* II. 41, 85. pr.

§. 31. *Honore*] Iunge cum seq. Gen. *civium*. Degeneri interpretatio, ut sit *magistratus dignitas ex munere publico*, [illegible] videtur [illegible] synonymis. [illegible]

IX. Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur *Laelius*. Nunc dicamus de gloria. Quamquam ea quoque de re duo sunt nostri

---

C. IX. *qui inscribitur Laelius*] Haec si sana sunt, existimandum, scriptorem, cum negligentius primo posuisset *Sed de amicitia alio libro dictum est*, ut 2, 6., deinde, hunc librum propius definientem atque illud *alio* quasi explicantem, addidisse rell. Sic certe Cel. Bremi in *l. de fato* c. 1. p. 5. s. defendit ibi volgatum: *Quod autem in aliis libris feci, qui sunt de natura deorum.* Sed ibi veram indicamus Ernesti coniecturam *illis*, probatam etiam Görenzio ad III. *Leg.* 14, 32. ex. ubi item haec vocabula confunduntur, ut *Tusc.* III. 29, 71. ex. ubi Summi Wolfii recte facto iam editur *ab illis* pro volg. *ab aliis.* Cf. Drakenborch. ad Liv. XXIII. 7. Burmann. ad Sueton. *Galb.* 1. Ruhnken, ad Vellei. P. I. 4. cuius tamen ibi coniecturam recte reiecit Ch. D. Iani. Sed prope ad illam Ernesti coniecturam accedit cod. Gud. 2. exhibens *in alis libris*, ex quo eodem etiam seqq. corrigimus: *itemque in his* (pro *iis*). *quos* (scil. proxime) *de divinatione edidi.* Sic h. etiam l. praestaret rescribere *in illo*, ut *Or.* II. c. 38. post med., quam cum H. Wolfio *in eo*, ut c. 27. ex. *Fin.* I. 1, 1. Videtur tamen Viris DD. nostra l. abundare interpretamento, quo opus non erat, cum auctor scripsisset: *Sed de amicitia.* Tum, si recte monuit Gernh., Cicero dedisset, *qui inscriptus est*, ut *Divin.* II. 1, 1. Alienum librum solet citare sic, *qui inscribitur*, ut 87. ex. *Tusc.* I. 24, 57. *Cat. Mai.* c. 17. pr. ubi Gernh. item ut glossema inclusit vv. *qui Oeconomicus inscribitur.* — Ceterum *de amicitia* nuper Annaei Senecae fragmentum, repertum in cod. rescripto, edidit Niebuhr, V. Perill., cum Ciceronis orr. *p. Fonteio* et *p. C. Rabir.* fragmm. Romae 1820. p. 99. ss.

de gloria — duo — libri] Hos Cicero a. d. V. Non. Quinctil. a. V. 709. *ad Att.* XV. 27. celeriter se missurum, et proximo iam die post, nempe a. d. IV. Quinctil. (XVI. ep. 2.) se, scribit, misisse. Cf. ib. *ep.* 6. ex. Errat vehementer in dierum calculo Corradus in *Quaestura* p. 268. s. quem errabundum ducem secutus Binkes in *Analysi* p. 9. opus hoc *de officiis* ante *libros de gloria* inchoatum, sed tardius absolutum opinatur. In *Ciceronis historia a Fr. Fabricio* collecta ad annum Cic. LXIII. n. 71. refertur, quod scribit in epistolis Franciscus Petrarcha, *se hos libros habuisse.* Pauca collecta fragmenta v. in ed. Ernest. p. 1185. et in Schütz. ed. XVI, II. p. 112. Fortasse Cicero illis libris, quibus totum illud de gloria caput pertractarat, partibus disputabat *de contemnenda gloria.* Vid. *Tusc.* I. 15, 34. ex. cl. *p. Arch.* 11, 26. ex. Hic autem rem tangit, quatenus ea in rebus [illegible]

libri, sed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus administrandis adiuvat plurimum.

Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo; si fidem habet; si cum admiratione quadam honore dignos putat. Haec autem (si est simpliciter breviterque dicendum) quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus.

32 Ac primum de illis tribus, quae ante dixi, benevolentiae praecepta videamus. Quae quidem bene-

---

plurimum. Theophrasti etiam περὶ ἐπαίνου ά memoratur Diogeni Laertio V. 46. ex. Eadem, quae Cicero (cuius cf. *Invent.* II. 55, 166. et *Tusc.* III. 2, 3. ex.), gloriae elementa facit Ambros. II. 8. Ceterum notanda responsio partt. *Quamquam* — ; *sed.* Cf. III. 121. pr.

simpliciter] Degen cum M. Heus. interpretatur: *aperte, sine dissimulatione.* Imo *sine ambage.* Sic *p. Arch.* in ex extr. iungitur *breviter simpliciterque.* Adhibuimus autem parentheseos signa. — Tum *pariuntur* i. e. q. *conciliantur, imputrantur, nos ea consequimur, adipiscimur a* (παρὰ v. G.) *singulis.* Gernh. comparat 47. *sibi ipse peperit maximam laudem.* Sententia ipsa debetur Xenophonti in *Cyrop.* I. 6, 21. pr. ed. Wels. Deinde dicitur *alius quoque quidam modus,* ut *Lael.* 2, 6. (al. 2. et 4.) Designatur autem *commendatio ad gloriam ex bellicis rebus* (45. s.), *ex familiaritatibus cum claris et sapientibus viris* (46. s.), *ex largitione et magnificentia* (52. ss.), *ex iuris scientia* (65.), in primis vero *ex eloquentia* (66. s. cl. 48. ex.), cuius prae ceteris est, *in universorum animos tamquam influere,* i. e. blanditiis se insinuare. V. Schützii *Lex. Cic.* s. v. *inf.* n. 5. *Tamquam* mitigat audaciorem metaphoram, ut *quasi* 32. ex. 63. ex.

§. 32. *Ac primum de illis tribus, quae ante dixi benevolentiae praecepta, videamus*]. Sic perperam distinguitur a Gernh. et Schützio. Degen recte ille quidem distinguit, sed absurde interpretatur: *de tribus praeceptis, quibus multitudinis benevolentiam consequimur, dicamus.* Recte docuit Gernh., *de* poni pro *ex*, ut §. 26. p. 61. III. c. 7. ex. et Cel. Bremi ad Sueton. *Octav.* c. 27. ad fin. *Benevolentiae* (ad quam Goth. Gernh. supplet comparandae) *praecepta* dicuntur pro

pr.

beneficiis capitur maxime. Secundo autem loco voluntate benefica benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei, omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet animosque omnium natura et specie sua commovet

---

pr. de benevolentia, ut I. 2, 5. *officii praeceptis*. Sic cum Genitivo struitur *opinio* I. 133. ex. *N. D.* I. 12, 29. pr. *Tusc.* I. 13, 30. *oratio* III. *Verr.* 44, 106. *quaestio* I. *Tusc.* 11, 23. quae attulit Matthiae ad *Catil.* III. 6, 14. ubi legendum *a suis et a rei publicae consiliis*, repetita praepositione: de quo usu v. not. ad I. c. 14. pr. Intelligitur autem *benevolentia popularis* aut in seqq. cogitandum, *quae quidem* (et a singulis et a multitudine) *beneficiis capitur maxime.* Sic non est, ut cum Bremio in nota, subiecta Hottingeri versioni in ed. altera, offendaris eo, quod haec ad omnem benevolentiam, latius illam patentem, respiciunt, cum tamen ex hac ratione intelligatur non nisi multitudinis amor (*si diligit multitudo*). Cicero enim, enumeratis gloriae partibus, easdem discernit, rationem ducens eorum, apud quos gloria quaeritur; tum docet, quibus rationibus tria illa possint confici (cf. §. 38. ex.); et primum quidem *benevolentiam beneficentia, benefica voluntate* et huius ceterarumque *virtutum* (*leniorum*, cf. I. §. 46. ex.) *ipsa* (i. e. sola) *opinione* (passive, ut §. 39.). Atque haec tertia benevolentiae capiendae ratio, ut ad opinionem multitudinis maxime pertineat, non tamen idcirco a duabus prioribus debet seiungi, ut acute animadversum erat a Gernh. Idem comparat *Lael.* 7. ex. *qui — maximam gloriam ceperit*, aptius, quam *Tusc.* IV. 31, 66. De re cf. Xenophon l. c. τὸ γὰρ, οἶμαι, δεῖν ποιοῦντα φανερὸν εἶναι. ἀλλὰ τοῦτο μὲν — χαλεπὸν, τὸ δὲ δύνασθαι εὖ ποιεῖν, οὓς ἄν τις ἐθέλῃ· τὸ δὲ συνηδόμενόν τε φαίνεσθαι, ἤν τι ἀγαθὸν αὐτοῖς συμβαίνῃ, καὶ συναχθόμενον, ἤν τι κακὸν, καὶ συνεπικουρεῖν προθυμούμενον ταῖς ἀπορίαις αὐτῶν, καὶ προφοβούμενον, μή τι σφαλῶσι, καὶ προνοεῖν πειρώμενον, ὡς μὴ σφάλλωνται, ταῦτά πως δεῖ μᾶλλον συμπαρομαρτεῖν.

voluntate b. movetur] i. e. *excitatur*. Cf. ad I. 98. ex. Opponitur *beneficiis*. Male Schütz retinuit volgatum *benefica voluntate*. Recte transposuerat Gernh. auctoritate octo librorum Aldi et alius Tertii, Gu. 2. 3. quibuscum conspirat 1., in quo est *voluntate beneficientiae*.

maximeque quasi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a Natura ipsa diligere cogimur. Atque hae quidem causae diligendi gravissimae: possunt enim praeterea non nullae esse leviores.

33 Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. Nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur quosque et futura prospicere credimus et, cum res agatur in discrimenque ventum sit, expedire rem et consilium ex tempore capere posse (hanc enim utilem homines existimant veramque prudentiam); iustis autem et fidis hominibus, id est viris bonis,

---

§. 33. *plus intelligere, quam n.*] Xenoph. *Cyrop.* I. 6, 18. ὃν γὰρ ἂν ἡγήσωνται, περὶ τοῦ συμφέροντος ἑαυτοῖς φρονιμώτερον ἑαυτῶν εἶναι, τούτῳ οἱ ἄνθρωποι ὑπερηδέως πείθονται. — *expedire rem* i. e. q. ad exitum perducere exoptatum; superatis difficultatibus, perficere id, quod velis. Sic I. 83. p. 190. *re explicata.* — *Ex tempore*, i. e. tempori convenienter; sic, ut tempus necessitasque postulat, κατὰ περίστασιν. V. I. 81. p. 123. Ad parenthesin cf. *Tusc.* I. 4, 7. *hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi.* Deinde Schütz cum Facciol. ed. *Iustis autem hominibus, id est, bonis*, exclusis vv. *et fidis*, ad vitandam battologiam, itemque v. *viris*, quam, a Graevio et Ernesto omissam, Heus. restituit e Gu. omnibus, octo Aldi, uno Tertii, plerisque Cockmanni, itemque Gernh. e *a*, Duisb. et Huydekoop. cum Wyttenbachio *Bibl. crit.* II. 8. p. 79. Cf. ib. III. part. ult. p. 6. Vocabula *viri* et *hominis* iungi, notatur e I. c. 10. pr. Fin. II. 35, 119. *in Caecil.* c. 7. ex. *Verr.* I. I. 26, 67. Phil. XIV. c. 3. ex. *Fam.* II. 14. pr. Vidit praeterea Gernhardi acumen, quamquam ex una *iustitia viri boni* appelletur (I. 7, 20. p. 46. ubi cf. nota) solaque quaeratur in hac habenda vis iustitiae: tamen, quod ea fides, quae praestatur, fundamentum est iustitiae (I. §. 23. pr.), iungi *iustis et fidis*, ut statim post *fraudis iniuriaeque* et III. 21. dicitur *boni viri nomen eripi, fide iustitiaque detrahi.* Nec Gottlebero videtur βαττολογεῖν, qui dicat, *fido homini esse fidem habendam* s. res omnes committi posse. De dictione cf. Liv. XXIV. 45. *se tamen non eum esse*, qui

ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis iniuriaeque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam 34
iustitia plus pollet; quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine iustitia nihil 35
valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis versutior

Altinio fidei quidquam censent habendum. XLV. 27. *famae — fidem non habentes,* in A. Guil. Ernesti *Specim. Lexici Liviani.* Ceterum respondent haec superioribus *Nam et iis fidem habemus,* ita tamen, ut leve anacoluthon fiat in attexenda oratione propter intertexta, quae in parenthesi posuimus. V. Görenz ad IV. *Fin.* 28, 77. p. 517. b. Verum *autem* hic simul adiuvat gradationem, cui inserviunt etiam partt. *ita* (i. e. tantopere, tam singulariter), ut, quam harum partt. vim non agnovit neque Garve neque Hottinger. *Autem*, de qua v. Görenz ad I. *Leg.* 17, 47. p. 75. non eandem habet vim *Tusc.* I. 3, 5. *Africanum, Laelium, doctos fuisse traditum est; studiosum autem eum, qui his aetate anteibat, Catonem,* ut voluit Becher in prolus. supra l. p. 27. cum tamen p. 24. ss. potius degradationem agnoscere videatur. Nam *doctus* i. e. q. *eruditus.* Minus est *studiosus.* Nec recte ἀνακολουθίαν illo in l. statuit Vir clar. Etenim seqq. pendent non a superiori v. *complexi sumus,* quo referre placuit, sed a proximo *fuisse traditum est.* Aliam parenthesin statuere debebat. Sed haec obiter.— In seqq. Degen hunc gradationis ordinem requirit: *fortunas, liberos, salutem.* Sed cf. *Catil.* III. pr. et IV. extr. Est, cur *fortunae* ultimo loco ponantur in degradatione ib. 9, 18. ex.

§. 34.] Cum toto hoc loco paene verbo tenus convenit Plutarch. *in Caton. Min.* c. 44. ex. Huc etiam pertinent ea, quae de virtutum principatu, prouti quaeque societati generis humani utilior aut prae ceteris necessaria est aut natura sua cum pluribus honestatis studiis, quae vel in sese contineat vel excitet, connexa esse solet, ex volgari multitudinis regula aestumandi disputantur a Garvio ad l. l. p. 293. ss. itemque de virtutis indole vel ingenerata vel voluntaria ibid. inde a p. 303. *Prudentia* quae dicitur, saepe nihil nisi naturae quaedam solertia atque agilis dexteritas est. *Iustitia* autem animi affectio est, corroborata voluntatis veri rectique tenacis constantiâ. Ambros. II. c. 9. p. 156. *Facit enim iustitia, ut nullus fraudis sit metus; facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspicio. Promptius tamen nos iusto viro, quam prudenti, committimus.*

et callidior, hoc invisior et suspectior, detracta opinione probitatis. Quam ob rem intelligentiae iustitia coniuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium;
34 iustitia sine prudentia multum poterit, sine iustitia nihil valebit prudentia.

35 X. Sed ne quis sit admiratus, cur, cum inter omnis philosophos constet a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnis habere virtutes,

---

Quo — callidior] Schütz et Degen cum vulgg. addunt *est*, quod Gu. 2. a correctore habet, recte autem eum 1. 3. 5. pr., Beda atque Eybo, edd. Magont., Rom., alia s. l. et a., Lips. 507. et 513. et Ascensio omisit Gernh., cl. I. 64. ubi item, invectis glossis, Gryph. *Sed quo id est difficilius, hoc est praeclarius.* — Dicitur h. l. *opinio detrahi*, quasi persona. Cf. III. 82. In seqq. Genitivus *virium* pendet ab adiectivo quantitatis *tantum*, id, quod post *quantum* subauditur.) Sic saepe, a casu suo regente longius disiunctus, Gen. reiicitur in clausulam I. §. 19. *quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponitur.* Catil. IV. 8, 16. ex. ubi A. Matthiae adduxit *Or.* I. 1, 3. ex. c. 47. ex. III. c. 22. ex. 25. pr. p. *Arch.* 6, 13. pr. Add. *Or.* c. 27. *plurimum est in hac orationis forma suavitatis.* *Mur.* 7, 16. *nec mihi unquam minus in Q. Pompeio, novo homine et fortissimo viro, virtutis esse visum est.* 41, 90. ex. *Fin.* I. 18, 59. *moerores, qui animos exedunt conficiuntque curis hominum, non intelligentium etc.* *Leg.* II. 27, 68. *Habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi viri.* Vellei. P. II. 14, 3. pr. Liv. alicubi: *Tantum desperatio ultima temeritatis facit.* Praeponitur etiam Genitivus. *Tusc.* V. 2, 5. *O vitae philosophia dux!* Cf. ad I. c. 15. p. 113. — In extr. enunciatione animadverte ad inversionem membrorum, qualem v. I. 68. p. 158. s. Colligit autem hic auctor repetitione quadam summam eorum, quae de fidei causis disseruit: de quo usu cf. ad §. 14. p. 31.

C. X. §. 35. *ne quis sit admiratus*] i. e. *si qui admiratus fuerit, is ut desinat admirari.* Differt igitur a Praecepto *Ne quis admiretur.* — De confusione virtutum *inter omnis philosophos constare*, liberalius, quia hoc Stoicorum decretum ab ipso Cicerone fuerat adoptatum, quam verius, dictum excidisse putat Van Lynden in *disp. de Panaetio* p. 107. praeter quem et Garvium ad h. l. p. 116. ss. ([illegible] ss. ed. sec.) Binkes in *Analysi* p. 38. n. 17. laudat h. Reinhardi *Moral* T. II. p. 89. et citatos ibi auctores. Vide ipsum Cic. *Acad.* I. 10, 38. pr. cll. notis ad I. *Off.* 5, 15. pr. ib. ad §. 14. p. 36. ad c. 7. pr. *Excurs.* IX. extr.

nunc ita seiungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse: alia est illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quam ob rem, ut volgus, ita nos hoc loco

---

X. pr. et p. 551–552. s. Ambros. II. c. 8. et 9. p. 156. Lipsii *Manuduct.* III. *diss.* 4. in *Opp.* T. IV. p. 495. s. Tennemanni *Geschichte d. Philos.* T. IV. p. 97. s. ibique Plutarch. *de virt. mor.* c. 2. *de Stoicorum repugnant.* p. 1034. Diog. Laërt. VII. 125. τὰς ἀρετάς, λέγουσιν οἱ Στωικοί, ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. Stob. *Eclog. Eth.* P. II. p. 110. πάσας δὲ τὰς ἀρετάς, ὅσαι ἐπιστῆμαί εἰσι καὶ τέχναι (i. e. *rectae rationis iudicio susceptae*), κοινά τε θεωρήματα ἔχειν καὶ τέλος — τὸ αὐτό· διὸ καὶ ἀχωρίστους εἶναι· τὸν γὰρ μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν καὶ τὸν κατὰ μίαν πράττοντα κατὰ πάσας πράττειν quae sunt e Chrysippi libro quodam περὶ ἀρετῆς, quem eundem etiam περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀρετῶν scripsisse, memorat Diog. Laërt. VII. extr. Sic Plato in *Lach.* p. 199. E. in ἀφροσύνῃ, statuit, esse συμπᾶσαν ἀρετήν. Aristot. *Eth. Nic.* VI. 13. sect. 12. s. disputat, virtutes, natura perfectas, seiungi posse; non item virtutes, more perfectas. Cicero quidem hic agit de similitudinibus honesti, quasi inchoatis quibusdam virtutibus, *quas et ingeni bonitate multi assequuntur et progressione discendi* (III. 5, 4. 4. 16.). Hae quidem seiungi possunt. Easdem Plotinus homini civili tribuit et *politicas* vocat. Sed non possunt seiungi nisi cogitatione virtutes illae, quarum hae πρόδρομοι sunt, ut I. p. 533. memoravimus.

limatur in disputatione] i. e. *ad vivum resecatur ab illis, qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum*, ut loquitur *Lael.* 5, 5. Cf. *Fin.* V. 5, 12. ibique Görenz. Etiam Ambrosius II. c. 9. hanc divisionem virtutum segregat *ab illa subtili disputatione sapientiae, quae, elimandae veritatis causa, quasi ex adyto quodam eruitur.* Similiter Quinctilian. *Instt.* XII. 1. p. 673. ed. Capperonner. *Et nos secundum communem potius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam, divisione hac utimur.* Itaque populariter, quam limatius, i. e. non satis subtiliter nec ad ipsam veritatis regulam, videntur Garve et Dogen h. l. vv. *de opinione populari* interpretati hoc modo *de gloria, utpote opinione, qua qui florent, praestantes viri plerumque ore solent celebrari; de iudicio aliquo, quod multitudo de hominum quorundam virtute ferre solet: multitudinis sunt enim de gloria suffragia.* At vero agitur hic de docendi ratione ad populi captum accommodanda. M. Bardili in Henkii *Philologie* II. p. 6. ss. Deinde volgatam ordis

loquimur, ut alios fortis, alios viros bonos, alios prudentes dicamus. Popularibus enim verbis est agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panaetius. Sed ad propositum revertamur.

36 Erat igitur ex tribus, quae ad gloriam pertinerent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab iis digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animadverterunt; separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quaedam bona. Itaque eos viros suspiciunt maximisque efferunt laudibus, in quibus, existimant, se excellentis quasdam et singularis per-

---

nem *bonos viros* mutavimus cum Gernh. auctoritate omnium MSS. Gu. Goth. itemque edd. Magont. Rom. Gryph. Ascens. et Bulduin. Nam et *fortes* et *prudentes* dicuntur absolute; solenniter autem *viri boni*. V. ad Pis c. 7. p. 46. Vv. *alios fortis*, a Gu. 4. in secundum locum remota, e margine irrepsisse, suspicionem movet Gernhard, animadvertens, distingui *hoc loco* non nisi *iustitiam* a *prudentia* neque fuisse, cur scriptor *fortitudinem modestiamque* a reliquis virtutibus separatas excusaret: nisi omnem hanc litem dirimere voluerit, ut vv. *hoc loco* latius paterent. Nobis quoque *fortes* hic non suo loco commemorari videntur. — Alia ratio est e. at. pr. Heusingero e Gu. 1. 2. 3. 4. ed. Aenemoec. et Gryph. inserenti *esse* ante *dicamus*, assentitur Gernh. cum n. Ascens. et Bald. Idem e cod. Gu. recepit Degen. Sed v. 31. *dignos putant*. 33. *milem existimant*. 36. *fraudulentos putant*. 38. *hunc igni spectatum arbitrantur*. I. 124. ex. III. 4. 16. Plin. *Epist.* VIII. 18. *alii fictum, ingratum, immemorem* (eum) *loquuntur*.

§. 36. *praeter opinionem*], et mox *nec opinata* sunt ea, quae opinionem superant. V. ad §. 26. pr. 37. p. 74. *Pis.* 20. 46. *Illud etiam accidit praeter optatum meum*: ubi praecedit, *plura etiam acciderunt, quam vellem*. Terent. *Heaut.* I. 1. 29. Hec. III. 3. 29. Opponuntur autem advv. *communiter* et *separatim*, i. e. ut schola loquitur, *generaliter* et *specialiter*. — Paullo post Schütz reduxit columbem numerale *hominum perspicerunt*, pro quo recte Heus. et Gernh. cum Gu. 1. 2. 3. 4. et edd. Gryph. et Bald. scrip. virtutes. Sic interpretatur verbum. §. 44. *familiarem conferre sermonem*. I. 61. nihil

spicere virtutis; despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnis eos contemnunt, de quibus male existimant. Nam, quos improbos, maleficos, fraudulentos putant et ad faciendam iniuriam instructos, eos haud contemnunt quidem: neutiquam; sed de his male existimant. Quam ob rem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui *nec sibi nec alteri* —, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. Admiratione quadam af- 37
ficiuntur ii, qui anteire ceteris virtute putantur et

N. D. I. 6, 12. *visum habent quendam insignem et illustrem.* — Post prox. *despiciunt* particula *autem* agnoscitur etiam a Nonio s. v. *Despicere;* sed a Gu. 4. excluditur, recte in hoc chiasmo, ut c. 9. ex. V. ad I. c. 4. p. 25. §. 68. p. 158. s. Eadem a multis intruditur mox 37. pr. Quamquam facile hic, compendio scripta, a praecedenti syllaba potuit absorberi.

maleficos] Haec Wyttenbachii in *Bibl. crit.* I. 5. p. 24. coniectura, probata Reizio, editionum Lipss. 507. et 513. fide firmatur. Gernh. tuetur volgatam *maledicos.* Sed *malefici* dicuntur, quorum animi, imbuti malis artibus, ad facinora incenduntur. V. *Tusc.* V. 20, 57. Sallust. *Cat.* c. 14. 16. — Tum placuit ad fidem MSS. μ, ψ coniungere duplicem aliorum lectionem, *eos haud contemnunt quidem,* et, *eos contemnunt quidem neutiquam.* Cf. V. *Fin.* 31, 93. *Quis hoc dicit? Stoici scilicet. — Minime; sed illi ipsi.* Sic in affirmatione saepe subiicitur *quippe,* absolute positum. — Statim post Facciol. legit *sed de iis* cum Goth. Vinar. Gu. 3. et edd. vett. In quibusdam est ambigue scriptum *hiis.* Ad seqq. *qui nec sibi, nec alteri* — e III. Off. intell. *prodesse queunt.* In libris olim volgatis addebatur *prosunt,* ut in MS. Cur. post *dicitur.* Sed solent proverbialia, tamquam a primo statim verbo nota, sic inchoata relinqui, ut *Fortuna fortis,* intell. *adiuvat,* III. *Fin.* 4, 16. pr. ubi v. Görenz. Notantur hic, quos *fruges consumere natos* Horatius appellat. Cf. Hesiod. Ἐργ. 293 — 297. et Erasmi *Adag.* 1452. p. 501. s. ed. Froben.

§. 37. *Admiratione quadam afficiuntur*] Sic, non, ut Fr. Heus. refert, *quadam vero,* quod in uno est MS., Aldus edidit cum 4 suis MSS., Goth. Vin. Gu. 4. 5. et edd. vett. Aldi unus cum Eybo *quadam autem,* duo *autem quadam,* Ascens. *vero quadam.* Gernh. et Schütz

cum omni cetero dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. Nam et voluptates, blandissimae dominae, maioris partis animos a vir-

cum Graevii libris et aliis *Admiratione afficiuntur.* Particulam *autem*, cum Gu. 2. 3. sex Aldi. uno Tertii, μ, ψ, Cur., Beda et ed. Ven. 1502. Gryph. Bald. Facciol. Pearcii servant Heus. Degen et Görenz ad III. *Leg.* pr. *quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est*: ubi Görenzii coniecturam memorat Schütz; sed notare neglexit, ab ipso coniectore reiectam esse ad I. *Fin.* 19, 62. pr. Recte adhibetur *quadam.* Nam c. 11. pr. fit gradatio. Sensus est: *Admirationem hominum consequuntur; admirabiles videntur.* Opponitur hoc superiori v. *contemnuntur.* Ergo *admiratio*, in aliorum iudicio posita et in honore, quem multitudo tribuit admirabilitati praestantium virorum, passive usurpatur, ut N. D. II. 48, 124. Sic h. l. §. 59. *opinio.* I. 98. ex. *moderatio.*

maioris partis animos] Recepimus Chapmanni coniecturam, quae non contemnenda videbatur Gernhardo, ambigenti tamen inter suam coniecturam *maiorem partem animorum*, i. e. hominum, cl. c. 14. pr., et Pearcii correctionem, rescribentis *maiorem partem*, omissa v. *animi*, quae, et alibi a correctoribus addita (e. g. I. 69. p. 160.), hic in tribus Reg. Anglic. et Lameth. post *virtute* legitur, a Vin. et edd. vett. mutatur in *animae.* Schützio arbitro, F. Heus. bene tuetur volgatam *maiores partes animi*, intelligens τὸ τε ἐπιθυμητικὸν καὶ τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς μέρος. V. D. in *Biblioth. crit.* I. 3. p. 24. *maiores* mutat in *meliores* et ita admittit interpretationem I. A. Ernesti: *superiores facultates animi*, τὰ κρείττονα, τὰ βελτίονα μέρη τῆς ψυχῆς. Retinet volgatam lectionem Gottleber, cui Cicero respicere videtur ad Platonis disciplinam, qui in *Timaeo* (p. 46. E. 88. B. a Steph.) κινήσεις animi, τοῦ κρείττονος, n. *melioris animi partis*, distinguit a mortali parte. Illam immortalem partem (λόγον) collocat in capite, quod ἀκρόπολις vocatur (p. 70. B.) et ἡ τοῦ θειοτάτου καὶ ἱερωτάτου οἴκησις (p. 45. A.): describit enim (p. 89. E.) animum in tres formas, quarum nobilissimam e coelesti semine ortam credit: de qua cf. *Phaedo* c. 18. 27. *Alcib.* I. p. 225. 26. et II. p. 229. Bas. 2. Appulei. *Daem. Socr.* p. 258. ed. Colu. Videtur igitur Gottlebero Cicero *praestantiores partes animi* distinguere ab *inferioribus* s. *minoribus*, quae secundum eandem Platonis disciplinam (*Tim.* 69. D. s. 70. cf. Cic. *Tusc.* I. 10, 20. et *Div.* I. c. 29.) sunt mortales et ad voluptates et cupiditates referuntur, quarum sedes est in ima corporis parte: ut igitur ignobilior pars animae, genitrix voluptatum et [illegible] cupiditatum, *maiores partes a virtute detorquens* dicatur.

tute detorquent et, dolorum cum admoventur faces;

Hic opponi deinceps, credit Degen, *totos ad se convertit et rapit*, nimirum ut inferior animi pars obsequatur superiori, ad aliquam amplam et honestam rem ita, ut sapientem decet, incumbenti. Cf. I. 101. s. Illud quidem non debebat Gernhardum offendere, quod, servata volgata, omnium animi dicantur a virtute detorqueri. Potest enim *detorquent* ἀορίστως accipi pro *detorquere solent* et, similiter, *Coel.* c. 17. s. hunc in modum constitui: *Non semper superat vera illa et directa ratio; vincit aliquando cupiditas voluptasque rationem, ut blandimentis sopita virtus conniveat.* Sed similem corruptelam I. 78. *maioraque efficiendo* pro *maiorque cura efficiendi* notavimus I. p. 158. recteque observatum est, respondere his vv. *alii non possunt obsistere*, et, *plerique exterrentur.* Sic I. 147. *maior pars*, i. e. plerique, *p. Balb.* 8. 21. et Horat. *I. S.* 6, 90. *magna pars*, i. e. permulti. Cf. denique geminus locus *Phil.* VII. c. 6. pr. periculum *etsi minus est fugiendum, quam turpitudo: tamen offendit animos maioris partis hominum magis.* Tacit. *dial. de orat.* c. 28. ex. *nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura.*

dolorum faces] Cf. *Tusc.* V. 27, 76. ex. *Dolor esse videtur acerrimus Virtuti adversarius: is ardentes faces intentat* etc. Elegans haec est metaphora; sed inauditus est tropus ille, quo Goerenz II. *Ac.* 28, 89. ex. in Alcmaeonis apud tragicum incitato furore insanientis exclamatione, *Intendit crinitus Apollo Arcum auratum, luna innixus! Diana facem iacit a laeva!* e MS. ψ *faces* legendum suadet, ut Alcmaeo, dolorem a Diana profectum sentire se, dicat. Nam de Diana facis iactu puniente nihil innotuit viro clar. Sed *Verr.* IV. 34. 74. dicitur Diana *dextra ardentem facem praeferre, qua perculsus flagrare amentia coeperit* sacrilegus. *Dianam* eandem esse atque Μήνη illam, quae μανίαν immittat, docuit Ill. Creuzer *Symbol. et Mythol.* l. II. c. 4. §. 47. ex. (Vol. II. p. 160. ed. I.) Eadem est *Hecate* (Eurip. *Helen.* 575. Musgr. al. 577.) et *Lucifera*, Graecis φωσφόρος v. φωσφόρος vocata est (v. Schol. Aristophanis ad *Lysistr.* 443. al. 444. et Theocriti ad *Id.* II. 12.), *Phoebe* (Nemes. *Cyneg.* 130.) [illegible] (Pausan. VIII. c. 15. ex.). Πυρφόρον vocat Nonnus *Dionys.* XXIX. 26. p. 752. eamque taeda instruit XLIV. 4. p. 1150. Nec sine causa [illegible] illam vocatam credunt ab Apollon. Rhod. III. 847. Vid. G. Voss. *Idololatr.* II. c. 29. p. 166. a. b. 167. Seber ad Pollucem I. §. 35. Reinesi *Syntagm. Inscript.* p. 105. Spanhem. *de praestant. et usu numism.* T. II. p. 237. et de face, perpetuo deae signo, idem ad Callim. *Hymn. in Dian.* 12. p. 151. s. (169. ed. Ern.) Banduri *Num.* T. II. p. 229. Berglerii ad Aristoph. *Thesmoph.* 865. (858. ed. Br.) Cuper. in *Consecr. Homer.* p. 179. Lutat. Gudoli. Statii [illegible] *Sacris* etc. Lipsi

praeter modum plerique exterrentur. Vita, mors, divitiae, paupertas omnis homines vehementissime permovent. Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua his ampla et honesta res obiecta est, totos ad se convertit et rapit: tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?

---

757. c. 6. §. 5. Schol. Sophoclis ad *Trachin.* 214. ubi ob duplicem facem (de qua v. Ill. Iacobsii *Animadvv. ad Anthol. Gr.* IX. 187.) dicitur ἀμφίπυρος, ut Aristoph. Βατραχ. 1361. (al. 1406.) διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας ὀξυτάταιν χεροῖν Ἑκάτη. Ap. Eusebium *Praep. Euang.* l. V. p. 202. inter insignia Hecates refertur: λαμπὰς ἔχει πρὸς χέρας. A Montfauconio T. I. *Antiquitt.* l. III. c. 14. explicatur schema ex Museo Chiggio publicatum, *Hecates triformis*, cuius una forma *bicornem Lunam* praefert itidem, ut in numo ap. Seguinum *de selectis numismm.* p. 180. utraque manu *faces* gestantem. Vtramque imaginem recusam explicat Paul. Burger *de diis clanigeris* (Altorf. 728.) p. 28—31. Male etiam, praeeunte Görenzio, Schütz in eodem illo loco correxit *lunat innixus*, invito Hermanno, qui in *Elementt. doctr. metricae* p. 386. verissime tuitus erat antiquorum ll. lectionem *luna* (i. e. curvato arcu) *innixus*, i. e., ut Virgilium *Aen.* IX. 623. interpretem adhibeamus, *diversa brachia ducens*, et (XI. 860.) *ducens longe, donec curvata inter se coëant capita*. Sic ib. IX. 769. *vibranti gladio connixus*. Cf. Sil. Ital. X. 262.

praeter modum] i. e. *ultra modum*, *immodice*. V. Gesner *Thesaur.* IV. 1038., 41—47. — Tum propter aequabilitatem numeri Gernh. e Gu. 2. mallet *paupertates*, cuius numeri duo sistuntur exempla a Schellero in *Lex.* s. h. v. extr. Comparantur etiam illa I. 163. p. 224. *quietibus*. 115. p. 247. *nobilitates*. 131. pr. *tarditatibus*. Verum tamen hic ipsa *paupertas* in universum, quae uni cuique imminere potest, ut 38. *egestas*, non singulorum aut certorum quorundam pauperum sortes spectantur. Sed enucleate Gernh., cl. 5, 16., expedit confusionem duarum constructionem: *Quae qui in utramque partem* (i. e. ab omni perturbatione liberi, I. 67. ss.) *despiciunt et quos* (eosdem) *aliqua ampla et honesta res obiecta* (animo, cf. III. c. 8. pr.) *totos ad se rapit*; *horum quis non admiretur virtutem?* et, Cum (nihilo tamen secius) *aliqui tam excelso animo sint, ut res externas despiciant et ut eos, cum aliqua his honesta res obiecta est, totos ad se rapiat* (i. e. ut ... illa relinquere hortetur), quae amplificatio additur. Cf. Sanct. c. 5. ex.) *tum* etc. De Ellipsi pron. relativi alio casu, quam adfuit, subintelligendi, v. ad ...

XI. Ergo et haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit et maxime iustitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quaedam res multitudini videtur: nec iniuria. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet aut qui ea, quae sunt his contraria, aequitati anteponit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur; quod in 38

C. XI. §. 38. *admirabilitatem facit*] i. e. *admirationem*, passive, ut 48. sub fin. Aliter hac §. extr. *conficit — admirationem.* Sed citantur haec a Nonio s. vv. *Despectus* et *Mirabilitas*. Ad prox. cf. I. 7, 20. p. 46. Tum *mirifica quaedam* i. e. q. *valde* v. *prae ceteris mirifica*. Sic in *Bruto* 89. *admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus*. Cf. *Balb*. §. 3. et n. ad I. *Off*. 47. p. 115. Minus commode Gernh. hic pron. pro *quodam modo* accipit. Quod vero iustitia dicitur facere, ut viri boni admiratione digni videantur, eam sententiam psychologice explicat Garve ad h. l. p. 134. ss. Nimirum iustitia coli et retineri nequit, nisi liber sis a cupiditate et metu omnique animi perturbatione. His autem ne succumbas, niti oportet stabili firmoque rerum humanarum iudicio. In hac autem ipsa affectione positam esse omnem magnitudinem animi, cuius splendor admirabilitatem efficit, docetur I. 66. s.

Nemo — timet] Hanc sententiam laudat Lactant. VI, 17, 27. tueturque Bardili in Hauffii *Philologie* III. p. 43. s. Corrigitur ea, adiectis verbis *aut qui* etc. Nam (si verum quaeris) is demum *iustus* iudicandus, qui, quamvis reiectanea illa aspernetur malitque evitare, nihilo secius tamen *ea, quae sunt his contraria*, i. e. προηγμένα, *aequitati* (i. e. iustitiae, ut I. c. 9. ex.) non *anteponit*; ut Christus, qui, quamvis perhorrescens cruciatum mortis, generosiori tamen patientia subiit, quam ullus celebratissimorum illorum heroum, quorum fortitudo (nescio, quo modo) pleniore ore laudatur. Alias enim magnanima virtus parvi esset pretii. Negari nequit, coniunctam cum sapientia fortitudinem abhorrere ab acerbitate doloris eodem modo ac reliquorum mortalium sensum. Cf. n. ad I. 69. p. 160. Sed cum a sensu non petere soleat iudicium nec veri nec boni: non patitur hoc corrumpi fortuitis sensuum affectionibus. Altiora quaedam spectans et, quae volgo ut mala metuuntur, rata, tantum abesse, ut mundi ordinem perturbent, ut virtutis ad finem summi boni adipiscendum adiumenta fiant, immotum rectae rationis iudicium servat, nihil discedens a constantia. I. 67. ss. Propterea iis, qui

quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur.

Itaque illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia iustitia conficit, et benevolentiam, quod prodesse volt plurimis, et ob eandem causam fidem et admirationem, quod eas res spernit et neglegit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.
39 Ac mea quidem sententia omnis ratio atque institutio vitae adiumenta hominum desiderat, in primisque, ut habeat, quibuscum possit familiaris conferre ser-

---

virtutem duram et quasi ferream quandam esse voluerunt, videbatur, nec iustitiam nec fidem nec amicitiam coli posse, si qui, aut molestias atque incommoda, infamiam, dolores, omnis generis calamitatem ipsamque mortem aut voluptatum commodorumque contemptionem, cum virtutibus illis constanter colendis coniuncta, mala ideoque per se fugienda esse, iudicaret. I. 2, 5. ex. III. 117. Sed locus hac de re classicus est *Fin.* III. 8, 29.

igni spectatum] Plato *de re p.* l. III. et VI. p. 503. A. βάσανος χρυσὸν ἐν πυρὶ βασανιζόμενον. Menander: χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί, i. e. *aurum explorari solet admotis ignibus*, interprete Grotio ad Salom. *proverb.* 17, 17. et ... in *Gnom.* Brunckii p. 244. vs. 520. Cf. Ovid. *Trist.* I. 4, 25. Isocrates *ad Demon.* p. 12. (c. IX. §. 5.) τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ βασανίζομεν. Origenes *contra Cels.* l. VIII. p. 415. ed. Spenc. Solet autem Cicero cum re comparata ipsam similitudinem eleganter confundere, ut hic. Dictum puta pro: *huius virtutem quasi aurum ad obrussam arbitrantur.* Cf. Seneca *Ep.* 13. pr. In Luciani *Hermotimo* c. 7. sapiens *Herculi Oetaeo* comparatur, quippe καθαρόν τε καὶ ἀκήρατον εἶδεν τὸ θεῖον, διακριθὲν ὑπὸ τοῦ πυρός.

quae proposita sunt ad g.] Degen interpretatur: *quae necessaria sunt;* nos: *quibus ante* (31.) *dicta sunt ad gloriam pertinere.* — *Confici* autem proprie dicuntur centuriae ab iis, qui candidato alicui suffragantur in petendis honoribus. *Planc.* c. 18. Hic verbum comitiorum eleganter transfertur ad iustitiae commendationem.

§. 39. *ut habeat, quibuscum possit*] Sic etiam cod. Guelf. pr., *habeas possis.* Degen cum Gamb. per [illegible] quandam refert ad enunciationis primariae subiectum, *ratio institutio.* Subaudiendum potius [illegible]

mones; quod est difficile, nisi speciem prae te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio iustitiae necessaria est, eoque magis, quod, eam si non habebunt, nullis praesidiis septi, multis afficientur iniuriis. Atque 40
iis etiam, qui vendunt emunt, conducunt locant, contrahendisque negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria est. Cuius tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, pos-

---

situm esse. V. ad I. 121. pr. Familiaris autem et amicus inimico et improbo nemo esse potest (*Lael.* 18, 6. s.); sed omnes hunc fugiunt atque oderunt. Non enim expetitur societas, nisi quia plus boni, quam solitudo, affert. — *Species* (id quod oculos in se convertit, I. N. D. 2, 5. Att. IV. 16. sect. 6. p. 245. Schütz. ubi iungitur *color et species*) hic comparatur *personae* similiter, ut dictum est 54. *detracta opinione probitatis*, ubi *opinio* passiva sumitur, ut hic et 52. ubi iungitur cum *fama*. Tum legebatur *eoque etiam magis*; sed particulam *etiam* cum Facciol. expunximus, fidem habentes libris MSS. Groning. Goth. Vinar. Gu. 5. edd. vett. et Ascensii. Gernhard, cui non magis videtur haec part. necessaria, quam 48. ex. et 51. sub fin. ubi constanter scribitur *eoque magis* et *eoque maior*, nihilo minus tuetur pro *adeo* positam, ut I. 92. At vero ibi non additur Abl. ea. Cf. 63. pr. *eoque — studiosius*. *Lael.* 1, 6. 2, 6. Pluralem verbi numerum in his, *eam si non habebunt* et seqq. VV. DD. recte referunt ad duplex hominum genus. Nam *in agro vitam agens homo* paucorum, *solitarius* nullius hominis convictu utitur. Hi igitur utrique, amissa opinione iustitiae, destituentur extremo solitudinis praesidio. Haec autem, docuit Garve ad h. l. p. 138. s. (136. s. ed. II.), propterea a Cicerone adiecta, quod pleraque argumenta, quibus adhuc usus esset, ad eos tantum pertinere videbantur, qui in foro et in re publica versarentur. Etenim utilitates illae, quae iustitiae opinione inveniri dixerat, forte eae sunt, quae in comitiis populi suffragiis tribuebantur. Eidemque videtur innui, inopibus et obscuris hominibus alicuius clari viri patrocinio in re publica Romana opus fuisse, ut causa quamvis iusta coram iudice vincerent. Verum tamen haec non adiecta sunt, utne careret obscurorum hominum vita officii praeceptis, sed comparationis tantum causa, pariter ut sequentia.

§. 40. *ad rem gerendam*] ut in *Lael.* 16, 2. *ad res gerendas*, i. e. ad quaestum exercendum. Cf. I. 4. 12. ex. Seq. *pascuntur* Schütz in Lex. s. v. extr. accipere videtur

sint sine ulla particula iustitiae vivere. Nam, qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum; ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficietur a sociis aut relinquetur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent.

---

pro *delectantur*. Sed cf. Sallust. in *Cat.* 14. *quos manus periurio et sanguine civili alebat.* Barbari sunt autem, quibus contra codd. auctoritatem placet, *sive aliqua particula*. Vide, quae de pronn. affirmativorum et negativorum discrimine diximus I. p. 538. a. Seqq. recte explicat Schütz: *cum ne latrones quidem secum versari patiantur.* Eidem edituro *dispartiat* aut calamus aut typotheta immoriger fuit, et recte quidem. V. ad I. 92. p. 207. ex. Ceterum sunt haec a Platone in l. I. *de re publ.* p. 351. D. Δοκεῖς ἂν ἢ πόλιν ἢ στρατόπεδον ἢ λῃστὰς ἢ κλέπτας ἢ ἄλλο τι ἔθνος, ὅσα κοινῇ ἐπί τι ἔρχεται ἀδίκως, πρᾶξαι ἄν τι δύνασθαι, εἰ ἀδικοῖεν ἀλλήλους; Οὐ δῆτα. — στάσεις γάρ που — ἥ γε ἀδικία καὶ μίση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παρέχει· ἡ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν etc. p. 352. C. D. ἀλλὰ δὴ καί, οὕς φαμεν ἐρρωμένως πώποτέ τι μετ' ἀλλήλων κοινῇ πρᾶξαι, ἀδίκους ὄντας, τοῦτο οὐ παντάπασιν ἀληθὲς λέγομεν. οὐ γὰρ ἂν ἀπείχοντο ἀλλήλων, κομιδῇ ὄντες ἄδικοι· ἀλλὰ δῆλον, ὅτι ἐνῆν τις αὐτοῖς δικαιοσύνη, ἣ αὐτοὺς ἐποίει μή τοι καὶ ἀλλήλους γε, καὶ ἐφ' οὓς ᾖσαν, ἅμα ἀδικεῖν· δι' ἣν ἔπραξαν, ἃ ἔπραξαν. ὥρμησαν δὲ ἐπὶ τὰ ἄδικα ἀδικίᾳ, ἡμιμόχθηροι ὄντες. ἐπεὶ οἵ γε παμπόνηροι καὶ τελέως ἄδικοι τελέως εἰσὶ καὶ πράττειν ἀδύνατοι.

aut interficietur — aut relinquetur] Sic Gernh. e duob. Aldi et μ, quibuscum Gur. et ed. Ven. 502., teste Degenio, faciunt. Vinar. rell. edd. vett. et Facciol. *aut occidetur — aut relinquetur.* ψ, Ascens. Bald. et Oliv. *occiditur — relinquitur.* Gu. 5. et quinque Aldi *occidatur — relinquatur*, itemque Goth., qui vv. *a sociis* omittit, et Facciol., si quidem huius lectionem satis diligenter enotavit Gernhard. Cum rell. Schütz, *interficiatur — relinquatur.* Subiunctivus Graeci Optativi instar ponitur cum significatione dubitationis, *verendum ei est*, *ne* etc. Mutatio Coniunctivorum nos quidem non magis offenderet, quam I. §. 5. (p. 12. ex.) 32. (ubi cf. n. p. 72. ex.) 82. ex. ubi item ante Heus. legebatur *reperitur*. 158. p. 310. Cf. Matthiae ad Cic. *p. R. Am.* 42, 125. ex. Perizon. ad Sanct. I. 15, 4. ed. Bauer. I. p. 118. a. Sed recte monetur, certam requiri sententiam, ut 59. ex. — Ad dictionem, *leges, — quas (ut aiunt) observent*, cf. *Leg.* I. 2, 5. pr.

Itaque propter aequabilem praedae partitionem et Bardylis, Illyrius latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit et multo maiores Viriathus Lusitanus, cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt; quem C. Laelius, is, qui Sapiens usurpatur, praetor fregit et comminuit ferocitatemque eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta vis iustitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat: quan-

---

Bardylis] ap. Diodor. XVI. pr. est ὁ τῶν Ἰλλυριῶν βασιλεύς, Βάρδυλλις vocatur a Plutarcho in *Pyrrho* p. 387. a. 9. pr. qui illius gener dicitur. Helladius ap. Photium cod. 279. Βρέδυλλις (sic) δέ τις Ἰλλυρίων ληστρίχων, ἀθρανὴς γεγονώς. Cf. Vales. ad *Excerptt. Histor.* p. 121. Debellatus est a Philippo, Amyntae F., secundo regni sui anno circa Ol. CV. 2, ut notavit Chapman. Fortasse *latro* dicitur ὑπερβολικῶς a *Theopompo*, pomposissimo scriptore, cuius fidem post alios admodum labefactavit Exc. B. G. Weiske *de Hyperbole* etc. P. I. §. 10.

Viriathus] ex pastore venator, e venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit, M. Vetilium praetorem, fuso eius exercitu, cepit (a V. 603.), post quem C. Plautius Hypseus praetor (604.) nihilo felicius rem gessit. A. 605. Claudium Unimanum paene ad internecionem exercitus cecidit. Dein 606. C. Nigidium oppressit atque universam fere Hispaniam tenebat. De hoc (non, ut Gernh. ex Heusingeri nota, ad superiora pertinente, refert, de *Bardyli*) scripsit Flor. II. 17, 15. (non 5.) *Liv. Epit.* 52. Vellei. P. II. 1, 3. 90, 3. Iustin. XLIV. 2. Oros. V. 4. Aurel. Victor. *vir. ill.* 71. Appian. *de b. Hisp.* 62. s. 75. Diodor. Excerpt. Peiresc. p. 546. et 561. in fragmm. lib. LII. (Opp. T. II. p. 597. ed. Wesseling.) Ceterum monet Graev. in antiquis monumentis, in Lusitania inventis et a Resendio posteaque a Grutero editis, semper *Viriatum* scribi litera tenui.

C. Laelius] cui diuturna consuetudo tribuit cognomen *Sapientis* (III. 4, 16. ex.), *Praetor* a. V. 708. (*Lael.* 25, 9. et 11. cl. Wetzelii ad e. l. *Excursu* p. 315. §. 10. b.) *Viriathi bellum* (*Brut.* 21. §. 10. in Schützii autem ed. c. 22.), quod ap. Sueton. in *Galba* 3. *Viriathinum* dicitur, *facile* (sup. *ad profligandum*) *tradidit reliquis*, qui mire a Degenio nominantur *Q. Fabius*, *M. Aemilianus* et *Q. Servilianus*. Sed *Q. Fabius* (*Maximus Servilianus*) *Proconsul* a. 612. (non, ut Flor. l. c. refert, *Consul*) *rebus*

tam eius vim inter leges et iudicia et in constituta re publica fore, putamus?

41 XII. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros, iustitiae fruendae causa, videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur inops multitudo

---

in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriatho aequis conditionibus facta. Viriathus a proditoribus, consilio (Q.) Servilii Caepionis (non, cuius nomen in Flori edd. §. 17. legitur, Pompilii; neque a. 610., ut Degen scribit, sed 615.) interemptus est: ut scribitur in Liv. epit. 54. ex. Cf. Eutrop. IV. 7, 8. ss.

et in constituta re p.] Voculam *et* excludunt exc. Pith. et iam ante deleverant (nescio, qua fide) Langius et Fabricius, quos recentiores editores secuti sunt. Sed tuentur omnes rell. libri, alii aliter turbantes. Gu. 8. non, ut Schützius refert, cum Gothi et ψ habet *et instituta re publica*, sed, ut aliquot Aldi, duo Fabricii et edd. vett., *rei publicae*. Iungit *et* synonyma quasi explicando, ut I. §. 35. p. 75. In *Somnio Scip.* civitates appellantur *coetus hominum iure sociati*, ad quem l. v. Macrob. I. c. 8. ex.

C. XII. §. 41. Quanta vis iustitiae sit, declaraturus philosophus noster utitur exemplo regni iustitiae fruendae desiderio constituti, quod memoriae prodidit Herodotus I. 96. ss. ubi narratur, quo modo Deioces apud Medos, cum procax libertas (ἀνομίη) civitatem misceret, iustitiae opinione iuris dicundi auctoritatem, iuris autem aequalitate describendi laude postremo regnum adeptus (a. 700. a. Ch.), hoc institutis firmarit. Nec vero propter verba Herodoti c. 96. l. 17. *πρότερον περιπίπτοντες ἀδίκοισι γνώμῃσι* quidquam tribuere debebat Gernhard editioni s. l. et a. in qua iuncta est duplex lectio *initio inops*, ut in ψ *in initio inops*. Nimirum pro *inops* in quibusdam ll. corrupte scribitur *in otio*: ex quo alii cum correctore Gu. quarti fecerunt *initio*. De re aliter statuit Ill. Hermannus, qui in luculenta illa *oratione*, I. p. 91. laudata, p. 7. attigit, quae regnandi imperandique ratio fuerit antiquis temporibus. „Tunc," inquit, „*robur et fortitudo faciebat reges, quorum officium in eo erat positum, ut duces belli essent ceterisque exemplum virtutis praeirent. Fortitudo quum et auctoritatem et opes peperisset, iuris dicundi et tributa imperandi potestas accessit. Hinc filii regum, victu lautiore usi, atque a pueritia armis tractandis adsueti, facile ipsi quoque, ut patres eorum, quum corporis viribus ac fortitudine, tum omnino maiore quodam cultu supra vulgus eminebant.* In hac

titudo ab iis, qui maiores opes habebant: ad unum aliquem confugiebant, virtute praestantem. Qui cum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari iure tenebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quae regum.

---

hereditaria facta dignitas regia, quamdiu fortitudo prima virtutum habebatur, tuebatur certe regna, ut, si non a maioribus accepta fuissent, recte tamen tribui his, qui ea habebant, potuisse viderentur." In eandem sententiam disputat is, quem Binkes in *Analysi* p. 39. n. 21. laudat, Garve in Obs. ad h. l. p. 141. (138. s. ed. secund.), de ceteris concedens, nullam fere rationem, qua civitates conditae magistratusque constituti sint, excogitari posse, quin ea in serum veritate affuerit unquam apud quamcumque gentem pro diversa eius conditione, e barbara immanitate magis minus mansuefactae. Placet tamquam arbitris honorariis medium ferire cum Exc. Krugio in *Dicaeol.* §. 74. n. et §. 76. n. 3. pr. 4., iudicantibus, aliam esse, quam ratio philosophi postulet, imperiorum legitimorum originem (quae continetur *electione supremi cuiusdam magistratus pactoque subiectionis civilis*), aliam eam, quam historia noverit. Et Cicero quidem hic et *Invent.* I. 2, 2. s. *Sext.* 42, 91. *Tusc.* V, 2, 5. sequitur magistrum suum Posidonium, in Senecae *Ep.* 90. paullo ab in. pulcherrime docentem, *illo seculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes fuisse regnum. Hi continebant manus et infirmiores a validioribus tuebantur* etc. qui locus e Posidonii opere, quod, προτρεπτικὰ inscriptum, haud dubie fons fuit Ciceroniani *Hortensii*, desumptus videtur Iano Bake ad *Posidonii Rhodii reliquias doctrinae* (L. B. 8vo.) p. 36.

ad unum aliquem] Non, ut opinatur Scheller in *Lex.* s. v. *Aliquis* 1) g) abundat *unum*, neque hic, ubi auget vim seqq. verborum *virtute praestantem*, neque *Or.* III. c. 33. ex. *Sin aliquis excellit unus e multis* (np. qui ad rem publicam gerendam nudi veniunt atque inermes): *effert se, si unum aliquid affert*, i. e. etiamsi non omnia, quibus ornatus esse debebat. In seqq. prisca forma Accusativi, cuius exempla v. apud Goerenzium ad *Fin.* I. 10, 33. ex. II. 33, 108. ex. III. 2, 5. p. 313. ex., ansam dedit corruptelae *iniuriam tenuioris*. Sed recte comparatur *p. l. Manil.* 7, 18. Liv. XXV. 15, 3. XXXI. 25, 5. Cf. ad I. 52. pr. Tum e Gu. 2. Goth. ψ et ed. s. l. et a. edidi *tenebat*, nempe *in sua potestate ac ditione*. Non tamen spreverim equidem, quod est in uno Aldi et Oxon. *continebat*, probatum Aldo, Mureto et Mich. Heusingero, comp. 83. *omnis aequitate eadem continere*, i. e. inter eos, quodam modo exaequatos, concordiam firmare.

42 Ius enim semper est quaesitum aequabile: neque enim aliter esset ius. Id si ab uno iusto et bono viro consequebantur, erant eo contenti. Cum id minus contingeret, leges sunt inventae, quae cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. Adiuncto vero, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod, homines, his auctoribus non posse consequi se, arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda et retinenda iustitia est, tum ipsa per sese (nam

---

§. 42. *ius — aequabile*] ut I. *de invent.* 53, 102. ex. i. e. q. modo antea *par ius:* quod *p. Quint.* c. 22. esse dicitur iis, quibus aequus utrisque magistratus invenitur et iudicium redditur. V. ad 4, 15. p. 32. ex. et proximis adhibe ea, quae annotavimus ad I. 9, 30. p. 68. Eurip. *Phoen.* 548. τὸ γὰρ ἴσον νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ: unde Aristot. *Polit.* III. 12. Δοκεῖ πᾶσιν ἴσον τι τὸ δίκαιον εἶναι. *Digestt.* II. t. II. l. 1. pr. cum Gothofredi *nota* 42. et Krugii *Dicaeolog.* §. 29. *n.* 1. ex. Binkes p. 38., laudato Pestel in *Fundam. Iurisprud. nat.* §. 299. ed. 4., disputat, homini tributum a natura esse felicitatis appetitum. Hoc duce, initam societatem esse civilem, cuius fundamentum sit quies, pax, securitas universorum et singulorum: quae haberi nequeat sine iustitia. Illa enim sublata, statum quietum conservante, distrahi vitae communitatem. In lectione Schütz retinuit volgatum ordinem *quaesitum est* et deinde *eo erant*, relicto Heus., qui e Gu. 1. 2. 3. 4. et ed. Gryph. transposuerat *est q.* et ex iisdem Gu., Tertii cod. et ed. Magont. *erant eo.* — Posidonio deberi etiam sequentia, cognoscitur e Senecae l. c. *Postquam, surrepentibus vitiis, in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus.*

colenda et retinenda iustitia] Sic I. *de invent.* 2, 3. iungitur *fidem colere* et *iustitiam retinere*, i. e. conservare. Cf. *Off.* I. c. 35. ex. Tum Schütz reduxit *propter sese*, quod ferri quidem potest, comp. *Fin.* I. 14, 47. pr. 48. ex. ubi tamen bini codd. MSS. item variant *per se*, et ib. III. 11, 36. pr.; sed h. l. haud dubie a glossatore est. Nam *per sese*, quod Gu. 5. habet a correctore, et Heus. e Gu. 1. 2., libro Tertii, tribus Aldi, Goth. et ed. Gryph. restituit, valet *vi sua atque natura; sic, ut nullius rei accessione vel adiumento indigeat*, ut h. l. iustitia, si

aliter iustitia non esset), tum propter amplificationem honoris et gloriae.

Sed ut pecuniae non quaerendae solum ratio est, verum etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria et quaerenda et collocanda ratione
est. Quamquam praeclare Socrates, *hanc viam ad* 43
gloriam proximam et quasi compendiariam, dicebat, *esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vel-*

---

sola spectetur, etiam omissa spe utilitatis. Quater sic usurpatur l. c. §. 38. (ubi v. Goerenz) 17, 56. pr. V. c. 25. pr. §. 64. ex. I. 15, 49. pr. 9, 31. Vid. Goerenzii ibi ad p. 43. *Addenda* p. 697. Idem V. D. ibid. II. 26, 82. restituit *amicum — amari per se*, cum volgaretur *propter se*, ut I. 20, 69. Praeter tres alios locos, supra ad I. c. 4. ex. p. 34. a nobis adscriptos, cf. *Acad.* I. 10, 38. *Off.* III. 118. ex. ubi videbis etiam, rationem explicari, cur *aliter iustitia non esset.*

verum etiam collocandae] Sic Gernh. cum Heus. e Gu. 1. 2. 3. 4. et ed. Bald. pro volg. *sed etiam*, quam servavit Schütz. — *Pecunias collocatas habere* dicuntur *p. leg. Man.* 7, 18. ii, qui eas occupatas habent in quaestu exercendo, ut inde redeant usurae. Idem verbum transfertur ad *gloriam*, qua sic utendum, *ut ea et conservetur et augeatur.* Sic recte explicat Gernh., reiecta F. Heusingeri interpretatione, quae placuit nuperis edd., ut *gloriam ratione collocare* sit i. q. ea sic uti, ut rei publicae plurimorumque hominum utilitatibus serviat. Illud inest potius in v. *ratione*, i. e. recte. V. ad I. 92. p. 208. pr.

§. 43. *Quamquam*] Haec part. a Degenio cum Heus. refertur ad *sed — tamen* cap. sequente, ita, ut horum nexus interrumpatur parenthesi verborum: *Quod si qui* etc. Sed recte a Gernh. ad superiora relata erat: comp. III. c. 22. pr. Significatur, non opus esse longiore expositione; namque non admodum impeditam esse illam gloriae et quaerendae et collocandae rationem, sed expeditam: ut ne magna quidem adhibenda prudentia sit. Sic iam Wyttenbach in *Bibl. crit.* I. 3. p. 25. et II. 8. p. 82. constituit sensum: *Quamquam quid demus gloriae praecepta, cum vel Socratis praecepta sequi satis sit?* Respicitur autem ad Xenophont. Ἀπομνημ. I. 7, 1. II. 6, 39. pr. Κυρ. I. 6, 22. (al. 19.) Plato in Γοργ. p. 527. B. c. 82. sub fin. παντὸς μᾶλλον ἀνδρὶ μελετητέον οὐ τὸ δοκεῖν εἶναι ἀγαθὸν, ἀλλὰ τὸ εἶναι,

let, talis esset. Quod si qui, simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone, sed etiam voltu stabilem se gloriam consequi posse, rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem; sed, brevitatis causa, familia contenti erimus una. Ti. enim Gracchus, P. F., tamdiu laudabitur,

---

καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ. Seneca *Ep.* 79. *Gloria umbra virtutis est; etiam invitos comitabitur*, et ad fin. eiusd. epist. Hinc Sallust. in *Catil.* 54. ex. de Catone: *Esse, quam videri, bonus malebat. Ita, quo minus gloriam petebat, eo magis assequebatur.* Cf. ad I. 65. pr.

simulatione et inani ostentatione] quae II. *Acad.* 46, 140. dicitur *fallax imitatio simulatioque virtutis.* Cf. Davis. ad *N. D.* I. 2, 3. ubi Heindorf immemor κιλλακείας προσωπεῖον in Herodiani *histor.* I. IV. 5. (12.) pro *specie — fictae simulationis* corrigere ausus est *specie ficta*, ex Nostratium scilicet idiomate, *mit* (v. *in*) *falschem Heuchelschein.* — Seq. *in utramque partem* de exemplis contrariis usurpatur solenniter §. 37. ex. *Fin.* III. 4, 12. ex.

tamdiu] πλεονάζει, sequente *dum*, ut *Verr.* IV. 3, 6. pr. *Cat. Mai.* 12, 41. ad quem l. Scheller in *Obss.* exempla comparavit. — *Ti.* Sempronium *Gracchum*, P. F., Cicero, quoties eius mentionem facit (ut I. Or. 48, 211. I. *de div.* 18, 36. summis semper laudibus effert, filiis contra, *Tiberio* (in *Lael.* 11, 3. 6. c. 12, 5.) et *Caio* (ib. c. 11. ex. 12, 6. et h. l. §. 72. ex. Cf. Pseudo-Cicero *p. domo* c. 58. sub. fin.) iniquior: quorum universum consilium eiusque exsequendi rationem adeo improbat (80. ex. *Or.* I. c. 9. ex. *De provinc.* §. 21. pr.), ut etiam C. Gracchi adversarios, cives improbos, Bestiam, P. Popillium, L. Opimium laudet in *Bruto* 34, 2. 25, 3. *Or.* II. c. 40. *Catil.* I. 12, 29. *Mil.* 30, 83. *Planc.* 36, 88. Nam *p. Rabir.* c. 5. pr. §. 17. s. *Agr.* II. 5, 14. (ed. Beck.) longe aliter loquens verba Quiritibus dat temporum homo, qui, se videri, vellet, popularem. Scilicet, Nostrum semper fuisse optimarum partium, i. e. studiosum nobilitatis (*Acad.* II. 40. 125. pr.). Gracchi autem non probabantur *bonis*, i. e. optimatibus. V. ad I. 85. ex. Eadem de re *p. Sext.* 48, 103. quod dictum fuerat, *nitebantur contra optimates*, repetitur verbis hunc in modum variatis: *repugnabant boni.* In *Bruto* c. 27. pr. Ti. Gracchus *propter turbulentissimum tribunatum* (de quo cf. Gellius II. 13.), *ad quem*

dum memoria rerum Romanarum manebit. At eius filii nec vivi probabantur bonis et mortui numerum obtinent iure caesorum.

---

ex invidia foederis Numantini, *bonis iratus*, *accesserat*, *ab ipsa re publica interfectus* dicitur. Iisdem paene verbis usus Velleius P., *Descivit a bonis*, inquit II. 2, 2. ubi Ch. D. Iani observat, *bonos* Romae appellari eos, qui verae saluti rei publicae honeste cupere videri vellent; hinc propter plebis et optimatium certamina et contentiones patrum cum tribunis, agrarias frumentariasque leges tentantibus, hominibusque *popularibus*, quos (ut fere hodie *constitutionales*, invidioso nomine δημαγωγοὺς vel [illegible] dictos), parum curantes bonum publicum, populi modo gratiam captare, criminaretur nobilitas, *bonos* dictos, qui cum senatu et nobilitate starent, plebis libertati potentiaeque invidentes eiusque supprimendae cupidos. Cf. Görenz ad *Legg.* III. 9, 20. (p. 242. a.) 16, 35. ex. Sallust. *histor. fragm.* p. 935. ed. Corte. De horum adversariis Gracchis, *Tiberio* (cuius, ut plebis fortunas constitueret, multa sane cum contentione et fortitudine urbana agentis, consilia salutaria ac vere e re publica erant) et *Gaio*, quid ex veritate sentiendum sit (ut ex Plutarchi *compar. Agid. et Cleom.* c. 5. Sallust. *Iug.* 31, 5. ss. c. 42. Flor. III. 13, 2. cll. Freinshemii *Supplem. ad Liv.* LIX. 2—57. LXI. 11—32.) neque iudicandum ex Romanorum scriptorum conviciis, qui optimatium tyrannidi fere faverent (ut Florus III. 17. Vellei. P. II. 7, 1. aliique cum pedisequis suis Valer. Max. IV. 6, 2. in fin. V. 3. 2., Pseudo-Cic. *de harusp. resp.* 19, 41. 20, 43. quorum auctoritatibus usus est Wetzel in *Excursu in Cat. et Lael.* nota ad §. 7. 5, p. 303. s.), docuisse laudantur Vogel in vita Ti. Gracchi, T. I. libri *Biograph. grosser und berühmter Männer des Alterthums* et Meiners in l. *Geschichte des Verfalls der Sitten und Staatsverfassung der Römer* (Lips. 1782.) p. 80. Sed prae ceteris memorandus Hegewischii l. *Geschichte der Gracchischen Unruhen.* Cum fructu etiam conferetur Brockhusii *Real-Encyclopaedie* vol. IV. p. 348 — 351. ed. 5tae. Refertur hic a Cicerone iudicium Africani Minoris. Hic enim, ut narrat Plutarch. in v. *Ti. Gracch.* extr., et, nuntio de Tiberii morte (de qua praeter Plutarch. in *C. Graccho* c. 3. ex. 14. v. not. ad I. 76. ex. 109. p. 235.) ad ipsum Numantiam allato, approbavit versu Homerico *Od.* ά. 47. et, *cum a C. Carbone, tribuno Pl.* (vel, ut Plutarchus scribit, *a C. Graccho et Fulvio*) *in concione seditiose interrogaretur*, „*quid de Ti. Gracchi morte sentiret*," *respondit*, „*iure caesum videri*," teste Cic. *p. Mil.* 3, 8. (cf. 5, 14.) II. *de or.* 25, 4. Liv. *Epit.* 59. Vellei. P. II. 4, 4. Aur. Vict. *vir. ill.* 58. Valer. Max. VI. 2, 3. Cf. Wetzel l. c. p. 310. ex. Duodecim annis post fratrem

XIII. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis. Ea quae essent, dictum est in libro superiore.

44 Sed, ut facillime, quales simus, tales esse videamur: etsi in eo ipso vis maxima est,

---

C. Gracchus, cum alterum etiam continuaret tribunatum (a. V. 632. Cf. Pigh. *Annal.* ad a. 630. et 631.) a L. Opimio consule, ex senatus consulto vocato ad arma populo, oppressus est. (*Phil.* VIII. 4, 14. *Catil.* I. 2, 4. pr. IV. 2, 4. 6, 13. Appian. ἐμφ. I. 21 — 25. Diodor. ap. Vales. Liv. *Epit.* 61.) Cum iam comprehenderetur, cervicem servo, indivolso comiti, praebuit et ictum excepit (Macrob. *Sat.* I. 11. circ. med. Oros. V. 12. Valer. M. VI. 8, 3.). Corpus in Tiberim deiectum et pro capite Septimuleio Anagnino ab Opimio aurum repensum memoratur II. *Or* c. 67. pr. Flor. III. 15. Vellei. P. II. 6 et 7, 6. Plin. XXXIII. 3. Aurel. Vict. *vir. ill.* 65. Perierunt cum eo tria milia civium: quorum bonis publicatis luctuque mulieribus interdicto, ab Opimio, tamquam triumphatore, Concordiae templum dedicatum est. V. Plutarch. in *C. Graccho* 13 — 17. (et in *compar. Agid. et Cleom.* 3. 4.) Ib. c. 18. pr. Opimius dicitur κατεκήρυξεν ἀ κ ρ ί τ ο υ ς ἐπὶ τρισχιλίοις πολίταις Γάϊον Γράκχον καὶ Φούλβιον Φλάκκον: unde *Catil.* IV. 5, 10. pro volg. *ipsum latorem legis Semproniae i u s s u populi poenas rei publicae dependisse* reponendum censemus cum Ernesto *iniussu populi*. Nam Cicero ibi eodem modo, ut I. *Catil.* 11, 28. pr., dubitationem, quasi lex illa, quam in *or. p. Rabir.* 4, 14. C. Gracchus memoratur tulisse; *ne de capite civium Romanorum i n i u s s u populi iudicaretur*, obstet, quo minus de capite videlicet civium sententia feratur, refutat ita, ut ipsius C. Gracchi, neglecta lege ista, interempti exemplo doceat, legem istam non esse de rei publicae hostibus constitutam.

C. XIII. *i n libro superiore*] c. 7 — 13. Gernh. et Schütz cum Gu. 3., μ, ψ, Graevio et Ern. excluserunt praepositionem, ut §. 1. pr. 6. ex. o. 9. pr. *N. D.* I. 14, 36. Sed ita indicaretur, totum librum in hoc argumento versari. V. Görenz ad *Fin.* I. 1, 2. pr. Cum autem non nisi particula libri respiciatur: non potuit non adhiberi praepositio. V. §. 8. (p. 19.) 60. (bis.) 63. *i n oratione Crassi scriptum.* I. 151. ex. *N. D.* I. 12, 30. (passim.) §. 31. pr. 13, 32. pr. 33. pr. 34. pr. 14, 37. Sed dubitari potest, rectene Heindorf ibi 15, 41. pr. inseruerit *in* e cod. Rehd. quicum conspirat Gud. 2.

§. 44. *quales simus*] Schütz cum Vin. Gu. 4. et ed. vet. s. l. et a. *sumus.* Potest quidem comparari I. 90. p. 203. *quanto superiores s u m u s;* sed, cl. II. *Invent.* 58, 176.

ut simus ii, qui haberi velimus; tamen quaedam praecepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis, aut a patre acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse) aut aliquo casu atque fortuna: in hunc oculi omnium coniiciuntur atque in eum, quid agat, quem ad modum vivat, inquiritur et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse nec factum. Quorum autem prima
45 aetas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione versatur, hi simul, ac iuvenes esse coeperunt, magna spectare et ad ea rectis studiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi aetati, verum etiam fauetur.

Prima est igitur adolescenti commendatio ad

---

pr., monuit Gernh., Indicativum hic non magis praeferendnm esse, quam paullo post e Gu. 3. et μ, *qui haberi volumus*, cum nec tempus definitum nec certa persona sit. Ad seq. Nostri cohortationem filii cum περιαυτολογίᾳ v. n. ad I. 78. pr. — Ad dictionem, *in hunc oculi omnium coniiciuntur*, cf. *Verr.* V. 14, 35. (ubi adiicitur, *quasi in aliquo orbis terrarum theatro versari.*) 68, 175. (al. 174.) ex. IV. *Catil.* ab in. Pseudo-Cic. *ad Brut.* I. *ep.* 9. *Cum in te non solum exercitus tui, sed omnium civium ac paene gentium coniecti oculi sint: minime decet* etc. — Verbum *inquiritur* in libris confunditur cum *anquiritur*, ut I. *Leg.* 1, 4. pr. in eadem constructione. Sententiae auctor Marius ap. Sallust. in *Iug.* c. 85. *Maiorum gloria posteris lumen est neque bona neque mala eorum in occulto patitur.*

§. 45. *in hominum ignoratione*] Genitivus est Subiecti; *ignoratio* autem passive usurpatur, ut III. 72. ex. — Pronomini *hi* Non. in v. *Spectare* substituit *qui*, Gu. 1. 2. 3. 4. ed. Magont. aliaque s. l. et a. *ii*, quod, nisi praecederet *in hunc oculi o. coniiciuntur*, tueri possemus exemplis I. 116. ex. 124. p. 254. nisi forte insiticium dixeris. Cf. h. c. 13, 43. et n. ad I. 116. pr. — *Magna spectare*, i. e. *sibi proponere* (I. 116. ex.). Elegantius autem, quam alibi *recto cursu*, hic dicitur *rectis studiis*. — Deinde Heus. e Gu. 1. 2. 3. 4. et ed. Gryph. reposuit *Prima est igitur.* Schütz cum volg. *P. igitur est.* Sed,

gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest: in qua multi apud maiores nostros exstiterunt: semper enim fere bella gerebantur. Tua autem aetas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompeius alae alteri praefecisset, magnam laudem et a summo viro et ab exercitu consequebare equitando, iaculando, omni militari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum re publica cecidit. Mihi autem haec

---

cl. nota ad I. 3, 9. pr. v. *Or.* II. 78. pr. *Prima est enim commendatio orationis in principio.* *Or.* 49, 163. pr. *Fin.* II. 7, 20. pr. III. 6, 21. pr. Itaque *Leg.* III. 15, 33. pr. *Quare ad reliqua veniamus. Proximum autem est de suffragiis*, tollenda videtur otiosa part. *autem.*

1. *Tua autem aetas*] sc. tirocinii ponendi. Anno Pharsalico 705. (de quo v. ad 6, 20. p. 42.) Marcus erat sedecim annorum. Cf. 87. ex. Videtur patrem, ut Pompeium sequeretur, hortatus esse. Hic enim *ad Att.* X. *ep.* 11. §. 2. ex. sic de eo scribit: *Cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi; et, quo ille me certiorem volt esse, eo magis timeo, ne in eum exsistam crudelior.* Corradi *Quaestura* ed. Ernest. p. 275. ss. *Vita Ciceronis Filii* a Sim. Vallamberto conscripta, Paris. 1587. 8. ed. I. A. Fabricii Hamb. 1730. 8. *Hist. des IV Cicerons* Hag. Com. 1715. 12. Fabric. *Bibl. Lat. Supplem.* P. I. p. 97. Harles. *Introd. in not. lit. Rom.* P. II. p. 145. quos citat Biukes p. 8. n. 11. *Praefectus alae* dicebatur dux xxx turmarum equestrium (tot enim singulis legionibus additae), quarum singulae triginta equitum a tribus decurionibus, quorum primus etiam duobus reliquis praeerat, sub uno vexillo regebantur. V. Manutius ad *Epist. Fam.* II. 17. cuius notam repetiit Schütz in *Lex. Cic.* III, II. p. 302. Add. Lipsii *de milit. Rom. l.* II. *dial.* 10. Degenii, nobis narrantis, Marcum alteri alae totius equitatus sociorum, sed nomine magis, quam re, praefuisse, fides sit penes ipsum: haeret enim in eo, quod tirunculus non aliam praeter *bene armis, equis optime utendi*, levissimae sane virtutis, laudem militarem consecutus dicitur. Sed cf. *p. Deiot.* 10, 28. ex. de Castore: *Hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat, quam se iactare, quam ostentare!*

oratio suscepta, non de te est, sed de genere toto. Quam ob rem pergamus ad ea, quae restant.

Vt igitur in reliquis rebus multo maiora sunt 46
opera animi, quam corporis: sic hae res, quas ingenio ac ratione persequimur, gratiores sunt, quam illae, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiscitur a **modestia cum pietate in parentis, in suos benevolentia.** Fa-

---

§. 46. *quas i. ac r. persequimur*] Hunc a Gernh. ad fidem MSS. Gu. ed. Gryph. et Balduin. pro volgato, *quas perseq. ingenio ac r.*, cui Degen adhaeret, restitutum ordinem verborum postulat oppositionis vis. Intelliguntur res urbanae, in quibus plus etiam, quam in militaribus, operae studiique ponendum esse, monitum est I. c. 22. pr. Ex eodem cap. §. 74. et c. 26. ex. defendi posse videatur statim post lectio, ab Hier. Wolfio, Grutero, Graevio, Oliv., Ern. aliisque probata, *graviores.* Sed propter ea, quae leguntur h. l. 65. ex. 66. pr. ubi iungitur *gravior facultas* [et *gratior*] *et ornatior*, non dubitavimus e plerisque ll., etiam Cur. et ed. Ven. 502., admittere *gratiores* cum Gernh., qui *maiora sunt opera animi* explicat *maius pretium statuitur animi operibus*: ut *gratiores* dicantur eae res, quae propter suam excellentiam pluris fiant gratiamque concilient facilius, comp. 60. 72. Fortasse tamen, utraque lectione iuncta, hic etiam scribi possit *graviores et gratiores.* Vt hic, sic p. *Mur.* 8, 19. ss. describitur duplex ad rem publicam capessendam aditus et *campus, in quo excurrere virtus cognoscique possit: res militaris* et *eorum, qui in foro habitant, urbana assiduitas operaeque quotidianae respondendi consultoribus, scribendi, cavendi*: in qua tamen studiorum *atque artium contentione* §. 22. et 10, 23. s. *bellicae virtuti* plus tribuitur, quam *forensi laudi et industriae*, temporis videlicet causa, quippe cum agatur de candidati, a Serv. Sulpicio de ambitu interrogati, dignitate et gratia, quam ad consulatum adipiscendum attulisset rei militaris gloria. Liv. XXXIX, 40. *Ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit.*

tum pietate in p., tum in suos] Hanc foede corruptam lectionem intactam reliquit Schütz. Degen partem, altero loco a plurimis MSS., etiam ab ed. Ven. 502. omissam, uncis quidem inclusit; sed priorem servavit, pro qua Gernh. cum Camerar. ex ed. Ascens. et Gryph. restituit *cum*, exemplo in *Lael.* 6. pr. Cf. n. ad I. §. 4. et Ibid. 69. p. 161. ex. notavimus earundem confusionem vocularum. *Modestiam* hic in *moderata agendi ratione*, et

cillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientia viros, bene consulentis rei publicae,

---

qua bene audias, quaerit Görenz ad III. *Fin.* 16, 57. ubi refertur Stoicorum posteriorum sententia, *esse hominis ingenui et liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris.* Equidem e I. *Off.* 122. et h. l. 48. ex. intelligo *modestiam* eorum maxime, qui *maiores natu verentur* arrogantiaeque vitant suspicionem, facilitate suum cuique tribuendi. Omnino *modestia* ea est virtus, quae *modum* servat vel intra *modum* se ac mensuram legitimam continet: cernitur quippe in ea cupiditatum *moderatione*, qua de nostris dotibus ac meritis demisse ipsi sentimus, honorum appetitus contrahimus ac sedamus neque ad eos per vim, dolum, munera aliasque artes malas (quibus ille ap. Horat. I. *S.* 9. 45 — 59. Maecenatis amicitiam se expugnaturum confidebat) adscendere conamur; neminem contemnimus, licet minoribus praeditum Naturae donis, atque omnes denique et animi et corporis motus gestusque, omnia cultus genera, etiam sermones omnes et actiones ita moderamur, ut ordini Naturae, legum severitati et sortis nostrae conditioni conveniant. Itaque, *modestus* fuerit ille, qui intra *modulum* sui status, fortunae, ingenii, tamquam intra portionem suam, se contineat et in distributione laudis plus semper aliorum virtutibus, quam suis, tribuat (I. 137. ex. Cf. Aemil. Prob. XX. in *Timol.* 4, 2. s.), qui nemini temere se praeferat, non postulet primarum partium actor esse, non praeripiat aliis vices loquendi neque interpellet (I. 134. 136. s.), non conqueratur, se contemni aut praeteriri, seculum non accuset, quod male de se iudicet, quod indignis honor habeatur; qui non stomachetur, alienam provinciam non invadat, sed interpellatorum obtrectatorumque omnium levitatem humaniter ferat, de se non modo non praedicet, sed ne loquatur quidem, nisi ubi vel necessitas aliqua vel aliis obsequendi studium exigat; qui risus, iocos, voluptatum etiam liberalium fructus et commoditates quascumque negligat, si, illis rebus offendi quemquam aut, honorem, existimationem, dignitatem, auctoritatem illius imminui, videri sentiat; qui denique de iure suo et commodis, de parte rei familiaris concedat potius, si ea iactura sit utcumque tolerabilis, quam illis contentionibus negotium sibi aliisque facessat. Huius autem hominis undique amabilis, qualis praedicatur *Agricola* a Tacito c. 9., consuetudinem merito omnes appetunt. (*Ep.* II. 14, 1.) Vt enim virtutibus omnino omnibus hic divinitus attributus est honor, ut placeant etiam iis, qui illas assequi suam ob pravitatem nolint: ita haec ipsa est modestiae in primis, I. §. 46. p. 114. inter *virtutes leniores* commendatae, natura congrua,

contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore [se] similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. P. Rutili 47
adolescentiam ad opinionem et innocentiae et iuris scientiae — P. Muci commendavit domus. Nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adolesceus, non

---

Multis exemplis illustratur a b. Io. Ge. Eccio *ad l. Cic. de off.* II. 13. *de Modestia dissertatiuncula* Lips. 796. 4. pp. XII. e qua, a Spohnio, Viro Exc., amice nobis communicata, paucula haec delibavimus.

quibuscum si frequentes sunt] i. e. saepe conversantur. *Or.* c. 5. Demosthenes dicitur *frequens Platonis auditor.* De more apud Romanos recepto v. I. 122. Pron. *se*, quod volgo post *fore*, in Gu. 3. post *similes* additur, Schütz, ad fidem Goth. ed. Lugd. 527. et Nonii in v. *Opinio* ex ed. Plant. 1565. etiam ab Ern. et Gernhardo sublatum esse, testatur. At vero hic quidem p. 462. in *Addend.* ad p. 227. reponi iussit *fore se similes*. Verum tamen, sive haec a sola voce *opinionem* pendent sive a thesi *op. afferunt:* probari potest Ellipsis pronominis *eos* exemplo Aemil. Probi in *Milt.* I. 1. et ne reciproci quidem insolens Ellipsis est. V. Görenz ad *Fin.* II. 15, 50. p. 198. s. Matthiae ad Cic. *p. Rosc. A.* 32, 61.

§. 47. *P. Rutili*] *Rufi* (III. 2, 10.) *adolescentia* dicitur pro ipso *adolescentulo*, quem, P. Rutilius ap. Cic. in *Bruto* c. 22., se, memorat, fuisse a. 615. Idemque *admodum adolescens* dicitur in *Lael.* 27, 4. qui dialogus a. V. 624. habitus fingitur. Male igitur ibi Wetzel et Ernestus in *Indice histor.* hunc Rutilium confundunt cum illo, qui iam a. 616. tribunus Pl. fuit. Rectius Schütz in *Ind. hist.* p. 349. distinxit. Inter *P. Mucii* discipulos nominatur a Pomponio *de orig. iur.* §. 40. De scriptis eius, e quibus in *Bruto* 30. memorantur *multa praeclara de iure civili*, Rupertus consuli iubet Cuiacium II. *Observ.* 27. et Torrent. ad Sueton. *Aug.* 89. Binkes p. 39. n. 25. laudat Bachium in *Hist. iur.* l. II. c. 2. sect. 4. §. 36. eundemque §. 31. et Fr. Balduinum *de Iurispr. Muciana* p. 24. ss. ed. Gundling. et Ernestum, cuius in *Clavi* notam Schütz in *Ind. histor.* p. 282. repetiit; de *P. Mucio Scaevola*, qui a. V. 620. consul fuit. Filium I. 116. pr. cognovimus.

admodum adolescens] ap. Aemil. Prob. XXII. in *Hamilc.* 1, 1. *admodum adolescentulus*, XVIII. in *Eumen.* 1, 4. *peradolescentulus*, vel simpliciter *adolescentulus*, interprete Dodwello in *Annal. Quinctilianeis* n. 3. pr. p. 1120. Burmann. (765. Capperonn.) dicitur, qui prima est adolescentia; qui ita est adolescens, ut nondum tamen suorum

aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa: et, qua aetate qui exercentur, laude affici solent (ut Demosthenem accepimus), ea aetate L. Crassus

---

fecerit adolescendi. H. l. intelligitur *adolescentia barbatula*, quae incipit ab anno XVIII. expleto pergitque ad annum barbatoriae faciendae, aetatis nimirum XXI. *Nono decimo aetatis anno L. Crassus* (laudatus I. 108. pr.) *C. Carbonem* (a. V. 634. post consulatum a. 633. gestum) *insecutus* dicitur in *dial. de caussis corr. eloq.* 34. ex. Sed certior auctor ipse Crassus ap. Cic. III. *Or.* c. 20. pr. *Ego*, inquit, *sum is, qui — omnium maturrime ad publicas causas accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim; cui disciplina fuerit forum, magister usus et leges et instituta P. R. mosque maiorum.* In *Bruto* c. 43. ex. natus dicitur a. V. 613. et *defendisse Liciniam virginem* (a. V. 640. Diversa enim iudicia confundunt interpp. ad III. *Catil.* 4, 9. ex. etiam Weiske et Matthiae), *cum annos XXVII natus esset.* Cf. *Or.* I. c. 10. pr. (§. 40.) 26. ex. 34. pr. et Valer. M. VI. 5, 6. Eius actionis fragmentum exhibetur II. *de or.* 40, 8. Ea *repetundarum postulatum C. Carbonem*, perhibent Heuss., ex prava videlicet interpunctione loci *Epist.* IX. 21, 8. confundentes cum *Marco* fratre. *C.* autem *Carbonem, propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicasse*, constat e *Bruto* 27, 103. cl. *Leg.* III. 16, 35. Poenituit postea Crassum. *Verr.* III. 1.

ut Demosthenem accepimus] Intell. *fecisse*, ut *Verr.* IV. (non, ut Gernh. citat, III.) §. 39. c. 19. pr. *Eriphylam accepimus in fabulis, ea cupiditate*, intell. *fuisse*. Vel Ellipsis e praecedd. supplenda, ut I. 6, 19. *Lael.* 2. §. (5.) 7. Putant VV. DD., Crasssum cum Demosthene comparari, quod uterque adolescentulus in forum prodierit. Nam *Demosthenem puerum admodum* (XVIII annorum) *actiones pupillares habuisse*, memorat Quinctil. *Instt.* XII. 6. pr. Cf. Suidas in *Demosthene*, cuius etiam exstant orationes contra *Aphobum* tutorem. Propterea Schütz ante parentheticam comparationem istam posuit vv. *ea aetate*: quibus iam Ruhnken. ad Rutil. Lup. *de figur. sentent. et eloc.* II. p. 108. volgatam lectionem *ut de Demosthene acc.* postponi voluerat, probante Wyttenbachio in *Bibl. crit.* I. 3. p. 26. Verum tamen Demosthenes tunc quidem non magnam sibi laudem peperit in foro, teste Plutarcho in vita c. 6. pr. atque etiam postea, τὸ πρῶτον ἐντυγχάνων τῷ δήμῳ, θορύβοις περιέπιπτε καὶ κατεγελᾶτο δι' ἀήθειαν τοῦ λόγου. Propterea c. 7. dicitur sese afflictasse, ὅτι, πάντων [illegible]

ostendit, id se in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari. . . .)

XIV. Sed cum duplex ratio sit orationis, 48
quarum in altera sermo sit, in altera contentio: non est id quidem dubium, quin contentio orationis maiorem vim habeat ad gloriam (ea est enim, quam eloquentiam dicimus); sed tamen difficile dictu est, quanto opere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis. Exstant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et

---

ἐν τῶν λεγόντων, — χάριν οὐκ ἔχει πρὸς τὸν δῆμον, ἀλλὰ — πεπερᾶται. Itaque praestat haec accipere de *meditationibus*, quibus Demosthenes *domi exercitatus* dicitur c. eod. extr. et 8. Cf. Liban. in ei. vita. Cic. I. *Or.* c. 61. p. m. Valer. Max. III. 7. *ext.* 1. et A. G. Beckeri l. „*Demosthenes als Staatsmann u. Redner*“ Hal. 1816. II. Voll. 8. — *Meditari* hic, ut I. 144. ex., dicitur de *declamatione*, quae ap. Quinctil. *Instt.* IV. 2, 29. dicitur *forensium actionum meditatio*. Et de *exercitationibus oratoriis* suis sic loquitur Cicero in *Bruto* 90. §. 5. *Commentabar declamitans.*

C. XIV. §. 48. *duplex ratio — orationis*] Cf. I. c. 87. pr. et de Subiunctivo modo in relativo membro ib. c. 36. pr. Statim post pron. *id* cum vi ponitur pariter ac h. l. §. 54. pr. ubi verba sic struuntur: *id quidem non dubium est.* — Deinde recte videtur Gernh. cum Heus. e Gu. 1. et Goth. scripsisse disiunctis vocibus, *quanto opere*. Schütz cum volg. *quantopere* et post vv. *conciliet animos* retinuit Genitivum *hominum*; quem post v. *animos* propter compendii similitudinem facile excidere potuisse fatemur; sed, plurimorum librorum testimoniis confisum, Gernhard, ne, si iungeretur cum seq. Substantivo, ambiguitas quaedam oriretur, eiecerat, ceterum argutatus de positu verborum. Nam eadem vi dicitur *conciliare animos hominum* h. l. §. 17. (cf. *Lael.* 9, 1.) et *hominum studia complecti* v. *allicere* h. l. §. 19. pr. 20. ex.

Philippi ad Alexandrum] epistolam quandam v. infra 53. De utroque cf. I. 90. p. 203. De *Antipatro*, quem non, ut Degen refert, *duodecim*, sed *duo* epistolarum libros reliquisse commemorat Suidas in v. Ἀντίπατρος, v. Ernest. in Schützii *Ind. histor.* Potestate regia usus est post Alexandri M. mortem, rege Philippo Arideo. Cas-

Antigoni ad Philippum, trium prudentissimorum (sic enim accepimus), quibus praecipiunt, *ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant militesque blande appellando deleniant.*

Quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam excitat. Magna

---

xander demum diadema sumpsit. — *Antigonum* autem eum, cuius hic laudantur epistolae, Chapman volt esse Antigoni Gonatae nepotem, Demetrii fratrem minorem (imo patruelis *fuit*, ἀνεψιός. V. Plutarch. in Aemil. c. 8. pr. Pausanias VII. 7, 2. II. 8, 5. VI. 16, 3. VIII. c. 9. ex.), qui *Doson* et *Soter* nuncupatus, *Philippo*, Demetrii filio, parvulo admodum, tutor datus est et, in matrimonium accepta matre pupulli, fuit ipsi vitricus et in regno Macedoniae antecessor (Polyb. II. p. 183. Iustin. XXVIII. 3.). Hunc virum sapientia, virtute et gloria eximium laudans Polybius ea ipsa in illo praedicavit, unde natae epistolae videntur Chapmanno. Nam Ἀντίγονος, inquit, καλῶς μὲν ζῶν προέστη τῆς τε βασιλείας καὶ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ· καλῶς δὲ τὸν βίον μετηλλάττων, προενοήθη πρὸς τὸ μέλλον περὶ πάντων τῶν πραγμάτων l. IV. p. 485. Cf. l. V. p. 499. s. Huius igitur *privignus* potius, quam *filius*, fuit *Philippus*. V. Beckii, Viri Ill., *Weltgeschichte* Vol. II. p. 52. Potest tamen cum M. Heus. et Gernh. satis commode intelligi *Antiochus*, Asiae rex, Demetrii Poliorcetis et *Philippi* pater. V. Frontin. l. IV. p. 729. Plutarch. in ἀποφθ. βασ. p. 182. B. et in *Demetrio* c. 23. ex. et 2. pr. ubi a scriptoribus quibusdam vett. manifesto cum abnepote suo, vitrico illo Philippi, confunditur. Vtcumque sit, quod post *Philippum* volgo additur glossema *filium*, id fide Gu. primi, ψ et edd. vett. recte expunxit Schütz. Eidem post *trium prudentissimorum* e Gu. 2. addere iubenti *virorum* operae parere noluerunt. Propterea a Cicerone omissum videtur, ut ad adiectum *prudentissimorum* statim applicaretur Parenthesis, cui comparari potest I. 97. (p. 216. pr.) 113. p. 242. pr. Monuit Gernh., intelligi eam prudentiam, quam illi in consiliis et factis et vita sua reliqua exprompserunt: quae ut fuerit maxima, ita eorum praecepta non potuisse non plurimum in hac re habere auctoritatis. Sed non est, ut cum eodem V. D. cogitemus de transpositione: *Exstant epistolae trium prudentissimorum (sic e. accepimus), et Philippi etc.*

saepe universam excitat] i. e. *universae multitudinis studia*; cum faciat, ut *in universorum animos tamquam influamus* (31. ex.). Nexum hunc esse, docet Garve: „Quam vim comitas affabilitasque sermonis (cf. I. 113. p. 241. Eurip. in *Suppl.* 871. al. 869. εὐπροσήγορον στόμα) et ad glo-

est enim admiratio copiose sapienterque dicentis;
quem qui audiunt, intelligere etiam et sapere plus,
quam ceteros, arbitrantur. Si vero inest in oratione
mixta modestiae gravitas, nihil admirabilius fieri
potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente. Sed 49
cum sint plura causarum genera, quae eloquentiam
desiderant, multique in nostra re publica adolescentes
et apud iudices et apud senatum dicendo laudem
assecuti sint: maxima est admiratio in iudiciis,
quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et
defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio,
tamen accusatio probata persaepe est.

---

tiam et ad gratiam habet in singulos ac sensim sensimque exserit, hanc contentio orationis in universam civium concionem simul habere potest." Cf. §. 66. pr. *Admiratio* passive usurpatur, ut alia eiusmodi verbalia. *Mur.* 40, 87. *Misericordiam spoliatio consulatus magnam habere debet; — invidiam nullam.* — Vv. *nihil admirabilius fieri potest* fortius exprimunt Superlativum admirabilitatis, quam facit *in oratione mixta modestiae* (quae, ut docetur I. *Or.* c. 26. ex. *probitatis commendatione prodest*) *gravitas*. Nam, quem ad modum spicae granis vacuae capita sua attollunt, aristarum gravium plenarumque proprium est incurvari; sic etiam de ingeniis iudicari solet ex Brachmanum sententiis ap. Herderum in syllog. IV. *Zerstreute Blätter* p. 326. itemque ex Gallorum proverbio, *Beaucoup de bruit, peu de fruit.* Cf. Chrysost. T. IV. ed. Frcf. p. 294. *Homil.* xx. *ad Rom.* 12, 3. Ἐλάβομεν φρόνησιν οὐχ ἵνα εἰς ἀπόνοιαν αὐτῇ χρησώμεθα, ἀλλ' ἵνα εἰς σωφροσύνην. — σωφροσύνην (Apostolus) ἐκάλεσε τὴν ταπεινοφροσύνην: quos laudat Eccius *dissert.*, ad §. 46. citatae, p. IX.

§. 49. *cum sint plura c. g., quae e. desiderant*] De huius Indicativi ratione v. ad I. 2, 5. p. 11. Deinde Schütz cum volg. *maxima admiratio est.* Heus. et Gernh. cum Gu. 1. 2. 3. (4. interponit *enim*) μ, ψ, ed. Ascens. Lugd. 527. et Gryph. transposuerunt, quem ad modum praecessit: *Magna est enim admiratio.* Seq. *quarum* valet *e quibus*, i. e. *quarum* (accusationis et defensionis) *si contentio fiat.* De re v. Quinctil. *Instt.* XII. 7. pr. cl. Cic. II. *Or.* §. 230. Particulam *etiam*, quae post *tamen* non reperitur in Gu. 1. μ et ed. Gryph., ab Heus. recte omissam, tuetur Görenz ad II. *Fin.* 15, 49. p. 196. pro *vel, adeo* positam, idemque cum quatuor suis *est* retrahit hoc modo: *probata est persaepe.* V. nos ad I. 6, 19.

Dixi paulo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius. Etiam P. Sulpici eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum et inutilem civem,
50 C. Norbanum, in iudicium vocavit. Sed hoc quidem non est saepe faciendum, nec unquam, nisi aut rei publicae causa, ut ii, quos ante dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro

---

p. 43. Sed satis iam longe reiectum videtur persaepe. De *Crasso* respice ad 47.

M. Antonius] triumviri avus, natus a. V. 610. (Brut. c. 43. ex.), accusavit Gn. Papirium Carbonem, eius, qui Ethyber a Pompeio est interfectus, patrem (*Epist.* IX. 21. ex.), qui consul a. V. 640. infeliciter adversus Cimbros pugnaverat. Idem, homo censorius, (ut verisimile fit, a. V. 659.) *P. Sulpicio Rufo* eripuit *Norbanum*, hominem furiosum, sodalem et quondam quaestorem suum (*Or.* II. c. 28. sub. f. 48. ss. 54. pr.): in quo maiestatis lege Apuleia accusando (ib. 25. cf. 21. ex.) ille *vim*, *fugam*, *lapidationem crudelitatem tribuniciam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabat* ib. c. 47. quem locum excitavit Ernestius *Miscellan.* p. 252. propter dictionem, quae eadem repetitur *p. Rab.* 9, 35. ex. ed. Beck. et *Div. in Caecil.* c. 5. ab in. C. Norbanus Q. Servilium Caepionem reum fecerat rogationemque vi pertulerat. V. Brut. c. 44 pr. Sellius in *Ind. histor.* p. 72. scribit, „Caepionem reum factum a Cn." [sic] „Iunio Norbano *maiestatis*" (ap. de amisso exercitu). Cf. ib. p. 291.

duo Luculli] Lucius et *Marcus*, magna cum gloria patris sui, *L. Luculli*, accusatorem Servilium augurem persecuti sunt. II. *Acad.* 1, 1. ubi Görenz credit, Marcum causae modo subscriptorem fuisse, quippe cuius ea in re Plutarchus in *Luc.* 1. non meminerit; et, quod V. D. omnium minime probare poterit, „non proprio nomine fratrem huic fuisse, sed consobrinum." — *Patrocinium Siciliense* quam laudabiliter Noster, qui quaestor in Sicilia fuisset, a V. 678. gratamque eius quaesturae memoriam reliquisset, aedilis designatus a. V. 683. susceperit, testantur luculentae gravissimaeque orationes in *Verrem*: quos tamen literis mandavit, non in iudicio ipso habuit, teste Plutarcho in v. *Cic.* c. 7. s. Cf. *compar. Demosth. cum Cic.* c. 3. Alludit ipse in *Bruto* c. 92. ex. et *pro Scauro* ed. Schütz. T. XVI, II, p. 39. quem locum mutilum utcumque supplere tentabimus: *An ego querelas atque iniurias* [provinciae ulcisci potuissem, nisi, quem ad modum, horrisonis omnia late ruinis operientem, flammeo ha]*litu Aetnam arde-*

pro Sardis in propraetore Albucio Iulius. In accu-

sadere dicunt, sic Verrem obruissem Sicilia teste tota? Tu(ver)o comperendinasti, uno teste producto: at quo teste? etc. Vt Cicero illo tempore ab Siculis, sic ante *C. Iulius* ab *Sardis* rogatus ad accusandum *T. Albucium* accessisse dicitur in *Divin. in Caec.* 19, 63. *Strabonis Caesaris* (de quo cf. n. ad I. 108. pr.) *oratio, quae inscribitur pro Sardis*, memoratur a Suetonio in *Iul. Caes.* 55. Corrupte igitur hic in libris omnibus scribitur *pro M. Albucio*: quae vv. Lambin. M. Heus. et Facciolatus, multam illi scribis eruditionem imputantes, excludunt: quibus assentiaturne, ambigit Degen, an cum Manutio et F. Heus. corrigat *contra Albucium*. Falso enim his emendationem *contra T. Albucium* tribuit Schütz, qui ipse Doleti in *Commentar. linguae Lat.* coniecturam *in T. Albucium* recepit. Sigonius coniecit, *pro Sardis vero Albucium Iulius Caesar* (scil. *accusavit*). Tum mallem equidem *pro S. propraetorem Albucium Iulius*, ut e praecedd. subaudiretur *in iudicium vocavit.* Sic appareret origo falsi praenominis *M.*, quod ut adiiceretur, hic non magis necessarium fuit, quam *in Pis.* c. 38. pr. Aliter corruptum est in *or. pro Scauro* p. 41. s. *Damnatus est L. Albucius — ex Sardinia, non nullis etiam laudantibus Sardis.* De *T. Albucii* nomine constat e *Bruto* c. 26. ex. *Fin.* I. 3, 9. *Tusc.* V. 37, 108. ex. *De provinc. consular.* c. 7. (ed. Schütz. c. 6.) *a T. Albucio propraetore res in Sardinia gesta* dicitur. Videtur igitur scribendi compendium *PROPR.* hic ansam dedisse corruptelae, ut alibi: e. g. ap. Liv. XXIII. 42. *nunc prope* (felici emendatione Exc. Walch restituit *propraetoris*) *unius et parvi ad tuendam Nolam praesidii praeda sumus.* Ap. Vellei. P. II. 61, 3. pro eo, quod est in ed. princ. *P. R.*, Sigonius restituit *pro praetore.* Contra ib. 90, 2. pro editionis princ. lectione *amissis praetor imperatoribus* recte scribitur *a. Populi Romani i.* Si quidem in Petronio CXI. 5. pro *imperator provinciae* recte Burmannus emendavit *i. P. RO.*, posset hic refingi, *pro Sardis provincialibus IN Albucium Iulius.* Potuit enim, substituta propter vicinitatem alia praepositione, mutari etiam casus. Sed probabilius videtur, quod edidimus, *in propraetore.* Cf. *p. Planc* c. 32. *Cui quidem (L. Racilio), ego, sicut in Plancio, nunquam dissimulavi, me plurimum debere. Pro Scauro* p. 39. ab in. *Hoc tu idem* (an *item?*) *tibi in Aemilio Scauro putasti esse faciendum.* Forte quis maluerit *in Albucio propr.* Sed postponitur nomen proprium, explicationis causa quasi in appositione adiectum, I. §. 32. p. 71. *Theseus filio Hippolyto. Fin.* II. 16, 54. *decreta a senatu est consuli quaestio Cn. Caepioni.* Non displiceret h. l. *in praetore.* Nam *praetor* saepe dicitur pro *propraetore.* V. Ern. in v. n. 3. ap. Schütz. in *Lex. Cic.* III, II. p. 328. Sed, praemissa alia praepositione, dicitur *a. proconsule* ap. Sueton.

sando etiam M'. Aquillio L. Fufii cognita industria est. Semel igitur aut non saepe certe. Sin erit, cur faciendum sit saepius: rei publicae tribuatur hoc muneris, cuius inimicos ulcisci saepius, non est reprehendendum. Modus tamen adsit. Duri enim hominis vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est; tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere: quod contigit M. Bruto, summo

---

in *Iul.* c. 54. pr. Male vero Schütz in *Ind. hist.* p. 16. scripsit: „*T. Albucius* Brut. 26. de rep. pecuniis accusat Mucium Scaevolam; ad hanc accusationem respici videtur *Or.* II. 70. ubi pro *quum eius tabulis quiddam Albucio probatum videretur*, legendum opinor *a Mucio* (Scaevola) *probatum.*" Facilius Herculi clavam, ut aiunt, quam viro ingenioso eripias coniecturam. Verum tamen ipse melius edidit *ab Albucio.* Itaque ibid. statim ante legendum putamus *obiurgavit Albucius* (in edd. est *Albius*) *Granium.* Nam iam F. Heus. evicit, Mucium augurem potius ab Albucio repetundarum reum factum esse, laudato Pighio ad a. MDXXXII. et Ruperto ad Pompon. *de O. I.* p. 186. Idemque emendat Appulei. *de Magia* p. 516. (71. ed. Bip.) *gloriae causa ... accusavit ... M. Antonius Cn. Carbonem, C. Iulius T. Albucium, P. Sulpicius Cn.* (etiam in h. nostro l. Gu. 5. habet *Gneum;* sed scrib. *C.*) *Norbanum, C. Furius M. Aquillium, C. Curio Q. Metellum:* ubi etiam, ut monuit, Graev. ad h. l., corrigendum *L. Fufius M'.* (i. e. *Manium*) *Aquillium:* quamquam *Marcus* vocatur etiam in fr. *or. p. Scauro* apud Ascon. ed. Schütz. p. 47. in Liv. *Epitom.* 70. pr. et in *Fastis Capitol.* Sed v. Fr. Fabric. in *Ciceronis historia* ad a. DCLII. n. 6. ss. Eius nomen Schütz hic et in *Bruto* c. 60. l. V. *in Verr.* c. 1. *p. Flacco* c. 39. recte scripsit duplici *l*; sed *Or.* II. c. 45. pr. 48. (al. 47.) pr. *Aquilius.* Multa probra audivit in suo iudicio (*Fontei.* c. 3.), quo de repetundis postulatus est ex Sicilia a. V. 655. In his igitur obiiciendis cum aliqua ratione et suspicione spectabatur accusatoris *industria*, quam tamen latius patere, fatemur. Nam in *Bruto* c. 27. Carbo orator dicitur *industrius et diligens et* (quae copula hic explicationem adiungit, ut I. §. 33. p. 75.) *in exercitationibus commentationibusque multum operae solitus ponere.* — In seqq. *tribuatur* firmatur etiam a cod. Cur.

periculosum ipsi est] quo modo? ratio explicatur *l.* III. *in Verr.* c. 1. — *Brutus, accusator,* notatur in l. *de clar. or.* c. 34. Reos fecit tum alios, tum Gn. Plancum et

genere nato, illius filio, qui iuris civilis in primis
peritus fuit. Atque etiam hoc praeceptum, offici 51
diligenter tenendum est, ne quem unquam innocen-
tem iudicio capitis arcessas: id enim sine scelere
fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhuma-
num, quam eloquentiam, a Natura ad salutem homi-
num et ad conservationem datam, ad bonorum
pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut
hoc fugiendum est, item habendum est religioni,
nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque,

M. Aemilium Scaurum, *summo genere natus*. Nam credebatur ducere originem a gente *Iunia* patricia, vetustis Romae regibus sanguine iuncta, quam Degen confundit cum gente *Iulia*, ab *Aenea* oriunda. V. Ern. in Schützii *Ind. histor.* p. 62. s. qui ib. p. 63. ex. verba, *qui iuris civilis — peritus fuit*, ad *filium* refert, cum pertineant ad patrem, praetorium, quem *septem libros* reliquisse, testis est Pomponius *de orig. iur.* §. 39. Cf. Corn. Nep. XXV. *Attic.* 18, 5.

§. 51. *iudicio capitis arcessas*] Cum Goth. Vinar. Pith. duo Ox. Eyb. ed. s. l. et a. pr. Rom. quatuor Ven. (nominatim 1470. 1498.) Lips. 507. 513. et Argent. praemittant *in* (quae praepos. nata ex ultima verbi praecedentis aut syllaba prima sequentis videtur Ernesto): alii (nescio, qua auctoritate) volgarunt *in iudicium*. C. Lang., Facciol. et Heum. excluserunt v. *iudicio*, uncis notavit Gernh., comp. *Deiot.* 11, 30. Similiter dicitur *capitis* (np. *reum*) *condemnare* I. *Or.* c. 54. sed *p. Rab.* 9, 36. (volgo 26.) *arcessere in summum capitis periculum*; in *Bruto* c. 55. sub f. ed. Sch. *in iudicium capitis* (de quo v. Schützii *Lex. Cic.* II, I. p. 221.) *multos vocaverunt*, et *p. Flacco* 6, 14. *ut hunc hoc iudicio arcesseret*: in quo exemplo, cum nullus adsit Genitivus, deprecando, paullo fastidiosior videtur Gernhard.

ut —, item] Hanc lectionem Heus. firmavit etiam auctoritate Nonii in v. *Religio* et ex eiusd. cod. antiquissimo Gu. in v. *Nocens*. Schütz cum libris volg. *ita*: quae partt. eodem modo confunduntur *Fin.* III. 14, 48. ex. V. §. 80. c. 10. ex. I. *N. D.* 11, 28. *item reprehenditur, ut ceteri.* M. Heus. comparat *Epist.* V. 16 (volgo 12), 6. *Cluent.* 24, 108. ed. Beck. et exempla respondentium inter se partt. *ut — itidem* Plauti *Amph.* III. 4, 9. *Capt.* II. 2, 11. Terent. *Phorm.* III. 1, 12. Lucret. III. 11. s. Adhibetur hic *aliquando — defendere*, quippe in affirmativa sententia concedentis; sed in negativa vetantis ab in. h. §. non potuit non poni *ne quem unquam*.

defendere. Volt hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est, semper in causis verum sequi; patroni, non numquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere (praesertim cum de philosophia scriberem) non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio. Maxime autem et gloriâ paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urguerique videatur: ut nos et saepe alias et

---

Volt hoc multitudo] praesertim in causis hominum popularium, ut C. Norbani. — *Verum sequi* valet, sententiam suam accommodare ad id, quod in una quaque causa verum est. V. ad §. 7. p. 17. s. Degen, *verum* in abstracto, *veritatem* in concreto dici, opinatus, veram rationem plane pervertit. Ceterum his Cicero sibi suffragatur. Vid. *Fin.* II. 1, 1. et *Epistt.* IV. 13, 9. *Etiam sontibus* (quos hic dixit *nocentes*) *opitulari poteram:* e. g. Cluentio, venefico, (v. Quinctil. *Instt.* II. 17. p. 130. ed. Capperonn.) et Munatio, de quo gloriatur ap. Plutarch. in v. *Cic.* c. 25. pr. Cf. quae notavimus de Scauro ad I. 138. ex. *Pro Sulla* 17, 48. Torquato, exprobranti, *Regnum est, dicere, in quem velis, ac defendere, quem velis,* respondet: *Imo servitus est, non dicere, in quem velis, nec defendere, quem velis.* Nefas est autem, philosopho vero, si quid aliud, indignum vel maxime, ad turpitudinis excusationem abuti auctoritatibus vel pravae consuetudinis exemplis. Binkes quidem haec scripsit p. 40. n. 25. „Cum Cicerone consentit Garve T. III. p. 155. ss. qui tamen duos excipit casus, quibus talis defensio non est licita, nempe si defensor falsa proferat argumenta: deinde, si eloquentia sua ita utatur, ut iudicum animos ad misericordiam moveat. Licet, quod ad primum casum attinet, assentiar Garvio, de secundo, quod in eius transeam partes, vetat humanitas et usus, ad quem data est homini eloquentia.“ Quam eloquenter! Modo ne, eloquentia abusus, iudicibus corruptis praetextum et latebram praebeat periurii aut male cautis tenebras offundat, *adiuvans iniuriam!* Cf. h. l. 71. ex. III. 74. l. IV. *de republ.* p. 96. ex. Sch.

et gloria — et gratia] Binis his vocibus iunctis *bonam famam*, quam Graeci appellant *εὐδοξίαν*, pro qua Cicero a c. 12. inde simpliciter *gloriam* posuit, exprimi, monuit Görenz ad *Fin.* III. 17, 57. pr. — Privatam causam *pro Quinctio* apud Aquillium Gallum iudicem Noster iam a.

adolescentes contra L. Sullae dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus: quae, ut scis, exstat oratio.

XV. Sed, expositis adolescentium officiis, quae 52 valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac de liberalitate dicendum est. Cuius est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec posterior, locupleti praesertim; sed illa lautior ac splendidior et viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas: tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur.

V. 672. egerat; ergo XXV. non, ut Schütz in *Summario* (T. IV. p. 7.) scribit, *XXVI annos natus*. Sed primam causam publicam *pro S. Roscio* dixit (v. *Brut.* c. 90. ex. et Plutarch. in Cic. p. 862. c. 3.), *sex et viginti natus annos* (Quinctil. *Instt.* XII. 6, 4.) *L. Sulla Felice*, *Q. Metello Pio COSS.* (Gellius XV. 28.) Cf. Cic. in *or.* c. 30. *Quantis illa clamoribus* (auditorum laudantium) *adolescentuli diximus de supplicio parricidarum!* Sic, non interrogationis signo, ibi distinguendum. — Denique *exstare* dicitur oratio, quae literis mandata atque evolgata est.

C. XV. §. 52. *de beneficentia ac de liber.*] Schütz cum volgg. ll. alteram Praepositionem omittit, ab Heus. interpositam e Gu. 1. 2. 5. In 3. est *et de*. Vid. I. c. 14. pr. Incipit hic praeceptio de hominum studiis aut beneficiorum magnitudine aut spe utilitatis inescandis. Pendet haec ultima eaque duplex pars a partitione §. 21. ex. et 22. ex. proposita. V. *lautior* Degenio, originem a verbo *lavendi* et veriloquium urguenti, videtur significare i. q. *purior*, F. Heusingero autem, Pareum in *Lex. crit.* s. v. arbitrum adhibenti, i. q. *copiosior et ad bene de multis promerendum magis idonea*. Conferri potest 66. ex. et 54. pr. ubi tamen eodem sensu dici videtur *honestior*. Exit igitur fere i. q. *cum maiori dignitate coniuncta*, *quippe virtuti propior*. Tum pro *utroque* μ habet *utraque*, quod ipsum coniecerat Schaefer, Rector Onoldinus, laudatus Degenio, sed frustra. De genere Neutro duobus Femininis subiecto v. Oudendorp. ad Sueton. *Claud.* c. 38. pr. Wolf, V. Perill., ibi laudat Drakenborchium ad Liv. XLIV. 36. pr. Futiliori etiam Schaefer ille lectores pascit coniectura: *tamen in altera* etc. Quam belle utraque benignitatis subsidia sibi opponantur, illinc arca facile exhaurienda, hinc

Largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in pluris usus sis, eo minus in mul-
53 tos uti possis. At, qui opera, id est virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo pluris ad benigne faciendum adiutores habebunt; deinde consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Praeclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. *Quae te (malum!)*, inquit, *ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupis-*

---

virtutis fons perennis et quasi iugis, quisque facile sentiet. Lactantio quidem VI. 11, 9. ss. Tullius hic videtur suadere, *non esse omnino largiendum.* Sed meliorem sententiam Nostro tribuere videtur Hieronymus *Ep.* XIII. *ad Paullin.* f. 104. *Considera, ne Christi substantiam imprudenter effundas, id est, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus et secundum dictum prudentissimi viri liberalitate liberalitas pereat.*

§. 53. *id est virtute et industria*] pro *industria* (in causis agendis), *quae virtuti propior est* (cf. §. 22.) vel *ex virtute depromitur.* Non est igitur, ut vv. *id est virtute* aut deleamus cum Pearcio aut de ἀνδρείᾳ accipiamus cum M. Heus. Explicatur nempe *opera* forensis: cui conveniunt seqq. quae spectant ad oratorem *facile laborantem*, qui etiam sine multa meditatione *multorum causas defendere potest* (66. ex.): qualem Cicero *p. Mur.* 17, 36. laudat *L. Philippum summo ingenio, opera, gratia.* — Tum *ad b. faciendum adiutores* dicuntur, ut *p. Rosc. A.* 2, 6. ex. *Lael.* 10, 7. Terent. in *Phorm.* III. 3, 28. quod monuit Euch. Ferd. Christi. Oertel *de Germanismis linguae lat. apparentibus sect.* II. (Ansbaci 801. 4.) p. 17. Paullo post Gernh., cui non probabile est, omnem istam Philippi epistolam versatam esse in accusando, Praepositionem, quam Graev. cum suo cod. et Palat. 1. omiserat, e rell. libris reduxit scribendo, *in epistola quadam*: quod et Heusingeris melius videbatur, testem adhibentibus Valer. Max. VII. 2. *extern.* 10. Sed sic solent promiscue sequioris aetatis scriptores, ut interpolator I. Off. §. 37. pr. In ipsa epistola (*malum!*) interiectio est indignabundi atque ob-

ses? An tu id agis, ut Macedones non te regem
suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore?
Bene: *ministrum et praebitorem*, quia sordidum
regi; melius etiam, quod largitionem *corruptelam*
dixit esse. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad
idem semper exspectandum paratior. Hoc ille filio; 54
sed praeceptum putemus omnibus. Quam ob rem
id quidem non dubium est, quin illa benignitas,
quae constat ex opera et industria, et honestior sit
et latius pateat et possit prodesse pluribus; non
nunquam tamen est largiendum nec hoc benigni-
tatis genus omnino repudiandum: et saepe idoneis

---

iurgantis. Gernh. comparat *Phil.* I. 6, 15. pr. X. 9, 18. pr. Add. *in Verr.* l. II. c. 18. pr. — *Praebitor* i. e. q. *parochus.* V. Ern. et Schütz in *Lex. Cic.* s. v.

quia sordidum regi] Sic, praecedente *quia*, verbum subst. *est* subauditur III. c. 30. ex. in *Bruto* c. 76. *cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida celeritate caecata oratio*; itemque *sunt* II. *Acad.* 29, 94. quae Ellipseos in enunciationibus secundariis exempla indicavit Cel. Bremi ad *l. de fato* c. 2. p. 10. Ceterum ad *bene* in priori membro ex altero intell. *dixit*; post *melius etiam* supple *locutus est, indicavit, statuit*, vel simpliciter *facit*, usitata Ellipsi, ut *Phil.* IX. c. 2. pr. N. D. I. 36, 101. pr. 121. c. 44. pr. Tum e Gu. 3. atque ed. Gryph. volgatur *esse dixit.* Reduximus ordinem in rell. servatum, auctore Görenzio ad I. *Acad.* 1, 2. p. 4. iterum iterumque ad *Fin.* II. 19, 94. pr. III. 16, 55. p. 382. a. Seq. *Fit enim deterior* ap. Non. in v. *Exspectare* corruptum est in *E st e. d.*

§. 54. *Hoc ille filio*] sup. *praecepit*, quod relinquitur supplendum e seqq. ubi Noster tangere videtur in primis Antonium, in cuius vita v. Plutarch. c. 4. ad fin. In proxx., teste Görenzio ad *Acad.* I. 12, 44. p. 68. b. duo codd. praebent, *ut possit prodesse multis*, Erlang. *multis et pluribus*: duplici scilicet lectione iuncta. Deinde Gu. 3. transponit *largiendum est*: non tamen propter rell. librorum consensum hic quidem sollicito; sed post *repudiandum* v. *est* volgo iteratum sustulimus cum Lactantio VI. 11, 11. et Beda Venerabili, invito F. Heusingero, qui dissimillimis utitur exemplis. V. ad I. 69. p. 160. ab

hominibus indigentibus de re familiari impertiendum; sed diligenter atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. Quid autem stultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinae. Cum enim dando

---

in. — Paucis post v. *indigentibus*, quia abest a Gu. 3. et ab exc. Bedae atque Eybi cum F. Heus. ut glossam sustulit Degen, invitis rell. omnibus ll., etiam Cur. et ed. Ven. 702., invito etiam Lactantio, qui eodem loco habet *egentibus*, sed, impudenter in his Tullium cavillans, §. 12. *Quid est idoneis?* inquit. *Nempe iis, qui restituere ac referre gratiam possint.* Imo *bene meritis*, ut ipse Lact. c. 17; 18. expressit. Ambigue quidem dicitur III. *ad Herenn.* c. 4. *Laudabile esse demonstrabimus — ab idoneis hominibus: ut si qua res honestiori ordini placeat, quae a deteriori ordine improbetur.* Hic autem intelliguntur *probi*. V. Schützii *Lex. Cic.* in v. p. 68. In *divin. in Caecil.* c. 3. accusatores et iudices severi, qui causam rei publicae legumque suscipiunt, dicuntur *homines idonei atque integri*. Omnino *idonei* dicuntur pro *dignis*: etiam in malam partem in Sallust. *Cat.* 51. *Omnia mala exempla* (poenarum) *ex bonis initiis orta sunt; sed, ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos* (i. e. insontes) *transfertur*. Cf. Engelbronner in *disp. de loco Cic. de Legibus* (Amst. 1802.) p. 41. n. a. quem laudat Binkes p. 41. n. 30. — Hic etiam Degen cum Heus. e Goth., quicum facit Gu. quarti correctør, et ex ed. Lugd. 527. Anemoec. Gryph. scripsit *impartiendum*. Sed v. ad I. 92. p. 207. ex. — *Diligenter* autem hic i. e. q. *cum delectu dignitatis* (cf. I. §. 45. pr. 49.) v. *pro dignitate cuique* I. §. 42. p. 106. *Debemus enim in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere.* II. 62. — Deinceps legebatur: *Quid autem est stultius*. Sed, ne temeritatis nos incuses, quod v. *est*, servatum etiam a Lactantio VI. 11, 10., verae rationis confidentia elati, exterminavimus, cf. modo, sodes, III. 55. ex. *Lael.* 15, 10. (55.) 14, 2. (49.) *Cat. Mai.* 19, 8. *Att.* XV. 10. *Fin.* II. 16, 50. *N. D.* I. 15, 38. ex. Itaque etiam ib. II. 13, 36. ubi nunc legitur *Quid autem est inscitius, quam —?* facilius expunxerim *est*, quam cum Heindorfio transposuerim *Quid est autem —*: quo ordine verba cum gravi asseveratione collocantur *Tusc.* II. 24, 57. ex. V. 23, 67. pr. Et sic fortasse collocanda ib. IV. §. 35. c. 16. pr. Probus est etiam hic ordo p. *Caecina* c. 19. *Quid enim facilius est, quam —?* — *Cautio* valet, *data opera id agere, ut* etc. De cautione hac liberalitatis cf. Plauti *Trinum.* (II. 2, 68. 79.) 342. 353.

egere coeperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, cum benevolentiae comparandae causa benefici esse velint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quam ob rem nec ita claudenda res est 55
familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod, a nostris hominibus saepissime usurpatum, iam in proverbi consuetudinem venit,

---

Cum — coeperunt] Hoc recte e codd. et edd. vett. restituit Gernh., cum ros facta inducatur. Cf. ad I. 8, 26. pr. Degen cum volgg. edd. *cum — coeperint.* De sententia cf. I. §. 44. p. 109. Aristot. *Nicom.* IV. 1. sect. 16. §. 3. Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τῶν ἀσώτων — καὶ λαμβάνουσιν, ὅθεν μὴ δεῖ, καὶ εἰσὶ κατὰ τοῦτο ἀνελεύθεροι. Ληπτικοὶ δὲ γίνονται διὰ τὸ βούλεσθαι μὲν ἀναλίσκειν, εὐχερῶς δὲ τοῦτο ποιεῖν μὴ δύνασθαι. Ταχὺ γὰρ ἐπιλείπει αὐτοὺς τὰ ὑπάρχοντα. Ἀναγκάζονται οὖν ἑτέρωθεν πορίζειν· ἅμα δὲ καὶ διὰ τὸ μηθὲν τοῦ καλοῦ φροντίζειν ὀλιγώρως καὶ πάντοθεν λαμβάνουσι etc. Plutarchus quoque in *compar. Aristid. cum Cat.* c. 3. significat, ὡς τοὺς αὐτοὺς ἀμελοῦντας οἰκίας καὶ πορίζομένους ἐξ ἀδικίας. Seqq. hoc modo cohaerent: *Ita eos frustratur spes benevolentiae, cuius comparandae causa benefici sunt irrito consilio. Non enim eos, quibus gratificati sunt, tam gratos, quam inimicos habent eos, quos offenderunt eripiendo.* Cf. 79. Cum, hic Subiunctivo *velint* iunctum; valet *etsi*, *licet.*

§. 55. *claudenda res est f.*] Hunc verborum ordinem adscivimus e Gu. 2. et quinque Aldi codd., commendante F. Heusingero. Nonius in v. *Reserare* cum libris volgg. *cl. est res f.* Vid. 48. pr. I. 139. p. 281. s. Ceterum ne credant tirones Degenio, fores in Romanorum domibus clausas fuisse obicibus extus, non intus, oppositis. Ita enim fores facilius reserari potuissent ab alienis, qui extus, quam a domesticis, qui intus essent. *Modus adhibeatur* (cf. I. 140.); *isque referatur ad facultates*, i. e. *ne maior benignitas sit, quam facultates.* I. §. 42. 44. pr. Idcirco ab Aristotele ad *Nicom.* IV. 1. sect. 1. ἐλευθεριότης definitur περὶ χρήματα μεσότης: prodigorum largitio autem sect. 6. ἡ τῆς οὐσίας φθορά. Cf. sect. 11. Κατὰ τὴν οὐσίαν δ' ἡ ἐλευθεριότης λέγεται. — Deinde non ineleganter Gu. 3. et ψ. per figuram ἓν διὰ δυοῖν habent *in proverbium consuetudinemque venit*, quod alibi dicitur: *ita pervolgatum est, ut iam proverbi locum obtineat.* Cf. I. §. 33. p. 75. s. — Ad seqq. haec annotavit

largitionem fundum non habere. Etenim quis potest modus esse, cum et idem, qui consuerunt, et idem illud alii desiderent?

XVI. Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis et viscerationibus et gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem

---

Turneb. *Adv.* III. 16. „*Fundum non habere*, i. e. abyssum quandam esse. Nam *abyssus* ex eo nomen invenit, quod fundo careat.“ Sensum optime declaravit Facciol. „Homines expleri largitione non posse.“

C. XVI. *duo s. g. largorum*] De utroque genere Aristoteles copiosius egit *Eth. Nic.* IV. 1. ἐλευθερίοις opponens ἀσώτους. Ib. c. 2. sect. 7. βάναυσος dicitur *prodigus*, qui ἐν τοῖς μικροῖς τῶν δαπανημάτων πολλὰ ἀναλίσκει καὶ λαμπρύνεται παρὰ μέλος, — τὸν πλοῦτον ἐπιδεικνύμενος καὶ διὰ ταῦτα οἰόμενος θαυμάζεσθαι. *Largitor et prodigus* ut synonymum iungitur *Catil.* IV. 5. 10. — *Viscerationes* et *epula* largissima populo praebuit, *munera gladiatoria, ludos venationesque* edidit Iulius Caesar, ut in ei. vita narrant Sueton. c. 38. s. et Plutarch. c. 5. ex. 6. pr. 55. Schütz hic retinuit volgg. librorum lectionem, *gladiatorum muneribus*, cum recte alii e Palat. 1. et Graev. 2. edidissent *gladiatoriis m.*, ut solenniter dicitur, e. c. in Sueton. *Caes.* 10. 39. pr. *Calig.* 18. pr. *Ner.* 4. ex. Valer. Max. II. c. 4. ex. Pseudo-Cic. *de harusp. r.* §. 56. Cf. Gesneri *Thesaur.* II. p. 812, 92. ss. Unde *munera* dicantur, v. ibid. III. p. 364, 82. ss. et de *gladiatorum* origine, generibus etc. ib. II. p. 812, 15 — 61. Uberiora desiderantibus satisfaciet P. Faber in *Agonisticis* L. B. 592. 4. et in Gronov. *Thesaur.* T. VIII. Nec vero poenitebit, legisse Tiedgii epistolam, Romae scriptam, in *Zeitung für die elegante Welt* 1808. p. 1460. ss. — *Apparatus* autem voc. proprium est de ornamentis, quae tempore spectaculorum in foro, in Capitolio locisque, per quae pompa duceretur, vagis populi oculis exponebantur inspicienda, ut docetur a VV. DD. ad Suet. *Iul.* c. 10. pr. A Cic. in *Pis.* c. 27. et *Epist.* VII. 1, 4. *ludi* (scenici, qui mox ludi intelliguntur, ut in Suet. *Iul.* 39. pr. et *Tib.* 34.) *apparatissimi* dicuntur, in quibus (ut in ead. epist. statim explicatur §. 6.) *apparatus* (cuius exempla ponuntur §. 7. Cf. Horat. *Ep.* II. 1, 185 — 207.) *spectatio tollebat omnem hilaritatem.* In Suet. *Tito* 7. ex. dicitur *munus apparatissimum*, in *Calig.* 18. ex. *apparatus Circi*, in *Claud.* 21. *anniversarium sine venatione apparatuque.* Hoc igitur

aut nullam omnino sunt relicturi; **liberales** autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt aut aes alienum suscipiunt amicorum aut in filiarum collocatione adiuvant aut opitulantur in re vel quaerenda vel augenda. Itaque miror, „quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem *de divitiis* scripsit: in quo multa praeclare, illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum, *taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum* putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius pauca 56

---

loco *venationum apparatus* dici videtur tum de ipsis *bestiis, ad munus populi comparatis;* tum de arena, ab ambitiosis editoribus sylvae ad instar ornata. V. Lipsius *de Amphitheatro* c. 10. Exhibebantur autem spectacula venatoria Africanarum et bestiariorum primum in Circo, postea in amphitheatris ligneis, ad tempus exstructis. V. ib. c. 4. 5. 9. 12. Bulenger *de circo Rom.* et *de venatione amphitheatri* in *Opp.* T. II. et in Graev. *Thes.* T. IX.

quarum — sunt relicturi] Sic e Goth. Gu, 3. 4. μ, ed. Lips. 513. Gryph. Ascens. Bald. scripsit Gernh., volgatam in novissimis etiam edd. lectionem *sint r.* repudians, ne scilicet isti famae popularis aucupes ea mente profundere dicerentur. Posset tamen Subiunctivus modus ferri, pron. relativo posito pro *cum tamen* v. *licet earum.* Cf. III. 117. ex.

§. 56. *in f. collocatione adiuvant*] Hic, etiam ex Terent. *Andr.* III. 3, 10. ab Oertelio diss. supra ad 53. pr. cit. II. p. 18. notatus, Germanismus inest item in seqq. *opitulantur — in re quaerenda*, e. g. mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis. Cf. *Parad.* VI. 2. pr. Eodem modo *rem facere* dixit Horat. *Ep.* I. 1, 65. s. Adscivimus autem cum Heus. eum verborum ordinem, qui est in Graev. 1. μ, ψ, ed. H. Wolf. et Oliv. Cum rell. Schütz *vel in re quaer.* Sed ita in altero membro iteranda foret Praepositio. Frustra autem hic laborat Degen in distinguendis vv. *adiuvare* et *opitulari.* Ceterum eius modi liberalitatem Cornel. Nepos laudat XV. 3, 5. ss. in Epaminonda, amicorum ad eam facultatibus uso. Cf. infra 63. ex. — *Theophrasti* περὶ πλούτου *liber* memoratur Diogeni Laërt. V. 47. ad fin. Cf. Meursii *Theophrastus* §. CLV. — Ad vv. *in quo multa praeclare, illud absurde*, nisi malueris cogitatione repetere *scripsit*, subaudies *dixit* vel tale quid. Cf. 53. ex. I. 144. (p. 289.) III. 108.

exempli posui, multo et maior videtur et certior. Quanto Aristo Ceus gravius et verius nos reprehendit! qui has effusiones pecuniarum non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam. *At ii, qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium*

Aristo Ceus] Legebatur *Aristoteles*, in cuius libris, qui quidem exstant, nihil tale quisquam reperit. Et Gernhardo quidem vix credibile videtur, *Aristotelem* suae aetatis Romanos notasse de munerum magnificentia. Quippe vix cognitos habebat. V. Plutarch. in *Camillo* c. 22. Vitium videtur natum e compendio male intellecto. Nam in uno Manutii libro est *ARO*. Muretus coniecit: *Aristo Stoicus*; M. Heusinger: *Aristo Chius*. At vero non hic, sed *Ceus* Peripateticus, qui floruit post a. V. 530. circa bellum Punicum secundum, a Panaetio, Nostri auctore, apud. Diog. Laërt. VII. 163. agnoscitur auctor ὑπομνημάτων ὑπὲρ κενοδοξίας, quae volgo *Aristonis Chii* ferebantur. Ex iis haec suspicor deprompta a Plutarcho in *Cat. Mai.* c. 18. Ὃ δὴ καὶ μάλιστα, φησὶ, τὸν φιλόσοφον Ἀρίστωνα θαυμάζειν, ὅτι τοὺς τὰ περιττὰ κεκτημένους μᾶλλον ἡγοῦνται μακαρίους ἢ τοὺς τῶν ἀναγκαίων καὶ χρησίμων εὐποροῦντας. Bene interpretantur: „Aristo, ea, quae fiunt, certo iudicio, ut gravem philosophum decet, ponderans, iure nos reprehendit, quod has tantas effusiones pecuniarum non tamquam novas et insanas *admiremur* (his non offendamur, ut nimiis, *dass wir sie nicht befremdlich finden*), sed eas, quasi consuetudine probatas, feramus." Compatur 35. pr. III. 75. ex. *Mur.* 19, 39. *N. D.* I. 3, 6. Sic *admiratio* IV. *Fin.* 22, 61. m. Volgato in his ordini verborum *has pecuniarum effusiones* cum Facciol. praetulimus eum, qui est in Gu. 5. et edd. vett. *has effusiones pecuniarum*. Est enim orationis vis in *his immanibus iacturis infinitisque sumptibus*.

sextarium] sextam congii partem, cuius dimidia pars dicitur *hemina*, κοτύλη, sescuncia *oxybaphum* s. *acetabulum*, pars duodecima *cyathus*, siciliquum *mystrum*, pars CCLXXXVIII. *cochlear*. V. Gesner in *Thesaur.* IV. p. 426. s. v. et in v. *Mina* (argenti), μνᾶ, quae sexagesima pars talenti pendebat drachmas Atticas v. denarios C vel IↃC obolos. Exaequat igitur pretium quindecim thalerorum. V. Reiz *über d. Röm. Alterthümer* p. 288. — Ceterum volgata hic lectio *si — cogerentur* defendi certe posset e III. §. 13. pr. cl. n. ad h. l. 3, 9. pr. sed, Gernhardo interprete, post praesens tempus intelligere iuberet: *quod quidem non solet accidere, sed fingamus cogi.* Cum autem exemplo non ficto, sed ex usu et experientia repetito opus esset, scripsit post alios e Palat. 1. *cogantur*. Cf. *Divin.* I. 29, 60. Eadem ratio est Perfecti temporis in verbis inchoativis ib. 57, 130.

pina cogantur: hoc primo auditu incredibile videri omnisque mirari; sed, cum attenderint, veniam necessitati dare: in his immanibus iacturis infinitisque sumptibus nihil nos magnopere mirari; cum praesertim neque necessitati subveniatur nec dignitas augeatur ipsaque illa delectatio multitudinis

---

ex. — Post *primo* recte ex antiquissimo Anemoecii Graeviique optimo libro accessit *auditu*, quae vox apud Ciceronem hoc sensu insolentior reprobatur a Gernhardo. Nos vero movet F. A. Wolfii, V. S., auctoritas, ad Sueton. *Iul.* 75. p. 92. a. alia de re monentis, „omnino temerarium esse, tam angustis finibus coërcere Latinitatem. Non posse omnia exemplis defendi: saepe sufficere rationem analogiae." Si qui, ab exemplis aut a codicum numero pendens, secus statuat: is viderit, quo modo se expediat a soritarum vel acervalium syllogismorum laqueis in finiendo sive exemplorum sive codicum numero eo, in quo malit, quam in verae rationis probabilitate, acquiescere. F. Heus. comparando adhibuit formulam *primo aspectu*.

incredibile videri] His vv. interpositum volgo pron. *nobis* exsulat e Vin., uno Aldi cod. et ed. Magont. Rom. Ven. 470. et 554. De permutatione personarum monet Gernh., ingens aquae pretium recte dici non Romanis modo, sed omnibus παράδοξον esse; deinde autem ad Romanos reverti inde ab *in his*, quem ad modum exorsus esset ab iisdem: id quod indicet pronomen *has* ante *eff. pecuniarum*. — Statim post Degen cum Heus. ex uno Gu. 2. male scripsit *nihil nos m a g n o o p e r e mirari*. V. ad I. 145. pr. Sequitur elliptice *cum praesertim:* ante quae vv. subaudiatur, *idque eo magis reprehendendum*. Aristonis sententia haec est: Vtrimque eandem esse et pretii et mercedis rei rationem enormem; verum tamen in obsidione aquae caritatis causam facile reperiri tum in summa penuria aquarum, tum in necessitate; in istis autem sumptibus popularibus nihil esse, quod excusationem afferat.

n e q u e necessitati] Sic Heus. e Gu. 1. 2. 3. et ed. H. Wolfii. Cum rell. Schütz *n e c necessitati*. Sed responsio partt. *neque* — *nec* insolentior videbatur scribis. Alii enim, ut Gu. 4. et Gryph. in seqq. correxerunt *n e q u e dignitas augeatur*. Cf. III. c. 29. pr. Deinde plurimorum libb. lectio *delectatio* et quorundam aliorum *delinitio* quodam modo in unam conflata est ap. Ioannem Sarisb. *Policrat.* VIII. 2. ex. *delectatio d e l i n i t a e multitudinis:* haud sane ineleganter, scilicet ab effectu illius delectationis. De hoc Adiectivorum in Graeco quidem sermone usu proleptico v. Hermann. ad Viger. p. 897. s. Schaefer ad Sophocl. *Aiac.* 401. Heller *continuat.* I. *obss.* in *Oedip.*

sit ad breve exiguumque tempus, eaque a levissimo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis. Bene enim colligit, *haec pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata; gravi vero homini et ea, quae fiunt, iudicio certo ponderanti probari posse nullo modo.* Quamquam intelligo, in nostra civitate inveterasse, et iam a bonis tempo-

57

Colon. v. 1200. Erlangae 1820. Sic ap. Sueton. *de illustr. Gramm.* c. 2. non nemo coniecit: *Crates Mallotes — nostris exemplo fuit ad imitandum, hac tenus tamen imitati, ut* etc. Verum tamen nos quidem non offenderet ibi omissio verbi substantivi post vv. *Hac tenus tamen imitati,* modo plene ante ea interpungatur. Variatur iam structura, (ut I. 99. pr.) *eaque a levissimo quoque,* i. e. eaque ad stomachum levissimi cuiusque. Sic *p. Rosc. Am.* 30, 85. ex. iudex laudatur *ab innocentia* (i. e. in gratiam innocentium) *elementissimus*, ad quem l. consulatur Aug. Matthiae. Non recte igitur haec vv. Facciolato et Hermanno in *Parerg. crit.* p. 58. suspecta, in quibus ne Degen quidem haeserit, Schütz uncis notavit. Incommode enim ad *tempus* refertur seq. *in quo tamen ipso una cum satietate* (i. e. simul atque ad satietatem usque ea se ingurgitaverit) etc. — „At sententia horum verborum sequenti periodo demum explicatur §. 67. *Bene etiam colligit, haec pueris — esse grata.*" — Quod si praeterea nihil te offendit, en! praesto est remedium, codice ψ exhibente *Bene enim colligit.* Confunduntur hae voculae etiam in *Bruto* 1, 2. pr. Cf. Heindorf ad I. *N. D.* 7, 16. p. 15.

§. 57. *servorum simillimis liberis*] *ardelionum nationi,* quae notatur Phaedro II. *fab.* 5. pr. Senecae *de Tranq.* c. 12. Deinde Schütz invitus in textu reliquit *quae fiant.* Nam in nota monet, Ernestum sine libris sic rescripsisse. Graviter postponitur *nullo modo* in hoc iudicio. Cf. *Fam.* II. 8. pr. VII. 1, 1 — 11. Tum *iam a bonis* (i. e. longis) *temporibus* pro *iam pridem, iam dudum* dicitur, ut *bona pars* II. *Or.* §. 14. Volgo interpretantur sic, ut *bona tempora* esse velint, quibus antiqui mores necdum corrupti viguerunt. Sed tum, ni fallor, Cicero dixisset, *melioribus temp.* Heus. Gernh. Degen omiserunt praepositionem *a*, quam adiecimus, cum Facciolatus et Oliv. post Victorium et Lang. dederint *iam a b. t.* quam lectionem, optimo Fabritii et duobus Guilielmii libris confirmatam, sequitur etiam Schütz. Retinuimus tamen voc. *et,* pro *et quidem* positam, ut ll. ab. Heus. compp. *p. Deiot.*

ribus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque et P. Crassus, cum cognomine dives, tum copiis, functus est aedilicio maximo munere et paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio, magnificentissima aedilitate functus est; deinde C. Claudius, Appi

---

I. 5. pr. *Tusc.* III. 20, 48. pr. *Somn. Scip.* 2, 7. *Epist.* XI. 29, 6. ubi v. Corte. Cf. ib. II. 16, 13. *et eo magis.* Sic poterit defendi l. in *orat.* 21, 71. *de quo praeclare, et multa, praecipiuntur,* sollicitatus a Schützio aliterque a Görenzio ad *Fin.* I. 7, 25. p. 33. a. — Seqq. *ab optimis v. postuletur* cum metaphrastis sic interpretatur Schütz in *Lex. Cic.* II, I. p. 5. n. 8. *postulatur, ut illi ludos quam apparatissimos edant.* Nos vero *ab* non, ut 69. ex., accipimus pro παρὰ (τῶν), sed pro ὑπὸ, ut 58. pr. *postulatur a populo, bonis viris, si non desiderantibus, at tamen approbantibus.* Vtroque l. intelliguntur *optimates,* qui *Leg.* III. 17, 57. simpliciter audiunt *optimi.* De ceteris constat, hunc fuisse ordinem in tergeminis (i. e. curulibus) honoribus petendis, ut primo aedilitatem, deinde praeturam, postremo consulatum peterent. Quapropter multo sumptu ludos magnificos mobilium turbae Quiritium parabant aediles, fabulas agendas emebant etc., ut promptiorem sibi populum et fauentiorem ad reliquos magistratus deinceps petendos viderent. Sua enim aediles impensa ludos pro modo patrimonii ac dignitatis suae celebrandos curabant.

P. Crassus] triumviri pater, consul cum Gn. Cornelio Lentulo Clodiano a. V. 656., *divitis* agnomen habebat hereditarium. Vid. *Attic.* II. 13. et Valer. Max. VI. 9, 12. Schütz cum Gu. 3. 4. et Corrado in *Quaestura* p. 313. legit *tum cognomine.* Manutii et Facciolati errorem de elephantis primum a P. Crasso in arenam productis, dudum refutatum illum a M. Heusingero, repetiit Degenii negligentia. — *L. Crassi, Q. Scaevolae, C. Claudi ornatissimas aedilitates* memorat Cicero l. IV. *in Verr.* c. 60. ed. Schütz. (al. 59.). *Q. Mucius* (*Scaevola*), qui *N. D.* III. 32, 80. *temperantiae prudentiaeque specimen* dicitur, consul fuit cum *L.* (*Licinio*) *Crasso* a. V. 658. Cf. de eo I. 116, p. 248. et Wetzel ad *Lael.* 1, 4. *Leonum simul plurium pugnam Romae princeps dedit,* teste Plinio *H. N.* VIII. c. 16. sect. 20. — *C. Claudium* (*Pulchrum*) Ern. et Schütz in *Ind. histor.* P. Clodii patruum nobis exhibent cum Pighio ad Valer. Max. II. 4, 6. not. 14.; eiusdem autem Clodii avum non *Appium,* sed *C. Claudium*: quae genealogia secum ipsa pugnat. Eius aedilitate magnificentissima, cuius mentio fit l. IV. *in Verr.* c. 3., a. V. 664. aer. Capit.

F.; multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omnis autem P. Lentulus, me consule, vicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima vero nostri Pompei munera secundo consulatu. In quibus omnibus quid mihi placeat, vides.

XVII.

---

primi omnium Romae in circo pugnarunt elephanti, teste Plin. VIII. c. 7. pr. et XXXV. c. 4. *habuit scena ludis magnam admirationem picturae.* Cf. Pseudo-Cic. *de harusp. r.* c. 12. ex.

Luculli] post annos XX. Vid. Plin. VIII. c. 7. Plutarch. in *v. Luc.* p. 492. c. 1. ex. — *Hortensius* a. 678. V. Cic. in *Bruto* c. 92. — *D. Silanus* non post a. 683. Nam a. 688. iam in petitione consulatus repulsam tulisse scribitur *ad Att.* I. 1, 2. — *P. (Cornelius) Lentulus Spinther* a. 690. V. Plin. IX. c. 39. sect. 63. XIX. c. 1. ex. sect. 6. Animadvertit M. Heus. eius aedilitatem respici a Cicerone, qui in *Epist.* I. 8 (volg. 7), 28. scribit: *Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis.* — De *Scauri* aedilitate v. Plin. VIII. c. 17. sect. 24. c. 26. sect. 40. pr. XXXIV. c. 7. sect. 17. pr. XXXVI. c. 2. et 15. m. sect. 24. §. 7. 8. Ascon. Ped. in *argum. or. pro Scauro* p. 1002. ed. Graev. 232. et 254. ed. Schütz.

Pompei] *Magni*, qui consul fuit cum M. Crasso primum 683., iterum 698., ludi dedicatione templi Veneris altero consulatu apparatissimi, sed iidem invidiosissimi fuerunt. Vid. *Epist.* VII. 1, §. 4 — 12. et *or. in Pis.* c. 27. ubi notandus error Asconii, qui, Claudii Pulchri immemor, tradit, Pompeium tunc elephantorum pugnam *primum omnium* dedisse in Circo. Plutarch. in *Pomp.* p. 647. c. 52. ex. Dio XXXIX. 38. Plin. VII. c. 48. ex. VIII. c. 7. c. 16. sect. 20. c. 19. 20. sect. 28. 29. c. 22. sect. 34. ex. et c. 17. sect. 24. de pugna pantherarum CCCCX, quarum numerum Degenii munificentia popularis auxit nobis ad *sexcentas*, inde scilicet, quod V. D. et S. Rev. non didicit legere numerorum notas, quibus Aldus scripsit, Pompeium *CDX* pantheras dedisse. Hoc, ille pro eruditione sua existimavit, perinde esse ac *DCX*. Ceterum formam *Pompei* ex antiquis libris restituimus. V. Praef. ad T. I. p. IX. Eadem servata est in II. aut III. seculi cod. rescripto orationis *pro Scauro* ed. Frcf. p. 11. extr. *Gn. Pompei* (male Schütz p. 41. substituit *Cn. P.*) missa. — De Pompeii autem et aedilium illorum magnificentia in apparatione ludorum et munerum cf. Valer. Max. II. 4, 6. Hanc, Cicero adiectis verbis subindicat, sibi improbari. Quip-

XVII. Vitanda tamen suspicio est avaritiae. 58
Mamerco, homini divitissimo, praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit. Quare et, si postulatur a populo, bonis viris, si non desiderantibus, at tamen approbantibus, faciendum est, modo pro facultatibus, nos ipsi ut fecimus; et, si quando ali-

---

Quippe; magnificentia enim inanorum sumptuum publice in spectaculis barbaris et ineptis ostentata pestifera est civium moribus. Nam hoc in genere *multum mali etiam in exemplo est.*

C. XVII. §. 58. *Vitanda tamen est suspicio*] Hunc volgatum ordinem mutavimus ad fidem Gu. 1. 2. 3. Alias *est* exclūserim, cum in exc. Bedae atque Eybi transponatur *V. t. suspicio avaritiae est.* V. ad I. 69. pr. II. 55. pr. — *Avaritia* est omnino alterum liberalitatis extremum, ἀνελευθερία, et hic quidem illa eius forma, quae ab Aristotele *ad Nic.* IV. 1. sect. 4. dicitur περὶ χρήματα ἔλλειψις: nam τῇ δόσει ἐλλείπει (sect. 18.). Hoc vitium φειδωλῶν, γλισχρῶν etc. (19.) simul comprehendit μικροπρέπειαν, i. e. μεγαλοπρεπείας ἔλλειψιν; de qua ib. c. 2. ex. — Deinceps μ, ψ cum Heuss. libris omnibus praebent *Nam Mamerco*, praeter Gu. 1. et 5. in quibus est *Nam Marco.* Vnus tamen Gu. 4. *Nam* omittit. Facile illud quidem potuit a seq. syllaba absorberi: sed solet Cicero, aliquid exemplis probaturus, haec nude adiungere. *Mamerci* et *Mamercini* vocantur quidam Aemiliorum. — Explicatiorem Superlativi formam *divitissimus* Gernh. e libris MSS. restituit etiam in *Parad.* VI. 2, 48. (laudatis interpretibus ad Cornel. Nep. VII. *Alcib.* 2, 1. et XIX. *Phoc.* 1, 2.) itemque Comparativi formam *divitiores*, ib. §. 50. quae incorrupta servatur *Or.* III. 48, 185. Cf. Fabrit. ad h. l. et Voss. *de Analog.* II. 25. p. 804.

si non d., at tamen app.] Mendose a Degenio editur *et tamen.* V. ad I. c. 31. ex., *Catil.* I. 9, 22. *Balb.* §. 2. pr. Haec cum praecesserint, satis commode dici potuit *faciendum est* pro *mos gerendus est*: ut non opus videatur Gernhardi coniectura, quamvis elegantissima illa, *largiendum est*, ut 54., praesertim cum res declaretur iis, quae statim sequuntur, *populari largitione*: cum qua v. *facere ex more* iungi solet, ut *Tusc.* III. 20, 48. pr. — *Modo* pro *dum modo* ponitur, ut I. 92. p. 208. — *Pro facultatibus*, i. e. ita, ut *largitio ad facultates accommodetur* (60. ex.). Aristoteles *Eth. ad Nic.* IV. c. 2. sect. 5. §. 2. probat τῶν δαπανημάτων, οἷα λέγομεν τὰ τίμια, deinde exempla enumerat, ὅσα πρὸς τὸ κοινὸν εὐφιλοτίμητά ἐστιν. οἷον εἴ που χορηγεῖν οἴονται δεῖν λαμπρῶς ἢ τριηραρχεῖν ἢ καὶ ἑστιᾶν τὴν πόλιν. ἐν ἅπασι δ' ὥσπερ εἴρηται καὶ πρὸς τὸν πράττοντα ἀναφέρεται τὸ τίς ὢν καὶ τίνων ὑπαρχόντων,

qua res maior atque utilior populari largitione acquiritur, ut Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt. Ne M. quidem Seio

---

tum §. 4. laudatur, si quis fuerit θεραπευτὴς εἰς τὸ κοινόν, *ad tuendam rei publicae dignitatem*, καὶ εἰ περί τι ἡ πόλις σφαλείη ἢ εἴ ἐν ἀξιώματι.

Oresti] Volgo cum Aldo intelligunt *Cn. Aufidium Orestam Aurelianum*, COS. a. V. 682. V. Schütz. *Ind. histor.* p. 53. s. et 298. Num hic eadem ex Ernesti *Clavi* repetiit. Non constat, quamnam ille *decumam* persolverit. An hereditatis, ab Aufidio relictae? V. *pro domo* c. 15! De *decuma* Herculi dicata recte accipit Phil. Beroald. *Appendl. Annotam.* c. XI. in Gruteri *Lamp.* I. 519. Sed repetamus eruditam Aldi notam, cui pauca tum inseremus, tum addemus: „Veteres Romani, ut in exoptata re bonum exitum consequerentur, decumam fructuum vel praedae alicui deo vovebant: ut Herculi vovit *Sulla*" [v. Plutarch. in *Sulla* c. 35. pr. T. I. 474. A.] „et M. Crassus, ad Parthicum bellum iturus, de suis bonis" [παρὰ τὴν πολιτείαν, ib. 543. C. in *Cr.* c. 2. et in *compar. Niciae* c. 1. ex. Simul animadvertendum putamus, quanta nominum „Oresti" et „Crasso" sit similitudo ideoque quam facilis confusio]. „Iunoni vovit Camillus, si Veios expugnaret, ut ait Plutarchus, Apollini, si Livium [l. V.] sequi malumus. Festus [in v. *Decimae*] ostendit, non id fieri solitum in certae cuiusdam rei cupiditate, sed more, vel ut omnia prospere succederent vel ut quisque aliquem deum privatim coleret. Ait enim: *Decima quaeque veteres diis suis offerebant.* Macrobius lib. III. c. 12. ex Varronis satyra περὶ κεραυνοῦ, refert, *maiores solitos decimam Herculi vovere nec decem dies intermittere, quin pollucerent ac populum ἀσύμβολον cum corona laurea dimitterent cubitum* [i. e. *ad epula.* Aliter Aldus, corruptam lectionem secutus]. Hunc morem ab Euandro, Aboriginum rege, fluxisse, qui decumam boum, interfecto Caco latrone, Herculi vovere instituerit, auctor est Diodor. Sic. lib. IV." [c. 22. lin. 95. et Cassius ap. S. Aur. Vict. *de orig. gent. Rom.* 6.] „Alias quoque causas votae Herculi decumae Plutarchus refert in *Problematibus*" [*Quaest. Rom.* XIIX. Cf. Dionys. Hal. l. III. c. 45. et in Erasmi *Adag.* Proverb. 73. *Hercule dextro* p. 50. ed. Froben.]. „Plautus decumam hanc *partem Herculaneam* in Trinummo" [*Trucul.* II. 7, 11. Cf. *Bacchid.* IV. 4, 32. s.] „vocat et *Sticho* [I. 3, 80.] *Decimam*, inquit, *partem ex voto Herculi polluceam.*" [Cf. *Curc.* II. 3, 79. Naevius in *Colace* ap. Priscianum sub fin. libri IX. p. 874. in ed. Putschii:

Quid decumas partis? quantum mi alieni fuit.
Polluxi tibi iam publicando epulo Herculis

vitio datum est, quod in caritate asse modium populo dedit. Magna enim se et inveterata invidia nec turpi iactura (quando erat aedilis) nec maxima

---

Decumas. Sic enim beneficia in parasitum collata exprobantis verba persanavit Hermannus, V. Ill., in diss. *de R. Bentleio eiusque ed. Terentii* p. XVIII. s.] „De ea et Varro *de L. L.* lib. V. [c. 7.] et antiqua Reatini Marmoris inscriptio:

SANCTE

DE. DECVMA. VICTOR. TIBEI. LVCIVS. MVNIVS. DONVM. DAT. MORIBVS. ANTIQVEIS. PRO. VSVRA. HOC. DARE. SESE. VISVM. ANIMO. SVO. PERFECIT. TVA. PACE. ROGANS. TE. COSENDEI. DISSOLVENDEI. TV. VT. FACILIA. FAÇSEIS. PERFICIAS. DECVMAM. VT. FACIAT. VERAE. RATIONIS. PROQVE. HOC. ACQVE. ALIEIS. DONIS. DES. DIGNA. MERENTI." — Cf. Cic. *N. D.* III. 36, 88. pr. Vlpian. in *D. l.* L. t. XII. *l.* 2. §. 2. ibique Gothofredi n. Alexander ab Alex. *Genial. dier.* l. III. Tomasinus *de Donariis* c. 4. Vtini 639. p. 32. s. et in Graev. *Thesaur.* T. XII. Memoratur a Diodoro l. c. lin. 9. insigne Herculis templum prope Tiberim, ubi e decumis sacra ei offerri soleant. Ap. Macrob. III. 6. significari videtur, fuisse Herculis Victoris in foro Boario: a quo non procul abfuit *ara maxima*, ad quam δεκατεύσεις χρημάτων εὐχὰς κατ' εὐχὰς suo tempore in Herculis honorem fieri, memorat Dionys. *A. R.* I. 39. p. 33. V. Mamertin. *Paneg. Maxim. Aug.* c. 1. Pseudo-Cic. *p. domo* c. 52. Templum et ara describuntur a Bart. Marliano III. *Topogr. Rom.* 15. Cf. Heyne ad *Virg. Aen.* VIII. 271. s.

in caritate] in libris quibusdam adiicitur *annonae*, ut III. 50. 89. *Verr.* III. §. 47. 215. ex. Sed non adiicitur ib. c. 93. ubi tamen itidem, ut *p. domo* §. 11. 12., praecesserat *annona* et sequitur, *propter caritatem frumenti*, ut *p. l. Man.* 15. 44. extr. *ex summa inopia et caritate rei frumentariae.* Cf. Nizol. s. v. *Caritas.* — *As* uncialis autem aequat nostra pecunia quatuor teruncios cum dimidio, 4½ *Pfennig.* — *Modius* sexta *medimni* pars (Cornel. Nep. XXV. *Att.* 2. ex.), tertia *quadrantalis* s. *amphorae*, ut I. M. Hesn. observavit, „frumenti mensura erat XXV librarum Romanarum vel paullo plus minusve pro frumenti qualitate (v. Plin. XVIII. c. 7. m.) capiebatque XVI sextarios. Servi quaternos modios frumenti in mensem accipiebant adeoque singuli modii in septenos vel octonos dies sufficiebant." Alii paullo aliter definiunt. V. Schelleri *Lex.* s. v. p. 6369. — *Inveteratae invidiae*, qua *M. Seius* premebatur, causa indicari videtur *p. Planc.* c. 5. *quod ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate iudici retinere potuisset.* — Teste Plinio XV. 1. *aedilis curulis* fuit 680 (679. aer. Capit.). Ad aediles autem pertinebat cura

liberavit. Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis rei publicae causa, quae salute nostra continebatur, omnis P. Clodi conatus furoresque compressit. Causa igitur largitionis

---

annonae, ipsisque providendum erat, ut esset vilitas rei frumentariae. Atque etiam huius modi munera ab iis exspectabantur, praecipue ludis Floralibus. V. Persius V. 177. s. et Horat. II. *S.* 3, 182. *In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis?* i. e., Chr. Landino interprete, *Nolo te perdere bona in aedilitate capienda et in muneribus aediliciis.* Nominavit autem *cicer* et *fabam* et *lupinum*, quoniam, ut patet etiam apud Plutarch. in v. *Caton. Min.* c. 46. talia munera apud priscos populo dabant aediles. Nam cum in pretio tunc esset agri cultura; laudabantur ii, qui aut legumina aut fruges ex suis agris collegissent.

nuper nostro Miloni] Pro hoc, de caede P. Clodii, in via Appia facta, in iudicium vocato a. V. 701., exstat Ciceronis alia, quam quae habita est, oratio: in cuius argumento scribit Ascon. (ed. Schütz. p. 526.) *saepe inter se Milonem et Clodium cum suis factionibus Romae depugnavisse et fuisse utrumque audacia parem, sed Milonem pro melioribus partibus stetisse.* Cf. Dio l. XL. Sed Milo iam in tribunatu a. V. 696. furiosas ac turbulentas Clodii actiones vi repressit. Vid. *Ep. ad Att.* IV. 3. *Pro Sext.* c. 40. s. et 42. ex. Pseudo-Cic. *de harusp. resp.* c. 4. et *post red. in sen.* c. 8. pr. 11. ex. Plutarch. in *Cicer.* c. 33. Cf. Schützii *Ind. histor.* p. 278. s. Testatur Plinius XXXVI. sect. XXIV. §. 2. *Milonem sestertiûm septingenties aeris alieni debuisse:* de quo orationis Tullianae fragmenta cum antiquo commentario edidit Ang. Maius Mediolani primum 1814. p. 30—42. atque iterum 1817. p. 85—101. Duriuscule autem videtur Gernh. cum F. Heus. e Gu. 1. 2. et Pith. scripsisse: *sed honori — Miloni fuit*, *qui:* quod Degenio ornate dictum videtur pro *quoniam ille*. Ferri posset, si in priori membro aliquid esset additum, ut *sumptus*, *iactura* vel eius modi quid, aut si dictum esset: *sed honorem summum nuper consecutus noster Milo est, qui etc.* Alia ratio illorum est exemplorum, ubi pron. relativum cum Subiunctivo struitur, causam indicans, ut III. 112. Magis etiam abludunt reliqua.

quae salute nostra continebatur] i. e. ea servabatur, in ea posita erat v. nitebatur. Cf. I. 93. ex. III. §. 23. pr. Pseudo-Cic. *p. Marc.* 7, 22. *qui non intelligat, tua salute contineri suam et ex unius tua vita pendere omnium?* V. Schelleri *Lexic.* s. v. 1. extr. p. 2318. — *Comprimere audaciam* v. *conatus alicuius* dicitur, qui conatu desistere cogit, vi cohibens, quo minus quis, perruptis quasi cancellis, efficiat, quae cogitarat. V. *Catil.* I. 5, 12. *Mur.*

est, si aut necesse est aut utile.[a] In his autem ipsis 59 mediocritatis regula optima est. L. quidem Philippus, Q. F., magno vir ingenio in primisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima. Dicebat idem Cotta, Curio. Nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno,

---

37, 79. ex. (145.) — *Conatus furoresque* est figura ἓν διὰ δυοῖν pro *conatibus furentis*. — Aliud largitionis e re publica factae exemplum est Bibuli et optimatium in Sueton. *Iul.* c. 19. et iam prius, cum Caesar post oppressos Catilinarios misceret rem publicam, ap. Plutarch. in *Cat. Min.* c. 26. pr. et in *Caes.* c. 8. ex. Sed publice facta est.

§. 59. *L. Philippus*] *Marcius*, in consulatus petitione a. V. 659. victus a M. Herennio (*Brut.* c. 45. *Mur.* 17, 36. pr.), ipse consul factus duobus annis post cum Sext. Iulio Caesare (*Or.* I. *Cornel.* fragm. p. 22. ed. Schütz.), Censor cum M. Perperna 667. (*in Verr.* I. I. c. 54. ex. ed. Sch.) Ernestus (cuius, non nominati, notam integram repetiit Schütz *Ind. histor.* p. 313. s.) de hoc capiens *Quint.* 22. confundit cum filio, cuius confusionis ipse alios arguit. Cf. n. ad I. §. 108. pr.

Dicebat idem] Sic Imperfecto usus scriptor loquitur de mortuo. Nam intelligitur *C. Aurelius Cotta*, summus orator, Ciceroni perfamiliaris, consul a. 678, posteaque proconsul Galliae, *qui, cum decretus illi esset triumphus*, ut narrat Ascon. ad *or. in Pis.* c. 26., *mortuus est ante diem triumphi*: ex quo Degen, summus interpretandi artifex, fecit *pridie triumphum*! Gernh. addere volebat pronomen *C.*, quo tamen minime opus esse, satis iam disputarat F. Heus. Sine praenomine nominatur in *Bruto* c. 90. pariter, ac (C. Scribonius) *Curio*, qui COS. a. V. 677. propterea postponitur, quia Cottae fuit superstes. Nam eius mortem Cicero a. V. 700. nunciat filio in *Epistt.* II. 2. Vtrumque confundit Schütz in *Ind. hist.* p. 157. cum Ernesto in *Clavi* ad patrem referens *Famil.* VIII. 11. pr. Asyndeti autem bimembris exemplum F. Heus. comparat *Brut.* c. 74. pr.

nostro quidem anno] i. e. atque insuper anno legitimo, quo primum licet ex *lege Villia annali* de ordine in magistratibus gerendis servando: de qua exstat Aug. Frid. Schotti diss. Lipsiae 1765. ubi vid. maxime p. 24. (et in *Opusc.*) cl. I. A. Ernesti *Ind. legum* in *Clavi* ad v. *Annales.* Cic. *Leg.* III. 3, 9. pr. *Phil.* V. 18, 47. s. Et Cicero quidem omnes honores cunctis suffragiis assecutus,

quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi,
60 sane exiguus sumptus aedilitatis fuit. Atque etiam illae impensae meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quae ad usum rei publicae pertinent. Quamquam, quod praesens tamquam in

non tamen eo anno, quo primo eos petere licebat, iisdem functus est, ut opinatur Degen, qui omnino confundit annos eos, quibus Cicero quaestor etc. factus est, atque eos, quibus singulos magistratus gessit. A. 686., biennio post aedilitatem (*Fam.* X. 25. 4.), praeturae competitores illustres multos cum haberet, *propter dilationem comitiorum* (*Att.* I. ep. 11. sect. 2.) *praetor primus* (de octo illis, qui tum fiebant,) *centuriis cunctis renunciatus est*, ut ipse testatur in *Maniliana* 1, 2. Consulatum vero nobiles plerique, novi autem omnes aliquanto serius petierant, quam per aetatem et leges licitum esset; qui autem anno suo petissent, non sine repulsa facti consules erant. Nostrum quidem, XLII annos natum, constat esse factum; quamquam ipsi consulatui auspicando tres solum modo, iique ultimi, dies anni XLIII. relinquebantur; cum statim petere licuisset ingresso quadragesimum secundum. Superavit sex competitores. *Att.* I. 1. pr. *Mur.* 8. 17. ex. Ascon. *argum. or. in toga cand.* Q. Cic. *de petit. consul.* c. 2. Sallust. in *Catil.* c. 23. s. Gloriatur Noster de populi hac benevolentia et iudicio in deferendis certatim sibi honoribus II. *Agrar.* c. 1. ex. et 2. *in Pis.* c. 1. *Brut.* 93. 321. 94, 323. *Catil.* I. 11, 27. Pseudo-Cic. *ad Quir. post red.* 2, 5. Cf. Plutarch. in *v. Cic.* c. 9. pr. 11. et Fabric. in *Cic. histor.* ad a. XL. n. 24 — 30. et ad a. XLIII. n. 1 — 15.

exiguus sumptus aedilitatis fuit] Cicero *trinos ludos* (quos indicat l. V. *in Verr.* c. 14.) *fecit aedilis*, septem et triginta annos natus a. V. 684. (non 682. quem annum Degen adscripsit p. 255.). V. *p. Mur.* 19, 40. ubi A. Matthiae repetiit I. A. Ernesti errorem, collegam Ciceronis in aedilitate fuisse C. Antonium: qui aliorum quoque error dudum refutatus fuerat a Fabricio l. c. ad a. XXXIX. n. 11. s. Asconii ad *Act. I. Verr.* c. 1. atque ipsius Ciceronis testimonio, M. Caesonium sibi fuisse collegam. Siculorum, patrocinii remunerandi gratia multa ex insula sua offerentium, liberalitate usus non est, nisi ad annonam urbis levandam: de qua abstinentiae laude, quam nostro tribuit Plutarch. p. 864. c. 8. pr. et in compar. cum *Demosth.* c. 3. ex., detrahit Degen. Etenim omnia ille melius scit, quam ipsi vett. scriptores, quos numquam inspexit ipse, furtim ex rivulis haurire solitus.

§. 60. *Quamquam, quod*] Facciol. interponit enim, quod intermoriturum etiam a ψ, sed opus non est. — Post

manum datur, incendius est: tamen haec in posterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo, propter Pompeium; sed

---

a. haec i. p. gratiora ed. Ven. 498. Lips. 507. 513. Lugd. 527. atque vetusta s. l. et a. ex glossa addunt *sunt*, de cuius Ellipsi v. n. ad I. 67. pr. p. 154. et Görenz ad *Fin.* V. 8, 22. ex. — *Nova templa* de solis novorum deorum templis accipit Degen. Sed ne Romanorum quidem deorum patrio ritu colendorum, templa Cicero volt multiplicari privatis sumptibus. *Pompeius* autem Magnus *theatrum*, quod, incendio absumptum, etiam post restitutionem dicebatur *Pompeianum* (Sueton. *Tib.* 47. Martial. VI. 9. XIV. 29. cf. XI. 22, 6.), summa impensa in Campo Martio (Plin. XXXIV. 7. m. sect. 18.), Tiberim versus, Vaticano monti oppositum (Horat. I. *Od.* 20, 3 — 8), aedificaverat magnificentissimisque ludis dedicaverat altero consulatu, ut testatur Plutarch. in *Pomp.* p. 647. c. 52. ex. (cf. c. 40. ex.), Ascon. ad *or. in Pis.* c. 27. Plin. XXXVI. c. 15. sect. 24. §. 7. ex. Tacit. *Ann.* XIV. 20. pr., ubi cf. Lipsius. Tertullian. *de spectaculis* c. 10. *Saepe censores renascentia theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant. Itaque Pompeius Magnus, solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem, Veneris aedem superposuit et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed* VENERIS TEMPLVM *nuncupavit:* CVI SVBIECIMVS, *inquit,* GRADVS SPECTACVLORVM. Itaque ap. Gellium X. 1. *aedem Victoriae* temere in *aedem Veneris* mutari voluit Ernestus ad Sueton. *Claud.* c. 21. contra verissimam Iac. Gronovii sententiam, non modo *Veneris*, sed etiam *Victoriae* templum super Pompeiano theatro fuisse. Nam Sueton. ibi memorat *aedes superiores*. *Victoriae* aedem tertio demum consulatu vovit Pompeius, ergo post illud, quod Plinio *H. N.* VIII. c. 7. et Plutarcho c. 68. pr. dicitur *templum Veneris Victricis*. Dissentimus igitur etiam a Benedicto, qui in argumento *Ep.* 1. libri VII. *ad Fam.* p. 538. utramque confundit. Theatro alia opera circumdederat Pompeius. V. Gesneri *Thesaur.* III. p. 962, 46 — 50. Quae quoniam, sumptibus suis exstructa, muneri civitati dederat: simpliciter *Pompeii munera* dicuntur Velleio P. II. 130, 2. Cf. ib. 48, 2. *Pompeiani theatri regia* in Sueton. *Octav.* 31. ex. est *basilica*, e qua Ernestus ibi *Excursu V.* nihil nisi porticum exsculpsit, quae exmissecus aedes impositas gradibus theatri Pompeiani sustineret. „Nummi enim," inquit, „qui *basilicarum* formam exhibent, nihil nisi *porticuum* speciem exprimunt." Quasi vero nummi interna basilicarum ostendant, non externam modo faciem! Miramur igitur, tantam fuisse Ernesti

doctissimi non probant, ut et hic ipse Panaetius, quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus, et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos *de re publica* scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio

---

auctoritatem ap. Reizium, ut in scholis *über die Röm. Alterthümer* p. 120. s. eodem modo *basilicam* totam cum parte, nempe *porticu*, confunderet. Meminimus quidem *porticus Pompeianae* ap. Vitruv. V. 9. quae laudatur a Propertio II. 32. (ed. Ald. 29.), 11. s. (II. 23, 46. vel II. 30, 26.) *umbrosis Pompeia columnis Porticus aulaeis nobilis Attalicis*: omninoque *porticus* pro *basilica* nuncupari solet. Sed, ut adhuc testantur reliquiae basilicae Vlpiae, de quibus, in Foro Traiani erutis, referuntur quaedam in *Kunstblatt* VI., quod additum est Matutae (*Morgenblatt*) a. 1817. p. 22. ad fidem Caroli Feae, abbatis, in *Notizie degli Scavi fatti nel Colosseo ed al foro Traiano*, porticus erat circa basilicae parietes, ipsa autem mediana testudo intra parietes: quod tum colligi potest ex usu, cui basilicae inserviebant, e. g. *bas. Iulia* et ipsa *Pompeiani theatri regia*, in qua erat curia (ἡ Πομπηΐου στοά, μία τῶν περὶ τὸ θέατρον ἐξέδραν ἔχουσα), in quam introibatur per fores, testibus Plutarcho et in *Bruto* c. 14. 17. pr. 18. pr. et in *Caes.* 66. 67. pr. Appiano Ἐμφ. II. 115. et Dione XLIV. 16. tum e Vitruv. l. V. 1, 6. cognoscitur, fuisse *spatia luminibus relicta*. Erant igitur basilicae parietibus clausae neque, ut solae porticus, undique apertae.

doctissimi non probant] nec Seneca *de brev. vitae* c. 15. p. m. et Lactant. VI. 11, 24. Sequitur *et* — *et* pro *nec* — *nec*; sed cogitatione verbum cum ipsa negatione iterandum. Ad vv. *hic ipse P., quem multum his libris secutus sum, non interpretatus*, cf. I. §. 6. ex. et de *Demetrio* ib. 1, 3. p. 9. — Tum in Vin. Goth. et ed. Magont. est terminatio Graeca *Periclen*, ut I. 108. p. 253. *Themistoclen*; sed ib. statim ante sine ulla varietate legitur *Periclem*. Hic autem in *propylaea*, i. e. vestibula templi Minervae (παρθενῶνος), picta ornataque magnificentissime, per quae aditus in arcem (ἀκρόπολιν) erat, duo milia et duodecim talenta insumpserat. V. Plutarch. in *Pericle* (p. 160. B. ed. Frf.) c. 13. Pausan. I. 22. 4. 6. s. Plin. XXXV. c. 10. sect. 36, 20. Suidas et Harpocratio in v. προπύλαια atque Meursius in *Cecropia* c. 6. Notum est, ad propylaeon illorum exemplum exstructam esse Berolini portam Brandenburgicam. — Ii libri, quos *de re publica* scripsit Cicero, nuper in codd.

talium largitionum in genere vitiosa est, temporibus necessaria, et tamen ipsa et ad facultates accommodanda et mediocritate moderanda est.

XVIII. In illo autem altero genere largiendi, 61
quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis affecti esse debemus. Alia causa est eius, qui calamitate premitur, et eius, qui res meliores quaerit, nullis suis rebus adversis. Pro- 62
pensior benignitas esse debebit in calamitosos: nisi forte erunt digni calamitate. In iis tamen, qui se adiuvari volent, non, ut ne affligantur, sed, ut altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse nullo

---

rescriptis bibliothecae Vaticanae reperti ab Ang. Maio, optamus, ut ne, velut Eurydices, ex Orco revocatae, umbra Orpheum, frustrentur spem atque exspectationem nostram.

et tamen ipsa et] Sic Schütz cum quinque libris Aldi, *κ*, *ψ*, Cur. et ed. vet. s. l. et a., itemque cum Ven. 498. et Ascens. Falso autem hanc lectionem tribuit editionibus Lipss., cum Gu. 3. et Lugd. 587. *et* post *ipsa* omittentibus, et Gernhardo, qui potius, priori illa part. *et* omissa cum Gu. 4. 5., scripsit *tamen ipsa et*, nimis abrupte; quamquam haec racematio placuit Degenio, qui tamen cum Heus. retinuit volgatum *et tum ipsa et*. Haec vero corruptela videtur e scribendi compendio orta. Mallem equidem *ea tamen ipsa*. Cf. 59. pr. Verum tamen satis convenit *et tamen*, quod i. e. ac *nihilo minus*, et post restrictionem quandam, qua quid conceditur, primariam sententiam infert, ut in Terent. *Andr.* I. 1, 32. docente Hermanno, Eq. Ill., in *diss. de R. Bentleio* p. IX. b. easdem particulas vindicans etiam Ciceroni *Fin.* III. 15, 48.

C. XVIII. §. 62. *debebit — nisi f. erunt*] Rite adhibentur futura tempora, quippe ad quae proprie spectet omnis praeceptio. Cf. I. 1, 2. pr. — Deinceps Schütz cum Ernesto: *In his tamen*, quod deterius est volgato. De structura *non, ut —, sed, ut* cf. Görenz ad *Fin.* II. 5, 19. ex. et de simili *non tam, ut —, quam, ut* ib. 15, 42. pr. — *Restricti* hic et *Epist.* III. 8, 28., ubi additur *ad largiendum*, i. sunt, q. Aristoteli *Eth. ad Nic.* IV. 1. sect. 29. pr. *κίμβικες*, tenaces, qui largitionem parsimonia *restringunt*, i. e. quasi arctis quibusdam limitibus circumscribunt. V. Schelleri *Lexic.* s. v. p. 9412. ad fin. (b.) Argutatur Degen. De constructione I. M. Heus. comparat

modo debemus, sed in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. Nam praeclare Ennius:

Benefacta, male locata, malefacta arbitror.

63 Quod autem tributum bono viro et grato est, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota, gratissima est liberalitas eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium.

Epist. III. 8, 8. (9. pr.) *in bene merito grati;* Aemil. Prob. XIX. in *Phoc.* 4. ex. *In hoc tantum fuit odium multitudinis.* Sic ib. X. *Dion.* 6, 2. pr. Etiam I. *Off.* 14, 42. in Gu. 4. et Pith. fuit *in aliis liberales.* Particula *omnino* ne hic aliena videatur, sequente *nullo modo*, Gernh. ad *rescricti*, non ad v. *debemus* refert. I. M. Heusingero placet Pith. lectio: *omnino esse non debemus.* Sed intelligendum puto, *omnino*, hic pro *quidem* positam, prospicere ad seq. *sed*, ut 72. I. 83. pr. — Ad *Ennii* versum ap. Columnam p. 299. cf. Plaut. *Trinumm.* III. 2, 7. (632.) ubi Lesbonicus beneficium a benevolente repudiat: *Bene quom simulas facere mihi te, male facis, male consulis.*

§. 63. *quod autem trib. est b. v. et grato*] Hunc volgatum ordinem posthabuimus ei, qui est in Gu. 3., probatus etiam Gernhardo propter proximum *in eo*, quod refertur ad *Quod — tributum — est.* Est hic usus, quo verbum subst. a participio vel adiectivo suo, interpositis aliis verbis, disiungitur, Ciceroni perfamiliaris, e. g. §. 45. (p. 89.) 49. (p. 95. ex.) *pro Scauro* in ed. Schütz. XVI; II. p. 46. *vexatus a Q. Vario trib. pl. est.* p. 47. *quaesitum ab aliis est.* — *Ipse* autem hic est ille, cui tributum beneficium est. — Seqq. *temeritate remota* valent, *si cum delectu et iudicio benefici simus, si diligenter largiamur idoneis.* V. 54. Ad seqq. cf. Xenophon. *Hieron.* 7, 9. Ὅταν γὰρ οἱ ἄνθρωποι, ἄνδρα ἡγησάμενοι εὐεργετεῖν ἱκανὸν εἶναι καὶ ἀπολαύειν αὐτοῦ ἀγαθὰ νομίσαντες, ἔπειτα τοῦτον ἀνὰ στόμα τε ἔχωσιν ἐπαινοῦντες, θεῶνταί τ' αὐτὸν ὡς οἰκεῖον ἕκαστος ἀγαθὸν — καὶ στεφανῶσι μὲν ἀρετῆς καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα —, οἱ αὐτοὶ οὗτοι ἔμοιγε δοκοῦσι τιμᾶν τοῦτον ἀληθῶς. Debet autem summus quisque, ut Gillias ille ap. Valeri M. IV. 8. ex., indicare, *quod ipse possideat, omnium quasi commune patrimonium esse.* Nam haud dubie providentia opes inter homines aequabiliter distribuisset, nisi voluisset, hominum in homines benignitate eas exaequari, ut ii, quibus bene fit, quasi disertius admonerentur, ex quo principio divino scaturiens benignitatis fons promanet. Alias enim multi brutorum ritu stupidi et vaecordes quotidianis fruerentur beneficiis.

Danda igitur opera est, ut his beneficiis quam plurimos afficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut iis ingratis esse non liceat. Omnes enim immemorem beneficii oderunt eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. Atque haec benignitas etiam rei publicae est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem volgo solitum fieri ab ordine nostro, in oratione Crassi scriptum copiose videmus. Hanc ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec est gravium hominum atque

---

liberis posterisque — ingratis esse non liceat] De Dativo cum Infinitivo post *licet* v. Viger. *Idiot.* p. 202. a. Idem verbum Accusativum cum Infinitivo asciscit 67. I. c. 26. ex. ut in Plauti *Pseud.* I. 1, 14. De transferenda beneficii obligatione in propinquos v. disputationem Senecae *de benef.* V. 19. Deinceps non, ut Schütz notat, in duob. Ox., sed in duob. Fabritii, uno Ox. depravatum est *in deterenda*, i. e. minuenda. De pleonasmo Praepositionis *in* v. not. ad I. 9, 28. p. 64. — Deinde in Gu. 3. duobus Aldi et quibusdam codd. Lactantii VI. 12, 15. legitur *redimi e servitute captivos*, quod, sic indefinite positum, praetulerim equidem volgato *captos*. Est fere idem discrimen, quod *libertorum* et *libertinorum*. V. I. c. 12. p. 93. III. 99. 100. 101. pr. 110. 111. 113. *Ad Herenn.* III. 2. *captivos ab hostibus redimat.* Alia res fuit supra 56. pr. Ne ap. Aemil. Prob. quidem VII. *Alcib.* 5, 6. *capti* dici videntur pro *captivis*. *Crassus*, cuius hic laudatur oratio, est idem ille *L.*, de quo c. 13. ex.

Hanc ego] Haec ab H. Wolfio in margine annotata lectio Lactantii l. c. recte placuit F. Heusingero prae volgata, *Hanc ergo*: quam solitam esse librariis aberrationem, multis exemplis docuisse laudatur Drakenb. ad Liv. XXXVII. 53, 11. Vtramque voc. confusam videmus similiter Catil. I. §. 29. c. 12. pr. Gud. 2. et edd. vett. substituentibus *ergo*. Cicero quidem pronomina sic coniungere solet: ib. II. 10, 21. *Hosce ego non tam milites acris — esse arbitror.* 8, 17: *quos quidem ego — non tam afficisci studeo.* 19, 20. *quas ego universas civium esse optimorum — sentio.* Ib. *quos ego utrosque — in eodem genere — pono.* 22. pr. 13, 29. pr. (bis.) Repetitur per anaphoram idem pronomen: *Haec est gravium hominum* pro *Hac* (con-

magnorum: illa quasi assentatorum populi, multitu-
64 dinis levitatem voluptate quasi titillantium. Conveniet autem, cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum, in omnique re contrahenda, vendundo emundo, conducendo locando, vicinitatibus et confiniis, aequum et facilem, multa

---

suetudine benignitatis) *uti solent graves homines.* Cf. 57. pr. In proxx. *quasi* abest a Palat. 1. Sed recte iudicatur, levari hac particula quandam vocis *assentatorum* (qui fallaces officiorum simulatione se ad populi voluntatem convertunt) offensionem, cum largitio munerum aediliciorum fiat, optimis viris approbantibus, *blanditiis* autem *et assentationibus benevolentiam civium colligere, turpe* iudicetur in *Lael.* 17, 2. (c. 16. ex. ed. Schützii, qui sequitur aliorum librorum lectionem, *assentando*). Valet tamen *quasi* non tam *plerumque,* quam *paene, tantum non;* alibi *circiter.* Degen hic etiam pro comparationis particula habet. Alterum vero *quasi* mitigat insolentiorem usum verbi *titillare,* ut *Tusc.* III. 20, 47. pr. *Cat. Mai.* 14, 4. *Fin.* I. 11, 39. ubi etiam additur, *ut ita dicam*, et Görenz p. 54. pariter atque ad III. 1, 1. p. 308. monet, esse ipsius Epicuri vv. γαργαρίζω et γαργαρισμός. Imo γαργαλίζω et γαργαλισμός! V. Davis. ad I. *N. D.* 41, 113. p. 183. ed. Cr. Contemptius ponitur abstractum *multitudinis levitatem* pro concreto *levissimum quemque.*

§. 64. *cum in dando*] Schütz e Gu. 1. 2. 4. 5. recepit *tum in d.* At vero, ut indicat praecedens v. *conveniet,* fit hic conclusio a maiori ad minus, quasi dictum esset, *multo minus in exigendo acerbum.* V. n. ad I. 69. p. 161. et Ill. Hermanni *adnot.* 314. ad Vigerum p. 835. ed. 2. *Acerbitatem in exigendo* notavit Plutarch. in *M. Crasso* c. 3. pr. — *in omnique re contrahenda* est in communis vitae negotiis et commercio, *si cum altero contrahas* (I. 2, 4). Cf. n. ad I. 5, 14. p. 36. et Schütz in *Lex.* s. v. extr. p. 398. De re pecuniaria usurpatur *p. Sulla* c. 20. *profectus est — ob — necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta.* — Deinde edebatur *vendendo, emendo.* In Gu. 1. est *venudundo*, e quo Heus. eruit *vendundo.* Vid. III. 16, 66. ex. Est solennis formula, in qua servatur archaismus. V. *Praef.* ad T. I. p. IX. In *Verrina* III. 70, 163. legitur: *Emundi duo genera fuerunt.* De asyndeto autem v. n. ad I. 56. p. 135.

vicinitatibus et confiniis] „*Confinium* peculiariter denotat spatium 5 vel 6 pedum, agros vicinos separans, quod utriusque commune, propter Leg. XII Tabb. usucapi non poterat. Vid. Ge. d'Arnaud *Variar. Coniectur.* I. 14. c. 2.

multis de iure suo cedentem, a litibus vero, quantum liceat, et nescio, an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paullum non nunquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Habenda autem ratio est rei familiaris, quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est; sed ita, ut illiberalitatis auaritiaeque

---

p. 16. ss. Sic *vicini* et *confines* distinguuntur in *l.* 4. §. 10. *D. Fin. regund.*" Binkes p. 42. *n.* 34. Ad *confinium*, quod nos dicimus *den Rain*, Galli *la raie*, spectat Cic. I. *Leg.* 21, 55. *Controversia nata est de finibus, in qua, quoniam usucapionem XII tabulae* INTRA QVINQVE PEDES *esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine (Zenone) non sinemus: nec Mamilia lege singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus:* ubi improbabiliter Görenz e Cassel. legi voluit: *usucapionem inter XII tabulae quinque pedes esse voluerunt.* Sed cf. Siculus Flaccus: *Si arbores communes sint mediae, utrimque notatae per totas esse debebunt. — Signantur autem utrimque, id est ex utraque possessione* INTRA PEDES QVINOS, *ut legis Mamiliae commemorationem habeant:* et quos laudat Ill. Haubold in *Institt. iur. Rom. lineam.* ad §. 449.

a litibus — abhorrentem] Talis a Corn. Nepote XXV. 6, 3. s. fuisse laudatur *Atticus*, qui *in ius de sua re nunquam iit; iudicium nullum habuit.* Vv. *quantum liceat* Degen refert ad rei familiaris rationem, ut pro hac tolerabilis sit iactura. Fortasse etiam ad iniuriae genus referuntur, ut sensus sit: *nisi, per iniuriam nimis manifestam defraudari, indignum videatur.* Ad seqq. cf. Plaut. *Capt.* II. 2, 77. *Est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum.* — Verbum *est*, quod alii alio loco interponunt, Ascens. post *Habenda*, Gu. 4. post *familiaris*, rell. post *autem*, videatur deberi glossatori, ut in *Cat. Mai.* 11, (5.) 36. V. ad I. 8, 25. ex. Elegantiorem tamen cum Bernh. indicavimus Heusingeri rationem, qui e Gu. 1. 2. Beda atque Eybo transposuit *Habenda autem ratio est.* Deinde *quam q. dilabi sinere* i. e. q. *negligere rem familiarem* in *Cat. Mai.* 7, (5.) 22. Sed binis codd. MSS., quos Hermannus adhibuit, ibi transponentibus *rem negligere familiarem*, Vir Summus in *Leipz. Literatur-Zeit.* a. 1819. n. 122. p. 971. suspicatur, v. *familiarem* irrepsisse ex glossa; et potest sane abesse, cum continuo subsequatur *a re familiari.* — *Flagitiosum* i. e. q. *turpe*, *dedecus.* Idem indicabat *Cato Maior*, ut de eo scribit Plutarch. c. 21. ex. Οὐκ ἀνδρὸς, ἀλλὰ χήρας γυναικὸς εἶναι τὸ μειῶσαί τι τῶν ὑπαρχόντων. Cf. tamen ipsius Plutarchi sententia de vitanda μικρολογίᾳ (i. e. *illiberalitate avaritiaque*) ib. c. 5. pr. et extr. Ellipsis seqq. *sed ita*

absit suspicio. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domus hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam rei publicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est

---

supplenda e sententia primaria *Habenda ratio* (i. e. gerenda cura) *est rei familiaris*.

nimirum is est pecuniae fructus m.] i. q. *iis fructus divitiarum*. Sic, ut volgo, collocantur vv. in Gu. 8., non, ut Gernh. enotavit, in Gu. 5. in quo satis eleganter transp. *pecuniae fructus est*. Sed male hi libri excludunt pron. *is*. Sallust. in *Cat.* 20. *idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est*. Locum sequentem perstringit Lactant. VI. 12, 5 — 13. exprobrans nostro philosopho, quod *hospitalitatem detorserit a vera iustitia et ad commodum rapiat*. Verum tamen praecipitur hic de officiis *virorum illustrium*: quibus nihil quidquam negligendum, quod *rei publicae*, cuius personam gerunt, *ornamento* esse possit, omniaque circumspicienda praesidia, quibus adiuti *honeste possint multum*. Sine adiutoribus enim optima eorum consilia et maxime salutaria non nunquam eventu destituentur. Saepe principum amicitiae atque hospitia foederum instar pacis retinendae pignora fuerunt. Cf. I. 139. p. 292. Aristot. etiam *Eth. Nic.* IV. c. 2. sect. 5. §. 4. magnificum virum volt esse sumptuosum περὶ ξένων ὑποδοχὰς καὶ ἀποστολὰς καὶ δωρεὰς καὶ ἀντιδωρεάς. In *Catil.* IV. 11, 23. Cicero praedicat, se *clientelas hospitiaque provincialia urbanis opibus non minore labore tueri, quam comparare*. Similiter περὶ ξένους ἦν φιλότιμος ὁ Κράσσος, teste Plutarcho in ei. vita c. 3. pr. Ἀνέῳκτο γὰρ ἡ οἰκία πᾶσι, i. e. liberum aditum habebant omnes; et invitabantur in eam et invocatis locus erat semper; benigne excipiebantur; *domus erat omnibus apertissima maximeque hospitalis* (*Verr.* IV. 2, 3.). Cf. Schütz in *Lex.* s. v. *Pateo* p. 168. *Epist.* XIII. 17, 2. ex Terent. *Eun.* V. 9, 28. s. Similiter supra §. 55. pr. de *re familiari* et in *Verr.* IV. c. 3. *omnibus haec ad visendum patebant quotidie*, i. e. si qui visere vellet, cuique concessum erat. — Forma Accusativi *domus*, quae hic est in Cur. quoque et in ed. Ven. 502., etiam in *Catil.* IV. 6, 12. (24.) restituenda e quatuor Ox. — E Degenii ed. hic excidit v. *illustrium*. V. ad I. 53. p. 128.

autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, *Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse: ita enim instituisse et villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset.*

XIX. Quae autem opera, non largitione, be- 65
neficia dantur, haec tum in universam rem publicam, tum in singulos civis conferuntur. Nam in iure cauere,

---

Est autem etiam v. utile] Particulam *autem*, repudiatam a Goth. Vin. Gu. 1. et edd. vett., expunxerim cum Facciolato. Frustra Gernh. comparat I. 137. p. 278. *Rectum est autem, etiam* etc. ubi etiam, a praecedentibus diremptum, refertur ad seqq. significans *adeo*. H. l. valet i. q. *insuper*, *praeterea*, *accedit* vel *adde*, *quod* etc. Quae de *Cimone Theophrastus scribit*, haud dubie in eodem illo libro *de divitiis*, ea recte interpretatus est Pearce: „non solum, cum ruri esset, Cimonis domum hospitibus patuisse; sed Athenis etiam cum esset, curasse, ut Laciadae (δημόται sui, qui eiusdem, cuius ipse, curiae essent) in villa sua per villicos hospitio exciperentur.“ Ergo male Degen *etiam* coniunxit cum seqq. *in suos*, cum pertineat ad praecedens *Athenis*. — *Omnia praebet*, nempe *gratis*, qui curat, ne quid hospiti desit. V. Plutarchum in *Cim.* (p. 484. s. Frf.) c. 10, pr. ex Aristotele; itemque in *Pericle* (p. 156.) c. 9. et in *Symp. Quaest.* IV. 3. p. 667. Theopomp. apud Athenaeum XII. 8. p. 533. quem sequitur Aemil. Prob. V. 4, 1. 3. qui a Theophrasto non (ut visum est sive Aemilii Probi sive Cornelii Nepotis interpretibus) discrepant, tradentes, volgarem Cimonis liberalitatem, quae cuique concedebat in praediis hortisque decerpere fructus (quam eandem Ephialtae fuisse, praedicat Heraclid. Ponticus in *politia*), ad universos cives, quos etiam, cum invocatos vidisset in foro, omnes promiscue devocabat ad coenam, atque etiam ad peregrinos pertinuisse. Cf. Lactant. VI. 9, 8. Singularem vero hospitalitatem adhibuit adversus suos contribules Laciadas. Parem Gilliae Agrigentini liberalitatem celebrat Valer. M. IV. 8. ext. 2. — *Lacia* erat Atticae pagus. V. Ed. Platner *de gentibus Atticis earumque cum tribubus nexu*, et *über die Eintheilung des Attischen Volks in Phylen, Phratrien u. Demen* (Marburgi 820.) c. 6. — De orthographia verbi *devertere*, obvii I. *divin.* 27, 57. et alibi, v. Schützii *Lex. Cic.* II, II. p. 83. s.

C. XIX. §. 65. *in iure cauere*] scil. *ne consultores*

consilio iuvare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam. Itaque cum multa praeclara maiorum, tum, quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem tem-

---

circumveniantur (*Mur.* 9, 22.): quod primus publice fecit Ti. Coruncanius, cum superiores non nisi clientibus suis vacassent consultoribus. V. Ill. Hugonis *Geschichte des Röm. Rechts* §. 148. ed. IVtae. Respondebant autem de iure civili gratuito ex lege Cincia. Erat enim infame, mercedem quaerere operis liberalibus. Latius patet *consilio iuvare*, sc. *de omni aut officio aut negotio.* V. *Or.* III. 33. 133. s. Deinde vitiose in Degenii ed. exscriptum est: *multa praeclare maiorum.* Cf. *Cat. Mai.* 18, 7. *Maiorum* autem *sapientia in constituendo iure*, cum universo, tum civili, mirifice laudatur *p. Rosc. Am.* 25, 70. *Or.* I. c. 43. s. §. 193. ss. et iuris civilis cognitio ib. c. 45. s. §. 201. ss. *Top.* 17, 65. s. Ipse etiam Cicero scripsit *de iure civili in artem redigendo:* quo ex libro duo tantum fragmenta servata sunt a Charisio et Gellio I. 22. V. Hauboldi, Viri Ill., *Instt. Iur. Rom. Lineam.* §. 194. c) p. 101. et 421. Quid de iuris civilis scientia eiusque artis dignitate senserit, ea de re disputatum est a VV. DD. Cf. n. ad 46. prae cum Martyni-Lagunae argumento *Epistolae* 11. lib. I. p. 50., a quo praestantissimo editore adducitur Ioann. Fred. Eckhardi *Cicero, iuris prudentiae non ex animi sententia contemtor, ad locum* pro *Murena cap.* X. *seqq.* Sed quod ipse *Fin.* IV. 27, 74. ex. fatetur, in illa oratione *aliquid coronae datum*, id potissimum ad Stoicae philosophiae praecepta spectat, de quibus apud imperitos tum sic disputasset, ut risum captaret; cuius rei mentionem factam a Plutarcho in *Cat. Min.* c. 21. non praetermisit Ill. Beck in *argumento* p. 621. a quo laudatur Ioann. Luzac Specimine Academico L. B. 1768. 4. exhibuisse *observv. nonnullas apologeticas pro Iureconsultis Romanis ad locum Cic. in or. p. Mur. c. XI — XIII. princ.* ubi v. maxime c. 5. §. 15. ss. p. 46 — 49. Praeter Bach. *Hist. Iur.* II. c. 2. sect. 4. §. 43. praecipue not. *f*) et Engelbronnerum *de loco Ciceronis qui est de legibus* p. 15. not. *c* et p. 16. not. *b*, quem laudat Binkes p. 40. n. 27. vid. etiam Hugo l. l. §. 146. 147. et de fatis atque auctoritate Iureconsultorum Romanorum scriptores laudatos ab Hauboldo l. l. §. 184. et p. 419. *Röm. Geschichte v. Barthold Ge. Niebuhr* T. II. p. 1. Hadr. Steger *Epist. de honoribus vett. Iureconsultorum*, Lips. 1743. 4.

ante

temporibus in possessione sua principem retinuerunt, nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est; idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Haec igitur opera grata mul- 65
tis et ad beneficiis obstringendos homines accommodata. Atque huic arti finitima est dicendi facultas, 66
et gravior et ornatior. Quid enim eloquentia praestabilius vel admiratione audientium vel spe indi-

---

ante hanc confusionem temporum], i. e. *ante haec tempora, quibus perturbatio rerum omnium facta est et confusio*. Explicatur in seqq. Cuius iure consulti nomen ibi, cum magniloquentia quadam reticetur, ut eo magis eius exsplendescat claritas, is est Serv. Sulpicius, Q. F., Lemonia, Rufus, Ciceronis per totam vitam familiaris; qui laudatur in *Bruto* c. 41. s. et *Phil.* IX, 1. et qui *sapientia omnes anteiret*. Cf. in primis ib. c. 5, 10. s. Ab hoc ius civile primum in eam artis formam redactum, quam vulgo ad Tribonianum vel ad Caium referunt, agnoscit Hugo l. l. §. 245. V. quos laudat Haubold l. l. p. 167. §. 278. *b*). Consolatur eum Cicero *Ep.* IV. 3. 12. quod eius *scientiae excellenti ac singulari non multo plus, quam suae, sit loci*. Obiit in legatione ad Antonium, Pansa, Hirtio COSS. 710. (*Phil.* IX. 7.), ergo anno proximo, non, ut Binkes putat, „duos annos post confectos hosce libros." Exstat Ev. Ottonis lib. sing. *de vita, studiis, scriptis, et honoribus Servii Sulpicii Rufi*, Traiect. ad Rh. 737. 8. et in *Thes. Iur. Rom.* T. V. p. 1555 — 1630. Vid. Beck l. c. §. 44.

§. 66. *huic arti finitima est dicendi facultas*] De harum *artium studiorumque finitima vicinitate* (ut dicitur in *Bruto* 42.) v. I. *Or.* c. 55. m. *Top.* 17, 65. ex. Editur autem *gravior facultas et gratior*. Sed Heumanni coniectura in *Parerg. crit.* p. 561. de excludendis vv. *et gratior* confirmatur fide duorum MSS. Ox. Gernhard quoque, cum in v. *ornatior* iam insit *gratiae*, qua dicendi facultas in illa cum iuris scientia contentione evadit superior, significatio et in Gud. 4. legatur *facultas gravior gratior*, scribendum putat *dicendi facultas gravior*; comp. *Mur.* c. 11. §. (441) 24. *Gravis etiam illa est et plena dignitatis dicendi facultas*. Retinuimus tamen duplicem copulam. Renunciamus autem coniecturae, 46. pr. propositae, ubi eodem modo in codd. iuncta est duplex lectio. De eloquentiae laude comp. 48 ex. — *Spe indigentium* etc. dicitur pro *ad spem* i., vel, *sive spes indigentium spectatur sive* etc. seqq.

gentium vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorum causas et non gravate et gratuito defendentis bene-

67 ficia et patrocinia late patent. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitum, deplorarem, ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exstinctis oratoribus, quam in paucis spes,

---

in plerisque H. depravata leguntur. V. Nannius *Miscell.* IX. 10. *In toga* dicitur pro *in pace atque otio.* Cf. I. 77. pr. 79. p. 184. *Catil.* II. 13, 28. III. 6, 15. IV. 3, 5. *Phil.* II. 8, 15. *Pis.* 3, 6. *Epist.* XV. 4, 27. Vellei. P. II. 29, 3.

facile laborantis] ut *multorum causas* defendere sufficiat. Degen accipit pro *libenter.* At vero ita exsisteret tautologia, cum sequatur *non gravate.* Vid. 53 pr. *p. leg. Manil.* 1, 2. *Nunc cum ... in me ... sit ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre —: si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt.* — *Gratuito,* i. e. sine ullo honorario vel palmario. Postea mores cum paullatim obsolevissent irrupissentque mercedis pactiones in patrociniis (*Parad.* VI. 2, 1.): a. V. 549. *ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet,* cautum est lege Cincia, de qua, in *Cat. Mai.* 4, 2. et Taciti *Ann.* XI. 5. XIII. 42. memorata, v. Ernesti *Ind. legum,* Bach. l. c. *l.* II. *c.* 2. *sect.* 2. §. 34. et Ill. Haubold l. l. §. 740. t. p. 317. et §. 861. p. 365.

§. 67. *Admonebat*] De Imperfecto Indicativi v. ad §. 4. ex. et Heusinger ad Flav. Mallium Theodor. p. 55. — Quod vero, re publica servitute et armis oppressa, ereptum erat forense et eloquentiae regnum: solet Noster quavis occasione *deflere iudiciorum vastitatem et fori,* ut §. 4. not. 8. 6. ex. *Epist.* IV. 3, 11. in *Bruto* c. 42. ex. Ibid. 6, 22. sa. ipse sub *Bruti* persona significat, *se istuc quidem, et dolere et dolendum putare ..., sed propterea ... quod dicendi non tam fructus et gloria, quam studium ipsum exercitatioque delectet.* Propterea hic opponitur, *de me ipso,* ut 45. *non de te, sed de genere toto.* V. ad I. c. 32. pr. — Aliquid hic additum est, cum intelligatur *alia quaedam,* quam *de intermissione eloquentiae, querela* ...

quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. Cum autem non possint omnes, ne multi quidem, aut iuris periti esse aut diserti: licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus et magistratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur aut defendunt, rogantem. Quod qui faciunt, plurimum gratiae consequuntur latissimeque eorum manat industria.
68 Iam illud non sunt admonendi (est enim in promptu),

---

non possint omnes] Volgo *non omnes possint.* Ab ed. Ascens. abest *omnes.* I. M. Heusingero paullo melior videbatur hic verborum positus, quem e Goth. Gu. 3. et 4. recepimus. Cf. Virg. *Ecl.* 7, 22. *si non possumus omnes.* Sensus circumscribitur II. *Divin.* 2, 5. pr. *Nec vero id effici posse confido (quod ne postulandum quidem est), ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant: pauci utinam! quorum tamen in re publica late patere poterit industria:* quae Hottinger in nota et Meyer in versione perperam interpretati sunt. Sensus est: „qui tamen his (philosophiae) studiis non abducentur a rebus gerendis neque impedientur, quo minus multos cives demereantur. Ergo *industria* ibi pariter, ut h. l., est officiorum promptitudo ac facilitas opera nostra indigentes adiuvandi. Cf. 53. pr. 54. pr. I. 122. p. 258. *Mur.* 7, 16. *Verr.* V. 70, 180. Alibi eodem sensu dicitur *labor* v. *opera.* Turpiter autem lapsus est Degen, cui *multis licet* opponi videtur illis, *non multi possunt.* At vero *multis* pendet a v. *prodesse*: alias pro Accusativis (de quorum constructione v. n. ad 63.) in seqq. etiam Dativos poni oportuit, *beneficia petentibus* etc. ubi intelliguntur studia suffragatorum, qui, qua valent gratia, centurias conficiunt candidatis petentibus honores et munera publica. Haec enim proprie dicuntur *beneficia Populi R.*

§. 68. *Iam illud*] Görenzio ad *Fin.* IV. 18, 50. pro *Iam* corrigendum videtur *Nam*, quod VV. DD. praeterierit, cum bis *enim* sequatur. „Sed ita," inquit, „auctor saepissime." Vtramque voculam transitioni et connectendae orationi inservire et utramque creberrime in MSS. permutari, post Drakenborch. ad Sil. It. IX. 242. et ad Liv. V. 51, 6. observavit Heindorf ad *I. N. D.* 12, 30. pr. sed acute distinguit, „*nam* locum ibi habere, ubi illud, ad quod transit sermo, obiter magis et defunctorie afferatur, cum contra *iam* lectorem excitet et attentum faciat ad id, quod subiicitur." Ita quidem hic aptius videbitur *Nam*, quippe de re, quae *sit in promptu*, (74. ex.) i. e. *facile appareat nec magnopere praecepta desideret* (I. 145.). Quo minus

ut animum advertant, cum iuvare alios velint, ne quos offendant. Saepe enim aut eos laedunt, quos non debent, aut eos, quos non expedit: si imprudentes, neglegentiae est; si scientes, temeritatis. Vtendum est etiam excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possit, quare id, quod feceris, necesse fuerit nec aliter facere potueris: ceterisque operis et officiis erit id, quod violatum est, compensandum.

---

tamen contra codd. rescriberemus, deterruit adiectum pron. demonstr. *illud.* — Deinde Ascens. edidit *deberent.* Gernh. et Schütz e Nonii in v. *Expedire* antiquo libro Gu. et ed. Plant. 1565. *quos non debeant:* quo Coniunctivo Cicero uti solet aut in negativa sententia aut in membro negativae sententiae opposito, ut I. 9, 28. p. 61. 64. *Or.* II. c. 26. *videntur ... nostri ignorare, qui non minus nosse debeant.* Retinendam duximus tamen volgatam, cum etiam in altero membro sit Ind. *quos non expedit.* Nam III. 1, 8., ad quem l. provocat Gernh., alii legunt *debebat.* — Inepte autem hic *imprudentes* Degenii imprudentia expressit aus *Mangel an Einsicht.* Debebat: *aus Unbedachtsamkeit.*

Vtendum est etiam] Sic Goth. Gu. 8. Beda atque Eyb., melius sane, quam volgo, *Vtendum etiam est.* V. ad I. 91. pr. Quamquam suspicor v. *est* natum ex male intellecto compendio particulae *etiam.* Hanc enim Gu. 4 plane omisit. Cf. librorum corruptelas I. 88. p. 109. in vv. *exercenda est etiam.* Deinde absolute, ut solet, dictum, *quacumque possit* (est enim contractum ex pote sit), ut 72. *si possit.* III. 9, 39. ter, ubi tamen praecesit *id fieri posse.* *Epistt.* XIV. 1, 11. XVI. 19. 1. Cf. Görenz ad *Fin.* V. 4, 9. pr. Bünemann ad Lactant. VI. 11, 18. 2). Bentlei. ad Terent. *Adelph.* IV. 5, 66. 7, 25. et *Phorm.* IV. 3, 69. Ceterum eius modi excusatione utitur ipse Cicero in *or. p. Planc.* c. 2. §. 6. et c. 33. 83, 80. adversus Laterensem itemque in *or. p. Mur.*, cum vereretur offendere Sulpicium et Catonem. Egregium eius artificium, ut his rationem defensionis suae reddens, illustrat Quinctil. *Instt.* XI. 1, 68. Pron. *id* ante *quod violatum erit*, a Goth. Vin. Gu. 5. et edd. vett. neglectum, sed a Graev. et Heuss. e melioribus libris receptum, Schütz cum Grutero, Gronov., Facciol. et Ernesto denuo omisit; sed agnoscunt *p* et *φ* et ut praeclare videtur, in nota certe, Gernhard.

XX. Sed cum in hominibus iuvandis aut mores spectari aut fortuna soleat: dictu quidem proclive, itaque volgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam, sequi. Honesta oratio est. Sed quis est tandem, qui inopis et optimi viri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. Sed animadvertendum est diligentius, quae natura rerum sit. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest. Commode autem, quicumque dixit: *pecuniam qui habeat, non reddidisse; qui reddiderit, non habere;* 69

C. XX. §. 69. *dictu quidem est proclive*] V. *est* cum Gu. 4. omisi? Saepe *proclivis* cum Ellipsi illa ponitur, (e. c. *Tusc.* IV. 37. 81. pr.) ut alia Adiectiva, Supinis iungi solita (v. Ovid. *Pont.* II. 3, 7.), etiam si aliter struuntur, ut *Phil.* II. c. 17. *materia facilis in te et in tuos dicta dicenti.*

itaque volgo loquuntur] pro *atque ita v. l.* Tum *mores hominum sequi* perinde dicitur, ut modo ante ad I, §. 45. s. *spectare.* Cf. de hac verbi vi n. ad h. l. §. 51. p. 100. — *Honesta oratio est* dicitur in Terent. *And.* I. 1, 114. pro *speciosa et quae virum bonum deceat, sed qua abutuntur, qui ficto sermone viri boni personam agunt.* Non adiecto *est*, usurpatur in *Phil.* VIII. 4, 13. Deinde *et optimi* valet *eiusque q.* (cf. 57. p. 110. s.); *fere* autem i. q. *plerumque*, ut saepissime ap. Celsum. Notabilis transpositio est seqq. in Gu. 3. *Sed animadvertendum, quae sit natura rerum, diligentius.* Sed videtur librarius non inficetus, cum vv. *est diligentius* a se omissa in tempore tamen animadvertisset, adverbium in clausula adhuc subiecisse. Quae natura rerum sit in ratione gratificandi, ut gratos experiare eos, quibus commodaris, similiter insinuat Lysias in Platon. *Phaedro* p. 233. E. sq.

quicumque dixit] Ignoratur enim primus auctor huius enthymematis, quo luditur in ambiguitate verbi *habere.* Idem a Cicerone *p. Planc.* c. 28., ut sententiae accommodaretur, paullo immutatum notat Antonius Iulianus ap. Gellium I. 4. In Pseudo-Ciceronis, quem adhuc pro Nostro habet Degenii credulitas, *or. ad Quir. post red.*

gratiam autem et, qui retulerit, habere et, qui habeat, retulisse. At, qui se locupletis, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt; quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis magnum aliquod acceperint; atque etiam a se postulari aut exspectari aliquid suspi-

---

9, 25. ex., inepte praeter rem assutum, interpolatori tribuitur a criticis. — Deinde *beati*, ut apud Graecos, maxime poëtas, μάκαρες, μακάριοι, εὐδαίμονες sibi videri dicuntur opulenti, ὄλβιοι, qui abundant omnibus rebus, quae volgo expetuntur tum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates. Pseudo-Cic. *declam. in Sallust.* ad fin. *Patrimonio non comeso, sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens et tam beatus?* Cf. Schützii *Lex.* s. v. extr. et quos laudat Alex. Ruperti ad *Iuven.* I. 89. — Tum Deg. cum Heus. ii pro *hi.*

quamvis magnum] *Quamvis*, cum Adiectivo vel Adverbio iunctum, item, ut *quantumvis*, vim habet intensivam. Cf. I. 86. ex. *Epist.* II. 16, 5. et Aug. Matthiae ad *or. p. Rosc. Am.* 16, 47. pr. Ad proxx. notat Schütz. volgo legi *aeque etiam ad se postulari*, a Facciolato *aeque etiam a se aut p.*; particulam *aut* ante *postulari* receptam etiam a Graev., qui post *patrocinio* e suo cod. addiderit *tuo*. Perversa sunt haec omnia! Nemo *a* corrupit in *ad*. Facciol. cum H. Wolfio legit: *Aeque enim a se aut p.* Graev. expulit part. *aut*, in cod. suo 1. omissam, et post *patrocinio vero* ibi demum inculcavit *tuo*. Duplex *aut* male a Schützio et Degenio servatur cum Heus. atque Extero, ed. Bipont. Recte Gernh. hunc requirit sensum: *si non postulari, at exspectari certe.* Sic simplex *aut* imminuit II. *N. D.* 61, 153. *par aut similis.* V. Gesner in *Thesaur.* I. p. 567. l. 51. ss. et Görenz ad *Fin.* I. 17, 55. IV. 6, 15. (p. 439.) 26, 72. ex. Quatuor hic aperiuntur causae, cur ii, *qui se locupletes, honoratos, beatos putant*, ingrati esse soleant. Fortunae enim et copiae in multis nobilibus atque opulentis gignunt modo fastum, modo arrogantiam contemptumque inferiorum et minus divitum, quos nimium quantum a se honoratos ornatosque putant, si quod beneficium ab iis accipere dignati fuerint nec repudiarint, modo suspicionem, eos, quorum propensam in se cognorunt voluntatem, non liberalitate gratuita, sed remunerationis spe ad officia duci (*nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est, sed foeneratio; nec gratia deberi videtur ei, qui suam ob causam commodaverit*, II. *Fin.* 35, 117.); modo tanta sunt superbia, ut sese honoris detrimentum facturos putent, si, aliis se beneficium quod-

suspicantur, patrocinio vero se usos aut clientis appellari, mortis instar putant. At vero ille tenuis, cum, quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam, putet, non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat (eget enim multis), gratum se videri studet. Neque vero verbis auget suum mu-

---

dam debere, fateantur. Particula *vero* gradationi inservit, ut I. 4, 15. p. 52. Pro volgato *et clientes* reduximus e plerisque libris *aut* (intell. *quod etiam turpius foret*) cl. Cf. Terent. *Andr.* I. 5, 43. *Aut* simplicem frequenti plane exemplo a scribis in *et* corruptam esse, observat Görenz ad *Fin.* II. 8, 23. p. 153. b. — *Mortis instar putant* proverbialiter dicitur, ut I. 113. p. 242. *milies oppetere mortem potius*; et *Rab. perd.* 5, 18. *Att.* VII. 11. sect. 1. *potius mori milies.*

§. 70. *a quibus exspectat*] ut de se bene mereantur: *eget enim multis*, nempe *patronis et fautoribus*. V. *studet* hic pro *et* asciscit Accusativum reciprocum cum Inf.: quam constructionem ibi, ubi exprimitur votum vel desiderium quoddam, quod quis mente foveat, usurpari, agnoscit Grotefend in *Lat. Grammat.* §. 237. II. 1. ex. p. 299. ed. III. Vis sententiae haec est: „*gratum se videri cupit*, cui beneficium dederis et quem dignum iudicet, cui plura in posterum tribuas,“ interprete clar. Frotschero, qui in *Observv. P. I. de Sallustii quibusdam locis* (Lips. 1825. 8.) p. 9. s., ne exemplis colligendis augere etiam eorum, quos docere vellet, inscitiam videretur, nisi, quia quidquam lege diceretur, edocuisset, ingeniosus, ut est, circumspexit explanandi rationem, nimia tamen usus videtur subtilitate, iis locis, ubi diserte pronomen ponitur, omnino omnibus nullam aliam subiiciens causam, quare adiectum esset, nisi quod scriptor pronomen cum maiori vi et gravitate pronunciari voluisset vel quod oppositionem quandam statuisset. Est sane eiusmodi emphasis etiam in compp. ll. Sallustii *Catil.* c. 1. pr. et 7. si quidem ibi satis certa sit lectio: *Gloriae maximum certamen inter ipsos erat. Sese quisque* (αὐτὸς ἕκαστος) *hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat;* item in constructione verborum *volo* II. *Tusc.* 6. (vel 5, 7. pr.) et *malo* ap. Liv. XXII. 50. *qui se bene mori, quam turpiter vivere, maluit:* quibus addi possunt e l. III. *de re publ.* apud Lactant. V. 12, 6. ex. II. *Off.* 7, 24. ex. 78. pr. *pro Sull.* c. 2. *in his me apparere nollem? Epist.* V. 8, 6. *Is enim tu vir es et eum me esse cupio*, et permulta alia exempla. Sed ex aliis ut taceam, nisi plane argutari volueris, frustra laboraveris, ut statim in *Divin. in Caecil.* c. 6. *se ab omnibus desertos*

illis, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. Videndumque illud est, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo aut forte in liberis eius manet gratia; sin autem inopem, probum tamen et modestum: omnes non improbi humiles (quae magna in populo multitudo est) praesidium sibi paratum vident. Quam ob rem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto.

71 Danda omnino opera est, ut omni generi satis facere possimus; sed, si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus; qui cum

---

potius, quam abs te defensos esse, malunt: praesertim, ubi verbum finitum praecedit nec medium, interponitur neque reiicitur ad finem, ut pronomen, in quo primaria vis inest, praecedat: quod discrimen maxime elucebit, comparatis exemplis trinis postremis ex his, quae ad I. 65. pt. indicavimus.

sed etiam extenuat] Part. *etiam* non apparet in Vit. *u* nec in edd. vett., quae contra cum Gu. 3. 4. 6. etiam inculcant §. 27. p. 55. *cum exstitisset* [*etiam*] *in cives tanta crudelitas*. Cf. §. 49. p. 95. ex. Hic tamen eius compendium inter *sed* et *ex* facillime ab alterutra syllaba absorberi potuit. Posita est autem pro *adeo*. Ad pron. *illud* post *Videndumque* refertur seq. *quod* pro Accusativo cum Infinitivo. V. Perizon. ad Sanct. *Minerv.* III. c. 14. n. 21. et Schelleri *Lex.* s. v. *Quod* II. 6), g) p. 8968. *Opulentum* ne hic quidem cum Degenio pro *potente* acceperim, sed pro *divite* et *probum* pro innocente, qui iustam causam atque aequam ad patronum defert vereturque rogare, ut contra aequitatem contendat pro iniuria; hinc *modestus*, cum nihil quaerat, nisi ut suo iure uti liceat. Quocirca I. 86. p. 114. praecipiebatur, *colendum ita quemque maxime, ut quisque maxime modestia ornatus esset*. *Improbus* est contra, qui, cum ita peccavit, ut defensioni locum non reliquerit inque manifesto peccatu teneatur, nihilo minus postulat, ut patronus ad hanc causam accedat in alteriusque impudentia sui pudoris existimationem amittat. V. hoc cap. extr.

§. 71. *nimirum Themistocles est auctor adhibendus*] In hoc tum vero utique Themistoclis valeat auctoritas, eius consilio obtemperandum. Plutarch. in *Them.* p. 121. c. 18. ex. et Ἀποφθεγμ. στρατ. c. 38. ιά. p. 185. E. hoc ab eo dictum in suae ipsius filiae proco deligendo refert. A Cicerone stat Valer. M. VII. c. 2. *extern.* 8. (al. 9.) Sic *nimirum* pro *haud dubie* usurpatur 69. m. *nimirum enim inops ille* etc. *Mur.* 15. 32. 22. 45.

consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret? *Ego vero*, inquit, *malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro*. Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum. Quarum magnitudo quid ad unum quemque nostrum pertinet? Illum fortasse adiuvat, qui habet. Ne id quidem semper. Sed fac iuvare: utentior sane sit; honestior vero quo modo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitiae, quo minus iuvetur, modo ne adiuvent;

utentior] est, *qui se in magnis fortunis et copiis sumptuosius insolentiusque iactat* (ut Cic. in *Catil.* II. 9, 21. loquitur de Sullanis militibus, qui iidem Sallustio in *Cat.* 16, 4. *largius suo usi* dicuntur) vel, ut alii interpretati sunt, is, qui pleniore pecunia fruitur ex eaque plus impendit in cultum vitae; qui pluribus *utitur* ad vitam tuendam et sumptus maiores facit. Cf. h. l. §. 1. *earum rerum, quibus utuntur homines, facultates. Lael.* 6, 7. *opportunae sunt — divitiae, ut utare*, quem l. comparavit F. Heus., ut et Horatii I. *Ep.* 7, 57. et Rutil. Lup. *de fig. sent. et eloc.* I. 5. *Proculus cum filium suum moneret et hortaretur, audacter ex bonis ipsius sumptum faceret, quas in res vellet atque opus esset: nec, tum denique, speraret libertatem licentiamque utendi futuram, cum pater discessisset, cui vivo patre, permissa omnia licerent.* Interpretamentum est, quod Lambin. in paucis membranis reperit, *opulentior*, ex eoque librarios, omissis prioribus literis, putat, fecisse *utentior*. Ed. Ven. 500. et plerique alii libri *potentior*; sed *utentior* servatum est tum in aliis, tum in Cur. et antiqq. codd. Turnebi, qui in *Advers.* XIX. 1. „illud constat," inquit, „potius hic Ciceronem de *usu* divitiarum, quam de *potentia*, verba facere debuisse." Hic Comparativus non magis offendere debet, quam I. 76. p. 176. *parentiores*, in *Lael.* 14, 5. *appetentius* et *Tusc.* II. 24, 58. *appetentissimi*. In seqq. particulae *modo ne* consociant vim suam, *modo* restringendi, *ne* vetandi, ut 61. quasi dicatur: *sed fugiendum etiam illud est, ne*. Sic *Acad.* II. 27, 87. *rideantur sane, ne affirmentur modo*. Ib. 45, 132. in. *Epist.* XVI. 22, 5. significant i. q. *dumne* I. *Off.* 106. p. 229. excipiunt, ut *nisi forte*, sed cum detestatione quadam, ut I. 89. cum Imperfecto sunt improbantis. Nam *modo* dicitur pro *dummodo*. V. ad I. 156. cl. Tursellino *de particulis*.

sitque omne iudicium non, quam locuples, sed, qualis quisque sit. Extremum autem praeceptum in beneficiis operaque danda est, ne quid contra aequitatem contendas, ne quid pro iniuria. Fundamentum enim perpetuae commendationis et famae est iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

72 XXI. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quae ad singulos spectant: deinceps de iis, quae ad universos quaeque ad rem publicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim eius modi sunt, ut ad uni-

---

sitque] Adiungitur contrarium, ut *que* posita videtur pro *potiusque*. Seqq. *Extremum autem praeceptum est* recte interpretatur I. M. Heus. *Extremo loco praecipiendum est.* Degen., magis sensum sequentium, quam usum loquendi, secutus, *extremum praeceptum* coniuncte accipit pro *summo et gravissimo praecepto*. — *Beneficiis* adiicitur explicatio *operaque danda*, ut sit quasi ἓν διὰ δυοῖν, ut recte explicat Gernh. *in iis beneficiis, quae fiunt opera* (sc. forensi, i. e. actionibus), ut 54. pr. 65. pr. Hinc fit, ut *que* explicativam naturam habere videatur, ut I. 4, 14 *Natura ratioque*; quamquam hanc vim e contextu demum adsciscit, ut recte observat Frotscher in *Obss.*, ad §. 70. II., I. p. 211 Sallustio in *Cat.* c. 4. vindicans *a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat*, comp. Caesar. B. G. VI. 15. qui, ut barbarum Romanis vocabulum *andbaht* explicaret, comparavit Romanorum clientibus hoc modo: *ambactos clientesque*. Docte hic copulae usus repetitur ex antiquissima linguae simplicitate laudaturque de Hebraeorum ו copulativi significatu Gesenii *Ausführl. grammatisch-krit. Lehrgebäude der Hebr. Sprache.* Lips. 1817. *Est*, ad quod Gernh. recte supplet *illud*, hic a multis libris et a Nonio in v. *Contendere* male omittitur. — *Pro iniuria*, i. e. *ad adiuvandam iniuriam, quo vincat iniuria.* Postrema Schütz e trib. Aldi libris atque exc. Eybi transposuit: *Fundamentum est enim.* Sed praestat lectio volgo recepta. V. ad I. 7, 23. pr. et de rhetoris philosophi admonitione ipsa l. II. *in Verr.* extr.

C. XXI. §. 72. *Eorum a. ipsorum partim eius modi sunt*] *Partim* est Accusativus absolute, sed, ut particula indeclinabilis, adverbialiter positus; struitur autem cum verbo plurali, quasi idem sit ac *quaedam, alia* etc. V. I. c. 7. ex. et Vechneri *Hellenolex.* I. Part. II. c. 16. p. 256. Adiungitur Genitivus partitivus *eorum*, ut *de or.* II. §. 94.

versos civis pertineant, partim, singulos ut attingant, quae sunt etiam gratiora. Danda opera est omnino, si possit, utrisque, nec minus, ut etiam singulis consulatur, sed ita, ut ea res aut prosit aut certe ne

---

pr. *de prov. consular.* 10, 24. Plura suppeditat Scheller in *Lex.* s. v. p. 7458. s. Cf. n. ad I. 7, 22. p. 49. Ceterum, ut recte sensit I. M. Heus., alio sensu, nempe active dicebatur ante: *quae ad singulos spectant* (quae singuli aut opera praestant aut e re sua familiari largiuntur), *quae ad universos pertinent* (quae magistratus et ii, penes quos est τὸ χαρίζεσθαι τὰ δημόσια, ex aerario omninoque publico sumptu largiuntur; hic autem passive, *ut ad universos cives pertineant* (iis prosint), *partim singulos ut attingant*, e. g. ὀφλημάτων καὶ τελῶν ἀνέσεις ἢ δόσεις, privilegio quodam (πρὸς χάριν) singulis concessae. V. Plutarch. in *Cat. Min.* c. 18. pr. Sin autem cum Degenio utrobique eodem modo interpretari placuerit, absurdissima haec divisio erit. Pronn. *eorum ipsorum* significant, eandem divisionem esse et subiectorum et obiectorum beneficentiae.

Danda opera est omnino] Sic cum Heus. e Gu. 1. 2. 4. transponere voluisse videtur Schütz; quamquam in textu reliquit ordinem volgatum: *Danda est op.* Gu. 3. mutat: *D. op. omn. est.* Graevii 1. *est* omittit, idque I. 123. post *danda vero opera* adiiciunt exc. Pith., interponunt Beda atque Eyb. cum Gu. 4. 5. hoc modo: *danda vero est opera.* V. ad I. 8, 26. ex. Ib. 135. vv. struuntur sic, *Danda igitur opera est*, ut h. l. 65. 71. pr. 74. pr. In *Lael.* 21, 7. pr. *Quam ob rem primum danda opera est.* Fortasse hic alius placuit positus, ut oratio quodam modo teneretur suspensa. Sed *omnino* pariter ac 62. I. 135. pr. *Epist.* IV. 3, 6. eodem modo concedit, ut *quidem*. Non recte igitur Gernh., quem sequitur Degen, retulit ad seq. *utrisque*, pro *Danda opera est, ut omnino, si possit, utrisque consulatur*, et tamen *utrisque* pendere volt e v. *danda*, non e seq. *ut consulatur.* Esse autem difficile, satisfacere simul *utrisque*, i. e. et universis et singulis, conceditur, dubitanter interpositis vv. *si possit.* Nam, quae in aerarium inferuntur, omninoque publica commoda ad universos simul et ad singulos cives pertinent: quibus tamen haec minus grata sunt, quam ea, quibus separatim singuli sublevantur. Part. *etiam*, a ψ omissa, in Gu. 3. transponitur, *etiam ut sing.*, in 4. inculcatur iam ante vv. *si possit utrisque.* De partt. *sed ita, ut* v. ad I. 88. p. 199. s. cl. h. l. §. 64. In seqq. Schütz retinuit corruptelam *aut certe non*, dudum ab aliis e libris bene multis, iisque optimis, emendatam.

obsit rei publicae. C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur aerarium; modica M. Octavi et rei publicae tolerabilis et plebi necessaria; ergo et civibus et rei publicae salutaris.
73 In primis autem videndum erit ei, qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat neue de bonis privatorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret

---

C. Gracchi frumentaria magna largitio] Nimirum ille tribunus Pl. a. V. 630. legem tulerat *frumentariam*, ut *semisse* et *triente* (h. e. tertia et dimidia parte assis vel dextante, ex nostra moneta trinis termociis cum dodrante, 3¾ *Pfennig*) *frumentum plebi daretur*, ut scribitur in Liv. *Epit.* 60. Cf. *p. Sext.* c. 48. ex. *Tusc.* III. 20, 48. Vellei. P. II. 6, 3. De ea re Florus II, c. 13. ad f. *emptio frumenti ipsos rei publicae nervos exhauriebat aerarium.* Quippe illud frumentum, plebi levissimo pretio vendundum, ex aerario emebatur. V. Ernesti *Clavis* in lege *frumentaria Sempronia*, quae Plutarcho in *C. Graccho* c. 5. dicitur νόμος σιτικὸς ἐπευωνίζων τοῖς πένησι τὴν ἀγοράν. Eam in *Bruto* c. 62. (ed. Schütz. c. 60.) *M. Octavius, Gn. F. populi frequentis suffragiis abrogasse* laudatur. Sed Pighius ex nostro h. l. colligit, eum non totam frumentariam legem abrogasse; sed nova lege sua, ut aerarium intolerabili damno sublevaret, statuisse maius pretium in singulos modios secundum annonae caritatem. Nam sequens frumentaria lex Apuleia modios denuo ad trientes atque semisses Semproniae legis, hac Octavia abrogata, redigere volebat, non sine tumultu a V. 653. (I. *ad Herenn.* 12.) Degen hunc *M. Octavium* confundit cum *Tib. Gracchi* collega in tribunatu a. V. 620. Quo modo vero Ernestus, qui ipse eum L. et M. Lucullorum aetate floruisse perhibeat, e Plutarchi *Mario* p. 407. ed. Sylb. colligere potuit, Semproniam legem instaurare conatum esse aliquem de tribunis C. Marii a. V. 654. collegis? Quod ibi c. 4. ex. dicitur, νόμου εἰσφερομένου περὶ σίτου διανομῆς, equidem capio de frumento *gratis* dividundo, *remissis semissibus et trientibus*, ut Cicero loquitur de simili lege Clodia in *or. p. Sext.* c. 25. Praeter Contareni librum, Ernesto memoratum, ab Ill. Hauboldo in *Instt. I. R. Lin.* §. 119. n. *b*) laudatur Schaghen *Diss. de re frumentaria*, Trai. ad Rh. 1709. (in Oelrichs. *Thes. dissertt. Belg.* Vol. II. T. III. p. 133 — 214.) et Beseke *Comm. de frumentaria largitione et legibus frumentariis*, Mitau. 1775. 8.

§. 73. *neue*] Al. *neque*. — *L. Philippus* trib. Pleb. a. 649. ut cum aliis VV. DD. scribit Ern. in *Ind. leg.* Vid. de eo I. §. 178.

(quam tamen antiquari facile passus est et in eo [vehementer] se moderatum praebuit), sed cum in agendo multa populariter, tum illud male: *non esse in civitate duo milia hominum, qui rem haberent.* Capitalis oratio et ad aequationem bonorum perti-

---

Deinceps indicavimus parenthesin, agnitam ab I. M. Heus. et Gernh. p. 462. Repetitur superior sententia, mutatis verbis: cui repetitioni, cum in parenthesi vituperium illud mitigatum esset, inservit part. *sed:* ut I. 105. ex. III. 97. pr. Plin. V. *Epist.* 3, 5. Possunt autem de glossemate suspecta videri vv. *et in eo vehementer moderatum se praebuit.* Copulam enim *et* ed. Ven. 498. Anemoec. et Nonius in v. *Antiquari* tollunt. Cum contradictio esset in adiecto *vehementer* (i. e. acriter, animose, ardenter) *moderatum:* dumtaxat adverbium, a μ repudiatum, uncis notavimus. Si praeterea medela hic l. indigeat, gradationem adiuvabimus coniectura: *tum illud maxime.* Sic etiam satisfactum putamus Bavio Voordae, qui in *Lectt. et interprett. Tullian.* c. III. „in toto h. l.," inquit, „male me habet illud *male.* Nec enim opus, uno spiritu bis idem improbare, primum lenius, mox gravius. Et sub vv. *tum illud* subaudiendum praecedens *populariter,* h. e. ad palatum volgi desidis et esurientis." Sed nimis inepta idem Tullium mactat coniectura. Petr. Marsus autem, cuius notam Pareus repetiit, legem a Philippo latam confundere videtur cum aliis legibus agrariis, ut *Sextia Licinia* (lata a. V. 377.), ut *Sempronia* (80. ex.). Neque leges agrariae omnino privatis possessionibus modum praescribebant; sed agrum publicum plebi vindicabant, ut ad 78. pr. docebimus. Philippus autem ex atrocissimae iniquitatis invidia rogationi suae patrocinium quaerebat. Nimirum per duplicem eamque contrariam hyperbolen dixit, *qui rem haberent,* respectu habito et eorum, qui abundarent opibus, et eorum, qui egerent, questus, ne *duo milia* quidem civium gaudere lare certo, reliquam plebem extorrem aris et focis agere, et illud obscure ad aequationem bonorum pertinebat haec oratio *capitalis*, i. e. seditiosa, quippe quae labefactaret fundamenta rei publicae. Simili querela utitur Catilina ap. Sallust. 20. *res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit —; divitiae apud illos sunt aut, ubi illi volunt. .... Quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare —, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse?* Quam vero perniciosae sint leges de *aequatione bonorum,* disputat Guil. Krug in *Dicaeol.* §. 78. n. a. p. 507. s. Ita enim et possessoribus pristinis iniuria fieret et civium industriae nervi inciderentur, talibus praemiis desidiae propositis. Nam

nem: qua peste quae potest esse maior? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent, res publicae civitatesque constitutae sunt. Nam, etsi, duce Natura, congregabantur homines: tamen spe custodiae rerum suarum — urbium praesidia quaerebant.

74 Danda etiam opera est, ne, quod apud maiores nostros saepe fiebat propter aerari tenuitatem assiduitatemque bellorum, tributum sit conferendum; idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin quae

---

nisi ista aequatio subinde repeteretur, nihil ea proficeretur, cum alii mox portiunculam suam ratione et parsimonia aucturi essent, alii luxuria vel male gerendo negotio dilapidaturi.

ut sua tenerent] np. *cives*. V. n. ad I. c. 7. ex. Ib. §. 110. pr. *tenenda sunt sua cuique*. Cf. infra 78. ex. — *Duce Natura, congregari homines*, docetur I. 157. s. Civitatis autem principium et urbium Cicero eodem modo a *spe custodiae rerum suarum* duxisse videtur in l. I. *de gloria*, e quo apud Festum l. XIII. hoc exstat fragmentum: *Oppidorum appellationem usurpatione appellatam esse existimo, quod opem darent*, cum Varrone *L. L.* IV. 32. Similiter Exc. Krug in *Dic.* §. 75. n. 1. pr. Germanico *Burg*, unde venit *Bürger*, non, ut volgo, a Gr. *πύργος*, *Purg*, appellatam esse coniicit, sed a v. *bergen*: ingeniose sane; sed anne vere?

§. 74. *Danda etiam opera*] Vitiose in Degenii ed. expressum est *D. enim o.* — De *aerario P. R.* v. Christ. Frid. Franckenstein *Diss.* I — IV. Lips. 1643 — 47. 4. et in *Syntagm. rar. diss. ex Museo Jo. Ge. Graevii* p. 621 — 675. et quos alios multos recenset Haubold *Instt. J. R. Lin.* p. 65. *Tit.* IV. ante §. 112. 113. *Tributa* a civibus R. in aerarii penuria exacta memorantur e. g. apud *Liv.* XXIII. 48. Eius modi opera publica imperata dicuntur *munia*; unde *municipes*, quibus ea imperari solent, et *immunes*, qui nihil conferunt. Hinc sequitur:

Sin quae necessitas huius muneris etc.] Sic pro volgato *Sin qua* recte cum Heus. reposuit Gernh., cui formulae *si qui* vim non satis exacte interpretanti videtur repugnare oblocutus esse Schuppius in l. *Kritische Biblioth. herausg. v. Seebode*, Hildes. 1820. Vol. II. P. IV. vel n. 11. p. 859. s. Monuit igitur, formulam *si quis* promiscue usurpari pro *si qui* (nisi forte huius modi exempla corrupta sunt); non autem contra hanc pro illa: cui h. l. alteram *si quae* posthabendam censet; quippe non nisi tribus libris confirmatam. At vero reperiuntur non solum in ...

impositas. huius muneris aliqua rei publicae obvene-
[illegible]

Hasi praeter Tertii librum, sed etiam in Lang. Fabric. Graevii MSS., item in Gu. 1. ed. Gryph. et Bald. Videtur Schuppio formula *si qui* contracta esse ex *si quis est, qui,* quod in re incerta usurpetur et dubitativam habeat vim, *wenn aber vielleicht,* v. *gesetzt aber, dafs; auf den Fall, dafs,* ut *p. Coel.* c. 20. *Si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus (negare non possum); sed abhorret — ab huius seculi licentia.* Epist. II. 4, 4. Vid. 18. V. 9, 8. *Rosc. Am.* 29, 82, ex. *Rab. Posth.* pr. Miramur autem, Virum D. eandem vim quaesivisse in dilatatione illa: *quis est, qui —?* Haec vero semper negat. Omnino multa is subtilitate usus, non tamen ad liquidum perduxisse rem videtur. Formulam *si qui* primum tribuit modestiae *Epistt.* VII. 1, 16. At vero ibi Benedictus e libris suis omnibus edidit: *neque nos lepore tuo, neque te (si quis est in me) meo frui liceret*: et sic in modesta affirmatione *p. Arch.* ab in. *si qua* (est in me) *exercitatio dicendi,* et II. *Agr.* 14, 36. (52.) (causa est) *pudoris* (*si quis pudor esse potest in tam insigni impudentia*): quae parenthesis est dubitantis. Haec autem exempla corrigenda essent, si recte monuisset V. D. in *Ienaer Allgem. Literatur-Zeitung* 1820. n. 152. p. 265. pron. *quis* non nisi substantive poni, *qui* non nisi adiective cum alio Substantivo iungi: quam observationem neglexisse taxantur Ruhnken ad Iul. Rufin. p. 201. Duker ad Flor. I. 18, 20. Drakenb. ad Liv. III. 17, 7. et nos ipsi ei diffidimus propter eius modi locos, qualis est e. c. IV. *Catil.* 6, §. (23. pr. Beck.) 12. In *Cat. Mai.* 25, (8.) 83. legi volt: *Quod si qui deus mihi largiatur.* Sed, ad quem ille provocat, *Epistt.* XVI. 12, 1. ex. ibi quoque Benedictus e compluribus libris edidit: *nisi quis deus vel casus aliquis subvenerit.* Etiam si probaverimus recte, ut arbitramur, receptam a Schützio quoque lectionem *nisi qui deus,* atque etiam ad exemplum loci III. *Off.* c. 7. pr. correxerimus *vel casus aliqui*: poterit tamen ubique *si qui* commode explicari *quisquis.* Vid. I. 52. p. 125. Illud quidem recte vidit Gernh., ubi vis sententiae sit in part. conditionali, scribendum esse *si quis,* quod, quantum sentimus, simpliciter valet *wenn wer, wenn jemand; si qui, wenn irgend einer, so nur immer jemand.* Alii hanc rationem invertunt. Sed v. Terent. *Heaut. Prol.* 41. *Fam.* V. 12, (al. 13.) 26. *si quae te res impedierit gravior.* II. *Invin.* §. 4. c. 2. pr. *nisi quae* (h. e. quaecumque demum illa esset) *causa gravior exstitisset.* II. *Or.* 72, 294. ex. *si quae premat res vehementius.* Sic h. l. *si quae* (quaequae, i. e. quotiescumque) *necessitas — obvenerit.* III. 4, 17. *Rosc. Am.* c. 39. ed. Schütz. (al. 38, 111. pr.) *In privatis rebus si qui* (minus bene Matthiae cum aliis *si quis*) *rem mandatam ... gessisset ... negligentius; eum maiores summ*

ris (malo enim, quam nostrae ominari; neque tantum de nostra, sed de omni re publica disputo): danda erit opera, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Atque etiam omnes, qui rem publicam gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quae sunt necessariae. Quarum qualis comparatio fieri soleat et debeat, non est necesse disputare, (est enim in promptu); tantum locus attingendus fuit. Ca-

---

mum admisisse dedecus existimabant. Pro Coel. 17, 39. nunc editur: *Ego, si qui* (al. *quis*) . . . *hoc robore animi fuit* —: *hunc . . . divinis quibusdam bonis instructum . . . puto*, et 20, 49. *Si quae non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati* —: *cum hac si quis adolescens forte fuerit, utrum hic tibi . . . adulter . . . videatur?* ubi tamen Gothofr. edidit *si qua*, et sic legendum placuit Gernhardo. Repetitur enim eadem sententia §. 50. *Si qua mulier sit huius modi* —: *cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse, num tibi . . . perflagitiosum esse videatur?* Inconsideratius autem Schuppius huc trahit Liv. II. 18. ex. Ibi enim verborum nexum rectior haec ostendet distinctio: *pax impetrata foret, si* (intell. *id*), *quod impensae factum in bellum erat, praestare Sabini — in animum induxissent.* Vsurpatur autem contracta haec formula *si qui*, *si quae* etiam in exemplis, generaliter positis, ut I. 144. ex. 145. pr. III. 4, 19. Etiam *p. Cluent.* 48, 216. Ven. et c. 53. ex. (§. 240. pr.) tres Ox. exhibent: *Si qui apud me te — reum velit facere: clames.* Ceterum, ubi nullum adiungitur Substantivum, in plurium numero usurpatur *si quae.* Vid. *Epist.* V. 8, 7. *Or.* II. 75, 304. pr. *Leg.* II. 5, 13. *Fin.* I. 8. 26. ibique Görenz p. 35. Fere ubique haec forma corrupta est in *si qua.* Cf. Parei *Lex. Crit.* p. 1158.

malo enim] Schütz e Vinar., quatuor Aldi, aliquot Ox. et edd. vett. addidit glossema *optari*, pro quo in C. 3. et 4. est *alii*, in 2. a correctore *alienae*. Recte F. Heusinger monuerat, pro eo, quod sententia requirebat, *malo enim* sic dicere: *si alicui rei publicae, quam, si nostrae obvenerit*, scriptorem, ne sic quoque imperio Romano male ominaretur, idem significasse euphemismo. Ne tamen haec ominis detestatio, quae ad solam Romanam rem publicam spectat, sic accipiatur, quasi non de genere toto suscepta disputatio sit, statim admonet: *neque tantum* etc. quae iunctura rara est apud Ciceronem; sed reperitur *Tusc.* III. 31, 75. *non tantum illud* —, *sed.* Ad verba *si salvi esse velint* intell. Subiectum *ipsi vel universi ac singuli*: nam praecessit *omnes*. Extr. ad vv. *est enim in promptu* fecimus parenthesin, ut 68. pr.

§. 75.

Caput autem est in omni procuratione negoti et 75
muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspicio. *Vtinam,* inquit C. Pontius Samnis, *ad illa tempora me Fortuna reservasset et tum essem natus, si quando Romani dona accipere coepissent! non essem passus diutius eos imperare.* Nae illi multa saecula exspectanda fuerunt. Modo enim hoc

---

§. 75. *Caput autem est*] Idem ordo servatur in *Or.* c. 33. *Caput autem est* —, *quam plurimum scribere*; et *Or.* I. c. 19. *Caput enim esse, arbitrabatur, oratoris,* ut etc. In seqq. minime cogitandum de *Pontio Telesino*, qui Samnitium *Italico bello* dux fuit. Intelligitur potius *C. Pontius*, Herennii F., cuius in voto vim particularum *si quando* bene explicat Graev. „optat, ut illis temporibus natus esset, si unquam illa tempora futura sint, quando Romani dona accipere coepissent. Sed num unquam ista dies sit oritura, qua dona capturi sint, ignorat et praevidere non potest.“ Erasmus et I. M. Heus. credunt, hoc dictum, cum M'. Curius aurum, a Samnitibus sibi publice missum, repudiasset. *Cat. Mai.* 16, 3. *Parad.* VI. 2, 4. Valer. M. IV. 3, 5. Flor. I. 18, 22. Sed hoc factum esse post III. Curii triumphum a V. 478. innuere videtur Plutarch. in *Cat. Mai.* c. 2. pr. cf. ἀποφθέγμ. στρατ. p. 194. F: β'. *C.* autem *Pontius* securi percussus est post Fabii Gurgitis triumphum a. V. 462., teste Liv. *Ep.* XI. Anno demum post Curius primo Consul rem contra Samnites gessit.

multa saecula] αἰῶνας, np. *hominum*; de quo Muret. *V. L.* X. 8. in Gruter. *Lamp.* II. p. 1055. s. „*Saeculum* interdum est γενεά, ut ostendit Naevius, qui Nestorem, ut est ap. Gellium (XIX. 7. ex.) *trisaeclisenem* vocavit, ex illis videlicet Homeri versibus I. Il. 250. ss. Γενεά autem triginta annorum est. Itaque illi Homerici versus ostendunt tantum, Nestorem, cum illa loqueretur, sexagenario maiorem fuisse: quamquam illic quoque γενεάν pro centum annis accepisse etiam vett. Latt. poëtae videntur.“ Cf. Cerda ad Virg. *Aen.* VIII. 508. Vt *aetas* ex *aevitatis* (*aetitatis*), sic ex *aeviculi* (*acLiculi*) appellatione contractum est *saeculum*, ascito sibilo. Cf. αἰὼν, *semper*; *aeternus*, *sempiternus*. *Multa saecula* omnino dicuntur [illegible] pro longo tempore, ut c. 22. ex. V. Schelleri *Lex.* 9632. 1) b). — *Modo* hic de tempore multorum, et quidem, si a Iugurthino bello rationem ducas, septuaginta amplius annorum dici, post I. F. Gronovium ad h. l. observat Ern. et Schütz in *Lex. Cic.* s. v. n. 4. haud dubie propter C. Memmii verba ap. Sallust. in *Iug.* 31.

malum in hanc rem publicam invasit. Itaque facile patior, tum potius Pontium fuisse; si quidem in illo tantum fuit. Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset. At vero postea tot leges, et proximae quaeque duriores; tot rei; tot

---

sub fin. *Non peculatus aerarii factus est neque per vim sociis ereptae pecuniae: quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur.* Adiectum volgo seqq. verbis *si quidem in illo tantum fuit* glossema roboris intactum reliquit Degen, cum recte fide cod. Graev. 1. resecuisset F. Heus. comp. *Epistt.* II. 8. ex. Sensus enim sic constituendus: *si quidem illud, quod optabat C. Pontius, ut ipse, corruptis iam Romanorum moribus depravatisque admiratione divitiarum, natus esset, tanti fuit, ut ea in re populi R. imperium verteretur.*

a L. Pisone lata lex est] Sic Heus. e Gu. 1. 2. Male Schütz cum rell. *lata est lex.* V. ad 63. pr. *L.* autem *Calpurnius Piso Frugi*, ut scribitur in *Verr.* III. c. 84. (85. pr. Sch.) IV. c. 25. et in *Bruto* c. 27. ex., *tribunus Pl. legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio COSS., tulit.* Ibid. c. 15. (16. pr. ed. Schütz.) corrupta lectio *annis LXXXIII ipsis ante me consulem*, auctore Chapmanno, emendanda est *annis LXXXVI*, [illegible] CV (non CVI) ante hos libros *de off.*, scriptos [illegible] DCCIX., non DCCX., ut putat Degen, qui tamen [illegible] p. 1. s. unum annum detraxerit. Secuta *Calpurniam* [illegible] *Acilia* a. V. 647. Nam quae ante hanc lata ex Ernesti [illegible] *leg.* s. v. a Schützio ad *Act.* I. *in Verr.* c. 17. commemoratur *Iunia*, eam nos quidem ignoramus. *Acilia* lege iudicari primo poterat, nisi iudices amplius pronunciarent. Sed a. V. 653. C. Servilius Glaucia, praetor, [illegible] tulit, ut comperendinaretur reus. Haec est lex *Ser*[illegible] qua constitutum est, accusatoris causa, ut bis ageretur [illegible] defensorem, qui posterius dixisset, opus esset red[illegible] *Act.* II. *in Verr.* I. c. 9. ibique Ascon. Cf. Sigon. [illegible] *diciis* II. c. 27. Iubebat etiam haec lex, si ex bonis [illegible] demnati non tantum redigeretur, quanti ei lis [illegible] esset, reliquias *persequi ab iis, ad quos ea pecunia, is cepisset, qui damnatus esset, pervenisset.* Quod [illegible] translatum est in leges *Corneliam* Sullae (a. V. 67[illegible] *Iuliam* Iulii Caesaris COS. (a. V. 694.), in quibus [illegible] multa severius scripta, quam in antiquis legibus. [illegible] *Rab. Posth.* c. 4. s. *in Vatin.* c. 12. *in Pis.* c. 21. 37. [illegible] *ep.* 10. sect. 2. *ep.* 16. med. *Fam.* VIII. 8. 6. [illegible] *Digestt.* III. t. XI. Ernesti *Ind. leg.* Bachii *Hist.* [illegible]

damnati; tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum; tanta, sublatis legibus et iudiciis, expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute, valeamus.

XXII. Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. 76
Quid ni laudet? Sed in illo alia

II. c. 2. sect. 2. §. 83. Repetundarum convictos, quibus antea praeter litis aestimationem etiam exilium poena fuisset, lege Iulia, amisso tantum ordine senatorio, iudices accepisse ad aestimandam litem; sin vero saevitia modum excessissent, extra ordinem gravius punitos esse, exemplis docuit Lipsius ad Tacit. *Ann.* XIV. 28. ex. Eodem a. 694. a Vatinio, tribuno Pl., lata lex est *de alternis consiliis reiiciendis* (semel ab accusatore, semel a reo) in repetundarum iudicio. V. *or. in Vat.* c. 11. pr. et quos de *Acilia* et *Iulia* laudat Ill. Haubold in *Instt. I. R. Lin.* ad §. 112. *a*) et *b*) p. 125. cl. 423. Omnino adhibe M. Ant. Ferratii *Lib.* I. *Epist.* 10. p. 40—43. *Lex de pecuniis repetundis*, vel, ut p. *Cluent.* c. 53. ex, appellatur, *pecuniarum repetundarum*, in *Div. in Caecil.* c. 20. dicitur *sociorum atque amicorum Populi R. patrona*, et c. 15. *lex socialis*. Nam, *hoc ius nationum exterarum est*, inquit; *hanc habent arcem, minus aliquanto nunc quidem munitam, quam antea.* Cf. Plutarch. in *compar. Demosth. cum Cicerone* c. 5. de huius saeculo; τῆς φιλοπλουτίας ἀκμαζούσης καὶ τῶν πεμπομένων στρατηγῶν καὶ ἡγεμόνων, ὡς τοῦ κλέπτειν ἀγεννοῦς ὄντος, ἐπὶ τὸ ἁρπάζειν τρεπομένων, οὐ τὸ λαμβάνειν ἐδόκει δεινόν, ἀλλ' ὁ μετρίως τοῦτο ποιῶν ἠγαπᾶτο. Damnavit ipse Cicero, praetor, eo crimine C. Licinium Macrum. I. *Att.* *ep.* 4. sect. 2. cf. Valer. M. IX. 12, 7.

Italicum bellum] *sociale* vel *Marsicum*, excitatum a M. Livio Druso, qui, cum Senatores ab equitibus, penes quos tunc iudicia erant, cupidius repetundarum criminibus damnari viderentur, a. V. 662. *tribunus plebis, ut maioribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit, iisque adiuvantibus, — iudiciariam quoque legem pertulit, ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Cum deinde promissa sociis civitas praestari non posset: irati Itali defectionem agitare coeperunt.* Liv. *Epit.* 71. Appian. Ἐμφ. I. 38. Flor. III. 17. ex. Bellum gestum ab a. 663. ad a. 665. narratur ib. c. 18. Liv. 72 — 76. Vellei. P. II. 15, 2 — 17, 1. 21, 1. Qui ibi p. 114. a Krausio citantur, his add. Vinc. Contareni *Variar. Lectt.* c. 1. Hugo *Gesch. d. Röm. Rechts* §. 131. s. et Car. Guil. Keferstein *de bello Marsico*, Hal. 1812. 8.

C. XXII. §. 76. *Laudat Africanum Panaetius*] audi-

maiora; laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paulus: tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil

---

torem et familiarem suum. I. 90. p. 204. *Att.* IX. *ep.* 12. sect. 2. *Acad.* II. 2, 5. ex. *Mur.* 36, 66. pr. cl. II. *Or.* 37, 154. ex. Plutarch. ἀποφθ. στρατ. p. 201. s. ιγ'. ιδ'. de *Africani* laude cf. ib. 199. F. α'. 200. B. ζ'. Valer. M. IV. 3, 13. Aurel. Vict. *vir. ill.* 58. ex. Cic. *Lael.* 3, 1. *Parad.* VI. 2, 4. *Off.* I. 121. ibique n. p. 256. s. Similiter, ut hic, III. c. 31. pr. laudatur Regulus: *ista laus non est hominis, sed temporum.* De *Aemilio Paulo* hinc hausta sunt, quae leguntur ap. Valer. M. IV. 3, 8. — *Gaza regia* Pellae memoratur a Livio XLIV. extr. Tum e MS. Graev. 1. et Palat. volgatur *tantam in aerar. pecuniam.* Sed bene se habet rell. librorum lectio. Fraudi fuit scribis idem, quod VV. DD. Nam Gu. 3. transp. *tantumque pecuniae in aerarium*: quod, deleta copula, facilius ferret Gernh. At v. huius traiectionis exempla ad c. 9. ex. Eandem constructionem eadem de re usurpat Liv. XLV. 40. pr. *Tantum pecuniae intra triginta annos post bellum Philippi cum Romanis partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis coacervatum fuerat.* Ibid. *Summam omnis captivi auri argentique sestertium milies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit.* Tantundem faciunt quinque milia talentum. Suidas autem refert *sena milia talentum*; Plutarch. in *Paulo* c. 32. ex. *argenti signati bis mille, ducenta et quinquaginta talenta*, et (c. 33.) *auri*, cuius valor argentum decuplo superasse aestimatur, *ducenta triginta et unum.* Quod si argenti talentum aequaveris nongentis thaleris: haec summa 4560 talentum conficiet 4,094000 thalerorum. Velleius P. I, 9, 6. numerat *bis milies centies HS.* i. e. ex Degenii calculo (nescio, quo) 6, e nostro 7,000,000 thalerorum: quibus ducenties HS. (6666⅔ thal.) addit Plinius XXXIII. c. 3. sect. 17. ex. si quidem satis certa est lectio recepta; *Intulit Aemilius Paulus, Perseo victo, e Macedonica praeda HS. bis milies et trecenties cent. mil.* (ed. Paris 1516. *Perseo rege Macedonico devicto, praedam pondo trium millium*): *a quo tempore populus R. tributum pendere desiit*; nempe per CXXV annos. Nam proximo iam anno post, quam haec Cicero scripsit, omen illud, quod supra 74. a sua re publica avertere voluit, habuit eventum, Hirtio, Pansa COSS., ut diserte testatur Plutarchus in *Paulo* c. 38. Idem cap. ult. extr. narrat, hunc filiis re-

domum suam (praeter memoriam nominis sempiternam) detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior, Carthagine eversa. Quid? qui eius collega in censura fuit, L. Mummius, numquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. Quamquam, Italia ornata, domus ipsa mihi videtur ornatior. Nullum igitur vitium taetrius (ut eo, 77

---

liquisse hereditatem *πλέας ἑπτὰ καὶ τριάκοντα μυριάδων* (370,000 denariorum, i. e. 55500 thalerorum) vel, ut Polyb. II. p. 1461. ed. Gron. refert, LX talentum (i. e. 90000 thal.), ut fide destituantur Valer. M. IV. 4, 9. et Aurel. Vict. *vir. ill.* 56. qui, eum inopem decessisse, scribunt. Videtur Noster eandem rem illustrasse in l. II. *de re publ.* e quo hoc a Frontone servatum fragmentum legitur ap. Schütz. XVI, II. p. 76. *Cum aliud nihil, domum suam deportavisset,* ap. praeter honorem triumphi et cognomen *Macedonici.* V. *Excurs.* XI. ad l. I. p. 345. s.

Carthagine eversa] V. ad I. 11, 35. p. 81. cf. *Somn. Scip.* c. 2. pr. *de harusp. resp.* c. 4. pr. Iustin. III. 6. *Tunc primo inaurata esse in Capitolio laquearia,* memorat Plin. XXXIII. sec. 18. De *Mummio* v. Vellei. P. I. 13, 4. s. quem §. 2. comparat cum Africano: „*Vterque imperator devictae a se gentis nomine honoratus, alter* *Africanus, alter appellatus est* *Achaicus.* Cf. Themist. *orat.* 5. *de pace.* Lustrum fecerunt LVII. a. V. 611. Sed discordes fuerunt collegae. II. *Or.* c. 66. ex. Valer. M. VI. 4, 2. Freinshem. *Supplem. ad Liv.* LIII. 28. LIV. 6. ss. 52. Aurel. Vict. *vir. ill.* 58. 60. Laudatur Mummius, qui totam *Corinthum contempsisset,* in *Parad.* V. 2, 9. (28.) Cf. not. ad I. 11, 35 p. 81. in primis Strabo VIII. c. 6. p. 584. (215. s. ed. stereot. Lips.) τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα ἐντεῦθεν ἀφῖχθαι· τινὰ δὲ καὶ αἱ κύκλῳ τῆς Ῥώμης πόλεις ἔσχον. Μεγαλόφρων γὰρ ὢν μᾶλλον ἢ φιλότεχνος ὁ Μόμμιος, ὥς φασι, μετεδίδου ῥᾳδίως τοῖς δεηθεῖσι etc. Flor. II. 16. ex. et Liv. *Epit.* 52. ex. Plin. XXXIV. c. 2. sect. 3. c. 3. pr. sect. 6. 7. c. 7. post in. sect. 17. pr. *devicta Achaia, replevit urbem; ipse excessit, non relicturus filiae dotem.* XXXV. c. 4. sect. 8. pr. c. 12. pr. sect. 43. XXXVII. c. 1. ex. sect. 6. pr. L. Völkel *über die Wegführung der Kunstwerke aus den eroberten Ländern nach Rom,* Lips. 1798. 8. p. 28. ss. et, qui eadem de re scripsit, F. C. L. Sickler, Gothae 1803. 8. In extr. §. edd. vett. transponunt *videtur mihi.* Excludi pron. *mihi* volt Gernh. cum Gu. 4. et Anemoecio.

§. 77. *taetrius*] Degen cum Heus. e libris volg. addit *est,* quod, aliis transponentibus *est taetrius,* in tribus

unde egressa est, referat se oratio), quam avaritia, praesertim in principibus, et rem publicam gubernantibus. Habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit,

Spartam nulla re, nisi avaritia, perituram,

Aldi omissum, recte excludunt Graev. Facciol. Gernh., qui deinde cum F. Heus. ex huius et Cokmanni praeter unum H. omnibus, Cur. plerisque aliorum, exc. Bedae atque Eybi, edd. vett. (etiam Ven. 1562.) rescripsit *unde egressa est*. In uno Ox. et Nonio in v. *Referre* corruptum est *digressa*. Schütz cum Ern. e Graev. 1. dedit *degressa* et huius verbi, pro *aberrare ad alia* (I. 135.) usurpati, exempla dedit in *Lex. Cic.* II, II. p. 105. Add. in *Verr.* III. 16. 69. ex. Contra comparatur *Brut.* c. 21. *ut egrederetur* (Lamb. *degr.*) *a proposito ornandi causa*. Quinctil. III. 9. 5. IV. 3. 12. Ibid. H. 4. 15. p. 140. Burm. *sed ut eo revertar, unde sum egressus*, codd. *degr.*, quam librariorum incuriam Duker. ad Flor. III. 16. p. 627. notasse laudatur a Gottlebero, monente, egressionem sermonis et egressum, quem Graeci παρέκβασιν vocant (Schol. Thuc. ad I. I. p. 7. 87. 582.), item dici ἐκβολὴν λόγου, ut *Att.* VII. ep. 1. sect. 5. ex. cf. Thucyd. I. 97. — Post *sceleratum* ✝, Beda atque Eyb omittunt *etiam*, melius, quam Gu. 4. *et*; sed apparet, quo modo alterum ab altero absorptum sit.

quod A. P. oraculo edidit] Sic Vin., quatuor Ox. ✝, edd. vett. Balduin. Ald. Gruter., idque Livii, Curtii, Velleii P. exemplis tuetur I. M. Heus. Tamen praeferendam duximus lectionem rell. MSS., ed. s. l. et a. et Gryphii: *oraculum ed.*, quae vv. F. Heusingero a mala manu accessisse videbantur, Gernhardo dumtaxat v. *oraculum*. Sed non offendere debet seq. v. *praedixit*: spectat enim ad *oraculi* praecedentis sententiam et formula, illa *or. ed.* nihil fuit praeter huius verbi periphrasin. Sic ex cod. MS. nostrae bibliothecae Paulinae multisque aliis, probante etiam Ill. Hermanno, in *Cat. Mai.* 3, 1. legendum: *Saepe enim interfui querelis meorum aequalium* (—) *quas* (volgo *quae*) — *homines consulares, nostri fere aequales, deplorare solebant.* Plutarch. in *Agide* c. 9. et τῶν Λακωδ. ἀποφθ. p. 239. F. μβ'. Ἀλκαμένει καὶ Θεοπόμπῳ τοῖς βασιλεῦσι χρησμὸς ἐδόθη, Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, quibus Schol. ad Aristoph. Εἰρήν. 624. et Suidas in v. διαρρινώξασι addunt clausulam: ἄλλο δὲ οὐδέν. Cf. Erasmi *Adag.* in proverb. 1694. p. 561. ed. Froben. Nollem tamen post vv. *nulla re* a Schützio revocatam glossam *alia*,

id videtur non solum Lacedaemoniis, sed (et) omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui rei publicae praesunt, quam abstinentia et continentia.

Qui vero popularis se esse volunt ob eam- 78
que causam aut agrariam rem tentant, ut possesso-

---

quam, a Tertii libro, duobus Aldi, Gu. 1. et 2. ignoratam, proscripserat F. Heus., quicum deinceps Degen e MSS. Gu. atque ed. Gryph. Ascens. et Balduini recepit *sed etiam omnibus*. Schütz, auctore Gernh., sed nullo libro addicente, delevit *et*. V. ad I. 142. p. 286. s.

§. 78. *popularis se esse volunt*] Frotscher, laudatus ad 70. pr., animadvertere iubet ad pronominis vim: „*Se*, non alios, esse populares volunt; *sibi* benevolentiam populi conciliare student; *se* ut intueatur multitudo, operam dant:“ quo simul leviter reprehendatur improba illorum hominum arrogantia, quod nimio ardore populo placendi ferantur, sed, quo demum pacto benevolentiam consequantur, nequaquam curent, dum modo *sibi* populus faueat. Cf. *Sext.* 45, 96. *Catil.* IV, 5, 10. pr. — *Agrariam rem tentant*, qui ferunt leges de agro publico plebi dividundo, qualis fuit *l. Cassia* (a. V. 267.), *l. Icilia* (a. 297.), *l. Sextia Licinia* (a. 377.) *de modo agrorum, ne quis plus D iugera possideret* (Liv. VI. 35. VII. 16. ex. Plin. XVIII. c. 3. sect. 4. Varro R. R. I. 2, 9. Plutarch. in *Camillo* c. 39. Valer. M. VIII. 6, 3.); *l. Flaminii* aliquot annis ante II. Punicum bellum (de qua v. Ernesti *Index*); *l. Licinia*, qua C. Licinius Crassus trib. pleb. a. 608. septem iugera viritim divisit (Columella I, 3, 10, Varro R. R. I. 2, 9. ex. ubi corrigimus: *ad forum versus* (i. e. conversus), *e comitio eduxit*. Haec quidem, ut opinor, Cel. Schneider, in recepta lectione *forensia* frustra laborans p. 260. ss., attemperare poterit verbis Ciceronis in *Lael.* 25, 10.), *l. Thoria* a. 646. (Ern. *Ind.*), *l. Livia* a. 662. non perlata (Ern. l. c.); *l. Cornelia* (v. Pigh. ad a. 672.); *l. Servilia* a. 690. (quam ipse Cicero COS. tribus *oratt. agrariis* dissolvit); *l. Flavii* eadem fere, quae fuit *Plotia*, sed non perlata (Ern. l. c.); duae *ll. Iuliae* Caesaris a. 694. (Ern. l. c. Cf. Plutarch. in *Pompeio* c. 47. s. et in *Cat. Min.* 31. s. Vellei. II. 44, 4. cum n. Kransii; Varro R. R. I. 2, 10. aliique Veleianae) — *De legibus agrariis populi R.* est Vlr. Obrechti Diss. Arg. 1674. 4. et in *Opusc.* p. 100 — 132. Heynii Progr. *Leges agrariae pestiferae et execrabiles*, Gottingae 1795. 4.

res suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta rei publicae: concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae; deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit

---

et in *Opusc.* IV. p. 350 — 373. Cf. Niebuhrii *Röm. Geschichte* T. I. p. 450 — 455. II. p. 17 — 26. 64 — 66. 197. s. 349. ss. 394 — 402.

ut possessores suis sedibus pellantur] Flor. III. 13. ex. de lege Sempronia: *Reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium eversione, qui ipsi pars populi erant? et tamen relictas sibi a maioribus sedes* *a e t a t e*, *quasi iure h e r e d i t a r i o*, *possidebant.* Nimirum *auctoritate.* Neque enim leges agrariae de quorumcumque modo agrorum latae videntur, sed, publici agri ultra certum modum habere civem Romanum, vetuisse. Nam in Appiano Ἐμφ. I. 8. a Schweighaeusero e binis MSS. τῆσδε τῆς γῆς editum probat Ill. Hugo in *Geschichte des R. Rechts* n. 1. ad §. 127. ed. IV. Viderit igitur Degen, ne contra causam suam comparaverit Horat. *Od.* II. 18, 23 — 28. ubi potius avaritiam poëta exsecratur eorum, a quibus ereptas tenuiorum sedes leges agrariae repetebant.

labefactant f. rei publicae] cuius *cuncta auxilia labefactari convellique* dicit Cic. *p. C. Rab. perd.* 1, 3. pr. et in *Catil.* I. 1, 3. pr. *Ti. Gracchum l a b e f a c t a n t e m statum rei publicae.* Egregie laudatur *c o n c o r d i a*, *arctissimum atque optimum omni in re publica vinculum incolumitatis, quae sine iustitia nullo pacto esse potest*, ap. Schütz. XVI, II. p. 76. in fragm. l. II. *de re publ.*, servato ab Augustino *C. D.* II. 21. Cf. infra 83. Plato *de re p.* VIII, p. 566. A. tyrannidem affectare ostendit quemque, ὃς ἄν, [illegible] — ὑποσημαίνῃ χρεῶν τε ἀποκοπὰς (*tabulas novas*) καὶ γῆς ἀναδασμόν. Ib. E. ὑπισχνεῖταί τε πολλὰ καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, χρεῶν τε ἠλευθέρωσε καὶ γῆν διένειμε δήμῳ τε καὶ τοῖς περὶ ἑαυτόν.

ut supra dixi] 73. ex. Ceterum, ut hic, vv. collocantur I. *Or.* c. 29. m. *Id enim e s t maxime vitandum.* *Or.* 52, 175. ex. *Id autem e s t genus, ut ante dictum est,* — *alterum,* (cf. *Cat. Mai.* 9), in parenthesi: *is enim erat locus alter*) *Or.* c. 29. ed. Schütz. *Is enim e s t eloquens.* Sed rectius edd. Gothofr. § 100. *Is e s t enim* al. Nam sequitur 30. 101. *Is e r i t igitur eloquens* (*ut idem illud iteremus*). Cf. *Fin.* V. 2. 34. *id est enim, de quo quaerimus*

liberam et non sollicitam suae rei cuiusque custodiam.
79 Atque in hac pernicie rei publicae ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res
80 erepta est, est inimicus; cui data, etiam dissimulat, se accipere voluisse, et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At vero ille, qui accipit iniuriam, et meminit et prae se fert dolorem suum. Nec, si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum, idcirco plus etiam valent. Non enim numero haec iudicantur, sed pondere.

Itaque de superioribus exemplis diligentius codd. explorandos censemus. V. n. ad I. 54. p. 129. — Deinde *sua res cuiusque* dicitur pro *propria*, i. e. *privata*. V. ad I. 7, 21. p. 49. Evertit autem hic locus et 73. pr. regulam, a Görenzio ad *Fin.* IV. 11, 28. (p. 454.) et 24, 67. p. 505. b. propositam, ut ubique ap. Ciceronem rectus Genitivus regenti praemittatur, e. g. *Epistt.* I. 1, 8. *quae res auget suspicionem Pompeii voluntatis*. Ergo denuo hic expendenda lectio duorum MSS. Aldi, totidem Ox. et ψ. *cuique*, quo modo legendum coniecerat iam I. F. Gronov. Cf. I. c. 31. pr.

§. 79. *Atque*] i. e. q. *praeterea*, *insuper*. Videtur scribendum *atque*, ut habet inscriptio Reatini marmoris; supra p. 115. diligenter expressa, in fine, vel *ADQVE* cum Octaviano Augusto in Monumenti Ancyrani Tab. I. a dextra lin. 30. Respondet Graecis partt. καὶ πρὸς v. πρὸς δὲ καὶ v. καὶ τὸ πρὸς v. τὸ πρόσθεν. Cf. *absque*, *itemque*, et, quod pronominibus adiicitur, *cumque*. Quid, quod *usque* ex ἕως, quae particula Infinitivis iungitur, natum docuit Gel. Riemer in Lexico Graeco? — Ellipsin pron. demonstrativi post relat. *cui r. erepta est*; — *cui data*, sive ante id, observavimus ad I. 56. ex. Etiam *Fin.* V. 2, 6. ante *vir*, *quos novisse vis*, *etiam imitari velis*, pron. *eos* suspectum habet Görenz. — Deinde legebatur, *quibus iniuste ademptum est*, sed Gu. 4. transponente *est ademptum*, expulimus v. *est*, quod in altero membro e priori supplendum relinquitur, ut modo antea. V. ad I. 67. pr. Ad seqq. cf. l. VI. *de re publ.* fragm. (ed. Schütz. p. 91.) ex Nonio *de doctr. ind.* „*Et vero in dissensione civili, cum boni plus*, *quam multi*, *valent* [*valeant?*], *expendendos ab his* [nps *qui populares se esse volunt*. Non est igitur opus Lambini coniectura: *civeis* pro *ab his*], *non numerandos*, *puto*.

Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?

80 **XXIII. Ac propter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum ephorum expulerunt; Agin regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necaverunt; exque eo tempore tantae discordiae secutae sunt, ut et tyranni exsisterent et optimates exterminarentur et praeclarissime constituta res**

---

habet aequitatem] IV. *Catil.* 4, 7. ex. *habere videtur ista res iniquitatem*, i. e. cum iniquitate coniuncta v. iniqua esse. Vellei. P. II. 35, 2. *id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam*: quem ibi Graecismum notat Krause, comp. Platon. *Phaed.* c. 10. p. 165. [illegible]; Cf. Hoogeveen ad Viger. ed. Herm. p. 254. Scheller in *Obss.* notat *aequitatem habet*, ut — *amittat* pro *amittere*. Sic ut ponitur post *integrum est* (*Tusc.* V. 21. in f. §. 62. ad quem l. v. easdem *Obss.* p. 205. s.), *inusitatum* (*leg. Manil.* 21, 61. pr. ubi v. Matthiae), *certum est* (*Att.* X. *ep.* 4. med. sect. 3. pr.), *non est verisimile* (*Rosc. Am.* 41, 121. pr. ubi v. Matthiae) et *verum est* ap. Aemil. Prob. XXIII. *Hannib.* 1, 1. cf. Cic. *Lael.* 16, 2. pr. Sed non recte indidem §. 7. *finis*, ut hunc tradit I. M. Heus., laudato Gesnero ad Quinctil. VII. 1, 35. — *Multa saecula*, quae nostri ICTi dicunt *unverdenkliche Zeiten*, possessoribus dant auctoritatem *praescriptionis immemorialis*. V. Krug *Dicaeol.* p. 161. s. Sed legum agrariarum latores populi in agros publicos auctoritatem aeternam, i. e. ius, cui nulla consuetudo possessionis detrahere posset, *imprescriptibile*, ut vocant, esse voluerunt.

C. XXIII. §. 80. *Lysandrum — Agin*] V. Plutarch. in *Agide* c. 6 — 13. 16. et de huius morte (p. R. c. 523.) c. 19. s. eiusdemque *comparatio cum Gracchis* c. 4. pr. Deinde Schütz cum non nullis II. MSS. et edd. admisit *ex eo que tempore*, cum alii ex melioribus libris vindicassent *exque eo*. Cf. I. 122. p. 258. *Leg.* III. 5, 10. pr. Octav. August. in monumento Ancyr. Tab. I. ima dextra: EXQVE . EA . PECVNIA. Idem, quod Agis, huius tentavit filius, Cleomenes, qui, quatuor ephoris occisis octo cives exterminavit. Eius vitam scripsit Plutarchus. Cf. Polyb. II. 54. Pausan. II. 9, 1. ss. Post hunc Lacedaemoniorum tyranni fuerunt *Agesipolis* (Polyb. IV. [illegible] s. V. 29.), *Machanidas* et *Nabis*, qui crudelissime in omnes bonos saevit. (Paus. VIII. 50, 2. 5. Plutarch. in *Philopoemene*, Liv. XXIX. 12. ex. XXXIII. 44. ex. XXXIV.

publica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum, quae, a Lacedaemoniis profecta, manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Ti. Gracchi, summi viri, filios, Africani nepotes, nonne agrariae

---

xx — 41.) Interfecto Nabide, Lacedaemonii a Philopoemene, abrogatis Lycurgi legibus, quae per DCC annos valuerant, Achaeis parere sunt coacti p. R. c. a. 564. (Liv. XXXVIII. 34.) Mox tamen recuperata per Romanos pristina rei publicae forma, pari cum ceteris Graeciae civitatibus iure in Achaeorum foedus recepti sunt; sed, eversa Corintho, tota Achaia in provinciae formam redacta est. Sic cecidit res publica *disciplina institutisque memorabilis* (ut dicitur ib. XLV. 28.), quae laudabatur supra I. 76. pr. — Statim post Schütz invitus in textu reliquit lectionem a Gernh. e duobus ll. Aldi, Goth. et Gu. 2. restitutam, *contagionibus malorum, quae, a L. profecta*, in nota autem probat volgatam lectionem, quam edidit Degen, *profectae*. At vero v. *profecta* spectat ad ipsum principium malorum, quae illas *contagiones* attulerunt. Cf. *Phil.* I. c. 2. *cum serperet in urbe infinitum malum idque manaret in dies latius*. III. *Tusc.* 31, 75. ex. Tacit. *dial. de orat.* 28, 8. Sed iam Solonis fuit hoc primum πολίτευμα, ut, cum aes alienum, quo plurimi civium Atheniensium premebantur, civitati pessima quaeque ominaretur, ille, de conservando civium consensu cogitans, introduceret legem, euphemismo quodam Attico dictam *decussionem molis s. onerum*, σεισάχθειαν, i. e. χρεωκοπίαν (*rescissionem debitorum v. nominum obligatorum*) δημοσίων καὶ ἰδιωτικῶν, interpretibus Hesychio et Suida. Cf. Moeris Atticista s. v. Plutarch. in *Sol.* c. 15. s. p. 86. s. et περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Diodor. Sic. lib. I. qui, Solonem hanc legem Aegyptiis acceptam referre, credit; Diog. Laert. I. 45. cum n. Menagii. Meursius in *Solon.* c. 12. s. Io. Frid. Menz *de Solonis legibus* (Lips. 1701. 4.) §. IX. pr. Wencesl. Alex. Maciejowsky *Legum Solonis et decemviralium comparatio* P. I. *de debitoribus* (Varsov. 1820.) c. 2.

Gracchos]. V. ad c. 12. ex. *Degenerarunt a gravitate paterna* (*Provinc. consular.* c. 8. pr. cf. Plutarch. in *Tib. Gr.* c. 14.). *Africani* Maioris ex Cornelia, filia minore, nepotes. V. n. ad I. 76. p. 178. s. ell. *Iuvenal.* I. 49. 91. pr. Plutarch. in *Tib.* c. 1. 4. Liv. XXXVIII. 57. Vellei. P. II. 2, 2. 7, 1. Valer. M. IV. 2, 3. Gellius XII. 8. Wetzel *Excurs. ad Caton. Lael.* p. 502. s. Dicuntur *plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur*. II. *Agrar.* 5, 14. (ed. Beck.) Augustin. *Civ. D.* III. 24. cf. II. 21. Nimirum c. V. 620. *agrariam*

81 contentiones perduxerunt? At vero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, cum eius civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbem est potitus, cumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exsules, qui fuerant eius civitatis locupletissimi, restituit remque publicam adventu suo libe-

---

Ti. Gracchus legem ferebat (Sext. 48, 103.), quae et *Sempronia* dicitur. Et primum quidem instaurare voluit legem *Sextiam Liciniam*, cuius meminimus ad 78. pr. V. Ernesti *Clav.* p. 37. Aur. Victor. *vir. illustr.* 64. Plutarch. l. l. c. 8. s. Sed nitente contra optimatium avaritia iratus, simul, ne plebem, quam ad cupiditatem ampla modo sperandi incitaverat, adversarii obtrectationibus suis ab ipso abalienarent, veritus, promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret. Ib. c. 10—14. Appian. Ἐμφ. I. 9. ss. Vellei. P. II. 2, 3. pr. ibique Chr. D. Iani. Flor. III. c. 14. pr. et *Liv. Ep.* 58. ad eamque Freinshemii *Supplem.* c. 2—32. e Diodoro ap. Vales. etc. Decem annis interpositis, legum fratris sui vindex exstitit C. Gracchus: cuius νόμος κληρουχικός memoratur a Plutarcho in *C. Gr.* c. 5. pr. et 9. Vellei. P. II. 6, 3. Flor. 15 pr. et *Liv. ep.* 60. Aur. Vict. 65. Idem iam triumvir agro dividundo creatus seditiones excitaverat a. V. 624. teste Livio 59. cf. *Somn. Scip.* c. 2. Lael. 11, ex. 12, 6. Omnino v. Heerenii *Kleine histor. Schriften* T. I. p. 145—184. *Geschichte der Revolution der Gracchen.*

§. 81. *Aratus*] V. Plutarch. in ei. vita c. 9. med. 12. ss. Pausanias II. 8, 2. s. VIII. 52, 2. ex. In seqq. volgatur *urbe est potitus* et sic est in tribus Memmianis Lambini, cuius reliqui libri adstipulantur Langio, e suis codd. restituenti *urbem est potitus*. Hunc Accusativum cum Fabritio recepimus. Cf. *Tusc.* I. 37, 90. ex. ubi, cum Summi Wolfii recte facta restituta esset librorum lectio, *gentem aliquam urbemve nostram potiturum putare* Schütz, ipse illam lectionem in *Lex.* III, II. p. 288 adducens, invitus tamen auctore Reiskio, ausus est correxisse *urbe nostra*. Idem *de fato* c. 7. edidit *Africanum Karthagine potiturum*, ubi recte I. H. Bremi e compluribus antiquis libris probavit *Karthaginem*. C. Langius etiam ex II. *de inv.* 31, 95. citat: *si eum portum, quem conspiciebant, potiti essent*, ubi volgo editur, *si eo portu*. Omnino Cicero potiri, si est in potestatem suam redigere, struit cum Accusativo loci, quem quis expugnat vel capit. Supra autem 76. *gaza potitus* est Abl. *adventu suo* tempus significat, *cum advenisset*, ut *Catil.* I. 5, 7. ex.

ravit. Sed cum magnam animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur et quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis aequum putabat, propterea, quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria; iudicavit, neque illis adimi, neque his non satis fieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum 82 igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit remque integram ad reditum suum iussit esse. Isque

---

c. 7, 16. *adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt.* 13, 32. ex. *Catilinae profectione*, i. e. postquam Catilina profectus fuerit, *p. leg. Man.* 8, 20. *dico, eius adventu* (i. e. cum adveniret) *maximas Mithridatis copias — fuisse. Lael.* 3, 3. (10.) *amicorum decessu*, i. e. cum amicorum aliquis mortuus est.

possessiones moveri] i. e. transferri ad pristinos dominos. Ernestus in Schütz. *Lex.* III, I. p. 409. s. v. n. 5. accipit simpliciter pro *mutari*. Favet hic locus Schützio, *p. Caecina* c. 26. corrigenti: *Quid enim refert, aedes aut fundum relictum a patre aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit, quae tua iure hereditatis aut* (pro, *quae cum omnia tua iure*) *mancipii sint, ea possisne retinere, si parum sit communitum ius?*

§. 82. *Alexandriam se proficisci velle*] F. Heus., Schütz et Deg. v. *velle*, in Goth. et Gu. 5. omissum, eiecerunt, abnuentibus Gottleberd et Gernh., qui monent, Aratum cum reliquis civitatis principibus consilium itineris communicasse videri non tum demum, cum in eo esset, ut abiret, ut ille in *Epist.* IX. 2., 3. qui iam petasatus venit ad Ciceronem mane et, *proficisci ad Atticum statim, dixit.* Gu. 2. hic scripsit *Alexandream* eodemque modo paullo post, ut editur in Aemil. Prob. XXI. *de Regib.* 3, 4. et in Vellei. P. II. 87, 1. ubi de hac scribendi ratione v. Krause, cl. Görenzio ad *Fin.* V. 19, 54. pr. Contra I. 75. p. 74. in plerisque ll. scriptum est *Ariopagitas* et *Ariopagum*. Pro seq. *isque* Wyttenbach *Bibl. crit.* I. 3. p. 26. legendum censuit *itaque*, probante Reizio et Gernh., qui tamen etiam in mentem venit *atque*. Sed de sic ad idem Subiectum primum refertur II. *Divin.* 69, 143. ex *Epist.* XIII. 49. ... II. pr. ...

celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandream conditam. Cui cum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque docuisset: a rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adiuvaretur. Quam cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit et eorum, qui aliena tenebant, et eorum, qui sua amiserant: perfecitque aestimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent; aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes, concordia
83 constituta, sine querela discederent. O virum magnum dignumque, qui in nostra re publica natus esset! Sic par est agere cum civibus, non, ut bis

---

autem plenius interpungendum. *Quo* est continuativa. V. Görenz ad *Fin.* I. 9, 29. ex. — *Ptolemaeum* hic significari puta Philadelphum, Pt. Lagidae s. Soteris F., Ceranni fratrem, qui regnavit Aegyptum a. V. 471 — 507. De eo v. Iustin. II. 16. ex.

patriam — liberare] i. e. eius libertatem concordia firmare, in patria liberata aequitatem constituere sic, ut omnibus consuleretur. In seqq. hic est sensus: „Cum exposuisset, [quae esset rerum a se componendarum conditio." Opinatur Degen, Aratum aes alienum contraxisse ap. Ptolemaeum. At hic picturas egregias, ab Arato e Graecia iterum iterumque sibi missas, *remuneratus est* CL talentis (Plutarch. c. 13. ex.), quae non 150000, sed 202500 Florenis aequiparanda sunt. — Germanismum *adhibuit in consilium*, cll. *Epist.* II. 7, 5. et *Plin.* VI. 22. pr. notavit Oertel II. p. 22. libelli, ad 53. pr. stati. — *Sine querela*, i. e. *non modo sine iniuria*, sed *etiam sine querimoniis partis utriusque.* Tanta rem *difficillimam tractatu et plerumque parti utrique, semper certe alteri gravem moderatione sustinuit*, ut de simili re loquitur Liv. VII. 21.

§. 83. *in nostra re p.*] Praepositio desideratur in ed. Degenii. Cicero hic, nisi fallor, non tam superbit re publica, quam commiseratur, ut sensus sit: *et, qui in nostra re publica natus esset, optabile est*; vel: *utinam in*

iam vidimus, hastam in foro ponere et bona civium voci subiicere praeconis. At ille Graecus (id quod fuit sapientis et praestantis viri) omnibus consulendum putavit: eaque est summa ratio et sapientia boni civis, commoda civium non divellere atque omnis aequitate eadem continere. Habitent gratis in alieno? Quid ita? ut, cum ego emerim, aedificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena? Tabulae vero novae quid habent argumenti, 84

---

nostra re publica natum! scil., *ut eam constitueret.* De *hasta* primum a Sulla, deinde a Caesare posita v. 27. ex. 29. pr. — *Id quod* pronn. cum plerumque ad totum enunciatum referantur idque parentheseos sit proprium, parenthesin inducunt *de Or.* I. c. 61. *Or.* c. 6. pr. *Prov. cons.* 9, 23. pr. *Leg.* I. 19, 52. pr. *Epist.* I. 7, (al. 8.) 29. Eadem indicanda ib. VII. 14, 4. pr. *Catil.* I. 3, 7. (10. ex.) II. 8, 18. Mox *atque*, pro *potiusque* positum, adiungit contrarium, ut I. §. 33. p. 77. s. De *summa* hac *ratione boni civis* cf. I. 85. s. Similia praecipiuntur in Platon. *de re p.* VII. p. 519. E. sq. In prox. recte Turnebus *Adv.* XIX. 1. notavit sensum figuratum: „Habitarene debent gratis in aedibus alienis?“ Arati nimirum aequitas a Cicerone comparatur non ferendae illi iniquitati, quam extr. cap. 22. notaverat. Indicavimus igitur interrogationem, ut III. 68. ex. Fortasse etiam corrigendum *Habites*, nisi forte ad *Habitet*, quod est in μ et ed. Ven. 1506., subaudire placet *quis.* Sic indignatio loquitur *p. Mur.* 9, 21. *cum iis, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas?* Seqq. dicuntur cum Ellipsi, ut *Phil.* II. c. 4. pr. *Quid est aliud tollere e vita vitae societatem?* Intell. *si hoc non est?* Cf. *Off.* III. 55. pr.

§. 84. *Tabulae*] volgo dicuntur *codices accepti et expensi*, np. *argenti*; *ratio domestica*, quae patris familiae continet censum, *das Hausbuch, Einnahme- und Ausgabebuch, Rechnungsbuch über Einnahme und Ausgabe*, ingleichen *über Haben und Sollen*, i. e. *über Schulden und Forderungen*; *Verzeichniss des Activ- und Passiv-Vermögens.* Nostris negotiatoribus usurpatur *Bilanz-Buch.* Soli filii familiarum, qui essent in patria potestate, nullas conficiebant tabulas, propterea, quod nullum haberent patrimonium (*Coel.* c. 7. pr.); ab omnibus reliquis civibus Romanis, stante re publica mos erat, ut diligentissime conficerentur tabulae, ex quibus appareret, *quid quisque de reditibus suis, quid de arte, fenore lucrove seposuisset quoque die aliquid*

nisi ut emat meo pecunia fundum, cum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

XXIV.

---

idem sumptus damnive fecisset (Ascon. *in Act.* II. *in Verr.* l. I. c. 23.) et *ut nihil posset neque additum neque detractum de re familiari latere* (Cic. *p. Cluent.* 14, 64. 30, 158. s. ed. Beck.). Si quod nomen quacumque de causa non relatum esset, ea *pecunia extraordinaria* dicebatur. *Rosc. Com.* 1. *Verr.* l. I. c. 39. Ascon. ad l. l. c. 23. testatur, totam hanc veterem consuetudinem cessasse, postquam obsignandis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari coepisset; deinde notat, *ad tegenda furta pertinuisse istam praetermissionem rationum.* Sed ad aliud quoque eius modi flagitium et nefas celandum pertinebat, e. g. si quis pecunia corruptus esset, ne investigari posset eius pecuniae improbe sive datae sive acceptae profectio. Quantum aliquis alteri expensum tulerat eumque fecerat accepisse, tantum hic illi acceptum referebat. Itaque *expensi lationi*, qua quis, se aut mutuum dedisse (quod hodie significatur per *Soll*) aut aes alienum solvisse, in codice suo perscripsisset, respondebat *accepti latio*, qua quis aut debitorem se profiteretur (quod dicitur *gutschreiben* hodieque indicatur per *Haben*), aut iam sibi satis factum esse creditori. Itaque haec simul *apochae* habet vim. Hinc *scribere* dicitur creditor vel pro eo tabellio, qui in tabulis alicui expensum fert (*zur Last schreibt, anschreibt*), *nomina facit* (III. 59.); *rescribere* (ap. Horat. *S.* II. 3, 76.) debitor, qui, quod mutuum sumpserat, in suis tabulis creditori expensum refert, i. e. per scripturam reddit; qua debitoris expensi latione (*Gegenrechnung*), quippe solutionis comite et teste, tollitur *literarum obligatio*, *scriptura* (i. e. creditoris expensi latione) sive *nominibus facta*. Iam enim a creditore fit *accepti latio*, i. e. eadem pecunia debitori accepta refertur (*wird abgeschrieben*). V. Barn. Brissonii l. VI. *de formulis* c. 116. ss. et *von Almendingen über die rationes domesticae der R.* in Grolmann *Magazin für d. Philos. und Geschichte des Rechts* T. II. p. 169 — 244. Non nunquam vero ab hominibus rerum novarum cupidis et factiosis postulatum est cum ruina rei publicae, ut omnia debitorum nomina aut antiquarentur aut mutarentur per totum imperium Romanum ita, ut creditores aut omnia, quae iis debebantur, aut partem de sorte amitterent (78. s.), factis *tabulis novis* (*ein Strich durch die Rechnung*). De his Graevio laudatur Io. Schefferi dissertatio. Pearce autem annotavit, irrita veterum tabularum auctoritate fieri potuisse, ut, qui ante legem pecuniam ad *fundum emendum* mutuatus esset, post legem et fundum emptum et pecuniam etiam creditam, qua emptus esset, sibi retineret, creditor autem nec fundum, nec pecuniam suam recuperaret.

C. XXIV.

XXIV. Quam ob rem, ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est (quod multis rationibus caueri potest), non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rem publicam continet, quam fides: quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine: quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de re publica tolleretur. Nunquam nec maius aes alienum fuit nec melius nec facilius

C. XXIV. *non, si fuerit*] Codd. Linc. et Magd. *nam si fuerit.* Duo Cokmani: *non sic fuerit.* Alii aliter variant; sed prave. Degen post haec vv. cum Gottlebero aliisque supplere videtur *caueri potest.* Bavius Voorda *Lectt. Tull.* c. 4. acquiescit in volgatae lectionis maxime naturali interpretatione Langii, Fabritii, Facc., aliorum: „Palam est," inquit, „*si fuerit* opponi praecedenti *ne sit:* unde consequens est, ut vocula *non* suppleri debeat non ex proxime praecedenti *caueri potest*, sed ex superiore sermone principali *providendum* (curandum), atque pericopa *quod multis rationibus caueri potest* pro parenthesi sit habenda, quae interrumpit, non abrumpit principalem sermonem. Ceteroquin periret stili Ciceroniani rotunditas, qui non solet a re principali periodum inchoare, eaque imperfecta ac velut deserta, subsidere in parenthesi aliqua; sed post interiectum parenthesin principalem sermonem absolvere."

actum est] i. q. mox *tentata res est*, ut 78. pr. Teste Sallustio c. 21. *Catilina in praemiis belli* sociis suis pollicitus fuerat *tabulas novas*, quibus, ut Lange ibi not. 5. accipit, *ex parte condonaretur aes alienum debitoribus.* Contra monuit V. D. in *Leipz. Lit. Zeitung* 1816. p. 206. hac quidem conditione oblata, Catilinam sociorum suorum cupiditati et spei vix satis facturum fuisse, qui non partem aeris alieni, sed omne aes alienum, in quo essent, lucrari concupivissent. Poterunt tamen pro illa sententia afferri, quae ib. c. 33. legati, a C. Mallio missi, commemorant: *Novissime memoria nostra propter magnitudinem aeris alieni — argentum aere solutum est.* Sed videntur hi supplices tunc modestiores fuisse in votis suis, quam antea illi, qui victoriae spe bellum cupiverant.

hoc tantum malum] np. *aes alienum* (de cuius magnitudine cf. *Catil.* II. 2, 4. ex. 3, 5. 4, 8. ex. 8, 18. 10, 21.)

dissolutum est: fraudandi enim spe sublata, solvendi

---

fraudandique spes. Hanc enim Cicero eripuerat iam II. *or. Catilinaria* ad Quirites c. 9, 18. *Meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae,* ubi Aug. Matthiae, vir alioquin veri perspicacissimus, auctore Ernesto delevit v. *novae:* recte quidem, si cum b. Weiskio ceterisque intt. et Schellero in *Lex.* p. 11097. *tabulae auctionariae* accipiendae essent pro titulis s. libellis, quibus pars possessionum, quae sunt debitorum obaeratorum, proscribatur venalis, ut eorum auctione pecunia redigatur, qua nomine dominorum aes alienum dissolvi possit. Non est id quidem dubium, quin innuatur, proscriptum sub titulumque missum iri possessiones; sed consequens pro antecedenti dici videtur. Intelligimus igitur, significari tabulas, in quibus rationes reddentur auctionariae; rationaria, in quibus relatum erit, quantum ex auctionibus institutis redierit: quo sensu certe *auctionalia* dicuntur in *Digestt.* XXVII. tit. III. l. 1. §. 5. Auctione autem facta, mutabuntur etiam tabulae, abolitis nominibus debitorum neque tamen fraudatis creditoribus, quippe cum tantum de possessione fuerit venditum, quantum sufficiat ad aes alienum dissolvendum. Recte autem eaedem *tabulae* dici potuere et *novae* propter liberationem et obliterationem nominum et *auctionariae*, scilicet argentariorum vel mensariorum, qui tabellionum fungebantur ministerio. Nam qui publico testimonio confirmata vellent negotia sua, non, cui solvere volebant, dabant *pecuniam tacitam*, sed per argentarium, cuius officium atque ministerium publicam haberet causam, venditori creditorive numerabant. Eorundemque argentariorum opera auctiones habitas esse, cognoscitur ex Quinctil. XI. 2, 24. *auctione dimissa, quid cuique vendidissent, testibus argentariorum tabulis, reddiderunt,* et e M. Senecae *Controverss. l.* I. *prooem.* p. 66. extr. ed. Bip. Rationes nimirum singulorum argentarii conficiebant et, quas cuiusque confecerant, huic edere lege tenebantur, suas quodam modo rationes, in quibus ipsi et expensa pecunia lata esset acceptaque relata. Sic igitur v. *novae* postliminio in integrum restituitur nostra interpretatione, quae planissimam hanc enodarit sententiam: „Errant, qui tabulas novas, quibus aes alienum ipsis remittatur, a Catilina exspectant, quas nullas, nisi auctionarias meo beneficio, consequentur. Me enim auctore proferetur edictum, quo debitorum, creditoribus satis facere tergiversantium, bona hastae subiiciantur, et venditione publica distrahantur, ut redactis inde pecuniis aes alienum, quod debent, dissolvatur. Tum demum tabulae novae proferentur, sed eae, quae post auctiones, aere alieno dissoluto, proferri solent;" vel, ut cum Livio VII. 21. loquamur: „Meo beneficio, sperent, fore, ut *tarda nomina et impeditiora inertia debitorum, quam facultati-*

necessitas consecuta est. At vero hic nunc victor,
tum quidem victus, quae cogitarat, ea perfecit, cum
eius iam nihil interesset. Tanta in eo peccandi li-
bido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare,
etiam si causa non esset. Ab hoc igitur genere lar- 85
gitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii,
qui rem publicam tuebuntur: in primisque ope-
ram dabunt, ut iuris et iudiciorum aequitate suum
quisque teneat et neque tenuiores propter humilitatem

---

bus, liberentur, verum per *apocham* post proscriptionem bonorum": de qua v. scriptores laudatos in Ill. Hauboldi *Instt. I. R. priv. lin.* §. 823. p. 350. Propter exhaustam hoc modo vim ingentem aeris alieni Cicero II. *Att. ep.* 1. sect. 9. se nuncupat *vindicem aeris alieni*, i. e. eum, qui periculum tabularum novarum averterit, cum fides Romae atque in toto imperio Romano laboraret (Valer. M. IV. 8, 3.). *Ad Q. fratr.* I. 1. sect. 2. p. 344. ed. Sch. *publicani —, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumis fortunas habere arbitrantur.* Cf. locus V. *Fam.* 6, 5. ubi Martyni-Laguna p. 226. apposite comparat *Att.* II. 2. ex. Adhibe etiam I. A. Ernestum *de negotiatoribus R.* in *Opuscc. philoll. critt.* p. 11. s.

hic nunc victor] In al. ll. pro *nunc* substituitur *noster* propter simile compendium. Gu. 5. utramque lectionem iungit *noster nunc*, quod placuit Lambino et Schützio. At vero non opponitur hic barbaro alicui; sed respondent sibi opposita *nunc victor*, cum, actis eius non rescissis, civitas cum maxime mortuo pareat (7, 23. p. 47.), et *tunc quidem victus*. Caesar autem, eo tempore grandem pecuniam debens (Sallust. *Cat.* c. 49. Plutarch. in *Caes.* 5.), ut se ab aere alieno liberaret, conspirasse cum Catilina credebatur (ib. 7. s. et in *Cat. Min.* c. 23. pr. Sueton. in *Iul.* c. 17. pr. Dio XXXVII.). Eundemque, bellum civile moventem, *χρεῶν ἀποκοπὰς* moliri indignatur Cicero VII. *Att. ep.* 11. sect. 1. Disiecta tamen tabularum novarum exspectatione, ex eius decreto lata est lex *Trebonia*, *qua quarta pars fere crediti deperibat*, teste Suetonio c. 42. Hanc vero Caesar legem non sua causa sanxit (ipsi enim iam locupletissimo opus non erat), sed suorum, ut hi ex aere alieno emergerent. Cicero autem Miltonis penicillo nobis pinxit ipsissimum Satanam.

§. 85. *humilitatem*] Gernh. interpretatur, esse eius, qui se patiatur opprimi propter quandam ex paupertate et ignobilitate acceptam animi debilitatem. At vero hic non

circumveniantur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia, praeterea, quibuscumque rebus vel belli vel domi poterunt, rem publicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Haec magnorum hominum sunt; haec apud maiores nostros factitata; haec genera officiorum qui persequuntur, cum summa utilitate rei publicae magnam ipsi adipiscentur et gratiam et gloriam.

86 *In his* autem *utilitatum praeceptis*, Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, *duo praeterita censet esse a Panaetio, valitudinis curationem et pecuniae.* Quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent

---

de timiditate sermo est, sed de inopi fortuna tenuiorum, qui verbo e re bellica translato dicuntur *circumveniri* vel a potentioribus, qui, ut latifundia extendant, (ut ait Horatius II. *Od.* 18, 23. s.) *proximos revellunt agri terminos et ultra limites clientium saliunt avari*, vel a creditoribus, quibus enorme fenus (v. ad 89. pr.) pendere coguntur. *Locupletibus* autem *sua tenenda* (possessiones agri publici privatis ne eripiantur legibus agrariis) *vel recuperanda* a fraudatoribus creditorum. De Genitivis *vel belli vel domi* v. ad 5, 16. pr. cl. Schelleri *Lex.* in v. *Domus* p. 3103. *Domi* autem *rem publicam augent imperio* etc., qui vel disceptando ab aliis civitatibus impetrant, ut imperium, agri, vectigalia P. R. augeantur, vel auctoritate sua aut caueant, ne temere bella suscipiantur, quorum calamitate res publica aliquid detrimenti capiat, aut perficiunt, ut, quae amissa fuerant, recuperentur, ut ipse Cicero *or. pro lege Manilia.* In extr. §. pron. *ipsi* adiicitur, ut *rei publicae utilitati* opponatur eorum *ipsorum*, qui de ea bene merentur, *et gratia et gloria.*

§. 86. *Antipater Tyrius*] familiaris *Catonis Minoris*, teste Plutarcho in huius vita (p. 761.) c. 4. pr., ergo distinguendus et a *Sidonio* et a *Tarsensi Antipatro*, III. 51. memorato. De diversis *Antipatris* disputarunt Ionsius *de scriptt. hist. philos.* I. 13, 3. p. 82. Purgold in *Obss.* p. 342. Iacobs in *Animadvv.* in *Anthol. Gr.* Vol. III. P. III. p. 847. s. Proxima sic accipies: „Hae res a Panaetio

faciles(:) sunt certe utiles. Sed valitudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa, et praetermittendis voluptatibus, postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. Res autem 87 familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo; conservari autem diligentia et parsimonia; iisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui *Oeconomicus* inscribitur, quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, in Latinum convertimus.

---

praeteritae videntur non, quin sint utiles (nam utilitatem habent manifestam); sed nescio, an noluerit persequi ea, quae in promptu essent nec magnopere praecepta desiderarent." Seq. *sed* Gottleber accipit elliptice positam: *ut tamen aliquid dicam de hac re, a Panaetio praetermissa.* V. 44. pr. Comparanda potius ἀλλὰ, quam cum Degenio *autem* et δέ.

observatione, quae — soleant] V. ad c. 6. ex. *Cultum*, quae v. Degenium hic non magis offendere debebat, quam 4, 15., referimus ad munditiem, ad balineorum usum, ad exercitationes etc. In *praetermittendis voluptatibus* inest *temperantia*, cuius definitionem e V. *Fin.* 23, 67. vide, sis, ascriptam ad I. 5, 15. pr. Deinde circumlocutione quadam significantur medici et iatraliptae: de quibus v. ad I. 130. ex. Totus locus haustus videtur e Xenophont. *Memor.* IV. 7, 9. Cf. Tiberius in Tacit. *Ann.* VI. 46. ex. quem comparat Garve ad h. l. p. 213. ss.

§. 87. *iis rebus, — turpitudo*] I. c. 26. ex. et 42. Xenophontis liber is, *qui Oeconomicus inscribitur*, laudatur in *Cat. Mai.* c. 17. pr. De hac alienum librum citandi ratione v. supra ad c. 9. pr. M. Cicero, quem hic alloquitur pater, cum maxime unum et vigesimum annum agebat. Nam in *Epist. ad Atticum* I. 2. qua Noster scribit: *L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo COSS. filiolo me auctum scito*, Bosius, Tunstal, Wieland in nota versionis suae recte intelligunt *COSS. designatos*: ut epistola scripta sit a. 688. COSS. adhuc Torquato et Cotta. Vv. *in Latinum convertimus*, in Gu. 5. omissa, a correctore supplentur hoc modo: *e Graeco transtulimus* (hoc iisdem substituitur etiam a Gu. 3.) *in Latinumque convertimus*:

88 XXV. Sed utilitatum comparatio (quoniam hic locus erat quartus, a Panaetio praetermissus) saepe est necessaria. Nam et corporis commoda cum externis et externa cum corporis et ipsa inter se corporis et externa cum externis comparari solent: cum externis corporis hoc modo, valere ut malis, quam dives esse; cum corporis externa hoc modo, dives esse potius, quam maximis corporis viribus; ipsa inter se corporis sic, ut bona vali-

---

Itaque glossema *e Graeco*, quod ante ea volgo legitur, fide Gu. 1. proscripsimus cum Schützio. Vncis notaverat iam Heus., a quo parum commode ex *Tusc.* III. 14, 29. pr. comparatum exemplum notat Degenii acumen; monentis, „ibi in *Euripidis* nomine iam inesse *Graeci* exempli notionem." Ergone in *Xenophontis Oeconomico* non item? Si fides habenda Divo Hieronymo X., Tullius in eo *lusit*. *In quo opere*, inquit, *ita saepe aureum illud flumen eloquentiae quibusdam scabris et turbulentis obicibus retardatur, ut, qui interpretatum nesciunt a Cicerone, dicta non credant.* Corrado in *Quaestura* p. 255. ipse non videtur tunc in scribendo sibi satis fecisse: qui, quae scripsit adolescens, inchoata atque rudia non dubitarit appellare. Fragmenta collecta exstant in ed. Ernest. IV, II. p. 1067 — 70. ed. Schütz. XVI, II. p. 67 — 71. et in Bachii *Praefat.* ed. suae Xenoph. *Oecon.*, a Zeunio repetitae, p. 21 — 26.

C. XXV. §. 88. *locus quartus*] Cf. I. 3, 10. Post vv. *cum externis corporis hoc modo* adiectum volgo glossema *comparantur*, etiam invitis libris exclusissemus. Sed favent nobis Gu. 3. et unus Aldi liber. Audacior etiam Ellipsis est seqq. *dives esse potius*, ubi ex antecedd. supplendum *ut malis*. Nam de pleonasmo in adv. *potius* v. ad I. 115. ex. Praeter Simonidis Cei in *Anal.* I. 130. (ed. Lips. I. 62.) fragm. 11. multis vett. scriptoribus laudatum, quo *valitudini* inter bona humana primum locum assignat: Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνητῷ. Δεύτερον δὲ, φυὰν καλὸν γενέσθαι. Τὸ τρίτον δὲ, πλουτεῖν ἀδόλως, καὶ τὸ τέταρτον, συνηβᾶν μετὰ τῶν φίλων, cf. similem eiusdem et varias variorum sententias de hac rerum comparatione ap. Sext. Empir. *adv. Math.* XI. 48. ss. in primis pulcherrimum locum Crantoris 51. ss. Ciceronis quidem sententia huc redit, ut maior utilitas minori sit anteponenda eaque selectio cum virtute congruat semper neue umquam ab honestate deflectatur. Vberius locum exposuit Garve p. 219 — 225. — Negligentia quadam familiaris sermonis confusae hic duae sunt

tudo voluptati anteponatur, vires celeritati; externorum autem —, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis. Ex quo genere comparationis illud est Ca- 89
tonis senis: a quo cum quaereretur, *quid maxime in re familiari expediret?* respondit: „*Bene*
pascere." *Quid secundum?* „*Satis bene pascere.*" 90
Quid tertium? „*Male pascere.*" *Quid quartum?*

---

constructiones. Nam abrupta priori, quae sic continuari debebat, *externa autem* etc. infertur nova: *externorum autem*, ut subaudiatur: *comparatio fit hoc modo, ut anteponatur* etc. — *Vectigalia urbana rusticis* anteposuit *M.* quoque *Crassus*, qui plurimos habebat servos artifices opificesque, teste Plutarcho in vita c. 2. itemque *Atticus*, qui a Cornelio Nep. XXV. 14, 3. laudatur *usum pecuniae ratione metiri solitus*, quod *omnis eius pecuniae reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus.*

§. 89. *Catonis*] Ipse *de R. R.* c. 64. (65.) ex. monet, *nihil esse, quod magis expediat, quam boves bene curare.* Ergo, ut Turnebus *Adv.* VI. 23. pr. exposuit, rem pecuariam quam amplissimam habere magnosque pecorum greges et iumentorum armenta, quaestuosissimum putavit. Secundas etiam in re familiari tribuit mediocri rei pecuariae vel pastioni: id enim valet, quod dixit *satis bene pascere, secundum esse.* A Columella VI. *Praefat.* §. 4. pro eo usurpatur *mediocriter.* Cf. *Off.* III. c. 14. pr. *Att.* XIV. 10. post in. *laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis.* III. *Or.* c. 22. m. *Si iam me voltis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique;* atque ipse Cato *R. R.* 136. (137.) Deinceps *male pascere* legitur, in uno Palat. 1. Volgatur *bene vestire.* P. Marsus putavit hic legendum esse *bene vitire*, i. e. bonas habere vites et vineas, atque ex Plinio XVIII. 5. sect. 6. confirmat, ubi est de Catone: *in agro quaestuosissimam iudicat vitem.* Sed post hoc demum iudicium sequitur ibi illud: *Idemque Cato interrogatus, quis esset certissimus quaestus? respondit, „si bene pascas." Quis proximus? „si mediocriter pascas."* Invenit postea *vitire* in vetusto exemplari Balduinus, item Langius et Nannius *Misc.* IX. 11. ex. Legitur etiam in ed. Ven. 1502. testaturque Fabritius, in scripto libro domus Hieronymi Coloniae margini ascriptum *legi et vitire.* Gottleber locum interpolatum esse censet. Vv. *bene vestire. Quid quartum?* omissa sunt non solum in Gu. 1. et Palat. 2. sed etiam in Mert. cod. Cokmani. Equidem ante ea e Columellae I. l. §. 5. inseruerim *vel*, i. e. adeo. Vncis

„*Arare.*“ Et cum ille, qui quaesierat, dixisset: *Quid fenerari?* tum Cato: „*Quid hominem occidere?*“ Ex quo et multis aliis intelligi debet, utilitatum comparationes fieri solere recteque hoc adiunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de

notavit Schütz, qui addita videntur a sciolo quodam, qui crediderit, Ciceronem inter eos auctores fuisse, quos Columella indignum aliquid sapientia Catonis tradidisse arguat: de quo dubitari posse videbatur etiam F. Heusingero. Sed audiendus Gruter. „Nimirum,“ inquit, „quod homines non adsequerentur, quid esset *male pascere*, id Ciceronis fundo omnino eradicarunt. At vult Cato, tantum esse utilitatis in pecore pascendo, ut, quamvis maligne pascatur s. male curatum pecus habeat pater familias, superet tamen fructus omnes arationis reliquaeque adeo agri culturae.“ Similiter *Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo? actionem; quid secundum? idem et idem tertium respondisse*, ut est in *Bruto* (c. 37. ex. Sch.) 38. 142. *Or.* 17, 56. III. *de or.* §. 213. Quinctil. *Instt.* II. 3. Valer. M. VIII. 10. *ext.* 1. Et recentioribus temporibus quidam rei militaris peritissimus, interpellatus, quaenam res ad bellum gerendum maxime esset necessaria? quae proxime? quae deinde? ter respondit *pecuniam*. *Cato Minor*, ut de eo scribit Plutarch. c. 3. *quemnam plurimum diligeret?* interroganti usque et usque respondit *fratrem* (non, ut alii plerique pro eo respondissent: *memet ipsum*). Idem Pl. de *Cat. Maiore* 21. τὴν μὲν γεωργίαν μᾶλλον ἡγεῖτο διαγωγὴν εἶναι, ἢ πρόσοδον. — εἰς δ' ἀσφαλῆ πράγματα καὶ βέβαια κατατιθέμενος τὰς ἀφορμὰς, ἐκτᾶτο — ἐργαστηρίων χώραν, ἔχουσαν αὐτοφυεῖς νομὰς καὶ ὕλας. Ipse *R. R.* 61, (62.) 1. *Quid est agrum bene colere? bene arare. Quid secundum? arare. Quid tertium? stercorare*: ex quo l. corrigendus potius Plin. XVIII. 19. sect. 49. pr. quam contra, ut voluit Meursius.

Quid hominem, inquit, occidere?] Gu. 3. 5. et ed. a. l. et a. transp. *Quid, inquit, h.* Expunxi glossam auctoritate Gu. quarti, non adversante nec F. Heus. nec Gernhardo. Cf. n. ad I. 144. p. 289. Degen putat, *fenerationem* hic comparari *latrocinio*. Nostrates de feneratorum crudelitate usurpant metaphoram *excoriandi*. In *or. p. Coelio* c. 18. monetur adolescentia, *ne fenore trucidetur*. Ap. Valer. M. IV. 8, 3. ex. ii, qui tunc *praecipue negotiatione* (np. *fenorum*) *delectabantur*, dicuntur *pecuniam cruentam domum referre*. Etenim, bono nomine, cente-

collocanda pecunia (vellem, etiam de utenda), commodius a quibusdam optimis viris, ad Ianum medium sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. Reliqua deinceps persequemur.

---

simis renovatis quotannis, i. e. duodenis centesimis anniversariis cum anatocismo, aut etiam perpetuo fenore, i. e. sine anatocismo, ductis, contenti erant; non bono, quaternas centesimas, i. e. duodequinquagenas centesimas anniversarias, pactos esse, horrendum exemplum refertur *ad Att.* V. 21. sect. 8. (p. 273. s. ed. Sch.) VI. 1, 4. (p. 281.) 2, 5. (p. 298. 300.) Vide praeter Io. F. Gronovii *Obss.* IV. 24., ab I. A. Ernesto in *Opusce. philoll. critt.* p. 12. laudatas, scriptores ad I. c. 42. pr. et alios multos in Ill. Hauboldi, penu eruditionis, *Institt. I. R. priv. lin.* §. 680. p. 295. s. indicatos. Ipse autem Cato, teste Plutarcho c. 21., ἐχρήσατο τῷ διαβεβλημένῳ μάλιστα τῶν δανεισμῶν ἐπὶ ναυτικοῖς, i. e. *fenore nautico*, de quo v. Gothofredi ad *Digestt.* XXII. *t.* II. not. 37., ubi etiam de vocis orthographia disputatur, et Hauboldum l. l. §. 752. a).

§. 90. *vellem, etiam de utenda*] Inclusimus haec vv., ut parenthesin. Heus., Garve, Degen, Schütz omittunt v. *vellem*, servatum in uno vetusto cod. Langii. Licebit soli ἀκρισίαν suam admirentur. Nos quidem aemulos non magis habebunt, quam Hottingerum in nott. II. p. 233. et Gernhardum, acute monentem, feneratores hic perstringi: quorum una scientia sit et quaerendae et collocandae pecuniae: huius autem laudem esse nullam, nisi accesserit optimus pecuniae usus, quem isti, in pecunia quovis modo corradenda dediti, nesciant. Sed, quod rem dirimit, II. *de div.* 4, 11. pr. haec, *quem ad modum utendum pecunia*, diserte ad locum *de officio*, proprium illum *philosophorum*, referuntur. Cf. h. l. 56. Quo modo igitur feneratores de eo disputabunt illis *commodius* (up. *ad edocendum*, ut c. 24. ex. *Has res commodissime — persecutus est*)? Improbissimi autem homines isti, qui, olentes malitiam et clamitantes calliditatem, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare toti nec ullum pilum virorum bonorum habere censebantur, hic per ironiam audiunt *quidam optimi viri*, ut *Fin.* I. 7, 25. ex. voluptarii. Cf. *Rosc. Am.* 8, 23. pr. 36, 104. pr. *Divin. in Caecil.* 17, 56. *Caecilio, viro optimo et homini aequissimo.* IX. *Att. ep.* 12. sub. fin: *Viri boni usuras perscribunt*, nempe

ad Ianum medium] Non probamus reductum a Schützio ordinem volg. *ad medium Ianum.* Sic enim tertius quidam Ianus opponeretur duobus aliis; quae quidem Degenii

est opinio, eadem, quae Adleri in *Beschreibung der St. Rom* p. 191. et Buttmanni in diss. *über den Ianus* in *Abhandlungen d. historisch-philol. Klasse d. K. Preuss. Akad. d. Wissenschaften a. d. I.* 1816. p. 156. qui V. D. non debebat abuti auctoritate Livii XLI. 32. Hunc enim non de urbis, sed de coloniae (nescio, cuius) aedificiis loqui, monuerat iam Casaub. ad Sueton. *Aug.* 31. ex. Insuper etiam obstat auctoritas P. Victoris, qua infra utemur. M. Heus. aliique *Ianum* nobis perhibent vicum, auctore, ut videtur Porphyr. *ad Horat. Ep.* I. 20, 1. et L. Ioann. Scoppa, qui Vicum Tuscum a templo, quod ibi fuerit, *Iani* appellatione usurpatum esse affirmat *Collectan.* c. 2. in Gruter. *Lamp.* I. 895. ubi haec leguntur: „Quod *summus Ianus* „dicitur summa pars vici, in quo colebatur *Ianus* et „templum habebat, Cornutus philosophus *de urbis Romae* „*antiquitate*, ad Palaemonem Grammaticum haec scribens, „apertissime indicat: inquit enim: *Iani templum biforis*“ [an *biformis?* ut Ovid. *Fast.* I. 89. Macrob. *Sat.* I. 9. de quo v. Palmié in Programmate Berolini 1820. edito] „*in clivo Capitolino vetustissimum crustatis marmoreis vel e* „*Pariis columnis vidimus: quia in medio eius clivi summitas,* „*Ianus summus, et imus in extremo clivo appellatur:* „*ubi Puteal et feneratores incolerent.*“ Haec Cornuti, ad quem praeter Nannium *Miscell.* IV. c. 13. (ap. Grut. I. 1282.), qui tamen, Scoppae se legere vestigia, non dissimulavit, provocat Brodaeus quoque *Miscellan.* II. 19. (Grut. II. 481.), undenam deprompta? — Ex Ovidii *Fast.* l. I. 257. s. Hier. Magius *Miscell.* II. c. 12. (Grut. II. p. 1337. s.) colligit, *Ianum medium* dici, quod inter duo fora sacratus staret, ad quem tamquam celebriorem ac loci ratione commodiorem et feneratores et mercatores convenire solerent in porticibus tabernisque circa Iani templum illud, locoque nomen fuisse *sub Veteribus*, sic dicente Plauto *Curcul.* IV. 1, 19. *Sub Veteribus ibi sunt, qui dant quique accipiunt fenore.* Idem in *Asin.* I. 1, 103. s. 112. s. simpliciter commemorat *forum*, ut, Seneca *de tranq.* 8. *quibus non* (est) *grande in foro fenus.* Iam *a Tarquinio Prisco circa forum porticus tabernasque factas* memorat Lipsius *de magnit. Rom.* III. 7. nimirum e Liv. I. 35. ex. quo teste IX. 40, 15. XXVI. 11. postea circa forum erant tabernae argentariae. Harum quae a. V. 543. incendio deflagrassent, postea *Novas* appellatas memorat c. 27, 2. s. Videntur autem *Veteres* fuisse partim in occidentali, partim in meridionali fori parte, hoc modo: . In occiduis etiam partibus, dextrorsum a Capitolio (=), fuisse colligimus e Liv. XLIV. 16. ex. *Sempronius — aedes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum lanienasque et tabernas coniunctas in publicum emit basilicamque faciendam curavit, quae postea Sempronia appellata est.* Hanc in vico Tusco ponit I. E. Blühdorn, qui *non nulla de Basilicis R.* collegit in l. *Kritische Biblioth. v. Seebode*, Hildes. 1820. n. 10. p. 837. Nimirum cum *Aede Vortumni*, quae,

teste P. Victore (in Graev. *Thesaur.* III. p. 24.) fuit *in vico Tusco*, videtur confudisse *signum Vortumni:* de quo agunt scriptt. *de Rom. vet.* Donatus II. 15. et Nardin. V. 5. nosque infra. De eo constat, fuisse *Veteres* in meridionali fori parte Septem Trionibus adversas. Nam *forum R.* inter et *comitium* erant *rostra*. V. *Lael.* 25, 10. Varro *R. R.* I. 2, 9. ex. secundum emendationem nostram ad 78. pr. propositam; Plutarch. in *C. Graccho* c. 5. ex. Ipsum *comitium* medium inter *rostra* et *curiam Hostiliam sub Veteribus* (v. P. Victor p. 43.) a Capitolio versus solis ortum hybernum. II. *Divin.* 12, 20. ex. Cf. Ill. Böttigeri *Prolus. ad l. Cicer. in Catil.* III. 8. 9. p. 15. s. repetita in Schlichthorstii Repertorio commentatt. scholastt. (*Magazin* etc.) II. 2. p. 426. in nota. Itaque praeter necessitatem e Dione LVI. 34. ex. in Sueton. *Aug.* 100. videtur correctum esse: *pro rostris veteribus.* Ferri potest *pro rostris sub Veteribus.* V. Gesner. in *Thes.* IV. 589, 31 — 49. qui supplet *curiis*, ut Salmas. *Exercitt. Plin.* p. 801. ss. Probabilius *tabernis* Drakenb. ad Liv. XLIV. 16. ex. Ioann. Gottfr. Sieber in Diss. I. *de argentariis* (Lips. 737. 4.) §. 13. Scheller in *Lex.* p. 11087. extr. n. 2) et p. 12254. itemque Görenz ad Cic. II. *Acadd.* 22, 70. qui quidem *Maenianorum*, quorum ibi fuit umbra, masculino genere dictum putat de hominibus, „qui ad Maenianam" [Maeniam?] „columnam frequentant." At neutro potius genere sic dicuntur ἐξώστ. V. Plin. XXXV. 10. sect. 37. pr. Vitruv. V. 1. de foro basilicisque §. 1. *In porticibus argentariae tabernae Maenianaque superioribus coaxationibus collocentur.* Ibi Schneider ad §. 2. citat *cod. Iustin.* l. VIII. *tit.* 11. pro *tit.* 10. *l.* 11. ubi dicuntur ἐξώσται: sed variat lectio. τὰ μετέωρα τῆς ἀγορᾶς dixit Plutarch. in *Galba* c. 26. Ceterum in Vitruv. V. 1, 5. ex. *Pluteum, quod fuerit inter superiores* [*et inferiores*] *columnas, item quarta parte minus, quam superiores columnae fuerint, oportere fieri videtur; uti supra basilicae contignationem ambulantes ab negotiatoribus ne conspiciantur*, vv. *et inf.* ab eruditiss. editore uncis inclusa nollem sanaque arbitror. Nec vero *pluteum* ibi i. esse videtur q. *pluteus*, i. e. θωράκιον, sed i. q. διάζωμα in Plutarch. *Pericle* c. 13. Vitruvius, ut mihi videtur, *pluteum* illud ad altitudinem comparat, atque istud definit ipsarum columnarum modulo. Cf. V. 7. ubi *pluteum* non interiectum columnis, sed *columnae super pluteum* esse dicuntur. Fortasse significantur a Tullio I. c. *Maeniana* basilicae *Semproniae pone Veteres*, aut *Porciae*, quae iuncta curiae Hostiliae (Plutarch. in *Cat. Mai.* c. 19. Liv. XXXIX. 44. Ascon. ad Cic. *Div. in Caec.* c. 15.) in Clodii demum funere a. V. 701. conflagravit. Ascon. *argum. in Milonianam* ed. Schütz. VIII, I. p. 528. Scena autem dialogi illius fingitur vivo adhuc *Catulo*, qui obiit a. 693. *Sub Novis* autem tempore fori frequentis sol molestus erat, ap. *subbasilicanis* (Plaut. in *Capt.* IV. 2, 35.), ad quos referimus Varronis fragm. ap. Nonium in v.

Porcas, emendatum a Schneidero ad Vitruv. V. 1, 1. *Non vides in publica porticu* (pro corruptela *nocte te*) *tabernas, qua populus ambulando perinde, ut in arato, porcas facit?* Videntur igitur *Novae* fuisse *Veteribus* oppositae hunc in modum |‾‾ , ut fuerint et ante basilicam Pauli (==) et in septentrionali fori parte (||) prope Cloacinae, ubi olim *lanienae*, e quibus argentarias factas, memoriae prodidit Varro ibid. II. 281. in v. *Expulsim*. Cf. Liv. III. 48. Si fides habenda Acroni ad Horat. *S.* II. 3, 8. *Ianus medius locus dictus prope basilicam Pauli, ubi vasa aenea vendundabantur vel locus in Rostris —, quia in Rostris simulacrum Iani erat, ubi res pecuniariae agebantur per feneratores. Iani statuae tres erant, ad unam illarum solebant convenire creditores et feneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fenus.* Statuas sciolus commentus est. De *Rostris* in partes vocari potest ipse Horat. *S.* I. 6, 120. s. ubi Cruq. e scholio haec habet: *Marsya* (cf. Martial. II. 64, 8.) *statua erat pro Rostris. — Minor Noviorum ad hanc statuam turpissime fenerabatur summo mane. Quare iocatur Horatius, inquiens, Marsyam alteram habere manum erectam* (cf. Serv. *ad Aen.* IV. 58.) *ad depellendum Novios, quod eorum feneratorum impudentiam non posset sustinere.* Sed aliter idem Acro ad Hor. *Ep.* I. 1, 54. *Duo Iani ante basilicam Pauli steterunt, ubi locus erat feneratorum. Ianus dicebatur locus, in quo solebant convenire feneratores.* Intelligit *basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem* (Plin. XXXVI. c. 15. sect. 24, 1.) in foro, pertinentem *usque ad atrium Libertatis.* Cic. *ad Att.* IV. 16. sect. 8. Vid. Bellorii fragmm. *Vestigii vet. Romae* in calce Tom. IV. Graeviani *Thesauri*, eorundemque tab. VI. cl. Io. Godofr. Richteri Diss. *de tabulariis urbis Romae* (Lips. 736. 4.) c. V. Teste Plutarcho in *Caesar.* c. 29. antea ibi fuerat basilica, quam *M. Fulvius censor locaverat post argentarias novas et* (post) *forum piscatorium, circumdatis tabernis.* Liv. XL. 51. qui de ead. regione cf. XXVI. 27. pr. Quod probe tenendum est, ne in errorem inducaris a P. Victore, a quo p. 50. enumerantur basilicae, et separatim quidem 2) *L. Pauli in foro* 17) *Fulvia.* Tacitus dixit *Aemilia monumenta* in *Ann.* III. 72. ubi v. Lipsius. Alia fuit praeterea basilica Pauli, quae volgo *Aemilia* nuncupatur, in *regione Templi Pacis*, i. e. *IV*. Haec Gesnero in *Thes.* I. 591, 68. ss. videtur significari a Statio in *Sylv.* I. 1, 30. *belligeri sublimis regia Pauli.* Non tamen dissentio ab iis, qui et ibi et in Plutarch. *Galb.* c. 26., ubi est ἡ Παύλου βασιλική, eandem illam *cum Phrygiis columnis* agnoscunt: modo in orientali fori parte collocetur pone Castoris (*ca**): et sic placuisse video Al. Donato II. c. 17. (in Graev. *Th.* III. p. 618. E.) collocanti eam *prope templum Faustinae.* Huic Statius vs. 29. opponere videtur *b. Iuliam*; sed videtur modo, hanc ad dextrum, illam ad sinistrum equi aenei Domitiani (*e**) latus ponens sic: *e** *ca**. Quod cum ille non animadvertisset, *b. Iuliam*

colli Palatino propinquam posuit. Non rectius (ib. T. IV. p. 1159. s.) Nardinus V. c. 5. ex. inter Vicum Iugarium et Tuscum ad Ecclesiam S. Mariae Gratiarum. At FVIT . INTER . AEDEM . CASTORIS . ET . AEDEM . SATVRNI. indice Oct. Augusto in monumento Ancyrano tab. I. à dextra l. 13. ss. In Hieronymi *chron.* Euseb. n. MDCCCCLXXI. ed. Amstel. 1658. p. 152. ad *Ol. CLXXXIII. Cai. Caesar. a. III.* (ergo 607. vel 608. a. V. c.) notatur: *Romae. basilica Iulia dedicata.* Ibi a Scaligero p. 157. B. profertur inscriptio haec: T. FLAVIVS GENETHLIVS . NVMVL . DE . BASILICA . IVLIA . NATIONE . BESS. Huic numulariorum in meridionali fori parte stationi convenit, quod praecipit Vitruv. V. 1, 4. pr. *Basilicarum loca, adiuncta foris, quam calidissimis partibus oportet constitui, ut per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negotiatores possint.* Quam autem idem §. 8. descripsit a se ipso exstructam *basilicam coloniae Iuliae, in qua tribunal fuit ita, uti, qui apud magistratus starent, negotiatores in basilica ne impedirent,* Blühdorn l. c. p. 837. n. 4. miro errore confundit cum *basilica Iulia* fori Romani. Caue etiam, ne confundas cum *basilica argentaria,* in qua omnem mundum muliebrem ex argento vendi solitum, e *Digestt.* XXXIV. *t.* II. l. 32. §. 4. ostendit Nardin l. c. V. 9. p. 1186. C. D. Vt testatur Scholiastes Persii ad *Sat.* IV. 49. *Feneratores ad Puteal Scribonii Licinii, quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum consistere solebant,* vel, ut Porphyrio ad Horat. *S.* II. 3, 18. *ad Ianum in basilica,* atque iterum ad *I. Ep.* 1, 54. *ad Ianos eos, qui sunt e* (sic citat Nannius *Miscell.* IV. 13. Sed volgatur *in*) *regione basilicae Pauli. Vnus enim illic Ianus in summo, alius in imo est.* Fuisse *arcum Fabianum in pede montis Romulei* (i. e. Palatini), *hoc est ante Sacram Viam ad templum Faustinae,* auctor est Trebellius de *Salonino Gallieno* c. 1. cum Tullio *p. Planc.* c. 7. ubi memoratur, locum illum in ima sacra via celebrem fuisse magna hominum turba. Ascon. ad *I. Act. in Verr.* c. 7. *Fornix Fabianus arcus est iuxta Regiam in Sacra Via.* Ibid. Anonymus Schol. a Gron. et Graevio editus: *Arcus est prope Vestam, Sacram ingredientibus Viam post templum Castoris.* Idem significant Ovid. *Trist.* III. 1, 29. ss. Martial. I. 71, 3. ss. IV. 79, 7. cl. Tacito *Hist.* III. 68. ex. *Regia* Numae erat in atrio Vestae ad radices Palatii et fines Romani fori. Ovid. *Fast.* VI. 263. Solin. c. 2. Servius ad *Aen.* VII. 153. VIII. 362. Ibi in Sacra Via habitabat Pontifex M., ut e Sueton. *Iul.* 46. docuit Lipsius *de Vesta* c. 4. Ad aedem Vestae, quam, teste Dione LIV., afflavit incendium, quo consumpta est illa Pauli basilica, profluens fons faciebat *lacum Iuturnae,* ad quem templum *Castoris* collocant Plutarch. in *Coriol.* p. 215. (cf. eiusd. *Aemil.* p. 268. Symmach. *Epistt.* I. 95.) Dionys. Hal. VI. c. 13. Valer. M. I. 8, 1. Lactant. *Instt.* II. 7, 9. Minuc. Fel. c. 7. p. 62.

ed. Gron. Iam vero Plaut. *Curc.* IV. 1, 20. *Pone aedem Castoris — ibi sunt, subito quibus credas male*, i. e. argentarii, qui, *ubi quid credideris, extemplo a foro fugiunt*, ut idem loquitur in *Pers.* III. 3, 29. ss. Eodem mittit nos Cicero *p. Quint.* c. 4. ex. Nam *ad Castoris* decidebatur de numorum pretio. Eidem *p. Sext.* 8, 18. *Puteali et feneratorum gregibus perculsus* dicitur, qui in vetere aere alieno vacillabat. *Puteal Scribonianum* s. *Libonis ante atria* (Libertatis? an Minervae?) collocat Pomp. Festus p. 487. A. ubi a Scaligero iam reiecta fuerant commenta illa, quae refovit Adler in *Beschreibung d. St. R.* p. 262. post Barth. Marlianum in *Vrbis R. Topogr.* XIII. 4. ex. (Graev. *Thes.* III. p. 107.) et Gesnerum in *L. L. Thes.* III. 1187. de tribunali praetoris, haud dubie e Porphyr. ad Hor. *Ep.* I. 19, 8. *Puteal Libonis sedes praetoris fuit prope arcum Fab.* et Acrone ad *Sat.* II. 6, 35. ubi v. Heindorf. Cf. I. A. Ernesti *Clav. Cic.* s. v. *Puteal* et I. H. M. Ernesti *Clavis Horat.* p. 111. cui praeluxit Salmasius in *Exercitt. in Solin.* p. 801. ss. (1138. ed. Paris.).

Iani nomen Ciceroni *N. D.* II. 27, 67. ductum videtur *ab eundo, ex quo transitiones perviae Iani nominantur.* Eandem originationem sequitur etiam Ovidius *Fast.* I. 125. s. quae perverse interpretatus est Gesner in *Thes.* II. 951, 83. ss. Recte vero 952, 20 — 66. facit cum iis, quibus *Ianus* intelligitur compitalicius, i. e. aditus e vico aliquo in forum R. Cf. Turneb. *Advers.* VI. 10. XXVI. 26. Improbabiliter autem *Ianum summum, medium, imum* sic distinguunt, ut velint esse partes unius Iani summam, mediam, in qua (nescio, quam multorum) *argentariorum* (publicorum, i. e. campsorum) et *feneratorum* mensae (τραπέζαι) fuerint, et imam. Sic cum aliis etiam Paul. Manutius ad h. l. Al. Donat. *de R. vet.* II. c. 26. ex. p. 647. D. E. Reiz *über d. R. Alterth.* p. 124. s. et Schütz in *Lex. Cic.* III, I. p. 66. s. Sed, ut spatiosissimus fuerit Ianus ille: quo pacto ibi mensariorum maximaeque urbis mercatorum et bibliopolarum greges sedere potuerunt? quo pacto aliorum civium innumerus numerus commode citraque coeli iniuriam hyeme atque aestate ibi convenire excipique potuit? Conspiciebatur talis Ianus marmoreus in foro boario paene integer adhuc aetate Borrichii, ut hic scribit in *Antiq. urbis R. facie* c. XV. §. 8. p. 37. (Graev. *Thes.* IV. 1542. D.) Etiam in foro Romano erutus est

latus quidam (*Arco di Giano*); sed videtur aedificium sequiori demum aevo ex aliorum reliquiis exstructum. V. *Kunstblatt* 1817. p. 24. quod Matutae additum supra p. 120. laudavimus. Videntur autem in eius modi transitionibus ipsi Iano arae dicatae fuisse. Namque M. Varro, cit. a Magio, literis consignavit, duodecim aras Iano fuisse in urbe dicatas, ut singulas singulae haberent regiones, duas vero prae ceteris cultas, alteram in foro boario, in Romano foro alteram ad arcum Fabianum. Antiquissimus omnium est Cicero, apud quem feneratores memorantur *in Iano medio* (*Phil.* VI. 5, 15. VII. c. 6. pr.) vel *ad Ianum medium*, ut ap. Horat. *S.* II. 3, 18. ubi recte Torrentius omnem illum inter duos Ianos locum *Ianum medium* appellatum intelligit et *tres* ibi Ianos fuisse negat, auctore P. Victore p. 51. A. *Iani quadrifrontes XXXVI per omnes regiones marmoribus incrustati et adornati insigniis militaribus et signis. Duo praecipui ad arcum Fabianum superior inferiorque.* Ergo *Ianus medius* vel simpliciter *Ianus* in Ovid. *remed. amor.* 561. est idem, qui in Horat. *Ep.* I. 1, 54. distinctius dicitur *Ianus summus* (ad arc. Fab.) *ab imo.* Hic *imus* videatur fuisse ad *Vortumni signum.* Nam Horat. ib. 20, 1. tabernas librarias significans, iungit *Vortumnum Ianumque.* Ibi Porphyrio: *Vertumnus in Vico Thurario sacellum habuit. Ianus quoque similiter vicus* (?) *est ab Iano gemino* (?) *sic appellatus, qui in eo arcum habet sibi consecratum.* Acro autem: *Vertumnus et Ianus dii sunt, qui praesunt negotiis ementium et vendentium, ante quorum templa* (?) *erant loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant.* P. Victor. p. 43. *Vicus Iugarius, idem et Thurarius, ubi sunt* [*arae, alias*] *arae Opis et Cereris cum signo Vortumni.* Pomp. Festus ed. Amstel. 699. p. 501. s. *Servilius lacus — in principio Vici Iugarii, continens basilicae Iuliae, in quo loco fuit effigies hydrae posita a M. Agrippa:* ubi ab interp. Vicus *Thurarius* confunditur cum Vico *Tusco.* At utrumque distinxit Liv. XXVII. 37. Nimirum per vicum *Iugarium sub Capitolio* (XXXV. 21.) aditus erat ad forum venientibus hinc a porta Carmentali (XXIV. 47.), illinc a Circo Maximo. Cic. *in Verr.* l. I. c. 59. ibique Ascon. *Signum Vortumni in ultimo vico Thurario est, sub basilicae angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem.* Ita quidem ad *Ianum summum ab imo* per totum forum duci

posset diagonalis hoc modo  totiusque fori ambitus utrimque et *sub Novis* et *sub Veteribus* diceretur *Ianus medius*. Tantum constat, feneratorum plus unam fuisse stationem: unde Cicero pro aere feneraticio *aes circumforaneum* dixit *ad Att.* II. 1. sect. 9. Cf. Budaeus ad *Digestt.* p. m. 196. s. Sext. Festus in Graev. *Thes.* III. p. 53. C. ubi haec in foro R. recensentur: *Puteal Libonis. Comitium. Schola Xantha* (? ?). *Liviae Porticus. Arcus Fabianus*, nihil de *Ianis*; sed valde mutilus est. Minus igitur errare videbimur, *Ianum medium* quaerentes *sub Novis ad Castoris.* Nam a P. Victore ib. p. 42. D. haec iunguntur: *Templum Castorum ad lacum Iuturnae. Templum Concordiae. Equus aeneus Domitiani Augusti* (de quo colosso v. notata ante e Statio). *Lacus Curtius* (in foro R. fere medio secundum Dionys. Halic. II. Liv. I. 15. VII. 6. pr.). *Atrium Minervae. Iulia Porticus. Arcus Fabianus. Puteal Libonis. Iani duo, celebris mercatorum locus. Regia Numae. T. Vestae cum atrio. T. Deum Penatium* (IN . VELIA. ex monumento Ancyr. t. I. ad dext. l. 7. τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω κατὰ τὴν ἐπὶ Καρίνας φέρουσαν ἐπίτομον ὁδὸν e Dionys. I.). *T. Romuli. T. Iani.* Ad hoc, quod S. Festus l. c. D. inter *basilicam Pauli* et *forum piscatorium* posuit, facilius crediderim, respicere Senecam in *M. Claudii apoc.* p. 852. quam cum Gesnero in *Thesaur.* II. 952, 58. ad *Ianum medium*. Haec qualiacunque, Candide Lector, plus operae habuerunt, quam ostentationis.

Tantae molis erat, medium Tibi condere Ianum!

CONSPECTVS RERVM LIBRI III.

I. Praefatione Cicero otium et solitudinem Scipionis cum suo otio suaque solitudine modeste comparat filiumque cohortatur, ut haec honeste vivendi praecepta et legat et accipiat (1 — 2, 6.).

II. Prolegomenis de pugna utilitatis cum honestate ita disputatur, ut non singula virtutum genera spectentur, sed honestum universum. Probatur igitur, numquam posse utilitatem cum honestate contendere: quidquid enim honestum, id utile esse; et contra: ergo non esse, sed videri esse repugnantiam (c. 2, 7—12, 49.). Hoc intelligitur 1) cum ex honestatis natura (c. 3. 4.) 2) tum ex natura utilitatis (c. 5. 6.).

1) Honestum enim summum bonum est. Qui summum bonum assecutus est, *sapiens* dicitur; qui autem aliquam modo ad virtutem fecit progressionem, is tamen volgo *vir bonus* appellatur. — Ita honesti duo genera sunt:

A) unum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis in eosque solos illud cadit officium, quod *rectum* appellatur;

B) alterum, quod communiter appellamus honestum, quasi secundum quoddam, colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt: quorum officia *media* sunt (4, 17.).

Igitur neque sapientes neque ii, qui conservatione officiorum (mediorum) existimantur boni, in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare solent. Viri boni autem, quorum sapientia perfecta non sit, dubitare possunt, quale sit id, de quo considerent. Quod ut sine errore diiudicare possint, formula quaedam constituenda est, quam in comparatione rerum sequantur.

2) Vtilitatis natura ut perspiciatur, videndum est, quae utilitas contra Naturam sit, quae secundum Naturam. *Contra* Naturam est, hominem hominis incommodo suum augere commodum. — Id colligi

potest partim ex Naturae ratione, quae est lex divina et humana; partim ex legibus populorum singulorum. Ergo *secundum* Naturam est, eandem esse utilitatem unius cuiusque et universorum, i. e. omnium utilitatem esse communem. — Vna igitur cum contineamur omnes et eadem lege Naturae: nulla hac in re ratio habenda graduum est societatis.

* Adduntur quaestiones quaedam, quae ad formulam propositam exiguntur.

Ex natura igitur cum honestatis, tum ulilitatis apparet;

A) nunquam utilia cum honestis pugnare posse; sed ea, quae videantur utilia. Haec vero ut sine errore diiudicari possint, si quando incidant, inducta est ea, quae videtur esse, non quae est, repugnantia (c. 7.).

B) omne honestum utile esse, et contra (8, 35.):

a) Quod enim honestum, aut solum aut summum bonum est; quod autem bonum, id certe utile: ita, quidquid honestum, id utile.

b) Quod utile, id secundum Naturam est. Turpitudo autem contra Naturam est. Quod igitur utile, id turpe esse non potest. Ergo, quidquid utile, id honestum.

C) quid fiat, si unum ab altero secernatur (8, 36.);

D) atque etiam, cum et virtus per se expetenda et vitium per se fugiendum sit, ex omni deliberatione celandi et occultandi spem opinionemque esse removendam (8, 37. c. 9.);

E) itaque non hoc deliberari, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem; sed illud, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter (c. 10. 11.). Deliberatur vero

a) vel a singulis aut in vita publica (10, 40. 41.) aut in vita privata: — quae in hac sit regula utilitatis (10, 42.), quae in amicitia (10, 43 — 45.);

b) vel a re publica.

III. Tertia libri pars ipsam continet dissertationem de utilitatis pugna, quae videatur esse *prudentiae* simulatione 1) contra *iustitiam* (c. 12 — 25.); 2) contra *animi fortitudinem* (c. 26 — 32.); 3) contra *temperantiam* (33, 116 — 120.).

(V. hanc totius dissertationis partitionem c. 25, 96. Contra Ciceronis mentem, ut videtur, Rath ita descripserat, quasi de *prudentia* separatim ageretur c. 12 — 17.)

Cum nunquam possit utilitas cum honestate pugnare (c. 3 — 11.):

1) ne cum *iustitia* quidem fieri potest utilitatis unquam dissensio. Ergo quidquid iustum, id etiam utile: nihilque utile, quod iniustum. Fieri autem solet,

ut prudentiam velit imitari astutia: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum iustis pugnare videantur. — Vtilitatis vero specie aliter boni viri afficiuntur, aliter improbi.

A) Boni viri deliberant, possitne utilitas cum honestate coniungi. Huius generis duo proferuntur exempla: unum de frumentarii Alexandrini (c. 12.), alterum de aedium venditoris reticentia (c. 13.). In eius modi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet; aliud Antipatro, discipulo eius.

B) Aliter conturbantur improbi. Hi non modo reticent, sed orationis etiam vanitatem adhibent, ut Pythius, hortulorum venditor (c. 14.). Idcirco

a) de dolo malo exponitur (14, 60. c. 15.).

α) Est vero dolus malus, cum est aliud simulatum, aliud actum. Quid ex hac definitione colligi possit? (§. 60.).

β) Iste dolus malus erat vindicatus (15, 61.)

a) et legibus, ut tutela mala, circumscriptio adolescentium, cet.

b) et sine lege iudiciis et arbitriis.

γ) Ex superioribus concluditur, tollendum esse ex rebus contrahendis omne mendacium (ib.) venditorique et emptori, si ad eloquendum venerit, non plus, quam semel, eloquendum.

* Laudatur Scaevolae factum, quod volgus boni quidem viri, non item sapientis fuisse fatetur (15, 62. s.).

b) Exponitur de reticentiis astutiisque, maxime in vendundis praediis (c. 16. 17.). Aliter leges tollunt astutias, aliter philosophi.

α) Leges tollunt astutias, quatenus manu tenere possunt (c. 16.): sancitum est enim

a) duodecim tabulis, ut ea praestarentur, quae essent lingua nuncupata;

b) et iure civili, ut vitia dicerentur, quae nota essent venditori, idque ex fide bona: unde a iure consultis reticentiae poena est constituta.

β) Aliter philosophi tollunt astutias, quatenus ratione et intelligentia tenere possunt (c. 17.). Ratio autem postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter, ne tum quidem, si neque more turpe habeatur neque aut lege sancitum sit aut iure civili (cf. c. 16.). Naturae enim lege sancitum est. Ab ea ipsa ducitur omne genus et societatis humanae et iuris. Iam vero secundum Naturam est, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. Ergo tollenda est malitia, quae simulatione intelligentiae facit, ut utilia cum honestis pugnare videantur.

Aliter autem *improbi*, qui omnia emolumentis metiuntur, aliter *viri boni*, qui ex iustitia nominantur, in deliberando iudicant.

𝔄) in vita privata, [ut in hereditatibus c. 18. 19.]

a) Improbis, qui volgo vel boni habentur, cum aliud utile, aliud honestum videri soleat, impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinent nulla iniuria (c. 18.): ut Crassus et Hortensius, cum Basili testamentum falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpae, alieni facinoris lucrum non repudiaverunt.

b) Boni autem viri, intelligentes, nihil utile esse, quod sit iniustum, neque impunitatem spectant neque ignorationem; nihil cuiquam, quod in se transferant, detrahunt; prosunt, quibus possunt; nocent nemini, nisi lacessiti iniuria; non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audent, quod non audeant praedicare. Haec est notio, quam habent omnes de bono viro, non modo philosophi, sed reliqui etiam omnes, quin etiam rustici (c. 19.).

𝔅) in vita publica (c. 20 — 22.)

a) improbi conturbantur in deliberatione, cum id, in quo violatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur. Idque fit

א) cum in honoribus petendis, in adipiscenda gratia populari: mentiuntur enim emolumenti sui causa, criminantur, fallunt (c. 20.),

ב) tum in potentia consequenda. Quam ut adipiscantur, omnia recta et honesta negligunt. Haec potentiae cupiditas turpissima est: ex ea enim paritur legum libertatisque interitus. Ad volgi quidem opinionem nulla maior utilitas, quam regnandi est; sed nihil inutilius ei, qui non iuste consecutus sit, inveniri potest, ob conscientiae labem, vitamque insidiarum plenissimam (c. 21.).

b) Boni contra nihil esse utile censent, quod iniustum. Ita Pyrrhi bello Fabricius et Senatus. — Si gloriae causa imperium expetitur, scelus absit; sin ipsae opes, non poterunt utiles esse cum infamia (c. 22.).

* Adduntur duodecim Stoicorum quaestiones varii argumenti (c. 23.), eorundem aliae ad pacta et deposita pertinentes (c. 24 — c. 25, 95.).

2) Nec cum *animi magnitudine* potest fieri utilitatis ulla unquam dissensio. Quod enim magno animo fit et excelso, id et honestum et utile est; contraque, quod timido animo fit, id, ut turpe, ita inutile est habendum. Duobus hoc illustratur exemplis:

A) Vtile videri poterat Vlixi, militiam subterfugere et Ithacae vivere otiose. Eius modi vero tranquillitas, quae animum timidum declarat quaque negligitur utilitas communis, cum honesta non sit, utilis esse non potest (26, 97 — 99.).

B) Regulus in Africa ex insidiis capitur. Iuratus mittitur ad Senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Vtile videri poterat Regulo, in patria manere, cet.; sed, utile esse, magnitudo animi et fortitudo negabat (26, 99. 27, 100.). Hoc Reguli factum explicatur copiosius:

a) quid fecerit Regulus (27, 100.);

α) reddi captivos, negavit esse utile;

β) ipse Carthaginem rediit ad exquisita supplicia, quia ius iurandum conservandum putabat.

b) quid contra Regulum dici possit (27, 101. c. 28.);

α) Stulte, qui de captivis dissuaserit (27, 101.).

β) Nihil est in iure iurando. Nam

a) nunquam nec irascitur Deus nec nocet (28, 102.).

b) Ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus (ib.).

c) Quod si, ne turpiter faceret, Regulus cruciatum subiit voluntarium, ut minima de malis: num tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus?

d) Nulla est fides, quae infideli data sit (ib.).

e) Quod per vim hostium esset actum, ratum esse non debuit (28, 103.);

γ) Stulte certe, qui susceperit causam, cum praesertim de captivis dissuasurus esset.

δ) Addunt etiam, quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non videretur (ib.).

c) quid possit responderi (c. 29. 30.):

α) Reddi captivos, Regulus patriae inutile putavit: nihil autem, quod inutile rei publicae esset, posse cuiquam civi utile esse (27, 101.). — De *utilitatis* nomine et natura (28, 101.).

β) De iure iurando exponitur.

a) In iure iurando non, qui metus, sed, quae vis sit, debet intelligi. Ad iustitiam et ad fidem pertinet (29, 104.).

b) Dolere non modo non summum malum, sed ne malum quidem est (29, 105.).

c) Nullum est maius malum turpitudine (29, 105. s.).

d) Videant, ne quaeratur latebra periurio (29, 106.). Est ius etiam bellicum fidesque iuris iurandi cum hoste servanda; non item cum pirata. — Quid sit *peierare*? (107. s.) — Adversus iustum et legitimum hostem ius fetiale et multa sunt iura communia. Quod ni ita esset, nunquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset (29, 108. 30, 109.).

e) Forti viro vis non potest adhiberi (110.).

γ) Quod Regulus causam suscepit, illud maximum in eo est (110. c. 31, 111.).

δ) Nihil utile, quod idem non honestum: nec, quia utile, honestum est; sed, quia honestum, utile.

[Rath in his argg. α et γ non distinxerat.]

*Laudantur maiores, qui nullum vinculum ad astringendam fidem iure iurando arctius esse voluerint (c. 31.): id quod indicent α) leges in duodecim tabulis; β) sacratae; γ) foedera; δ) notiones et animadversiones censorum; ε) exemplum M. Pomponii; ς) eorum, qui, quod fraude aliqua liberatos se esse iure iurando interpretati essent, graviter sint puniti, quia fraus astringat, non dissolvat periurium (c. 32.).

3) Nec *temperantiae* potest utilitas unquam esse contraria (33, 116.). — Si vero cum Epicuro omne bonum, ergo utilitas etiam, et quidem summa, vitaque omnis beata in voluptate ponitur: certe haec utilitas cum honestate pugnabit. (33, 116. s.). Tollit enim voluptas omnem virtutem, quam censet Epicurus ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis; tollit igitur et *prudentiam* et *fortitudinem* et *temperantiam* (117.). Haec tamen tria genera aliquo modo expedit Epicurus. *Iustitia* autem omnesque huic coniunctae virtutes leniores nullae esse possunt, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem referantur (118.). Omnis igitur voluptas honestati est contraria. Quo magis reprehendendi Callipho et Dinomachus, qui cum honestate voluptatem copulaverunt (119.).

IV. Epilogus (33, 120.).

EPICRISIS.

E παραδόξοις, i. e. *mirabilibus*, Stoicorum est, quod hoc libro explicatur et asseritur philosophiae decretum: *quidquid honestum est, idem utile; nec utile quidquam, quod non honestum* (4, 20. 33, 119. pr.): quam regulam ipse Noster in vita sequebatur. Vid. *Epist.* V. 19 (20.), §. 5. 6. Eandem sententiam et formulam tuetur Bened. Spinoza *Ethic. P.* IV. *def.* 1. *prop.* 20. *Quo magis unus quisque suum utile quaerere, h. e. suum Esse conservare conatur et potest, eo magis virtute praeditus est.* Nimirum, quidquid honestum est, ex eo honesta nascuntur et crescunt; ipsum per sese conducit et prodest ad sui ipsius incrementum, et sui similia propagat: ergo *absolute utile* est. Multa sunt autem *comparate utilia*, i. e., in solo usu posita, referuntur ad aliam quandam rem, eius ope consequendam: proinde eiusdem rei, prouti ea utare, utilitas est mutabilis. V. Exc. Krugii *Aesthet.* §. 7. n. 2. Honestumne sit illud, quod utilitatem habet, necne: id vero pendet a consilio honesto, quod, illo utentes, anticipamus et persequimur. Omnino enim *utile* dicitur, quoquo *utare*; quidquid expedit: perinde est, cuinam usui. Hinc recte dicere potuit Aristides, *perutile esse consilium* Themistoclis, *sed minime honestum* (49.). *Sed ea utilitas nulla erat, repugnante honestate* (48. ex.), quippe quam consequatur (vera et absoluta) utilitas (4, 19.). Haec vincat, necesse est, illam, quae videtur esse, non est, utilitas. Nam lucrum malum aequale dispendio, ut ait Hesiod. Ἔργ. 352. κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν. In quam eandem sententiam Erasmus in *Adag.* 2252. p. 700. ed. Froben. laudat aliquot senarios proverbiales: e. g. Κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει, et τὰ δ' αἰσχρὰ κέρδη συμφορὰς ἐργάζεται. Idcirco, *ullam pestem maiorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxissent*, atque ita ipsum de *utili* et *inutili* iudicium corrupissent, Socratis exemplo (3, 11. ex.) negabat Panaetius (7, 34.) et cum reliquis Stoicis Cicero II. 3, 9. s. *Nam, qui hoc non perviderit, eandem utilitatis, quae honestatis, esse regulam, ab hoc nullam fraudem abfore, nullum facinus*, credit

III. 18, 75. e. 28. pr. 8, 56. 17, 52. Sed recte Garve ad l. II. p. 12. s. et ad l. III. p. 17 — 23. contra monuit, fraudem et malitiam sapientiae et prudentiae substitui non, quod cogitandi subtilitas notiones utilitatis et honestatis vere et innocenter distinxerit, sed quod hominum perversitas ea, quae volgo utilia putantur, caeca quadam admiratione nimis cupide appetat. Etenim *comparate utilia*, quorum, si quando aliud alio utilius vel plura aeque utilia fuerint, fieri potest comparatio et pro arbitrio delectus, cum absolute utilibus, quorum nulla admittitur comparatio, nullus pro arbitrio delectus, sed quae necessario expetenda sunt, confundunt. De ceteris omnino negari nequit, emolumenti et commodi ex actione suspensi cogitationem efficacissimum esse officii incitamentum, quo appetitus, quem sapientia gubernat, movetur et ad parendum pronior redditur; verum tamen sic non tam ad honestatem rapitur, quam ad fructum suum. Itaque etiam contra nulla pernicies maior hominum vitae potuit afferri, quam si, utilitate cum honestate confusa, omnis virtus quaeratur in prudentia utilitatumque inveniendarum ac comparandarum solertia. Haec enim honestatem sive utilitate vera sive utilitatis specie metiendi ratio quid est aliud praeter eudaemonismum, genuinae virtuti inimicum? Miror igitur, quid in mentem venerit acutissimo Tiedemanno in *Dialog. Platon. de re publ. l. II. argumento* p. 179. s. cui, ut, *dempta omni prorsus utilitate, iustitiam iniustitiae esse praeferendam*, demonstretur, id fieri nullo posse modo videtur, et, si posset fieri, cum gravissimae et ad hominum animos efficacissimae rationes ex utilitate petantur, corporis autem cruciatus, omnium rerum inopia, fames, infamia, quaeque alia iusto saepe eveniunt, animi illam e iustitia manantem voluptatem longe superent, in disciplina morum haud multum his argumentis profici. Ipse tamen, recta natura victus, verissime fatetur, esse utique iustitiam per se hominibus gratam, ut, qui maximas adepti sunt per iniuriam opes, qui ad summos pervenerunt honores, etiam si, neminem eius rei esse conscium atque fore, ut omnem a Deo hominibusque poenam subterfugiant, sibi persuaserint, malint tamen haec omnia se iure consecutos nec omnem sui reprehensionem queant effugere: esse enim eam hominum naturam, ut nemo, quae iure possit, iniuria cupiat adipisci. Quod si ita est, eam demum genuinam honestatem esse agnoscimus, in qua expetenda virtus sibi constat, etiam si nulla *utilitatis* spe aut cupidine ducatur perhorrescatque pericula acerbissimorum dolorum, nullo fructu compensandorum. Expetitur enim τὸ ἀγαθὸν, non ἐπιγέννημα τοῦ ἀγαθοῦ. V. n. ad I. 2, 6. p. 13. s. Volgares quidem homines officiis mediis exercendis emergunt e miseria peccati enituntarque ad summum bonum, i. e. ad virtutem: quae animi affectio utilior est, quam ipsa vita (§. 29.). Sapientes autem officiis perfectis funguntur, nulla utilitate proposita. Virtus enim,

in qua summum bonum positum est, nec crescere nec minui nec amitti potest. Sed secundum virtutem agunt propter id ipsum, quia boni sunt. Scite igitur Cicero: *non modo pluris putare, quod utile videatur, quam, quod honestum, sed haec etiam inter se comparare, turpissimum est.* 8, 37. 40. pr. 12, 49. idemque c. 10. pr. volt, *ut utilitas valeat propter honestatem:* non contra (c. 30. ex.). N. quidem T. praeceptis de moribus σωτηρία ψυχῶν, quae est summa utilitas, cum officio atque honesto arctissime suapte natura connectitur. *Rom.* 6, 22. *Timoth.* I. 6, 6. Iacob. 1, 25. Petr. I. 1, 9. et Lactant. VI. 17, 9. 10. 12. disputat, efficiendum esse, *ut affectus, quibus prave uti vitium est, dirigamus in rectum,* et 15. *Nos — omne officium solius animae conservatione metimur.* Sed, qui non, nisi salutis aeternae causa, officio fungitur nec scelere se contaminat, poenam turpitudinis metuens, is se ipse non praemio quidem proposito, at fructu tamen mercedis privat: exstinguit enim in se gratum animum, qui praemio illo contentus fruatur: ut docetur elegantissima illa parabola de vinitoribus ap. Matthaeum 20, 6 — 12.

M. TVLLI CICERONIS
DE
OFFICIIS
AD
MARCVM FILIVM
LIBER III.

1 I. P. *Scipionem*, Marce fili, *eum, qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum*, scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, „*nunquam se mi-*

C. I. §. 1. *appellatus sit*] Sic pro volg. *app. est* cum Cokmano editur e Bern. Gu. 1. 2. 4. μ, MSS. C. Langii et F. Fabritii itemque e Nonio IV. c. 4. et 11. in vv. *Aequalis* et *Appellare*. Gottleber putat, in tali structura Accusativi cum Inf. post *is* pron. *qui* non iungi Coniunctivo, cll. 96. pr. I. 9, 28. p. 62. s. et Gernhardi censor in *Heidelb. Iahr-Büch. der Lit.* 1812. n. 3. p. 41. notat, explicationem hanc ab ipso Cicerone esse interiectam; nam Catoni, qui ne nosset quidem, alterum eodem agnomine ornatum, vix recte tribui potuisse. Nos quidem ea de re ambigimus. Nam non ab *Africano Minore* superiorem illum domitorem Africae hic distinguit, sed ab aliis imperatoribus, qui insignes imaginum titulos claraque cognomina familiae fecere exemplo P. Corn. Scipionis, qui vastata Annibalem Italia in Africam revocatum devicerat et Punici belli perpetrati unus praecipuam gloriam tulerat. Liv. XXX. ex. XXXVIII. 53. ex. Valer. M. III. 7, 1. Haec autem ostentatio historica et chronologica admodum convenit Catonis senis ingenio, qui Scipionis, Proconsulis a. V. 549. Quaestor fuerat. Liv. XXIX. 25. Plutarch. in *Cat. Mai.* c. 3. Ordinem volg. *qui fuit fere eius* mutavimus cum Bern. Gu. 2. et Gryph. Nam *fere* statim applicari solet ei notioni, quam vagius definit.

nus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset." Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna! quae declarat, illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret. Ita duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem dicere liceret; sed, si minus imitatione tantam ingeni praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. Nam et, a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti, otium persequimur et ob eam causam, urbe relicta, rura peragrantes,

---

E Gu. 1. mallet Gernh. *qui fuit ei fere.* Sed *aequalis* sic substantive fere cum Genitivo iungitur. V. Scheller in *Lex.* s. v. extr. p. 452. In verborum lusu *otiosus* primo loco est is, qui *otio*, quo abundat, ad desidiam abutitur, *solus* autem, cui solitudo molesta est, ut extr. cap. item solitudinis taedium significatur in vv. *a solitudine abstrahamur.* Altero autem l. hic proprie intelligitur ipsa huius languoris occasio. Deinde Gu. 3. transp. *et magno ac sapiente viro*, Bremi ex Hottingeri versione vv. *ac sap.* (nescio, quo consilio) exclusit. In al. libris est *et sap.* Sed partt. illae sic se excipiunt *Fin.* IV. 22, 61. *leges etiam et instituta ac mores.*

acuebant] Metaphoram, a cote ductam, in hoc v. usurpavit Terent. *Adelph.* V. 3, 49. observante Westerhovio in *Addend.* II. p. 227. b. — *Dicere* hic i. e. q. *gloriari*, quae vv. promiscue posita vidimus II. 59. A librariis ante hoc v. intruditur *vere*, ut I. 75. ex. *Fin.* II. 31, 102. ubi v. Gör. p. 275. a. qui ibid. V. 27, 80. pr. *Dixerit hoc idem Epicurus* explicat *das Nämliche.* Cf. *Cat.* I. 8, 21. pr. *Phil.* V. 7, 19. In sqq. *arma impia* sunt Antonii, qui tum satellitum agmine stipatus in curiam ventitabat et senatum armatorum corona septum tenebat. *Phil.* II. 8, 19. 44, 112. V. 7, 17. s. Propterea Cicero *otium persequebatur*, i. e. in perpetuo otio erat, *urbe relicta*, *rura peragrans.* Erant autem quatuordecim Ciceronis villae et praedia in Italia. Ex his memorasse sufficiat nobile illud *Tusculanum* prope a Roma, maritimum *Asturae*, ubi interfectus est, *Albanum* et *Antias*; denique *Formianum*: de cuius ruinis ipsiusque Ciceronis sepulcro, cuius imago aeri insculpta exhibetur, non sine delectatione

2 saepe soli sumus. Sed nec hoc otium cum Africani otio nec haec solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et a coetu hominum frequentiaque interdum, tamquam in portum, se in solitudinem recipiebat. Nostrum autem otium negoti inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Exstincto enim senatu deletisque iudiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia aut in foro
3 agere possimus? Ita, qui in maxima celebritate

---

legentur Fridericae Brun *Episoden aus Reisen durch das untere Italien*, Vol. IV. (Pesti et Lips. 1818. 8.) ibique p. 320. ss. ipsius, qui nunc possidet, de hac villa epistola principis *Caposele de Ligni*. Descripsit etiam Lipsius in l. a Seebodio edito, *Krit. Biblioth.* Hildes. 1819. Vol. II. P. II. n. 8. p. 795. ss. Ad secessum rusticum in *Puteolano* prope Neapolin (de quo v. Plin. XXXI. c. 2. sect. 3.) spectant etiam illa, quae de his περὶ τοῦ καθήκοντος scripsit *ad Att.* XV. 13. ad fin. *Exstabit opera huius peregrinationis:* quibus Binkes p. 9. opinabatur significari iter in Graeciam, de quo infra 121. In *Laelio* 27, 9. ex. explicative iunguntur *peregrinationes rusticationesque.*

§. 2. *nec hoc otium*] Hunc volg. ordinem contra Gernhardum, cum ll. non nullis *nec otium hoc* transponentem, recte tuetur V. D. in Heidelbergensium annal. literar. 1812. n. 5. p. 42., quod pron. demonstrativum, ἐμφατικῶς positum ideoque e modo dictis explicandum, nisi prospectet ad pron. relativum omninoque ad id, quod sequitur, soleat praecedere, comp. *Acad.* I. 3. 11. *oti oblectationem hanc honestissimam iudico:* quo tamen exemplo Gernh. potius in suam rem uti posset. Sed vocabulis *nec otium* interposuit scriptor pronomen, ne confluerent in unam *negotii* notionem. — *Exstincto senatu*, i. e. erepta auctoritate consilii publici exclusaque libertate sententiam dicendi. Vrbe cesserant praetores Brutus et Cassius. V. Plutarch. in *Cicer.* c. 42. ex. in *Antonio* 15. pr. et in *Bruto* c. 21. Hinc *deletisque iudiciis* adiicitur, in Gu. 1. autem omissa copula *que*, idque gravius ad Gernhardi sensum, verae elegantiae haud ignarum. Verum tamen retinenda propter concinnitatem, cum sequatur *aut in curia aut in foro.*

§. 3. *in m. celebritate*] Non minori clientium frequentia celebratam esse Ciceronis, quam Crassi divitiis ac Pompeii militari laude praestantis, domum, testis est Plutarchus in vita c. 8. ex. Cf. *de senect.* 4, 6. *Nec vero ille in luce modo*

atque in oculis civium quondam viximus, nunc fu-
gientes conspectum sceleratorum, quibus omnia red-
undant, abdimus nos, quantum licet, et saepe soli
sumus. Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus,
*non solum ex malis eligere minima oportere, sed
etiam excerpere ex ipsis, si quid inesset boni:*
propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debe-
bat is, qui quondam peperisset otium civitati, nec
eam solitudinem languere patior, quam mihi affert
necessitas, non voluntas. Quamquam Africanus 4
maiorem laudem meo iudicio assequebatur. Nulla
enim eius ingeni monumenta mandata literis, nullum
opus oti, nullum solitudinis munus exstat. Ex quo
intelligi debet, illum mentis agitatione investigatione-
que earum rerum, quas cogitando consequebatur,
neque otiosum nec solum unquam fuisse. Nos au-

---

atque in oculis civium magnus. Opp. h. l. *fugientes conspectum.* Citatur l. a Nonio in v. *Redundare.* Volgabatur deinde *excerpere ex his ipsis.* Pron. *his* cum Ascensio expunximus auctoritate Bern. Gu. 1. 2. 4. μ et trium MSS. Görenzii, qui ad *Fin.* II. 28, 93. p. 261. a. vindicavit librorum lectionem I. *Or.* 7, 28. *ipsa aquula, quae describitur,* contra Schützii in novissima etiam ed. correctionem: *ista.* — Post *non illo* part. *quidem* notat *freylich.* Tum pro *quo debeat* (frui) *is* restituimus e duobus ll. Aldi atque edd. Lipss. a. 507. et 513. *debebat,* quod placuerat Gesnero in *Chrestomathia Cic.* CXXIV. extr., Ernesto, I. M. Heus. et Reizio. Cf. *Divin.* II. 43, 91. med. Sic *Or.* 51. pr. e Gu. 3. *Omitto Isocratem ... et Naucratem: quamquam ... auctores locupletissimi ... esse debebant.* Similiter I. 9, 28. ex. *Aequius erat.* II. *Att.* 1. sect. 6. m. *si omnes, ut erat aequum, fauerent.* *Catil.* I. 1, 2. ex. 4, 9. II. 2, 3. pr. *Rosc. Am.* 19, 53. *oportebat.* V. Baumgaertneri *Lat. Grammat.* (Solisbaci 1819.) §. 631. Desiderat autem Cicero *otium cum dignitate.* Cf. *Or.* I. 1, 1. *Brut.* c. 2. Causam, cur sibi hoc debeatur, indicant vv. *qui — peperisset:* de quo Coniunctivi post relativum usu cf. 68. de ipsa re I. 77. Audacia quadam propter concinnitatem oppositionis dicitur *eam solitudinem languere patior* pro *fieri, ut ea solitudo languorem mihi afferat, patior.*

§. 4. *neque otiosum nec solum*] Sic F. Heus. e Nonio in v. *Consequi* pro *nec otiosum,* quod retinuit Schütz.

tem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura brevi tempore, eversa, quam multis annis, stante, re publica, scripsimus.

II. Sed cum tota philosophia, mi Cicero, frugi-

Cf. ad II. 16, 56. p. 109. Deinde *eversa* dicitur res publica, cui leges ereptae sunt et libertas. Sic tyranni dicuntur τὰς πόλεις καταστρέφεσθαι, e. g. in Isocrat. *Panegyr.* c. 22. ubi v. Mori nota *t*). Cum praeter ll. *de re publica* et *de legibus* atque *Hortensium* cetera Ciceronis philosophica omnia unius anni paucorumque mensium spatio absoluta et in publicum emissa esse constet, Goerenz in *Intröd. ad Cic. de Fin.* p. XII. s. et Schütz in *ll. de N. D. summario* p. 25. s. disputant, virum consularem tot varii generis scripta tantillo temporis spatio non sic elaborare potuisse, ut ipsam materiam eorum multiplici accurataque lectione parandam, eodem isto tempore congereret; sed dudum coepisse sibi colligere materiem, quam librorum suorum argumento inclusurus esset. Huius rei indicium reperitur in *Acad.* I. 3, 11. pr. cuius tamen ambiguitas animadversa est a Schützio. Omnino aliam vv. illa interpretationem admittunt, si comparaveris cum *Off.* II. c. 1. ex. Görenzio autem ne hoc quidem probabile videtur, tot librorum materiam scriptori indigestam adhuc in adversariis iacuisse, et tum demum a primis lineis esse inchoatam simul et absolutam: imo potius, cum ad libri cuiusdam argumentum satis collegisse videretur, tum statim rebus ad ordinis legem astrictis orationis formam quandam et colores induisse et aptasse: cuius rei documenta sint et libri *de legibus*, prima auctoris manu, ὡσεὶ πρόπλασμα, scripti, et *Academica*, quorum forma ter mutata, bis diversa edita sit. Hoc quidem verum est; sed perridiculi videntur, qui non verecundantur sui ingenioli, difficulter et aegre parturientis, sterilitate metiri studia *hominis, facile laborantis*, qui ipse de philosophicis suis haec scripsit *ad Att.* XII. *ep.* 52. ex. *ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt: verba tantum affero, quibus abundo*, i. e. Gronov. interprete: *tantum verto de Graecis et prope modum describo. Ideo magnae meditationis non sunt.*

C. II. §. 5. *cum — sit: tam — est*] Quod Goerenz ad *Leg.* II. 14, 36. p. 157. affirmaverat, post *cum* pro *licet* ante Coniunctivum positam, sic sequi *tum, et tamen* cogitetur, id cum negasset Gernh., ille sententiae suae vindex exstitit ad *Fin.* III. 15, 50. p. 376. s. et eamque explicat vel tergiversans potius mutat hoc modo: *cum — tum* propria vi sua valere *wie — so*. Ubi vero

fera et fructuosa nec ulla pars eius inculta ac deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est nec uberior, quam de officiis, a quibus

---

cum notet *obwohl*, *obgleich*, *wiewohl*, antique *dawohl*, post seq. *tum* omitti solere *tamen*, notantem *doch*: quae ubi expresse addatur, ibi valere *gleichwohl*. Ex Gernhardi autem, utramque rationem subtiliter distinguentis, sententia, quam Gör. sic interpretatur, quasi hic ipsam *tum* valere *tamen* dixisset, post *cum*, sequente Coniunctivo, *tamen* prioris sententiae vim quodam modo temperat et minuit, opposito eo, quod sit illi certe ex parte contrarium. *Ep.* I. 2, 11. ex. [add. *Fin.* V. 23, 67. pr.] *Tum* alteram sententiam auget addendo eo, quod prae priore spectandum sit (*Epist.* XV. 9. [non 8.] §. 3. pr.), ut h. l. sensus sit: *tota philosophia frugifera est in primisque locus de officiis*: ex priore autem ratione, si pro *tum* ex Cur. Ven. 502. aliorumque corruptela legatur *tamen*, hic: *Tota quidem philosophia frugifera est, non omnes tamen eius partes aeque frugiferae, sed ea, quae est de officiis, uberior.* Gör. quidem deceptum Gernhardum putat ex eo, quod non scripserit: *non tamen omnes.* „Sic tertio loco," inquit, „*tamen gleichwohl* notat." At vero hoc ipsum voluit Gernh., quantum nos quidem ex V. D. verbis intelligimus. Vbi vero aliquid confirmatur, ita tamen, ut etiam iis, quibus illud quodam modo elevari videatur, locus detur, duplicem hunc respectum indicant partt. *cum — tamen*, ut *Fin.* III. 15, 50. ex. *Brut.* 64, 228. (Sisennae historia) *cum facile omnes vincat superiores: tum indicat tamen, quantum absit a summo*: cuius loci rationem sic expedit Gernh., *tum* videri prospicere ad aliquid, quod non minus, quam *superiores*, Sisennae postponatur historiae; sed, cum id ipsum summum sit et absolutum, a quo ipsa illa multum absit, sequi *tamen*. Görenz autem, ut hunc locum suae rationi aptum consentaneumque esse doceret, vertit: *so zeigt doch gleichwohl*, monens, ex nostro etiam idiomate *doch* omitti licere. Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν! Ergone ibi etiam, ubi *tamen* reperitur expresse addita, *tamen* alia potestate subauditur? Ceterum interdum ipsa omittitur *tum*, ut in consimili l. I. 2, 4. De Coniunctivi post *cum*, cui respondet *tum*, ratione cf. *Epist.* VI. 4, 4. ex. Aug. Matthiae ad *or. p. Rosc. Am.* 6, 16. pr. Creuzer ad *N. D.* 1. n. 1. et p. 713. Sequente autem Indicativo, *cum* et *tum* iungunt universalia et particularia omninoque suapte natura cohaerentia, quorum alterum ex altero colligi possit, (e. c. I. 119. ex.) minime vero, ut V. D. in Heidelb. annal. liter. 1812. n. 3. p. 42. definit, opposita, neque, ut Gör. ad *Fin.* I. 16, 50. p. 70. a., diversa. Observante Hermanno ad Viger. §. 314. *cum* causam in-

r)

constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur. Quare, quamquam a Cratippo nostro, principe huius memoriae philosophorum, haec te assidue audire atque accipere confido, tamen conducere arbitror, talibus auris tuas vocibus undique circumsonari nec
6 eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant; tum haud scio, an nemini potius, quam

---

dicat, qua fiat, ut id, de quo in altero membro *tum* dicitur, verum sit. Hinc etiam in gradatione, quae prioribus consequenter fit, usurpatur §. 6. pr. *p. Sext.* 1, 2. pr. Gellius XIII. 26. pr. *Ibi scriptum est, cum multa alia ad bonam frugem ducentia, tum, vel maxime quod esse haereatque in animo debet.*

constanter h. vivendi praecepta] Cf. II. 2, 6. ex. de *Cratippo* ib. c. 2. ex. et Plutarch. in *Cicerone.* c. 24. *Huius memoriae*, i. e. *huius saeculi* v. *hominum, quos ipsi meminimus.* Cf. *Acad.* II. 35, 113. *acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum.* I. *Or.* 2. *multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum.* Gellius I. 22. *homo in nostra memoria doctissimus.* XIX. 12. *omnis memoriae nostrae universos — praestitit.* — Deinde cum v. *audire* iunctum *accipere* i. e. q. *discere.* Tum volgabatur *circumsonare*, quod non posset non accipi active pro *curare, ut circumsonentur aures.* Pearce existimat intransitive dici *tuae aures vocibus circumsonant*, comp. Liv. XXXIX. 10. Sed sic satis ridicule vocis imago repercuteretur ab auribus circumsonis. Vt exeat sensus, a Gesnero in *Thes.* I. 925, 24. expressus, *frequentissime tibi haec inculcari*, correximus *circumsonari.* Cf. Ovid. *Trist.* III. 14, 47. IV. 10, 111. V. 3, 11.

§. 6. *omnibus est faciendum*] Gu. 1. non male *est* omittit, quod 3. mutat in *sit.* Modestior formula *haud scio, an nemini*, exceptionem quandam admittit, ut Pompeii et Catonis filiorum: de pluribus modo dubito. Subauditur enim alterum disiunctionis interrogationis membrum, idque pugnans, i. e. contrarie oppositum: *an non nemini*, ut sensus sit, *vix alii cuiquam, certe non multis potius, quam tibi.* Sic in *or.* c. 5. pr. *non saepe, atque haud scio, an nunquam*, ubi [illegible] plerique: *unquam.* Sin dixisset, *haud scio, an alii potius*, plurium exceptionem confidenter excluderet, quis etiam de ulla omnino dubitaret, ut Seneca *Controv.* I. III. *prooem.* Bip. p. 198. *Splendor orationis, quantus nescio an*

in

quam tibi. Sustines enim non parvam exspectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, non nullam fortasse nominis. Suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi: ad quos cum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire, turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. Quare,

---

in nullo alio fuerit. Hic enim subauditur interrogationis membrum disparatum, h. e. contradictorie (μετὰ μάχης τελείας) oppositum: *an in nullo alio.* De utriusque oppositionis ratione v. Quaestio nostra *de formis cogitandi disiunctt.* §. 1. cum *nota* 3. et §. 8. Cf. Geo. Ph. Schuppius in *Philologisch-krit. Untersuchung üb. d. Redensarten: nescio an ullus, und nescio an nullus,* Hanoviae 1820. 8. pp. 30. qui, aliorum inventis usus, sua tamen propria laude non caret: ut statim hac in re Viro D. assentimur, quod §. 5. p. 15. ss. formulam istam non per attractionem quandam, ne a nobis quidem agnitam, cum T. I. p. 337., non ubique sic expediri posse, monuerimus, explicat, sed per Ellipsin oppositi interrogationis membri: quam ipsam rem p. 336. nutu certe significaveramus. Non tamen hac quidem de re persuasimus Dölekio, qui suam sententiam; quam nos calumniatos esse criminatur, cum nostra in ceteris plerisque conciliare voluit in Seebodii *krit. Biblioth.* a. 1820. Vol. II. P. VI. n. 12. p. 1010 — 1013. Itaque illuc in rem praesentem Aequos Lectores, si quorum interest, ablegamus, ut suis Ipsi oculis usurpent. Nobis quidem in nostra causa arbitris esse non licet. Variandae orationis gratia deinde part. *fortasse*, ut in *or.* c. 5. ex., modestiam prodit: *non nullam fortasse nominis*, intell. *nostri imitandi* (quod v. per Zeugma huc refertur itemque ad honores, quos consequi eosdem debet filius) *exspectationem sustines.* Aberrat igitur Degenii opinio, Ciceronem propterea sic locutum, quod filio diffideret atque ipse dubitaret fore, ut hic patris nomen aemularetur. Cf. II. 44.

onus — Athenarum] ut e seqq. patet, est *onus, quod Athenae imposuerunt.* V. de Genitivo, sic active posito, ad II. 5, 16. p. 35. Onus autem susceptum non perferre ad finem propositum, sed, cum fatigatus fueris, deponere, est animi mollis, de sese desperantis, atque ignaviae, inertiam suam et nequitiam fatentis. *Athenas* vero Ἑλλάδος μουσεῖον, Ἑλλάδος Ἑλλάδα Athenaeus, Isocrates, Plato, Aristides celebrant, Cicero I. *or.* c. 4. *omnium doctrinarum inventrices:* ubi sit *domicilium studiorum* (III. *de or.*): Ut Isocrates in *Paneg.* c. 41. dixit καταισχύνειν τὴν παίδευσιν: sic hic *dedecorare auctoritatem urbis*, quae, ut ait

quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor est potius, quam voluptas), tantum fac, ut efficias: neue committas, ut, cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare. Sed haec hactenus: multa

---

Corn. Nepos XXV. in *Att.* 3. ex., *antiquitate, humanitate, doctrina praestet omnibus* plurimisque exemplis videatur adhortari ad laudis aemulationem discendo animumque excolendo humanitatis studiis. Cf. l. I. pr. — Vv. *conniti* et *labore contendere* innuunt, τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, ut ait Simonides fr. 14. Cf. Hesiodea illa, ad I. 128. p. 251. laudata. Ad seq. Gerundium *discendi* Gernh. ex antecedd. subaudire iubet *labor* atque iniuria vituperat Heuss., expressum nomen *labor* duplici ratione accipientes sic, ut et tamquam Subiectum cum Genitivo iungatur et Praedicati loco sit. Sed v. not. ad I. §. 41. p. 103. Eadem ratio est rell. exemplorum, h. l. 84. pr. *Or.* II. 84, 341. pr. III. 58, 155. pr. *Epist.* X. 3, 8. ubi cf. Corte. Similis parenthesis est *p. Quint.* 15, 50. ex. Vid. ad I. 113. p. 241.

neue committas, ut] Gu. 1. 2. 5. μ, ψ, Magont. Lips. 507. et 513. atque alia s. l. et a. adiiciunt *ne*, Goth. *nec*, nimirum solennes corruptelas praecedentis part. *neue*, quam hic repetit Gu. 4. diremptis vocc. *ne ve.* Itaque II. 73. pr. pro volg. *neque* recte restituisse videmur *neue*, Aldi libris tribus *nec*, uno *ne*, uno *non* exhibentibus. Pariter I. 85. p. 195. ubi pro *nec*, quod correctori Gu. 2. debetur, omnes rell. *ne* habent, restituendum *neue reliquas — deserant*, sero cognitus nos docuit Gernhardi censor in Heidelberg. annal. liter. 1812. n. 3. qui tamen, si recte intelleximus, quid sibi velit, p. 42. hic probare videtur ut *ne*, quod ferri nequit. Harum enim partt. Ellipsis explicanda foret sic: *neue committas, ut* caueas, *ne — videare*. Legitur *committere, ut* 5, 23. ex. I. 81. pr. 83. pr. II. 90. *Att.* XIII. 45. post in. *p. Quint.* c. 16. m. Cf. Schützii *Lex. Cic.* s. v. p. 297. n. 4. — *Cum omnia suppeditata sint a nobis*, np. *ad usum et cultum copiose* (*Att.* XIV. 11.), i. e. *cum non modo liberaliter a me, sed etiam ornate lateque tractatus sis* (ib. XV. 15. ex.). Ceterum *annuos sumptus huius peregrinationis accommodatos esse ad mercedes Argileti et Aventini*, i. e. *ad fructum insularum* (domuum ibi), e quibus redibant *LLS. LXXX* (ex nostra moneta 2640 thaleri), *plus* autem *illum annum habuisse, in quem itineris sumptus accessit*, cognoscas ex iisdem epp. XII. 32. sect. 2. XVI. 1. sect. 5. Cf. ipsius filii *epist. ad Fam.*

enim saepe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad reliquam partem propositae divisionis revertamur.

Panaetius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus, *tribus generibus* propositis, *in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent, uno, cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe, altero, utilene, an inutile, tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quo modo ea discerni oporteret,* de duobus generibus primis — tribus libris explicavit; *de tertio* autem *genere deinceps se* scripsit *dicturum,* nec exsolvit, quod promiserat. 7

XVI. 21, 7. ex. 9. — *Multa saepe* (cf. n. ad II. 6, 20. pr.) ad filium *cohortandi gratia scripsisse* Nostrum, ib. XII. 16, 6. testatur Trebonius. Quod quam necessarium fuerit, notavimus ad I. c. 33. ex. Cf. *Att.* XIV. 16. XV. 16. A.

§. 7. *sine controversia*] i. e. *sine dubio.* Haec promiscue ponuntur *Catil.* II. 1, 1. Barbare hoc sensu Degen adhibet *sine dubitatione:* quasi Panaetius non haesitasset. Hunc locum respicit Plinius in nuncupatione *H. N.* p. 8. ed. Bip. *Ciceroniana simplicitate, qui in libris de re publica „Platonis se comitem" profitetur; in consolatione filiae, „Crantorem,"* inquit, *„sequor"; item: „Panaetium de officiis:" quae volumina eius ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda, nosti:* quam laudem, nescio, an ad omnia superiora *Ciceronis volumina* spectantem, Binkes p. 61. perversissime ad *Panaetium* transtulit. Fallitque cum aliis Schütz, qui haec, in primam personam reficta, tamquam continuum fragmentum ex uno quodam libro incerto nobis propinavit XVI, II. p. 145. Simul patet alius quoque error eorum, qui Plinio abutuntur teste de horum libb. *inscriptione.* Quae *correctio adhibita* a nostro philosopho sit, v. I. §. 7. pr. 10. pr.

nec exsolvit] His Degen cum F. Heus. e non nullis libris interponit, Bern. postponit *id:* quod hic non magis, quam I. §. 52. p. 70., necessarium, omittitur a Goth. Vin. Gu. 5. ed. Rom. Venett. Facc. Graev. in Corrigendis ed. 1691. Ern. et Schützio, qui falso hanc lectionem tri-

8 Quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo eius Posidonio est, *triginta annis vixisse Panaetium, postea quam eos libros edidisset.* Quem locum miror a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam

---

buit Gronovio. Is vero cum rell. edd. vett. legit *non* pro *nec*, quod (ut ap. Aemil. Prob. XVII. in *Ages.* 1, 4) valet *sed non* v. *non tamen.* Nam *Att.* XVI. 11. sect. 2. pro eo dicitur de Panaetio: *sed nihil scripsit.*

§. 8. *triginta annis vixisse Panaetium, postea quam* etc.] Mortuus est Athenis, teste Suida s. v. Παναίτιος. Extra patriam ad obitum usque docuisse, e l. V. *Tusc.* 37, 107. colligit Ionsius *de scriptt. hist. phil.* II. 13, 2. p. 214. qui putat, defunctum fuisse iam a. V. c. DCL., quo anno L. Licinius Crassus Athenis Mnesarchum, cui Panaetius scholam ibi reliquerat, viguisse dicat ap. Cic. I. *de or.* c. 11. pr. *Cum quaestor ex Macedonia venissem Athenas* etc. Cf. idem Ionsius 14, 3. p. 223. Propius a vero abest Ill. Iacobs in *Animadvv. in Anthol. Gr.* III, III. p. 847. statuens, Crassum quaestorem in Macedonia fuisse ante a. 648. i. e. circa Ol. CLXVIII. Imo a. 644., id quod colligi potest e Bruto c. 43., si rationem ducas legis Villiae annalis. Ita efficitur, ut Athenis fuerit a. 645., Panaetius autem tres illos περὶ τοῦ καθήκοντος libros scripserit ante a. V. 615. Natus erat Ol. CXXXXVIII. a. 4., secundum F. G. van Linden, cuius Diss. ad I. 2, 6. ex. laudavimus, ex Ionsii autem (c. 13, 1.) calculo Ol. CLII. regnante Philometore a. V. c. 581. De *Panaetio* scripsisse Thebesius quoque memoratur a Ch. D. Iani ad Horat. I. *Carm.* 29, 14. V. Exc. Krugii *Gesch. d. Philos. a. Z.* §. 147. e) p. 362. s. — De hoc tertio genere relicto a Panaetio Tullius Nonis Nov. a. 709. scripserat *ad Att.* XVI. 11. sect. 4. *Eum locum Posidonius persecutus. Ego autem et eius librum arcessivi et ad Athenodorum Calvum scripsi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret: quae exspecto. — In eo est περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος*, i. e. de officio, quod cum [illegible] modo coniunctum est. Alia enim erant officia ἄνευ περιστάσεως, alia περιστατικά: de quo v. Diog. Laërt. VII. 109. [illegible] omnino est *affectio*, de qua ad l. I. *Exc.* VI. p. 32[illegible] [illegible]seruimus. Sed non multum Cicero in hoc l. III. videtur secutus esse Posidonium, ut qui non satis, quod [illegible] Panaetio relictum, explevisset (c. 7. ex.), animadvertit Iano Bake in *Posidonii vita et doctrinae reliquiis* p. 24[illegible] a quo tamen dissentimus, ex his locis in suspicionem veniente, arcessivisse quidem Ciceronem Posidonii libros *de officiis*, sed non accepisse. Concedimus omnino, [illegible] rationem argumentumque operis potuisse cognoscere.

commentariis; praesertim cum scribat, *nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium.* Mi- 9
nime vero assentior iis, qui negant, *eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia nunquam posset utilitas cum honestate pugnare.* De quo al-

---

commentariis, quos ad eum Athenodorus Calvus miserat; *satis bellum ὑπόμνημα*, ut fatetur *ad Att.* XVI. in extrema *ep.* 14. Idibus Nov. scripta: neque improbabiliter ad hunc librum referri videtur illud, quod hic de Panaetio tradit. Sed illa Ciceronis verba *librum arcessivi* indicare videntur, se librum illum iam accepisse; et, nisi fallor, eo usus est I. 159. In v. *commentariis* frustra argutatur Degen. Ceterum hic notanda est quaedam Gernhardi levitas, lectionem *tactum*, pro qua alii *tractatum* substituunt, firmantis fide etiam codicis λ. Sed hic non pergit ultra lib. II. c. 4. Reliqua omnia in illo codicis fragmento desunt. Neque pro adv. *breviter*, q. i. e. ac *summatim*, exspectaveris *leviter*, ut *Rosc. A.* 30, 83. ex.

§. 9. *negant, — praetermissum, sed consulto relictum*] sp. *dicunt.* Eadem in membro adversativo Ellipsis ex negligentia familiaris sermonis reperitur I. *Fin.* 9, 31. pr. III. 15, 48. *Haec mirabilia videri intelligo. Sed, cum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate* d u b i t a n d u m, *sed, quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere et tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant, divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valitudinem bonam, sed etiam ut ea contineant,* (scil. censendum est,) *non idem facere eas in virtute neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest.* V. *censendum est* latere in illo *non est dubitandum*, pervidit Ill. Hermannus in Diss. *de R. Bentleio* (Lips. 4.) p. X. atque ita, emendata tantum interpunctione, intricatum locum facillime expedivit. Sic etiam II. *Off.* c. 24. pr. post negativum membrum *ne sit — providendum* (i. e. *multo ante*, vel *a longinquo visum, cavendum*) *est*, ad seq. *non, si fuerit*, subaudiebatur v. affirmativum *committendum, id agendum, concedendum*, vel simile quid. Cf. Gronov. *Obss.* IV. 2. Heusinger ad Corn. Nep. XIV. *Dat.* 6, 4. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 46. Heindorf ad Plat. *Gorg.* §. 29. et ad Cic. *N. D.* I. 7, 17. ex. ubi post *nolo —, sed* omittitur *volo*, ut *velis* post *nolo — nec* XII. *Epist.* 30, 5. — *Praetermittere* et *relinquere* sibi opponuntur, ut h. l., sic *Catil.* III. 8, 18. ex. Tusc. I. ex. 49, 119. Tacit. *dial. de orat.* 16, 8. Statim ante Bern. *his qui.*

terum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panaeti tertium est, an plane omittendum: alterum dubitari non potest, quin a Panaetio susceptum sit, sed relictum. Nam, qui e divisione tripartita duas partis absolverit, huic necesse est restare tertiam. [Praeterea in extremo libro tertio *de hac parte* pollicetur *se deinceps esse dicturum.*] Accedit eodem testis locuples, Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, *P. Rutilium Rufum dicere solere,* qui Panaetium audierat, „*ut nemo pictor esset inventus, qui Coae Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset,*

---

habere dubitationem] e Graecismo: ἔχειν ἀμφισβήτησιν, i. e. *afferre dubitationem, dubium esse;* ut II. §. 19. ex. 79. ex. *Fin.* V. 26, 76. ex. Cf. cl. Stallbaum, Sodalis noster, ad Platon. *Phileb.* §. 34. p. 54. s. — Tum *relictum* s. i. q. reservatum in aliud tempus. Extr. §. Vinar. omittit vv. *libro tertio*, probante I. M. Heus. Equidem satius duxi uncis notare totum emblema glossatoris, ruminantis verba extr. §. 5., ubi Hottinger *deinceps* expresserat *im Verfolge*, rectius quam h. l. *ein ander* (Bremi correxit *anderes*). *Mahl.* Vide enim *proximo loco*, *continuo post.*

§. 10. *etiam scribit*] Part. abest a μ et superflua videatur, praecedente v. *accedit.* Si genuina est, valet item vel *insuper.* Citat haec Nonius c. VI. 78. in v. *Locuples.* — De *Rutilio* v. II. 47. pr. *Brut.* c. 30. et de *Apelle*, qui floruit circa Ol. CXII., Strabo XIV. p. 642. et Suidas, tum Iunius *Catalog. artific.* p. 16. s. et is, quem D[illegible] laudat, Heyne in *Samml. antiquar. Aufsätze* II. p. 10[illegible] *Venerem* Ἀναδυομένην, pictam sive Phrynes sive Pancastes exemplari (Athenaeus XIII. p. 590. Plin. XXXV. c. 10. sect. 37. §. 10. ex. et 15. pr. cl. Aelian. *V. H.* XII. [illegible]) nobile artis opus, quod Apelles *Coi* (nunc *Stenko*) insulae incolis, popularibus suis, dono dederat, a quibus postea Augusto permissum centum talentis, teste Strabone p. 657., certatim illustrarunt poëtae, elegantissime Leonidas Tarentinus in *Analect.* I. n. 41. quem imitati sunt, alius alio infelicius, Antipater Sidonius l. IV. c. 12. p. 326. (*Anal.* II. p. 15. n. 32.) expresso ab Ausonio *epigrammate* 106. Archias *Anal.* p. 95. n. 13. Democritus [illegible] 260. (ed. Iacobs. II. p. 237.) Iulianus Aegyptius *Anal.* II. p. 500. n. 32., in quos erudite et eleganter commen-

absolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat): *sic ea, quae Panaetius praetermisisset, propter eorum, quae perfecisset, praestantiam neminem esse persecutum.*"

III. Quam ob rem de iudicio Panaeti dubitari non potest: rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit, an secus, de eo 11

---

tatus est C. D. Ilgen, V. S. Rev., in *Opuscc. var. philol.* T. I. maxime p. 14 — 44. Alludunt ad hoc artis miraculum Ovid. *Pont.* IV. *ep.* 1, 29. s. *A. A.* III. 401. s. *Amor.* I. 14, 33. *Trist.* II. 527. s. et Propertius I. 2, 22. III. 7, 11. Cernitur etiam in anaglypho in *Admirand. Rom.* n. 30. et in gemmis ap. Wilde t. 22. et in Lipperti *Dactylioth.* I. 96. 239. II. 88. 89. Cf. Cayli diatribe de Anadyomene in *Hist. de l'Acad. des Inscriptt.* Paris. T. XXX. p. 442. et in auctoris *Abhandll. z. Geschichte der Kunst* T. I. p. 153. ss. Dempsteri *Paralipomena* ad Rosini *Antiqq. Rom.* l. I. c. 13. p. 92. ss. ed. Colon. 645. et Martini *über die Lit. Archaeologie* p. 467. quem laudat Degen. Sed paene in proverbium abiit pulchritudo imitatioque desperanda alius *Veneris*, quam *Apelles Cois inchoaverat*, superaturam etiam suam illam priorem, nisi incidisset mors. *Or.* c. 2. *N. D.* I. 27, 75. *Epist.* I. 9. (al. 10.), 46. *Att.* II. 21. sect. 2. *Verr.* IV. c. 60. *Divin.* I. 13, 23. Plin. l. c. §. 15. et c. 11. sect. 40. §. 41. Hanc non item ἀναδυομένην fuisse, credit Ill. H. Voſs in l. *Mythologische Briefe* T. II. p. 230. s. *Nemo inventus est, qui absolveret*: credo, quia nemo illorum Venerem elabentem materno maris gremio viderat, ut Apelles, in cuius animo Phryne marinas undas relinquens nuda, passis crinibus, tanta corporis elegantia primum hanc speciem excitasse dicitur. Ceterum *perficit*, qui et a primo instituit et absolvit; *absolvit*, qui, quod ab alio inchoatum accepit, persequitur. Hoc verborum discrimen maxime elucet e *Fin.* XV. 13, 34. ex.

quae P. praetermisisset] Assutum volgo glossema *et non perfecisset*, quod e seqq. petitum est, cum Sch. proscripsimus. Abest et ab aliis et a plerisque vett. Mureti, qui *V. L.* VI. 9. in Gruter. *Lamp.* II. p. 1141. recte animadvertit, Panaetium, quae praetermiserat, ea non modo non perfecisse, sed ne inchoasse quidem. In fine Gu. 1. 3. 5. μ, Gryph. *neminem persecutum*, ut v. *esse* cogitetur ex antecedd. *ut nemo p. esset inventus.*

C. III. §. 11. *dubitari non potest*] Non hic, ubi

fortasse dubitari potest. Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet; sive, quod honestum est, id ita summum bonum est, quem ad modum Peripateticis vestris videtur, ut omnia, ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus, Socratem exsecrari solitum eos, qui primum haec, natura cohaerentia, opinione distraxissent. Cui qui-

---

annotavit Sch., olim legebatur *dubitari potest;* sed in seqq., ubi nunc e plerisque MSS. (non autem e λ; qui hic quoque a Gernh. adhibetur inani nomine) ab aliis editur *fortasse disputari potest*, quod interpretantur *quaeri, disceptari, disseri in contrarias partes, quaestio de re incerta rationibus ponderandis instituti*, ut in Quinctil. *Instt.* I. 5, 34. Cf. *N. D.* II. 46, 95. pr. ubi Wyttenbach p. 805. *disputare* explicat *in utramque partem rationes exponere: nam putare* proprie est *numerare*. Tuemur tamen olim volgatam ad fidem Goth. a manu 1. Pith. Gu. 3. 5. aliorumque, item edd. Ven. 484. 506. 554. Arg. 510. etc. Cf. §. 9. *alterum potest habere dubitationem*. Quid mirum, si glossator proprie dici maluit, *rem esse disputabilem?* De Stoicorum sententia μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν, quae *Fin.* III. 8, 27. 29. *Tusc.* V. 15, 45. ex. sorita probatur, v. h. l. §. 12. 13. ex. I. 67. p. 155. *Tusc.* V. 30, 84. *Fin.* III. 3, 10. 4. Tacit. *Hist.* IV. 5. ex. Hieronym. in Esaiae c. 11. Tennemanni *Geschichte d. Phil.* IV. p. 81. s. 84. Hinc Stoici, τὸ καλοκἀγαθὸν semper in ore habentes, festive ab aliis dicebantur διακαλοκἀγαθίζεσθαι. V. de his ad I. 2, 6. p. 13. ubi et ibid. de *Peripateticis*, qui respectu filii (II. c. 2. ex.) dicuntur *vestri*, pro quo in quibusdam libris legitur *nostri* hic et 4, 20. ubi Gottleber inconsiderate probat in Cat. *Mai.* 2, 5. *vestroque cognomine*, quam lectionem pro *nostroque cognomine* Corradus in *Quaestura* p. 329. s. e duobus MSS. profert. — Tropus autem hic et 8, 35. ex. usurpatus, imitatur Critolai metaphoram de libra *Tusc.* V. 17, 51. *Fin.* 30, 92. pr. Cf. ipse Aristoteles *Eth. Nicom.* I. 8. pr. et extr.

Socratem exsecrari — eos] Comparant intt. *Leg.* I. 12, 33. ex. Clement. *Strom.* II. p. 499. Vtilitatem vero et honestatem nunquam disiungi neque inter se dissentire posse, docet Socrates in Plat. *Alcib.* I. c. 23 — 26. Haec ne Diogenes Babylonius quidem seiunxit, sed cogitatione distinxit ita, ut τὸ ὠφέλημα esse voluerit ἐπιγέννημα τοῦ ἀγαθοῦ. Cic. *Fin.* III. 10, 33. *Ego assentior Diogeni, qui bonum*

dem ita sunt Stoici assensi, ut et, quidquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod non honestum. Quod si is esset Panaetius, 12
qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut ii, qui res expetendas vel voluptate vel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Sed cum sit is, qui id solum bonum iudicet, quod honestum sit; quae autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vi-

---

definierit id, *quod esset natura absolutum. Id autem sequens, illud, etiam quod prodesset* (ὠφέλημα *enim sic appellemus*), *motum aut statum esse dixit e natura absoluta*: quem locum paullo inclementius tractavit Görenz. Qui enim non animadverterit, vv. *illud, etiam quod prodesset* appositionem facere atque *etiam* cum vi praeponi, hanc particulam cum Marso deletam mallet, et, voce ὠφέλημα in ὠφέλειαν mutata, ὕστερον πρότερον, quod vitare voluerat, ipse demum intulit, cuius tamen erroris socium nactus est Schützium. Denique vv. *id autem sequens* miris modis παρερμηνεύει *cum sequeretur Diogenes id bonum*, vituperato Bremio, cuius interpretationem ἐπιγεννηματικόν confirmat Diogenes Laërt. VII. 94. ex. Allegatur hic locus, de quo cf. *Epicrisis* nostra p. 183. ss., a Nonio in v. *Distrahere* et in v. *Opinio*. De partt. *et* — *nec* infra 4, 20.

§. 12. *efficiens utilitatis*] ut III. 116. *quod efficiens* (i. q. *effectrix*) *esset voluptatis*. *Timae*. c. 14. *adiuvantia causarum* et, paucis interiectis, *efficientes pulcherrimarum rerum*. *Fin*. V. 17, 81. *eorum conficientia*. *Or*. II. §. 184. *perferentis iniuriarum*. *Pro Planc*. c. 53. *religionum colentes*. Cf. Görenz ad *Leg*. II. 15, 43. p. 171. a. — *Res expetendas voluptate* Aristippus, *indolentia metiebatur* Hieronymus (*Fin*. II. 6, 16.), Epicurus autem *bona voluptate terminabat*, *mala dolore*, sed *augeri non dolendi voluptatem* negabat (h. l. 117. s.). *Indolentiae* vocabulo pro *vacuitate doloris* vel *non dolendi statu* Cicero utitur cum excusatione *Fin*. II. 4, 11. tum ib. 6, 19. ex. idque nove, notantibus Nonio c. II. 455. et Sidonio epist. ante carmen XIV. Recte enim ibi hanc vocem a Mureto *V. L.* XV. 20. ex. restitutam esse, docet reliquorum analogia exemplorum, quibus Sidonius utitur: qui fortasse respexit Ciceronis *Consolationem*; in qua Nostrum illo vocabulo primum usum esse, e *Tusc*. III. 6, 12. coniicimus.

e. neque a. meliorem v. fieri] Cf. *Fin*. III. 13, 43. ex.

tam fieri nec decessione peiorem: non videtur eius modi debuisse deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honestum est,
13 compararetur. Etenim, quod summum bonum a Stoicis dicitur, *convenienter Naturae vivere*, id habet hanc, ut opinor, sententiam, *cum virtute congruere semper, cetera autem, quae secun-*

Ad seq. *non videtur* intell. *quibusdam*. Non recte Bardili in Hanffii *Philologia* III. p. 57. cogitatione addit *mihi*. At vero Cicero non accusat, ut ille p. 51. opinatur, sed defendit potius Panaetium. Variatis verbis §. 13. repetitur *quidam putant*. — Extr. §. obliqua oratio recte a Gernh. ad Panaetii mentem refertur. V. ad II. c. 3. pr.

§. 13. *convenienter Naturae vivere*] *congruenter Naturae convenienterque vivere* (*Fin.* III. 7, 26.), alibi *Naturam sequi*, *Naturae obedire* (h. l. 5, 25. ex.) i. e. q. *parere principiis Naturae* (52.), i. e. *institutioni Naturae*. Cf. n. ad I. 127. pr. et ad h. l. *Exsurs*. III. ubi accuratius explicabimus id, quod ὁμολογία vel συμφωνία dicitur Stoicis, Nostro I. 100. *convenientia conservatioque Naturae*, III. *Fin.* 6, 21. (ubi Gör. et Sch. pronomina, quae inter se referuntur, incommode distraxerunt parenthesi, minime necessaria illa in abrupta oratione) et 14, 46. simpliciter *convenientia*, ib. V. 23, 66. ex. *vita consentiens virtutibusque respondens, recta et honesta et constans et Naturae congruens*, Senecae *ep.* 31. *aequalitas ac tenor vitae per omnia consonans sibi*. Cf. *Off.* I. 90. 144. pr. ibique n. Cum vero *sapientia* omnes numeros virtutis habeat (§. 14. ex.), ipsa dicitur *conveniens actio* III. *Fin.* 16, 55.

cum virtute congruere] i. q. *Fin.* III. 8, 29. *cum virtute vivere* vel 20, 68. *e virtute vivere*. Diog. Laërt. VII. 89. refert, auctore Cleanthe ἀρετὴν διάθεσιν εἶναι ὁμολογουμένην. Stob. *Ecl. Eth.* p. 138. Τέλος δέ, φασίν, εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν, . . . τοῦτο δ᾽ ὑπάρχειν ἐν τῷ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν, ἐν τῷ ὁμολογουμένως ζῆν, ἔτι, ταὐτοῦ ὄντος, ἐν τῷ κατὰ φύσιν ζῆν. — Δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἰσοδυναμεῖ τὸ κατὰ φύσιν ζῆν καὶ τὸ καλῶς ζῆν καὶ τὸ εὖ ζῆν. — *Cetera*, i. e. *ea*, *quae extra virtutem sint*, IV. *Fin.* 15, 40. pr. Virtute enim continetur *naturale ultimum* (ib. 13, 33.). Praecipue autem ἀδιάφορα dicuntur *naturalia* (nescio, an sensu strictiore) ib. III. 18, 61. IV. 13, 32. pro *iis rebus*, *quae secundum Naturam sunt* (ib. III. 4, 12.), i. e. *aptae et accommodatae Naturae* (V. 6, 17.) v. *ad Naturam* (ib. 11, 33. ex.), i. e. *quibus iuvamur in vita* (*Leg.* I. 20, 54.) et *quarum est quaedam appetitio naturalis*, (*F.* IV. 13, 32. pr.). Ex his *res*,

dum Naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod cum ita sit, putant quidam, hanc comparationem non recte introductam nec omnino de eo genere quidquam praecipiendum fuisse.

---

quae primae appetuntur (ib. III. 5, 17.); *quarum prius rerum sensum affectionemque recens natus homo capit* (Gellius XII. 5.); *quas ut primas diligit appetatque, Natura movet* (Cic. F. II. 11, 33.); *illa, quae prima sunt ascita natura* (ib. III. 5, 17.), *quae prima data sunt natura* vel *a Natura* (II. 11, 33. 34.), *prima secundum Naturam* (V. 7, 18. pr.), τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν (Gell. XII. 5.), *quae sunt prima natura* (Cic. Ac. I. 6, 22.), *prima Naturae commoda* (ib. II. 45, 138.), *Naturae prima bona* (*Tusc.* V. 30, 89.) dicuntur simpliciter *principia Naturae* (*Fin.* III. 6, 22.), v. *principia naturalia* (ib. II. 11, 35. III. 5, 17.) et, quod ad haec prima hominem Natura conciliavit, *primae Naturae conciliationes* ib. 6, 22. ubi nihil extricavit Görenz, qui ad V. 21, 58. cum ipsa *prima commendatione Naturae*, i. e. cum ingenerata appetitione animi, miscuit. V. Exc. VII. ad l. I. p. 324. Quae *F.* V. 16, 45. strictiore sensu dicuntur *prima Naturae*, ea latiore et *primum ascitum et primum declinatum* comprehendunt, omnino id, *quo primum natura moveatur vel ad appetendum vel ad repellendum* (V. 7, 18.). Nam *prima Naturae sive secunda sive contraria ita* (i. e. *ea cautione adhibita.* Cf. n. ad *Off.* I. 88. p. 200.) *tum legere, tum reiicere, si id opportune facere possis, id est convenienter Naturae vivere* (*F.* III. 18, 61.). Teste Clemente Alex. *Strom.* II. p. 416. Ζήνων Στωϊκὸς τέλος ἡγεῖται τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν· Κλεάνθης δὲ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. Διογένης δὲ [hoc nomen, male omissum, inseruimus e Stobaeo I. c. p. 134.] ἐν τῷ εὐλογιστεῖν, ὃ ἐν τῇ κατὰ φύσιν ἐκλογῇ κεῖσθαι διελάμβανεν· ὅ τε Ἀντίπατρος, ὁ τούτου γνώριμος, τὸ τέλος κεῖσθαι ἐν τῷ διηνεκῶς καὶ ἀπαραβάτως ἐκλέγεσθαι μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλέγεσθαι δὲ τὰ παρὰ φύσιν· Ἀρχέδημος, ** ἐκλεγόμενον τὰ κατὰ φύσιν μέγιστα καὶ κυριώτατα, οὐχ οἷόν τε ὄντα ὑπερβαίνειν. Hoc summum bonum propositum est vitae communi, quod *Fin.* III. 6, 20. dicitur *cum officio selectio constans consentaneaque Naturae.* Cf. ib. IV. 6, 15. pr. et *Excurss.* nostros IV. et VI. ad l. I. Hunc in modum ab his, quos diximus, finis paullo uberius declarabatur quorundam philosophorum causa, qui legem rationis, quam constanter sequi iubet Zenonis finis, sic interpretabantur, ut, quae ad vitam gerendam pertinent, omnia prorsus negligenda ducerent, ut Aristo, ut Herillus (I. 2, 6. p. 14.). Hos ut repellerent germani Stoici, modo negabant, sapientiae locum esse, si tollerentur rerum discrimina,

Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis neque a virtute divelli unquam potest. In iis autem, in quibus non est perfecta sapientia, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo, similitudi-

---

modo, viam ad universam virtutem patere: ut peritissime animadvertit Lilie I. p. 46. s. „Illud," inquit, „ad sapientes, hoc ad eos, qui sunt ἐν προκοπῇ, ad sapientiae studiosos, pertinere videtur. I. Sapiens verum a falso secernit nec eum discrimina ista rerum, quibus perexiguum pretium statuit (quae habent ἀξίαν, aestimationem aliquam, sed parvam) latere possunt. Sapientis est, haec quoque observare, v. c. vitam iucundam praeferre molestae, integram valitudinem morbo. Quod unum sequitur, ut in hoc rerum delectu vere iudicet, h. e. praeferat maiora minoribus, eo nunquam excidere potest: sed eventum regit Deus, qui non tuis solius commodis, sed omnibus consulit. II. Qui progrediuntur ad virtutem (οἱ προκόπτοντες), tironibus similes, rebus externis utuntur ita, ut ad maiora exerceantur. Eorum, qui vel iaculantur vel talis ludunt, alii id unum agunt, ut vel metam feriant vel lucello potiantur, alii, ut vires exerceant roborentque. Illis plerique mortalium, his similes sunt pauci illi, qui cum servilis eos in cupiditatum imperio conditionis poenitent, ad optima quaeque contendunt." *Fin.* III. 6, 22. ex. 16, 54. Haec ad explicandam summi boni definitionem ib. 9, 31.

a virtute divelli] np. *cogitatione*, ut *Fin.* I. 16, 50. *Sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli nec distrahi possint*: ubi Görenz argutatur, *divelli* de extranea vi, *distrahi* de sententia, quae animo fovetur, intelligens. Priora Non. in v. *Praecipere* transponit sic: *nec omnino quidquam de.* Seqq. volgo sic collocantur: *in quibus sapientia perfecta non est.* Sch. cum Gu. 4. *perfecta sapientia*; nos cum Gu. 3. 5. transposuimus. Cf. 4, 16. *in quibus est* (ἔστι, non ἐστὶ) *virtutis indoles.* Cod. Bernensis membran. forma IV. n. 514. saeculi IX. isque optimae notae, cuius lectionibus, accuratissime excerptis, Cel. Bremi, Helvetiae decus, pro liberali voluntate sua ultro studia nostra adiuvare dignatus est nosque ab hoc inde loco (ubi primum commemorare potuimus in schedis, nondum typothetae traditis) utemur, ante haec vv. legit *in his autem*, accommodatissime ad prima §. 14. verba. Sed animadvertimus iam, in libro illo haec pronn. fere ubique sic permutari. De *similitudinibus honesti* v. n. ad I. 46. p. 113.

nes honesti esse possunt. Haec enim omnia officia, de quibus his libris disputamus (media Stoici appellant), ea communia sunt et late patent: quae et ingéni bonitate multi assequuntur et progressione discendi. Illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est et, ut iidem dicunt, omnis numeros habet nec, praeter 14

---

§. 14. *Haec enim omnia officia*] Sic explicantur superiora. Sed part., quam multae edd. vett. mutant in *igitur*, a Gu. 1. recte omissa videtur Gernhardo, monenti, huc translatam esse e c. 4. pr. ubi praeter Ven. 1498. in qua est: *Haec igitur omnia officia*, rell. ignorant *omnia*, quod hic quoque exclusum a Bern. Goth. Gu. 1. Aldi codd., *μ*, ed. Ven. 1470. et Gryph. potuit nasci e simili compendio vocis *officia;* fatemur tamen, aeque facile eadem de causa potuisse obliterari. Deinde volgo plene interpungitur ante vv. *ea communia sunt*. Admisimus parenthesin, secuti Schützium, sed non in eo, quod delevit pron. *ea* de sententia I. M. Heusingeri, qui tamen, cum in Vinar. ed. Rom. 471. Ven. 470. 84. 506. 554. Arg. Ald. sit *et ea* e duplici scilicet lectione, etiam coniecerat: *et communia sunt et late patent*. Verum non diversa hic iunguntur, sed quorum alterum prius explicet. Pleonasmum, quo §. 13. bis abundat *id*, observavimus ad I. 126. p. 262. s. Nec sine causa placet Frotschero in *Obss. in var. locos vett. Latt.* I. p. 10. in Sallust. *Cat.* 1. trium codd. ap. Havercampum lectio: *Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa illos ope niti decet* etc. laudaturque Matthiae in Wolfii *Literar. Analectt.* III. 15. ss.

progressione discendi] i. e. *προκοπῇ*, *quae fit discendo, quae debetur doctrinae et disciplinae.* Sic *Fin.* III. 19, 45. *crescendi accessio:* ubi Görenz, quae nihil ad rem faciunt, comparat. Non Gerundii, sed Genitivi, activa vi, quae hic latuit Degenium, pollentis, usus explicandus erat. Sic *Acad.* II. 1, 2. de Lucullo, qui etiam earum rerum, quae solo usu exercitioque continentur, rationem lectione adeptus erat: *non desideravit indocilem usus disciplinam.* Ceterum noster h. l. lucem accipit ex iis, quae similia e Platonica et Aristotelica philosophia proponuntur I. *Acad.* 5, 20. Ipsa autem *virtus* vel *honestas undique perfecta atque absoluta* dicitur *Fin.* V. 14, 69. et, ut ait Seneca *ep.* 71. med. *non crescit. Habet numeros suos; plena est*, et *ep.* 95. ab in. *Non potest quisquam, nisi ab initio formatus et tota ratione compositus, omnes exsequi numeros, ut sciat, quando oporteat et in quantum*

sapientem, cadere in quemquam potest. Cum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videtur esse perfectum, propterea, quod volgus, quid absit a perfecto, non fere intelligit; quatenus autem intelligit, nihil putat praetermissum: quod item in poëmatis, in picturis usu venit in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti laudentque ea, quae laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem, quid in una quaque re vitii sit, nequeant iudicare. Itaque cum sunt docti a peritis, desistunt facile sententia.

---

et eum quo et quem ad modum, i. e. τοὺς τοῦ καθήκοντος ἀριθμοὺς ἀκριβοῦν, ut loquitur Antonin. III. 1. et VI. 26. πᾶν καθῆκον ἐξ ἀριθμῶν τινῶν συμπληροῦται. Hinc *Fin.* IV. 20, 56. *alia peccata pluris, alia pauciores quasi numeros offici praeterire* dicuntur. Degen, accipiens pro *rhythmis*, provocat ad Ernestum, qui tamen ipsi adversatur quam maxime, et iure quidem. V. Schützii *Lex.* s. v. *Numerus* 10. p. 55. s. Sed omnino huc adhibe, quae ad I. 3, 8. ibique *Excursu* III. notavimus, cl. Diog. Laërt. VII. 100.

§. 15. *in quo — compareant*] Coniunctivus, causam admirationis indicans, est etiam in vetusto cod. ap. Nonium *Miscell.* IX. 11. Cf. I. 46. p. 113. s. Bern. *comparant.* In seqq. Cur. et ed. Ven. 502., ut volgo, *poëmatibus.* Degenii inscitia, sine controversia infimorum discipulorum suorum imperitiam superans (non enim omnis stultitia error dicendus est), formam priscam et, ut ait, poëticam ap. Nonium c. VIII. 39. p. 759. in v. *Poëmatis* repetit unde? undenam? nempe a Nominativo casu *poëmatum!!* Tum Scheller lectionem olim volgatam *usu evenit* tuetur exemplis quibusdam, quae repetiit in *Lex.* p. 1195?. Sed Gernh. ad *Cat. Mai.* 3, 7. id omnino reiicit. Quippe foret *per usum evenit*, ut dicitur *casu evenire*, quod ipsum, nescio, quo iure comparaverit Görenz ad *Fin.* V. 2, 4. p. 703. in *Addend.* ad p. 534. Sed, quod *se usui vel experientiae offert*, id (ut leg. in Bern.) *in poematis, in picturis usu venit in aliisque compluribus*, e. c. in *oratoribus*; de quo v. *Brut.* c. 51. ex. — In extr. §. Deg. cum F. H. pro *cum sunt docti* (ut in Bern. quoque) ex aliquot MSS. recepit *sint*, quem Coniunctivum Gernh. explicat *si quidem sunt.* At vero *cum* hic valet *postquam*, ut 9, 38. *cum se converterat, a nullo videbatur.* — *videbatur, cum — se converterat.* Denique cum Non: V. 26. Bern. et plerisque al. MSS. transponitur *desistunt facile* pro olim volg. *fac. des.*

IV. Haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, q u a s i s e c u n d a q u a e d a m h o n e s t a dicunt, non sapientium modo propria, sed cum omni hominum genere communia. Itaque his omnes, in qui- 16
bus est virtutis indoles, commoventur. Nec vero, cum duo Decii aut duo Scipiones *fortes viri* com-

---

C. IV. *quasi secunda quaedam h o n e s t a e s s e dicunt*] Expunximus v. *esse*. Volgato ordini certe praeferremus transpositionem factam in Goth. Vin. edd. vett. omnibus et Facciol. *dicant esse*, ut II. 53. ex. Gu. 4., qui transponit *secunda e s s e quaedam dicunt*, cum 3. omittit voc. *honesta*, quod fortasse a glossatore accessit. Nam Ambrosius III. 2. ex h. l. habet, quae I. M. Heus. minus recte ad I. c. 3. retulit: *Hoc etenim κατόρθωμα, quod perfectum et absolutum officium est, a vero virtutis fonte proficiscitur: c u i s e c u n d u m e s t c o m m u n e o f f i c i u m, quod ipso sermone significatur non esse arduae virtutis ac singularis, quod potest pluribus esse commune.* — *S e c u n d a* dici pro *secundariis*, monuit I. M. Heus., laudato Graevio *lectt. Hesiod.* c. IV. ad Ἔργ. 142. p. 526. ed. Loesn. Deinde Sch. hic et §. 16. ex. retinuit formam *sapientum*. Vtrobique MS. Bern. et §. 16. etiam Lactantii VI. 6, 26. cod. Goth. optimus tuetur a F. Heus. receptam *sapientium*, quam item I. *Fin.* 18, 61. p. 86. a. restituit Görenz, sequente ipso Schützio. Eadem e codd. restituenda *N. D.* I. 9, 23. Sine varietate tamen *sapientum* editur in *agrar.* I. 1, 1.

§. 16. *his omnes — commoventur*] np. *ad admirationem*, ut II. 32. p. 65. Infra c. 8. pr. in cupiditate dicitur. Sensum commodissime expressit Seneca *ep.* 120. paullo ab in. *Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia nos o b s t u p e f e c e r a n t. H a e c c o e p i m u s t a m q u a m p e r f e c t a m i r a r i. Suberant illis multa vitia, quae species alicuius conspicui facti fulgorque celabat: haec dissimulavimus.*

duo Decii] memorati *Tusc.* II. 24, 59. *N. D.* II. 3, 10. cl. III. 6, 15. *Sext.* 21, 48. *Posth.* 1. ex. Augustino *C. D.* V. 18. et Claudiano *de IV. cons. Hon.* 404. cum *duobus Scipionibus* I. *Off.* 61. p. 145. s. *Cat. Mai.* 20, 11. (75.) et cum *C. Fabricio* in *Parad.* I. 2, 6. s. (12.) Publios *Decios* Mures fortitudo pro re publica devotavit atque immisit in armatas hostium copias, patrem COS. a. V. 413. in bello Latino (*Divin.* I. 24, 51. *Herenn.* IV. 44. Propert. III. 9, 63. Liv. VIII. 6. 9. s. IX. 10, 3. Flor. I. 14, 3. Plin. XXII. 5. Valer. M. I. 7, 3. V. 6, 5.), filium quarto consulatu a. 458. in bello Samnitico (*Cat. Mai.* 13, 3. s. al. 43. Liv. X. 28. Flor. I. 17. ex. Valer. M. V. 6, 6. Cf. Pighius ad h. ann. I. p. 392.), nepotem,

memorantur aut cum Fabricius *iustus* nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab hoc iustitiae, tamquam a sapientibus, petitur exemplum: nemo enim ho-

---

decertantem cum Pyrrho (*Tusc.* I. 37, 89.): cuius tamen praeter Zonaram *Annal.* II. non meminerunt historici, de patre tantum et filio testantes. V. Pigh. ad a. 474. p. 434. Io. Hartm. Eberhard *über den Zustand der schönen Wissenschaften b. d. Römern* (Altonae 1801.) p. 58. s. et Eichhorn ad *histor. antiq. ipsis vett. auctorum verbis contextam* indice II. p. 29. a. Scilicet, ut Görenz ad *Fin.* II. 19, 61. monuit, nepotem non se devotasse verbis certis, sed cupide pugnantem cecidisse in proelio ad Ascalum. Indicavimus locos accuratius, quam Schütz *Ind. histor.* p. 163. qui *Clavis* Ernestinae sphalmata propagavit. Ceterum ad illam P. Decii devotionem spectant tabulae, quas pinxit Rubens, nobilis ille artifex, princeps scholae Belgicae. V. *Kunstblatt*, Tubing. 1817. n. 7. p. 27. s.

Fabricius iustus nominatur, — ab hoc] Volgatur: *Fabricius Aristidesve iusti nominantur, — ab his.* Sed cum in plerisque MSS. (it. Bern.) legatur *aut Aristides iustus nominatur*, quem sing. numerum servavit et Schützii editio, et deinde ap. Lactant. VI. 6, 26. *ab hoc*, denique, ut in Bern., *tamquam a sapiente:* sane probabilis visa Schützio est Gernhardi coniectura: *aut cum F., ut Aristides, iustus nominatur, aut ab illis f. aut ab hoc i., tamquam a sapientibus, p. e.*, ut fiat similiter ac 87. comparatio Aristidis. Ipse tamen sensit Gernh., nomen illinc videri posse translatum. Reiz in margine ascripserat probabilem Heuss. coniecturam, insiticium esse hoc nomen, quod Görenz quoque ad *Fin.* V. 22, 62. p. 611. b. multis locis vel obliteratum vel intempestive sive aliorum loco sive ab interpolatoribus, ut h. l., ingestum notavit. Accedit alia inconstantia librorum. Nam in Goth. 2. 3. 4 *aut cum Aristides* eaque in 3. 4. transposita leguntur post *iustus nominatur.* Idem Reiz restituit etiam *a sapiente*, quod accipi posset pro abstracto, quem ad modum in seqq. *ut sapientem volumus intelligi.* Cf. *Fin.* IV. 6, 15. Tum sensus erit: *Nec vero ab illis petitur exemplum, ut a sapiente petitur e.* Sed in MS. Parcensi C. Langii et ψ leg. *tamquam a sapientibus*, i. e. *quasi sapientes essent:* quod magis convenire videtur potestati particulae *tamquam*. V., quae de hac ex Lamb. Vallae *Elegantt.* II. 36. repetiit Meiner in l., ad I. 1, 2. pr. laudato, p. 465. De Fabricio, qui in *Cat. Mai.* 6, 1. (15.) *senex* adhuc *rem publicam consilio et auctoritate defendisse* laudatur, *iustitia* v. ad I. 13. 40. p. 93. s. cl. *Tusc.* I. 46, 110. Horat. *C.* I. 12, 40. s. Claudian. *de IV. cons. Hon.* 414.

nemo

horum sic sapiens, ut sapientem volumus intelligi. Nec hi, qui sapientes habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant speciemque

---

nemo enim horum sic sapiens] Post haec vv., auctore F. Heus., cum Oliv. ad fidem Bernensis Gu. 1. 2. 4. 5. ψ, ed. Magont. et Lugd. 527. expunxi *est*, pro quo Gu. 3. *fuit*, μ substituit *fuerit*. V. n. ad I. 67. p. 154. ex. Etiam deinceps, post vv. *nec ii* (rectius Bern. Gu. 5. ed. s. l. et a. Ven. 498. Lips. 507. et 513. Lugd. 527. *hi*, quibus deinceps opponuntur *illi*), *qui sapientes habiti*, Sch. omisit *sunt*; sed falso provocat ad Pearcium, qui potius e pluribus codd. Angll. addidit. Frustra revocante Degenio, exsulat e Palatt. Pith. Gu. 1. 3. 5. μ, Graev. 2. ed. Mag. Editio Ven. 502. ante *habiti*, Gu. 2. corrector post *et nominati* inculcat *sunt*. Eadem Ellipsis reperitur c. 31. ex. *Fin.* II. 7, 20. *ubi omnis eius oratio de summo bono.* De duplici verbo F. Heus. confert *p. Arch.* 12, 31. ex. *Tusc.* V. 3, 7. 8. Add. *Or.* III. c. 34. pr. De *sapientis* nomine non profano cf. *Lael.* 5, 6. ss. *Tusc.* V. 10, 28. *Fin.* IV. 24, 65. ex.

M. Cato] V. *Divin. in Caec.* 20, 66. Vnde *quasi cognomen iam in senectute habuerit s a p i e n t i s*, indicatur in *Lael.* c. 2. §. 2. s. 10. s. al. 6. Sed, si fides Plutarcho in vita c. 1., primum *Priscus* cognominabatur, postea *Cato*, tamquam *catus*. Ipse ap. Cic. *de sen.* 2, 5. *sapientiam* ipsius admirantibus respondet: *utinam digna esset opinione vestra n o s t r o q u e c o g n o m i n e*: quam modeste, contra volgarem interpretum errorem docuit V. D. in *Ien. Allgem. Lit. Zeitung* 1820. n. 151. p. 259. monens, *utinam* cum Imperf. esse dubitantis de re, quam vellet quidem, sed ipse fieri posse neget; cum Praesente autem esse exoptantis rem, quam fieri posse speret, ut in urbana oratione ib. 6, 9. (16.): *Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent!* Simili modestia in l. *de amic.* 4, 10. *non tam ista me s a p i e n t i a e — fama delectat, f a l s a p r a e s e r t i m*, de se loquitur *Laelius*, quem, ut ib. 1, 15. (5.). c. 2, 1. 4. (6. s.) commemoraverat Fannius, unum omnes *non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina sapientem et appellabant et existimabant.* Cf. n. ad I. 90. *Fin.* II. 8, 5. (24.) et Wetzel *Excurs. in Cat. et Lael.* §. 10. *b*). p. 515. Aliam originem huius cognominis indicat Plutarch. in *Ti. Graccho* c. 8. quibus cf. Cic. *de or.* I. 48, 7. ubi ab eo repetitur exemplum *eius, qui, quibus rebus utilitas rei publicae paretur augeaturque, teneat iisque utatur.* — De iis, qui *septem appellantur*

17 sapientium. Quocirca nec id, quod vere **honestum** est, fas est cum **utilitatis repugnantia** comparari nec id, quod communiter appellamus *honestum*, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis unquam est comparandum: tamque id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque no-

---

(*Lael.* 2, 5. al. 7. pr. *Fin.* II. 3, 7. ex.), ap. *Graeciae sapientes*, v. Platon. *Protag.* c. 82. p. 343. B. Pausan. X. 24, 1. Plutarch. in *Solon.* c. 4. in *sympos. sept. sapp.* et *de* ει *ap. Delph.* p. 514. s. Opp. vol. VII. ed. Reisk. Demetr. Phal. *apophthegmata* et Sosiad. *consilia sept. sapp.* ap. Stobae. *Serm.* III. Ausonii *ludus septt. sapp.* Valer. M. IV. 1. *extern.* 7. Diog. Laërt. I. 28. 41. s. ad quem Menag. ascripsit locos e Schol. *ad Aristoph. Plut.* 9. e Cyrilli *lib. I. contra Iulianum* et Clement. *Strom.* I. Cf. Gedike in *Cicer. histor. philos. antiq.* p. 55. s. Teste Diogene L. I. 40. Dicaearchus illos non σοφοὺς fuisse indicabat, συνετοὺς δέ τινας καὶ νομοθετικούς. Cf. Exc. Krugii *Gesch. d. Phil. a. Z.* §. 22. c) p. 71. s. et ad totum h. l. Cic. *de or.* III. c. 15. pr.

§. 17. *cum* *utilitatis* *repugnantia*] i. e. *cum utilitate, quae repugnare videatur.* Bern. cum volgg. *utilis*, scilicet neglecto compendio, quod ipsum reperitur in Cur. *utilis*; in uno P. Nannii cod. *cum utilitatis* *ratione*, glossa haud quidem inepta ex I. 3, 9. p. 22. Post seq. *nec id* item vetustus Nannii cod. cum al. quibusdam adiicit *quidem*. Contra Ciceronis morem esse *nec — quidem*, autumat Facciol. ad h. l. et Moser ad III. *N. D.* 26. p. 633. b. Cf. tamen Görenz ad *Acad.* II. 26, 82. p. 152. a. et Gernhard ad *Cat. Mai.* IX. 27. p. 51. a. qui utramque rationem subtiliter distinxit. Hic autem inter se respondent *nec — nec.* Tum Bern. *ab* *his* (pro *iis*), *qui bonos se viros haberi volunt.* V. n. ad II. 78. pr. cll. I. *in Verr.* c. 22. *qui iudiciorum dominos* *se* *dici* *volebant.* *De or.* I. c. 24. ad f. *quo praesente, ego ineptum esse* *me* *minime vellem.* II. c. 41. *qualem* *se* *videri* *velit.* *Or.* c. 25. *non se parcum solum, sed etiam elegantem videri* *volet.* *Epist.* I. 9. (10.) §. 52. ex. (44.) atque aliis in Schelleri *Lex.* p. 12468. et s. v. *Malo* p. 5987. ubi exemplum e l. II. *de or.* c. 47. citatum in Schützii ed. reperitur c. 46. — Ceterum de hac comparatione alii Stoici, praeeunte Chrysippo ap. Diog. Laërt. VII. 84., quaesivisse aut eius principia posuisse videntur illo Ethices loco, qui est περὶ τῆς πρώτης ἀξίας. — Tum Schütz invitus in textu reliquit *conservandumque est nobis*: in nota enim sequi videtur ordinem,

bis est, quam illud, quod proprie dicitur vereque
est honestum, sapientibus. Aliter enim teneri non
potest, si quae ad virtutem est facta progressio.
Sed haec quidem de iis, qui conservatione officiorum
existimantur boni. Qui autem omnia metiuntur 18
emolumentis et commodis neque ea volunt praepon-
derari honestate, hi solent in deliberando honestum

---

quem cum Heus. etiam e Bern. restituimus; sed deinde male retinuit etiam *quam id*, pro quo idem Heus. receperat *quam* *illud*: et sic Bern. quoque. Refer ad seq. Dativum *sapientibus*. Perabsurde Rath. in *Conspectu* II. h. l. retulerat ad praecedens pron. *nobis* hoc modo: „Iisdem bonis viris prius etiam honesti genus“ [np. praeter alterum illud, quod communiter appellamus honestum] „conservandum est, quia aliter teneri non potest, si qua facta est ad virtutem progressio.“ v mutat *quod propriè dicitur vereque esse honestum*. Gu. 3. omittit *est*. Sed alius hic est positus verborum, quam 3, 13. ex. Itaque illud tuemur cl. hac §. in. et I. c. 4. ex. — Statim post *si quae* Gernh. explicat *si quaedam, non minima, progressio facta sit*, comp. *Fin*. IV. 24, 66. ex. At sic scriptum oportuit *si aliqua*. Ipsi accipimus pro *qualiscumque*. V. n. ad II. 74. p. 143. *Phil*. 6, 13. ad f. Ad rei notitiam faciunt, quae scripsit Bake ad *Posidonii reliqq*. 189. „Virtutem aeque ac vitiositatem et exsistere posse et doceri, quod in ea quidam profecissent, censebant Chrysippus, Cleanthes, Posidonius et Hecato: ut scribit Diog. Laërt. VII. 91. Reliqui Stoici progressionem, τὴν προκοπὴν, repudiabant. V. Cic. *Fin*. III. 14. [§. 48.]. Diog. Laërt. VII. 127. Confutantur a Cicerone *Fin*. IV. 23. s. [§. 63. ss.] Plutarcho *contra Stoicos* p. 1063. A.“ Verum enim vero non *progressionem* ad virtutem, sed ipsius *virtutis incrementum levationemque vitiorum* tollebant Stoici.

§. 18. *omnia* *metiuntur* *emolumentis*] Cf. I. 2, 5. ibique nota p. 12. *Parad*. III. 1. pr. *Pis*. c. 28. *Leg*. I. 15, 42. ad f. *Fin*. II. 26, 85. III. 18, 61. V. 31, 93. *Tusc*. I. 37, 90. ex. *Lael*. 6, 3. pr. *Or*. §. 23. ex. *de or*. I. c. 2. m. *hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine* *metiri*. I. *N. D*. 41, 113. ubi Ill. Creuzer comparat *Demosth*. p. 521. (524.) τῇ γαστρὶ μετροῦντες — τὴν εὐδαιμονίαν. Corn. Nep. XXV. 14, 5. Seneca *ep*. 71. paullo ab in. *iam hominem deo* *metientur*. 110. post in. *Omnia humana conditione* *metire*. Eodem modo struitur *ponderare* II. *Leg*. 27, 43. *Tusc*. V. 41, 120. Fortasse ex nostro h. l. corrigendum ib. c. 17. ex. §. 51. *quaero, quam vim habeat libra illa Critolai, qui, cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa: tantum* *praeponderari*

eum eo, quod utile putant, comparare; boni viri non solent. Itaque existimo, Panaetium, cum dixerit, *homines solere in hac comparatione dubitare*, hoc ipsum sensisse; quod dixerit *solere* modo, non etiam *oportere*. Etenim non-modo pluris putare, quod utile videatur, quam, quod honestum, sed haec etiam inter se comparare et in his addubitare, turpissimum est. Quid est ergo, quod non nunquam dubitationem afferre soleat considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale
19 sit id, de quo consideretur. Saepe enim tempore fit, ut, quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest maius esse

---

(in libris est *propendere*) *lancem putet, ut terram et maria deprimat.* De eo, quod *Panaetius* dixisse memoratur, cf. I. 3, 9. ex. In seqq. nota descensum a maiori ad minus per *non modo — sed etiam*, hoc sensu: „Turpissimum est adeo, haec dumtaxat inter se comparare et in his *addubitare* (i. e. inclinare ad dubitationem): nedum pluris putare, quod utile videatur, quam, quod honestum. Haec ne comparari quidem fas est." V. de harum partt. potestate Spalding in *Museo antiq. stud.* I. 1. p. 68. ss.

Quid ergo est] Sic etiam in Bern. collocata vv. interrogant, quale illud sit, quod dubitationem afferat. *Quid est ergo*, ut Facciol. cum edd. volgg. transponit, simul interrogat, ecquid eius modi sit: ut 102. pr. II. 2, 8. pr. *Divin.* II. 18, 42. *Quid est igitur, quod — ?* Ceterum animadvertit Garve ad h. l. p. 5., ex Nostri sententia nullam unquam incidere posse officiorum honestatis cum officiis utilitatis dissensionem; saepe autem ambiguas eorum connexiones fieri solere. Itaque cum utilitas honestati contraria adeoque in eadem re et utilitas et turpitudo esse videtur, error est in alterutra parte. Nam aut falso animus astringitur pudore aut falsa luditur utilitatis specie. Tum igitur quaeri potest, utrum honestas actionis an utilitas ficta sit. Cf. §. 40. pr. ss.

§. 19. *turpe plerumque*] Hic vv. ordo est etiam in Bern. — *Patet latius*, quod exemplum transferri in multas res potest. V. n. ad I. 51. p. 104. Tum Bern. quoque

scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existi-

---

tuetur *se adstrinxit scelere, si qui.* V. ad H. 74. p. 143. s. Loquitur scriptor de Caesaris caede, etsi eum non nominat, ut II. 7, 23. ubi v. not. p. 26. s. Hic enim, *coniurationis auctoribus* (M. Iunio) *Bruto et Cassio* —, *adiectis etiam consiliariis caedis familiarissimis omnium et fortuna partium eius in summum evectis fastigium, D. Bruto et C. Trebonio aliisque, interemptus* .. *et incautus ab ingratis occupatus* dicitur Velleio P. II. 56, 3. ubi v. Krause, coll. ib. 57, 1. 64, 1. s. 69, 1. Appian. II. 107 — 117. Plutarch. in *Caes.* c. 62. 64. 66. p. 739. Dione XLIV. 12. ss. p. 249. Sueton. in *Iul. Caes.* 80. ss. Cic. *de divin.* II. 9, 23. Eichhorn. *histor. antiq.* III. 728 — 735.

ex omnibus praeclaris factis] „*Factum* vel consideratur ut Participium tuncque iungitur Adverbiis, v. c. *male, recte, improbe* cet., vel ut Substantivum tuncque iungitur Adiectivis, v. c. *rectum, praeclarum, improbum* (Plaut. *Trucul.* II. 7. vel 5, 4.), atque etiam Genitivis.“ Scheller, qui exempla posuit in *Lex.* s. v. *Facio* p. 3687. His addi possunt haec: *Philipp.* I. c. 6. *ad similem virtutem et simile factum.* *Att.* VIII. ep. 22. *Quod .. unquam eorum in re publica forte factum exstitit?* et Senecae l. c. ad §. 16. pr. Similiter *p. Balbo* 6, 16. *eius res gestae.* III. *Verr.* 80, 186. *rerum tuarum male gestarum.* *Fam.* X. 8. pr. *optimae mentis cogitata iam pridem.* Sunt, qui mirentur, ex Tullii sententia tyrannum, quamvis familiarem, *praeclare* interfici, neque ius vitae et necis concedi velint homini privato in magistratum, impotentem licet et imperium affectantem. At vero ex Tullii sententia tyrannus, per quem legitimi magistratus exstincti sunt, non magis esse magistratus censendus est, quam archipirata, imo communis hostis patriae (6, 32. 21, 84. s.). Graviter ac severe hanc rem diiudicavit Cel. Martyni-Laguna in expositione *epistolae* 16. (al. 15.) *libri* VI. *Basilo* τυραννοκτόνῳ gratulantis p. 356. s. Alludere videtur in l. XIV. *ad Att.* ep. 16. *Mihi quidem videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forum ferre* (i. e. triumphare) *posse* —, *praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum.* Cf. *Phil.* I. 2, 6. Se *in istius gloriosissimi facti conscientia auctoremque ad liberandam patriam* fuisse, negat *Phil.* II. 5, 11. ss. sed mirifice laudat *istius pulcherrimi facti auctores* (c. 14. ex.), immemores beneficiorum,

mat. Vicit ergo utilitas honestatem? Imo vero honestatem utilitas consecuta est.

Itaque, ut sine ullo errore diiudicare possimus, si quando cum illo, quod **honestum** intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus **utile**, formula quaedam constituenda est: quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus.

---

memores patriae: *idque rei publicae praeclarum, tam multos fuisse*; [*fuisse*] *ipsis gloriosum* iudicat c. 11. ex. ubi haud dubie expelli debet *fuisse*, quod, a Sch. duplex positum, altero loco uncis notavimus. *Ad Fam.* X. 28, 1. XII. 3, 2. dolet noster, istius facti principem se non fuisse, ut insuper mactatus esset Antonius, cui pepercerat Brutus, ἀξιῶν, τὴν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων τολμωμένην πρᾶξιν εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν ἀδικίας εἶναι, ut scribit Plutarch. in *Anton.* c. 13. Ipse *Antonius dictatorem iure caesum pronunciavit*, teste Seneca *de benef.* V. 16. ad f. Sed, ut recte notatur ab intt., declamatorio hic more exaggerat illud, quod Antonius necessitati se submisit et praeteritorum oblivionem ac veniam cum tyranni percussoribus pactus est. Ib. II. 20. et *de ira* III. 30. ex. hoc facinus damnat cum Dione. Cf. Cic. *Epist.* XI. 28, 4 — 20.

honestatem utilitas consecuta est] i. e. *valuit propter honestatem* (40. ex.). Sic legitur e vetustioribus Mureti *V. L.* XV. 9. ut significetur, factum illud honestum fuisse per se, utile κατὰ συμβεβηκός. Olim edebatur *honestas utilitatem secuta est*, non *consecuta est*, ut negligentius enotavit Sch., qui cum Heus. et Deg. e Gu.3. transposuit: *est consecuta*. Sed recte Facc. comparaverat *Lael.* 14, 51. ex. Ceterum hic non tam rei publicae, ultae quidem suas iniurias, sed non liberatae, quam ipsorum libertatis vindicum utilitas ethica, intelligi videtur. Nam de his suis *non heroibus* (ut eos vocat *ad Att.* XIV. *ep.* 6.), *sed diis, futuris in gloria sempiterna*, sic loquitur Noster ib. *ep.* 11. *illis magna consolatio conscientia maximi et clarissimi facti: nobis quae? qui, interfecto rege, liberi non sumus.* Nimirum illos servitutis causas non perspexisse, quae non spiritu unius hominis ac vita, sed totius rei publicae contagione ac morbo recepta niteretur, disputat Dan. Heinsius in oratione, quam ad I. 8, 26. p. 59. laudavimus, p. 205. pr. 206. pr. 207. ex. Non tamen propterea honestum consilium reprobandum, verissime monet Plin. *Epistt.* l. V. extr.

ut sine ullo errore — utile] Cf. Horat. *Epist.* I. 8, 97. ss. Post *si* sequitur futurum et in conditione (*sequemur*) et in consecutione (*nunquam recedemus*); cum utrius-

Erit autem haec formula Stoicorum rationi disciplinaeque maxime consentanea: quam quidem his libris propterea sequimur, quod, quamquam et a veteribus Academicis et a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, quae honesta sunt, anteponuntur iis, quae videntur utilia, tamen splendidius haec ab eis disseruntur, quibus et, quidquid honestum est, idem utile 20

---

que eadem sit ratio, ut 6, 26. I. 100. pr. (ubi cf. n.) 125. p. 261. Item in adhortando et praecipiendo I. §. 2. pr. 121. p. 256. s.

§. 20. *his libris p. sequimur*] Sic etiam Bern. Sed Facc. cum Ven. 498. Lips. 507. 513. Lugd. 527. Gryph. Bald. Grut. Gron. Ern. praeponunt *in*, quae facile absorberi potuit, praecedente *quidem*. Cf. I. 2, 6. p. 15. II. 60. p. 120. Tum Bern. firmat receptam lect. *et a vet. A. et a P. vestris.* Cf. 3, 11. Verbis *qui q. iidem erant* Bern. cum volgg. addit glossema, *qui Academici*. De horum cognatione cf. n. ad I. 1, 2. p. 5. In seq. comparatione notetur diversa pronominis forma *ab eis* —, *quam ab iis*. Bern. cum vetusto Langii habet *disserentur*: quod e duobus suis probat Fabritius, interpretans: „*haec poterunt ab eis omnibus splendidius disseri*,“ i. e. magnificentius ad virtutis dignitatem. *Quidquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris in bonisque numeraveris: — honestum ipsum, quasi virtutis lumen, exstinxeris*: ut ait Stoicus *Fin.* III. 3, 10. ex. Zenonis autem sententia ib. II. 11, 35. dicitur *posita in decore tota, id est honestate, sine ulla accessione*, quae fuit in rell. finibus. Sic h. l. 101. ex. *utilitatis nomen non tam splendidum* (i. e. gloriosum), *quam necessarium*.

quibus et quidquid] Inseruimus copulam, quam volgo omissam, ed. Magont. retraxerat ante pron. *quibus*. Eadem in multis libris obliterata erat 3, 11. ex. Sic inter se respondent partt. *et — nec* XIII. *Fam.* 28, 9. pr. (al. *ep.* 28. *b.* pr.) *Cat. Mai.* 3, 2. ex. (7.) *N. D.* I. 38, 107. *nec — et* I. *Off.* 72. ex. ubi cf. n. II. c. 2. pr. *Cat. Mai.* 25, 1. in *Hortensii* fragm. ap. Schütz. p. 207. e Nonio s. v. *Praestare*: „*Itaque nec in philosophia cuiquam cessit et vitae gravitate praestitit.* Liv. XXX. 37. sub. f. *pax nec iniqua et necessaria.* Flor. I. 16. ad f. *ut nec amici forent beneficio et post flagitium hostes magis.* Seneca *de ira* III. 8. m. *qui iram tuam nec evocent et ferant.* Vellei. P. II. 33, 3. pr. Lactant. I. 1, 15. pr. *neque — et* ap. Caton. *R. R.* c. 129. ex. 130. ex. Cels. *de medic.* II. 8. ed. Kraus. p. 75, 30. *si neque movetur et emacrescit*

videtur nec utile quidquam, quod non honestum, quam ab iis, quibus aut honestum aliquid non utile aut utile non honestum. Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut,

(membrum). Cf. Schützii *Lex. Cic.* III; II. p. 26. Meinet, libro ad I. 1, 2. pr. citato, p. 129. et Exc. Passov. ad Tacit. *German.* p. 86. Formula hic proposita repetitur 75. pr. 81.; hic autem iudicio de philosophorum in constituendis finibus dissensione adiecto obscurari magis, quam muniri, videtur Hottingero ad h. l. p. 235. ss. et Gernhardo, notantibus negligentiam Ciceronis, sententiam primariam obiter tantum, quasi secundariam, inferentis vel a secundaria sententia suspendentis. Praeter *Divin.* II. 15, 34. ex. *Tusc.* I. 17, 40. citius comparaverim equidem *Off.* I. 7, 22. p. 50. quam cum VV. DD. I. 10, 33. p. 77. aut *Tusc.* I. 36, 88. pr. ubi est Ellipsis primariae sententiae ex antecedd. repetendae: *mortuorum ne vita quidem ipsa quemquam carere.* Deinceps Bern. cum al. multis: *quibus et honestum aliquid non utile.* In edd. vett. praeter Magont. *est* substituitur copulae, quae tum alibi, tum in *Bruto* c. 48. post med. confunditur cum *aut*: quam hic cum Graevio et Heus., Gu. 1. secuto, volgo omittunt; nos vero cum Grut. Gron. Oliv. Ern. ascivimus e μ et ψ. *Aut* — *aut* copulat, ut I. 11, 36. pr.

licentiam d., *ut* — *liceat*] Cf. similem repetitionem 87. pr. De *Academiae* libertate v. n. ad II. p. 3. s. d. h. l. 7, 33. ex. *Fin.* V. 26, 76. *Tusc.* V. 11, 33. Ceterum Bardili in Hauffii *Philologia* II. p. 16. animadvertit, Nostrum in *libris de Fin.*, maxime IV. et V., inclinare ad Peripateticorum philosophiam de moribus, minus illam severam; sed, cum de officiis scriberet, ipsum sensisse videri, quam inconstanter virtus diceretur summum bonum, neque tamen solum, ad quod omnia, quae homini in vita expetenda sint, referantur. Idemque p. 33. s. censet, Ciceronem, antea fluctuante Academiae, probabilia consectantis, myoparone modo huc, modo illuc delatum, nunc, patriae, in qua quondam princeps fuisset, rebus afflictis et perditis, ut ipse se consolaretur et cum Fortuna sua iniquiore in gratiam rediret, tamquam in portum, confugisse ad Stoicorum, omnes res humanas despicientium, *maxime fortem et virilem rationem atque sententiam* (*Tusc.* III. 10, 22. pr.). Hoc eum quasi patrimonium relinquere voluisse filio, Peripateticae philosophiae alumno, huic insinuantem, sese, rerum vicissitudine edoctum, cognovisse, quam parum secunda Fortuna in potestate nostra posita esset eaque re quam nullius momenti ad beate vivendum: etenim se illam tam instabilem expertum esse et caducam, ut in rerum expetendarum fine constituendo nullam iam

quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.

V. Detrahere igitur alteri et hominem hominis 21
incommodo suum augere commodum, magis est contra Naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam,

---

eius rationem ducat. Post interiectam hanc inconstantiae excusationem scriptor *ad formulam*, modo propositam, *redit*, ut eam tum confirmet, tum uberius explicet. Nec vero in seq. demum capite quaeri debet cum Garvio, cuius in ed. II. p. 10. verba ibi in margine ascripsit Reiz, haud dubie, ut coram discipulis suis refutaret: de quo nihil suspicatus videtur Gernhard. Degen autem, adhuc Garvii errori mancipatus, sentire videtur cum Pontio Pilato: Ὃ γέγραφα, γέγραφα. Nam part. *igitur* a seq. cap. principio non, ut iste opinatur, transitum facit ad formulam illam, sed supra propositam in alias formulas solvit, ex ea concludendo.

C. V. §. 21. *Detrahere i. aliquid alteri*] Bern. cum quatuor Gu. et sex Ald. transp. *alteri aliquid.* Pronomen, F. Heusingero suspectum, cum Gu. 3. et exc. Bedae Eybique abiecimus. *Detrahere* absolute ponitur §. 24. ex. 30. sub f. Tum Bern. cum Gu. 1. 2. 5. *suum commodum augere.* Sensus loci hic est: „Natura rationis ope hominem fecit magis abhorrentem a detractione aut appetitione alieni, quam a morte, ab egestate et a corporis cruciatu. Recta et incorrupta natura magis respuit iniustitiam, quam omnia, quae praeterea aspernatur." Ex superioribus seqq. hanc in modum explebis: *Nam* (si qui detrahat ab altero, commodi sui gratia) *principio tollit* etc. His respondere §. 25. pr. *Neque vero hoc solum* etc., volt F. Heus. et Deg., ut *vero* continuet orationem, ut alibi praecedente *primum.* At vero alterum argumentum videtur sequi demum §. 26. pr. *Deinde* etc. Consulto autem hic dicitur *convictus*, i. e. quasi amicorum et eorum, qui necessitudinis vinculo iuncti sunt, consortium, *vita victusque communis* l. c. 17. ex. Repetit Cicero eam Stoicis ius Naturae, de cuius sanctitate v. 6, 27. s., a naturali quadam universi generis humani societate, de qua cf. not. ad l. 50. p. 121. et fragm. ap. Lactant. V. 8, 10. in Schütz. ed. opp. Cic. XVI, I. p. 159. quod, quovis pignore conten-

quae maxime est secundum Naturam, humani gene-
22 ris societatem. Vt, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valitudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset: sic, si unus quisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratiá, societas hominum et communitas evertatur, necesse est. Nam, sibi ut quisque malit, quod

---

dam, inserendum esse in l. I. *de Legg.* inter cap. X. et XI. mirorque id nondum animadversum esse editoribus. Ex eodem Stoicae philosophiae fonte manarunt hae regulae iuris in *Digestt.* I. 1, 3. *cum inter nos cognationem quandam Natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.* XIV. *t.* 3. *l.* 17. §. 4. ex. Proculi: *videri dolum* [*malum*] *facere, qui ex aliena iactura lucrum quaerat.* *l. L.* t. 17. *l.* 206. Pomponii: *Iure Naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento et iniuria fieri locupletiorem.* Cf. Rachelius ad h. l. p. 414. s. (ed. Neap. p. 115. s.). Binkes p. 46. (12.) praeter Schulting. *Not. ad Dig.* T. I. p. 19. ibique Smallenburg, laudat Io. Iacobi Schmauss *Neues System des Rechts der Natur* §. 10. p. 49. Eodemque modo iudicat communis hominum sensus, maxime eorum, qui sibi iniuriam fieri putant: e. g. in Terentii *Andr.* IV. 1. pr.

§. 22. *sensum hunc haberet*] Non i. e. q. *crederet*, ut intt. accipiunt, Ciceroni pleonasmum obtrudentes; sed i. q. *sic animatum esset:* quo modo praecessit, *si enim sic erimus affecti.* Sic saepe *sensus* dicitur pro *mentis affectione.* In metaphora de corporis organismo Ciceronem aemulatus est Seneca *de ira* II. c. 31. ad f. *Ep.* 95. p. m. Eadem utitur Socrates in Xenoph. *Memor.* II. 3, 18. s. et de Christi ecclesia Paulus *ad Corinth.* I. 12, 12 — 27. Ciceroni fortasse obversabatur fabula Menenii Agrippae ap. Dionys. Hal. et Livium II. 32. ex. — Proxima vv. Bern. quoque collocat sic: *ad se rapiat commoda aliorum.* — Ad seqq. cf. 42. pr. Eurip. *Medea* 85. Menander: φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα Aristoteles *Moral. Eudem.* VII. δοκεῖ γὰρ ἐνίοις μάλιστα ἕκαστος αὐτὸς αὑτῷ φίλος. Hegias ap. Suidam: Ἑκάστῳ φησὶν εἶναι τὴν ἔφεσιν τοῦ ἀγαθοῦ πρὸς ἑαυτὸν μᾶλλον ἢ πρὸς ἕτερον. Terent. *Andr.* II. 5, 16. IV. 1, 12. Salvian. Massil. *ad Eccles. Cathol.* *l.* III. *Etiam vulgo dictum est, omnes sibi melius velle, quam alteri. Novum hoc monstri genus est, cuilibet quemquam velle consulere, tantum ne sibi.* Erasmi *Adag.* 291. p. 125. ed. Froben. *Fin.* V.

ad usum vitae pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante Natura; illud Natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Neque vero hoc solum Na- 23
tura et iure gentium, sed etiam legibus populorum,

21, 70. *Quamquam alii dicant —, sibi cuique cariorem* (esse rationem) *suam: tamen hi quoque posteriores fatentur, alienum esse ab iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat:* ubi Görenz critici officio functus esset, si ad fidem binorum Pariss. *quid* delevisset, ut voluerat Davisius. Talia vel invitis libris corrigenda.

§. 23. *Natura et iure gentium*] Sic Lips. 607. 518. et id Görenz e suis ll. reponi iussit ad *Acad.* I. 5, 21. p. 35. b. cuius tamen notanda simul quaedam negligentia est. Cum enim ibi e tribus suis III. *Fin.* 5, 18. correxisset *Iam membrorum et partium corporis:* hic postea ipse edidit *id est*, ne addita quidem lectionis varietate. Nostro etiam l. in al. edd. legitur *id est*, quod Vinar. Magont. ed. s. l. et a., Rom. 471. Ven. 498. cum tribus aliis, Arg. Lugd. 627. omittunt. De *et* explicative synonyma copulante v. ad II. c. 11. ex. *Ius autem, quod ita dici appellarique possit, id esse Naturam*, monetur *Fin.* III. 21, 71. pr. *Leg.* I. 12, 33. pr. Hinc ib. §. extr. *utilitatem a Natura seiungere*, i. e. *a Naturae iure et conditione.* Hic vero *et* melius fortasse accipietur pro *et quidem*, ut *ius gentium* quodam modo distinguatur a *Natura*, id est a *Lege summa*, qua omnium ordo rerum naturalium perpetuus consilio divinae sapientiae stabiliatur. Haec igitur lex (ὁ νόμος ὁ κοινός) latius patet. Consulatur Clodius noster in *Apologia Vlpiani*, ad I. 50. ex. laudata, qui V. Excell. p. 6. *iuris naturalis* vocabulum e Zenonis et Cleanthis mente magis ad legis latorem refert, ratione praeditum, quam ad illos, qui eius iussu complexum legum generalium, etiam physicarum, sequuntur, caeco fortasse impetu ad obsequium commoti, ceterum ratione destituti. Non igitur fidem habemus Görenzio II. *Leg.* 4, 8. *principem legem illam et ultimam mentem esse omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei*, ex usu formulae *ratio cogit* interpretanti sic: „facientis; ut omnes, qui ratione sunt praediti, quae sunt rationis, necessario probare et sequi teneantur.“ Imo satis sententiam suam ipse Tullius modo ante declaraverat: *legem esse aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia.* Intelligitur ergo *divina necessitas*, i. e. *naturalis vis*, *ratione praedita, omnium rerum dominans.* V. Lactant. I. 5, 21. IV. 9, 2. Latius patet, quod dicitur *Tusc.* I. 13, 30. *omni in re consensio omnium gentium lex Naturae.*

quibus in singulis civitatibus res publicae continentur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinclis,

---

res publicae, continentur] Sic duo Oxx. Vin. Gu. 3. Beda, edd. vett., Faec. Olivet. pro volg. *r. publica continetur*. Plurium numero usus est Cic. I. 92. pr. ubi item plerique libri substituunt singularem: *qui rem publicam regant, quod eorum administratio*. II. *Divin.* 2, 6. ex. S. Pomp. Festus *de vv. sign.* p. 445, 7. ed. Amst. 699. *Res publicas multarum civitatum pluraliter dixit C. Gracchus in ea, quam conscripsit de lege Penni de* [sic Dacierius conificit pro ll. lectione: *lege Pl. Ennii et.* V. infra ad 47. pr.] *peregrinis*, *cum ait:* „*Eae nationes cum aliis rebus per avaritiam atque stultitiam res publicas suas amiserunt.*" Frustra plurium numerum Gernh. repudiat propter vv. *in singulis civitatibus*. Ea vero non officiunt, modo cogitentur singulae *res publicae*, quae, alia in alia civitate, fundatae sunt legibus ex iisque pendent. Sic Cic. in *or. de proscriptorum liberis* ap. Quinctil. XI. 1. ed. Capperonn. p. 682. *ita legibus Sullae contineri statum civitatis*, affirmat, *ut, his solutis, stare ipsa non possit*, et *Leg.* III. 5, 12. *magistratibus iisque, qui praesunt, contineri rem publicam.* Verissime igitur Cel. Aug. Matthiae emendavit *Catil.* IV. 1, 2. pr. *forum, quo omnis aequitas continetur.* Cf. h. l. 70. ex. n. ad II. 58. ex. *Sext.* 42, 92. *iudicia, quibus omne ius continetur.* *Cluent.* 50, 137. ex. ed. Beck. Commentarii instar potest esse ib. 53, 256. s. ol. *Parad.* IV. 1, 5. ubi *ius et aequitas* dicuntur *vincula civitatis.* — Deinde contra Facciolatum, cum Ven. 502. et rell. edd. vett., Ascensio et Fabrit. tuentem Imperfectum *liceret*, monuit Gernh., Praesens tempus, quod pendeat e Praes. *est*, legem inducere, omnibus datam temporibus. Sed quid mirum, si ex hoc ipso Grammaticorum de consecutione temporum praecepto volgari corrigendum visum est scribis, quos lateret, Imperfectum Subiunctivi referri ad mentem eorum, qui primi constituerint res publicas? ut. II. 75. p. 142. pr. I. 7. 22. p. 51. *N. D.* I. 17, 45. (Natura) *insculpsit in mentibus, ut eos* (deos) *aeternos et beatos haberemus.* 20, 54. (deum) *imposuistis — dominum, quem — timeremus.* Cf. n. ad II. 5, 9. pr. De ipsa sententia, legibus civilibus civium actiones regi ad incolumitatem communis libertatis civitatisque finem, ius tutum omnium ac singulorum, cf. *Leg.* II. 5, 11. Binkes p. 46. (13.) laudat Roussavium *du contr. social.* p. 68. ed. Amst. 762. et H. van Sonsbeeck, *Diss. de Leg. Civ.* introd. c. 3. in *Annal. Acad. Groning.* a. 1817.

damno coërcent. Atque hoc multo magis efficit ipsa Naturae ratio, quae est lex divina et humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum Naturam volent vivere), nunquam committet,

---

hoc multo magis efficit] Ascensii, Facc. Graev. Oliv. atque Ernesti lectionem *exigit* tueri possis auctoritate Vin., comp. 6, 31. pr. Cum recepta e Bern. et al. plerisque libris non satis apte comparatur *Tusc.* I. 11, 23. ubi *efficiet ratio* i. e. q. *evincet ratiocinatio*. Huius autem loci sensus erit: „Vt hoc verum esse fateamur, multo magis cogit ipsa Naturae ratio; hoc verum esse (np. *ut non liceat sui commodi causa nocere alteri*), multo magis probari potest ex ipsa Naturae ratione." Non melius, quam Degen, interpretatus Bavius Voorda *Lectt. Tull.* c. V. importunissima hunc l. vexavit coniectura: *ipsa naturae humanae ratio*, *quae est lex divina, cui* etc. V. laudatum a Lactantio II. 8, 23. Senecae l. *de benef.* IV. 7. s. *nil aliud esse Naturam, quam Deum et Deum ipsum Naturam* (*die Weltseele*) : de quo exposuit Lipsius *Physiol. Stoic.* I. 5. et Platner passim in dial. *vom Atheismus*, (ed. nov. Lips. 785. 8.), quem laudat Wetzel ad *Cat. Mai.* 2, 5. Cf. n. ad I. 4, 12. pr. et, quem Binkes laudat, *van Wesele Scholten* in Diss. *de philosophiae Ciceronianae loco, qui est de divina natura*, p. 53. Ergo *Naturae ratio* est *insita in Natura ratio recta summi Iovis*, quae, *aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis d e i*, dicitur *l e x d i v i n a* (quam ipsa omnipotentia sequitur). *Leg.* II. 4, 9. s. *Fin.* IV. 5, 11. ex. Iam vero Stoicis placet, ut observat Bardili in Hauffii *Philol.* III. p. 59. in mente sapientis, convenienter Naturae viventis, repraesentari ipsius Naturae, principia sua repetentis eaque in vitam vocantis, rationem et legem, quasi ad exemplar imitatione expressam. Cf. Exc. VIII. ad I. p. 525. s. Haec *ratio mensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea*, dicitur *lex humana*. V. *Leg.* II. 5, 11. pr. I. 6, 18. ex. cum Görenzii nota. Ibid. 7, 23. docetur, *r e c t a r a t i o cum sit lex* (ib. 12, 33.), *l e g e q u o q u e c o n c i l i a t o s h o m i n e s c u m d i i s*, *iisdem imperiis et potestatibus parere*. Cf. *N. D.* II. 31, 78. et ad eum l. III. Creuzer p. 533. a. Eximium de hac lege locum e l. III. *de re publica* servavit Lactant. VI. 8, 7. ss.

p a r e r e qui velit (*omnes autem p a r e b u n t*) De hoc parentheseos genere v. ad I. §. 2. p. 4. s. *Epist.* IX. 14, 2. X. 6, 5. XIII. 41, 1. *Att.* XIV. 13. *Quemcunque ... l a e t a t u m ... putabit* (*l a e t i t i a m autem apertissime tulimus omnes*) *hunc* etc. Deinde Degen, hebeti subtilitate argutatus, e Cur. et aliis non nullis contra plurimorum eorumque optimorum auctoritatem librorum cum Heus. *qui — v o l u n t vivere* edidit, cum Gernh. recte comparas-

et alienum appetat et id, quod alteri detraxerit,
24 sibi assumat. Etenim magis est secundum Naturam excelsitas animi et magnitudo, itemque comitas, iustitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiae: quae quidem contemnere et pro nihilo

---

set II. c. 13. pr. *Or.* II. 11, 46. ex. Sententia declaratur fragmento ap. Sch. XVI, II. p. 144. *Lex dei praeclara et divina semper, quae recta et honesta iubet, vetat prava et turpia: cui parentem sanctissimae ac certissimae legi, iuste ac legitime necesse est vivere.* Hic etiam vera honestatis regula obversata est philosopho nostro: nimirum ita agendum esse, ut ipsi participes esse possimus auctoritatis, qua sanciantur leges ab universa ratione latae, ut iis teneantur omnes ratione utentes: qua in re ὁμολογία illa posita est, de qua v. *Exc.* III. cl. Tennemanni *Gesch. d. Philos.* IV. p. 75. 80. Apud Diog. Laërt. VII. 88. Chrysippus iubet ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν· ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν αὑτοῦ καὶ κατὰ τὴν τῶν ὅλων, οὐδὲν ἐνεργοῦντας ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ νόμος ὁ κοινός, ὅσπερ ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διὶ καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὄντων διοικήσεως ὄντι· proinde πάντα πράττειν κατὰ τὴν συμφωνίαν τοῦ παρ' ἑκάστῳ δαίμονος πρὸς τὴν τοῦ ὅλου διοικητοῦ βούλησιν, quod Antonin. III. 12. dixit: ἑπόμενον τῷ ὀρθῷ λόγῳ ἐσπουδασμένως —, τὸν ἑαυτοῦ δαίμονα καθαρὸν ἑστῶτα τηρεῖν et 16. τὸν ἔνδον ἐν τῷ στήθει ἱδρυμένον δαίμονα — ἵλεων διατηρεῖν, κοσμίως ἑπόμενον ὡς θεῷ, μήτε φθεγγόμενόν τι παρὰ τὰ ἀληθῆ μήτε ἐνεργοῦντα παρὰ τὰ δίκαια. Cf. ib. 5. 6. V. 27. De hoc Stoicorum placito, Genium uni cuique innatum esse, eiusdem naturae participem, cuius ipsum mundi animum, eumque esse *legis humanae* auctorem, v. Lipsii *Physiol. Stoic.* III. 8. — Extr. vv. *et id — assumat*, citata a Nonio ad v. *Detrahere*, in Bern. desiderantur.

§. 24. *Etenim multo magis*] Adv. *multo*, quod Heusingero e superioris sententiae principio huc translatum videbatur, cum Nonio c. VIII. 22. in v. *Excelsitas* omisimus. Deinde cum Bern. Cur. ed. Ven. 502. et rell. libris tuemur lectionem *comitas*. Aliis e Vin. exc. Bedae, Eybi et Vinc. Bellov. ed. Magqnt. Lips. 507. Martini Landsbergii, atque alia s. l. et a. et Lugd. 507. placuit *communitas*, i. e. virtus eius, qui nihil singulare ac praecipuum sibi tribuit prae aliis, qui non extollit se altius, sed modestia et popularitate efficit, ut unus de multis esse videatur; omnino, qui est patiens iuris legumque communium, commodus et moderatus ad omnem rationem humanitatis, κοινὸς καὶ φιλάνθρωπος ap. Demosth. *de corona* p. 315. s. ed. Reisk. Opponitur *arrogantiae* atque *insolentiae*.

ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi et excelsi est. Detrahere ergo de altero, sui commodi causa, magis est contra Naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem. Itemque magis est secundum Naturam, pro omnibus 25 gentibus, si fieri possit, conservandis aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem

---

V. n. ad I. c. 43. pr. cl. Servio ad Virg. *Aen.* IIX. 275. et Gernhardo ad *Cat. Mai.* 17, 59. ubi pro *communem* olim legebatur *comem*. *Comitas* est autem facilitas aliis commodandi, officiorum et beneficiorum promptitudo. Infra 118. pr. cum *bonitate* ac *liberalitate* sociatur omnibusque *iis virtutibus, quae in communitate cernuntur et in societate generis humani.* Cf. I. 51. p. 125. ad vs. 1. *Fin.* V. 23, 65. ex. *iustitia — : cui sunt adiunctae pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeque sunt generis eiusdem:* ubi a tribus Görenzii ll. substituitur *communitas*. Ib. II. 25, 80. Epicurus dicitur *comis in amicitiis tuendis*, quem modo antea dixerat *bonum virum et comem et humanum;* sed et ibi in libris quibusdam corrupte legitur *commune*, et ap. Aemil. Prob. I. 8, 4. a quo Miltiadi tribuitur *summa humanitas, tum mira comitas*, in non nullis MSS. est *communitas*. Subtiliter ibi Cel. Bremi utriusque vocis, ubivis propter simile compendium confusae, discrimen constituit. Hic *comitas* opponitur *voluptati, iustitia vitae, liberalitas divitiis:* in quo haesit Facciol. Paullo post Gu. 3. Beda atque Eyb transponunt: *Magni animi est et excelsi.* Tale μεσόζευγμα reperitur I. 67. ex.

Detrahere ergo de altero] Heus. cum Gu. 5. et uno Aldi *autem* mutavit in *ergo*: ut verba haec contineant necessariam consecutionem legis naturalis, modo propositae. Nimirum e lege Naturae positiva, quae recta imperet, per conclusionem ad contraria deducitur negativa, quae vetet prava, ut §. 25. ex. De positu vv. *generis eiusdem* v. ad II. 3, 11. pr.

§. 25. Cf. Antonin. III. 4. κήδεσθαι μὲν πάντων ἀνθρώπων, κατὰ τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν ἐστίν. Aristot. *hymn.* in *Analect.* Br. I. 177. (I. 110. Iac.) e Diog. Laërt. V. 7. Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ, — σοῦ δ' ἕνεχ' ὁ ἐκ Διὸς Ἡρακλῆς Λήδας τε κοῦροι πόλλ' ἀνέτλασαν, ἔργοις σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν. Hoc memorabile est in *Herculis* rebus et animum legentis mira quadam sublimitate delectat, quod heros ille impiger ubique se praestitit iustum; quippe qui orbem terrarum nulla alia de causa peragraret, quam ut a monstris et iniustitia purgaret, puniret maleficos, insontes defenderet

illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, ... in

---

aut ulcisceretur. V. Dio Chrys. *Or.* V. p. 85. C. Eius aerumnas saepius tamquam exemplum imitationis commemorat Noster *Fin.* II. 35, 118. s. III. 20, 66. *Tusc.* I. 14, 32. Cf. Sophocl. *Trach.* 1010. ss. 1160. s. Br. Arrian. *de reb. Ind.* p. 254. ed. Blancard. cl. I. 6. p. 100. III. 24. p. 330. *Diss. Epictet.* II. 16, 44. 26, 31. III. 24, 13. Themist. *Or.* XX. p. 240. A. Ἡρακλῆς παράδειγμα ἐγένετο ἀρετῆς καὶ τὴν γῆν ἅπασαν ἐπιφοιτήσας τυράννων τε ὠμότητα ἐκδιώκων ἀλλοκότων. Lucian. *Dial. Deor.* XIII. 1. p. 236. et in *vit. auction.* 8. T. I. p. 648. Propert. IV. 9, 73. De Heraclidis Accius ap. Priscian. VII. *Quorum genitor fertur esse o p s g e n t i b u s.* In *Anthologiae* l. cit. a Cerda ad Virg. *Aen.* VIII. 189. natum se dicit esse, σώζειν ἀγαθοὺς ἐξ ἀχέων. Hinc vocatur σωτὴρ, ἀποτρόπαιος ἀλεξίκακος (v. Varro *de L. L.* VI.) et Cois, ut Aristides ait, Ἄλεξις. Atque etiam, si qui olim Herculem laudare susciperet, huic obiiciebatur: *Ecquis eum accusat?* De Herculis laude in Panegyricis v. Cresollii *Theatrum Rhetor.* III. 3. p. 98. C. ss. *Verba Herculis* ap. Iuvenal. II. 20. significantur ea, quibus ille in bivio, repudiata Voluptate, se tradiderat Virtuti, I. *Off.* 118. pr. Tandem e conditione humili ac servili (quam *exinanitionis* vocant) ἄθλων ὑπερτελὴς ascendit ad *statum sublimem* v. *exaltationis*: qua de re sic scribit Diodor. IV. 8. lin. 58. τοὺς προγόνους, διὰ τὴν ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς, ὁμολογουμένην αὐτῷ συγχωρῆσαι τὴν ἀθανασίαν, ubi non satis recte distingui videtur. Equidem ὁμολογουμένην ad antecedentia potius retulerim hoc sensu: *cum omnes consentirent, virtute eum fuisse primarium.* Cf. ib. c. 37. ss. cll. Apollod. II. 7, 7, 15. Horat. C. III. 3, 9. s. IV. 5, 35. s. (*Graecia magni m e m o r Herculis*) 8, 29. s. *Epist.* II. 1, 10. ss. Phaedro IV. *f.* 11. ex Aesopi *f.* 194. (605. ed. Fr. de Furia) Silio XV. 77. s. Cic. *Leg.* II. 8, 19. 11, 27. *p. Sext.* 68, 148. *de re publ.* ap. Lactant. I. 18, 13. ipsum I. 9. pr. severius iudicantem; *Tusc.* V. 22, 50. I. 12, 28. ubi item, ut h. l. *fama* dicitur de rumore divinitus exsistente, cui assentitur hominum opinio; et de auctoritate, qua narrationes antiquitus traditae ad popularem religionem consecrantur. *N. D.* II. 62. c. 24. pr. *beneficiis excellentis viros in coelum f a m a ac voluntate tollere* i. e. q. *consecrare.* Cf. fragm. *Consolat.* ap. Schütz. p. 114. e Lactant. I. 15, 20. *Catil.* III. 1, 2. Plutarch. *Rom.* I. 63. B. Ῥωμύλον μὲν οὕτοι θεῶν παῖδα ὑμνοῦσι φήμαις. Iulian. *Or.* IV. p. 154. C. ἐξ ἡλίου κατῆλθεν ἡ φησὶ τοῦ Κυρίνου· πειστέον γὰρ, οἶμαι, τῇ φήμῃ. *Caesar.* 307. B. Κυρῖνος, ᾧ δὴ χρὴ καλεῖν αὐτὸν ὀνόματι, τῇ θείᾳ πειθομένους φήμῃ. Liban. T. II. *Or.* p. 346. D. de Alexandro: ὁ τοῦ Διὸς παῖς λεγόμενος καὶ πιστωσάμενος τοῖς ἔργοις τὴν φήμην: quae contulit Wyttenb. ad Iulian. *Or. I. in Constantii laud.* p. 58. s. (151. s. ed. Schaef.) — Schütz ad h. l. negligentius enotavit,

in concilio coelestium collocavit, quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine et viribus. Quocirca optimo quisque et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem Naturae obedientem homini nocere non posse. Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid 26
commodi consequatur, aut nihil se existimat contra Naturam facere aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam

---

vit, in aliquot edd. corruptum esse: *in concilium deorum collocavit.* Sed unus Gu. 3. habet *in deorum concilio.* Ablativus in Accusativum corruptus est similiter ap. Lactant. I. 18, 8.

non modo] hic quidem ponitur pro *non solum sine ullis molestiis.* Fit enim gradatio. Cur autem *in solitudine etiam pulchritudo et vires* inter felicitatis adiumenta annumerentur, vera causa latuit Facciolatum. Non modo usus aut commendationis causa, sed etiam per se haec Stoici praecipua esse volebant, teste Diog. Laërt. VII. 107. Cf. Cic. *Fin.* V. 17, 46. s. De vita solitaria Naturae contraria v. ad I. 153. p. 302. Deinde Facc. cum Vin. Gu. 3. Beda atque edd. vett. legit *quisque splendidissimoque*, hic minus commode, quam I. 8, 26. ex. Extrema laudantur a Lactantio VI. 11, 2. non c. 2. Nec vero fortitudinis solum, ut Gernh. putat, comp. I. 66., sed omnino communitatis cum Natura convenientia hoc probatur argumento.

§. 26. *se existimat — facere*] Bern. cum al. transp. *existimat se facere contra.* Reciprocum in tali constructione ante verbum finitum ponitur II. 3, 10. ex. *Fin.* V. 20, 55. *se arbitrentur — posse*, et h. quidem l. non sine vi, ut innuatur, homines haud raro *sibi* indulgere, quod non item aliis permissum vellent. Tum Bern. *fugienda.* I. M. Heus. e MSS. aliquot et Ald. commendat Gerund. *fugiendum*, ut I. 120. ex. Seqq. vv. *amissionem — amicorum* ab explanatore aliquo addita suspicanti Facciolato assensit Schütz. Iure defendit Gernh., comp. *Tusc.* III. §. 73. c. 30. pr. sed errare videtur in eo, quod, contineri haec in *dolore* (animi), existimat. *Dolor* hic pro *cruciatu* ad solum corpus referri debet. Propter *amissionem amicorum* Stoici etiam excedendum e vita arbitrabantur. Diog. Laërt. VII. 130. ex. Tum pro volgato *cuipiam* e Bern. et Guu. omni-

iniuriam. Si nihil existimat contra Naturam fieri in hominibus violandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem censet, sed multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quod ullum aut corporis aut fortunae vitium animi vitiis gravius existimat.

VI. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unius cuiusque et universorum: quam si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio. Atque etiam, si
27

---

bus restituimus *cuiquam*, utpote in negativa sententia, praecedente et comparandi part. *quam* et verbo *fugiendam*, ut *cavere*, *nolle* etc. finem indicante negativum, i. e. eo spectante, ut ne quid fiat: unde Infinitivo post φεύγειν praemitti μὴ observat Ill. Hermann. ad Viger. n. 271. p. 811. ed. II. Sic extr. hoc cap. *errat in eo, quod ullum — existimat*, i. e. *existimandum erat, nullum* etc. Voc. *iniuriam* Bern. non habet, nisi superscriptam. E Gu. 3. 4. 5. (non, ut Sch. notavit, 2. 3. 5.) edd. vett. itemque Ascens. et Facc. *hominibus violandis* praeposuimus *in*, monente Gernh., facile absorberi potuisse a proximo *fieri*. Cf. n. ad I. 9, 28. p. 64. Sententiae vis haec est: „Si qui se infitietur exaudire Naturae, i. e. conscientiae, vocem, cum hoc non est, quod disceptes, quippe qui, omnis honestatis fundamento everso, ipsa principia tollat." Notatur naturae tam depravatae, ut omnino ab humanitate desciverit, perversitas errorque ille, quem nunc *immoralismum* vocant. — Tum in multis ll. leg. *sed et multo illa peiora*. In Bern. et al. *sed* absorpta est a proximo v. *censet*, relicta *et*. Idem cum Guu. omnibus transp. *vitium vitiis animi*. Accedit Magont. *vicium viciis animae*. Amat Cicero huius modi chiasmo eadem vocabula consociare. Sequimur tamen volgatum ordinem propter oppositionis vim. Sic *Fin.* III. 19, 64. *Leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt.*

C. VI. *si rapiet, dissolvetur — consortio*] Huic sic plane etiam a Bern. servatae lectioni Nonius in v. *Consortium* substituit glossam *dissolvatur necesse est*. Cf. I. 7, 21. ex.

§. 27. *Atque etiam, si*] Sic vv. collocat etiam Bern. Recte Gernh. virgulam interposuit. Quod vero dicit, hoc esse alterum argumentum, quo efficiatur, omnium utilitatem esse communem: nos quidem non aliud reperimus

hoc Natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est, secundum eandem Naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes, et eadem lege Naturae: idque ipsum si ita est, certe violare alterum Naturae lege prohibemur. Verum autem primum. Verum igitur extremum. Nam illud quidem absur- 28
dum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos, sui commodi causa; aliam ratio-

---

primum, sed praeceptum potius, *ut communem utilitatem nostrae anteponamus.* Iam vero additur theorema: *revera omnium utilitatem esse communem.* Ergo hic fit gradatio. Cf. *Fin.* III. 19, 64. pr. 21, 69. In seqq. hunc verborum ordinem, *Naturae lege prohibemur*, firmat etiam Bern., in quo extr. §. ubi volgatur *verum igitur et extremum*, vocula *et* videtur erasa: quam, ab Heus., ut c. 5. extr., eiectam, nisi abesset a codd. Guu. Aldi, ed. Gryph. Ascens. et Bald., faciles ferremus. V. n. ad I. 142. p. 286. s. *Tusc.* I. 17, 40. pr. *sicut pleraque, sic et hoc. Att.* V. 10, 3. pr. *Valde me Athenae delectarunt: urbs dumtaxat —, sed multum et philosophia. Fin.* III. 8, 27. ex. *diligendum: ergo et probandum.* Atque alia particula adhibita dicitur *de fato* c. 6. *Si enim verum est —: illud quoque verum est*, et c. 7. ex. *si . . . primum . . . necessarium est: fit etiam, quod consequitur, necessarium.* Ceterum *primum* et *extremum*, ut alibi *prius* et *posterius*, *superius* et *inferius* (τὸ πρῶτον et τὸ δεύτερον), hic i. e. q. *praecedens* (ἡγούμενον) et *annexum*; *id, quod sequitur*; *sequens portio* (ἑπόμενον v. λῆγον) in *connexo* v. *adiuncto* (συνημμένῳ v. τροπικῷ). V. Quaestio *de formis cogitandi* §. 15, in *nota* p. 24 — 27. Ceterum talis συνημμένος συλλογισμὸς, in cuius assumptione (μεταλήψει) et *connexione*, *complexione*, *illatione*, *illativo rogamento* (ἐπιφορᾷ), i. e. *conclusione syllogismi* (συμπεράσματι), utrumque illud non iisdem verbis repetitur, sed, ut h. l., modo significatur nominibus suis *primum* — *extremum*, dicitur λογότροπος: cuius vim ibid. *not.* ad §. 13. verius exposuisse videmur, quam recentiores etiam Lexicographi.

§. 28. *sui commodi causa*] Sic ordinem volgatum *commodi sui causa* mutant duodecim Manutii, Bern. Vin. Gu. 1. 2. 3. 4. ed. Magont. Ven. 470. Rom., ut paullo inferius et §. 23. pr. 24. ex. cum hac fere emphasi: *ut ipse aliquid commodi consequatur* §. 26. pr. Similiter pron. praeponitur §. 21. pr. *suum augere commodum*, et, *propter*

nem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil iuris, nullam societatem, communis utilitatis causa, statuunt esse cum civibus: quae sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, [hi] dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur. Quae qui tollunt, etiam adversus deos immortalis impii iudicandi sunt. Ab his enim constitutam inter homines societatem evertunt: cuius societatis arctissimum vinculum est, magis, arbitrari, esse contra Naturam, hominem homini detrahere, sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam

---

suum quisque emolumentum. Sed §. 22. *emolumenti sui gratia* et 29. *commodi mei gratia.* Ante *aliam rationem esse* inculcata volgo *sed*, itemque *et* ante *nullam societatem* recte repudiatur a Bern. quoque. Seqq. ap. Lactant. VI. 6, 21. transponuntur sic: *dirimunt hi communem generis humani societatem.* Cf. h. l. §. 21. ex. Gu. 3. substituit *ii;* alii *hii:* unde pron. insiticium esse suspicamur: cuius Ellipsis iterum usurpatur statim post. V. ad I. 56. ex. — Deinde e Bern. et F. Heusingeri praeter Gu. 3. (in quo est volgatum *ab iis*) omnibus rescripsi *Ab his enim* constitutam. Cf. *N. D.* I. 1, 2. *utrum nihil agant (dii) ... an contra ab his ... omnia facta et constituta sint.* De ipso argumento cf. Tennemanni *Gesch. d. Philos.* IV. p. 76. ibique Stobaeus *Ecl. Eth.* II. p. 216. πᾶν ἁμάρτημα ἀσέβημα εἶναι· τὸ γὰρ παρὰ τὴν βούλησίν τι πράττεσθαι τοῦ Θεοῦ ἀσεβείας εἶναι τεκμήριον.

incommoda s. vel externa vel corporis v. etiam ipsius animi] Eadem est *commodorum* divisio II. 25, 88. itemque *bonorum* et *malorum* ap. Pythagoreos (e. c. in Archytae fragmento ap. Stob. *Serm.* I.), Academicos vett. et Peripateticos. *Partit.* 22, 74. s. *Inv. rhet.* II. 59, 177. s. cl. 56, 168. s. *Acad.* I. 5, 19. ss. 6, 22. *Fin.* II. 21, 68. III. 13, 43. V. 24, 68. *Tusc.* V. 27, 76. 30, 85. pr. 41, 119. ex. Sext. Empir. XI. 45. *Pyrrh. hypot.* III. 180. Diog. Laërt. III. 80. s. V. 30. Plat. *Prot.* et *Gorg.* Aristot. *Eth. Nicom.* I. c. 8. pr. de quo cf. Theodoritus XI. θεραπευτ. p. 153. *Commoda externa v. extranea* Academicis et Peripateticis dicuntur *vitae bona*, ut divitiae, ut opes, ut gloria: *Acad.* I. 6, 21. Oppo-

ipsius animi, quae vacent iustitiae. Haec enim

---

nuntur *fortunae mala* N. D. III. c. 32. 36. II. *Acad.* 43, 134. vel, ut Stoici malunt, *fortunae incommoda* (*Tusc.* III. 32, 78. V. 9, 25.), *fortunae vitia*, h. l. 5, 26. ex. *quae possunt rebus externis accidere*, ut paupertas: 5, 21. Temere igitur Bavius Voorda *Lectt. Tull.* c. VI., deleta disiunctionis particula, legi voluit: *vel externa corporis;* et tum cum Gronovio *vel ipsius animi;* *ne vacet iustitia*, np. *animus.* Hoc unum recte monuit, adiecto pronomine *ipsius* significari, animi incommoda doloribus corporis graviora esse. Part. *etiam* suspecta fit, Gu. 3. transponente *ipsius etiam.* Scheller in *Obss.* tuetur corruptam lectionem: *quae vacent iustitia:* in qua tamen cum Bern. rell. omnes ll. conspirant: nisi quod ap. Muret. XV. 9. (in Grut. *Lamp.* II. 1142.) e vett. notatur stribligo: *ceuatent iustitiam;* exc. Pith. habent *quae vacat iustitia*, Pall. et duo Pauli Manutii *quae vacant iustitia*, unus *quae non vacant iustitia*, Vbaldinus liber *quae vacent iniustitia:* qua lectione arrepta, recentiores edd. in seqq. pro *Haec enim* rescripserunt *Iustitia enim*, secuti et Bedam atque Eybum, quos quidem extra orationis contextum haec vix aliter adhibere potuisse, ipse F. Heus. fatetur, et Vincentium Bellovac., qui, verbis *quae vacent iustitia* cum Goth. perperam omissis (nam sententia fit absurda, cl. c. 5. ex.), deinceps transponit: *Iustitia enim est*, etc. At vero videntur haec respicere ad eandem virtutem (ut II. 2. p. 14. s.), non ad vitium ei contrarium. Praeterea Superlativus, cui *una* iungitur in consimili l. *N. D.* II. 2, 4. pr., hic compensaretur verbis *omnium domina et regina virtutum;* sed tum abundaret *virtus.* Quid, si ante haec vv. inseruerimus *nisi*, cuius particulae compendium post *animi* facile potuit obliterari? Iam exibit sensus: *modo ne vacent iustitia:* quamquam hoc I. 62. pr. et extr. dicebatur non in aliquo vitio, insuper etiam iustitiae contrario, sed in re per se speciosa illa quidem, nec tamen eadem iusta. Aliam igitur ausus sum coniecturam: *quae vacent iustitiae*, i. e. locum relinquant, capacia sint iustitiae, modo admittant iustitiam, ut fere loquitur Virgil. *Aen.* XI. 179. s. ex Heynii interpunctione et Palladius c. 17. ex. Cic. *Divin.* I. 6, 11. pr. Curtius VI. 7, 20. Tacitus *Hist.* I. 44. pr. *tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat:* i. e. *tum demum mens Othonis, antea sollicitudine occupata et quasi obstructa atque clausa, patebat gaudio, ex mutatione fortunae capiendo, postquam, aemulo remoto, nulla amplius sollicitudo inerat.* H. l. intelliguntur naturae vitia, i. e. ea, ad quae quis ex naturalibus causis propensus est, sed a quibus voluntate, studio, disciplina avocari potest, in cuius rei exemplo Stilpo et Socrates commemorantur *de fato* c. 5.; aut ingenii vitia, quae ipsa certe non cogunt ad iniustitiam, ut saepe tardi atque hebetes nati probitatis

una virtus omnium est domina et regina virtutum.
29 Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio,

---

laude praestiterunt multos ingeniosos atque acutos. Intelligenter observante Lilio I. p. 56. „Stoici non negabant, Naturam aliis matrem, aliis novercam fuisse et alios aliis felicius instructos esse vel ad virtutem accipiendam vel ad eam solertiam, quae in vitae fructibus percipiendis versatur, acuendam; sed, cum nec virtutis indolem nec profectum ab ea bene vivendi conatum *virtutis* laude et nomine dignarentur: minus movebantur difficultatibus iis, quas movet Garvius Vol. I. p. 30. ss.“ magis etiam ib. p. 68 — 73. 303 — 326. Ceterum etiam Aristoteles *Eth. Nic.* l. V. c. XI. sect. 6. et Seneca *Ep.* 95. iudicant, *ex Naturae constitutione miserius esse, nocere* (ἀδικεῖν), *quam laedi* (ἀδικεῖσθαι). Ad *iustitiae* laudem comp. n. ad I. c. 7. pr. cum *Exc.* XI. p. 332. s. 334. l. II. c. 11. pr. *Fin.* V. 23, 66. *iustitia, ut ipsa se fundet usu in ceteras virtutes, sic illas expetet. Servari enim iustitia, nisi a forti viro, nisi a sapiente, non potest.* Hinc Hierocles in *Aur. Carm.* p. 66. τελειοτάτην πασῶν ἀρετῶν καὶ περιεκτικὴν τῶν ἄλλων, ὡς οἰκείων μερῶν, vocat, ut Ammian. Marc. XX. 8. ubi cf. Lindenbrog. Plotinus *de Pulchr.* p. 53. p. 26. D. cum Ill. Creuzeri *annot.* p. 208. et Ambrosius *de Paradiso* c. III. §. 18.

§. 29. *animi talis affectio*] i. e. *iustitia*. Vid. *Fin.* V. 23, 65. Ibid. ad III. 20, 65. pr. Görenz bene confert *Tusc.* IV. 15, 34. *virtus est affectio animi constans conveniensque*, διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος αὑτῇ ap. Stob. *Ecl. Eth.* II. p. 104. Praeluxit Tullio h. l. Plato *de leg.* XI. ab in. οὐ γάρ ποτε τοσοῦτον εἰς χρημάτων ὠφεληθείην ἂν κτῆσιν, ἀνελών, ὅσον εἰς ὄγκον πρὸς ἀρετὴν ψυχῆς καὶ τὸ δίκαιον ἐπιδιδοίην ἄν, μὴ ἀνελόμενος, κτῆμα ἀντὶ κτήματος ἄμεινον ἐν ἀμείνονι κτησάμενος, δίκην ἐν τῇ ψυχῇ πλούτου προτιμήσας ἐν οὐσίᾳ κεκτῆσθαι πρότερον. Non tamen de hac extremae necessitatis casu loquitur, in quo certe alius hominis servandi causa detractionem alieni concedit C. S. de Seydlitz in l. *Lichtpunkte der Lebensmächte* (Vratislav. 1816.) p. 146. ss. sed, quod aliis, idem non minus nobismet ipsis nos debere, concessit p. 153. Et cum singulorum iure derivato ipsum ius primitivum, uni cuique hominum ingenitum, tolli nequeat ideoque ista quidem possessionis privatae auctoritas inviolabilis ipsi *iuri* repugnet, mitius iudicium tulit AMMON, V. Magnif. et S. Rev., in diss. *Exc.* IX. ad l. I. laudata, p. 7. „Quis sapientem,“ inquit, „potius fame confici, quam cibum inutilem alteri, invito licet, auferre debere, statuat,

neminem ut violem, commodi mei gratia. Quid, si Phalarim, crudelem tyrannum et immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit? nonne faciat? Haec ad iudicandum sunt 30 facillima. Nam si quid ab homine ad nullam partem utili, tuae utilitatis causa, detraxeris: inhumane feceris contraque Naturae legem. Sin autem is tu

---

quum nulla sint privata naturâ cibusque alteri inutilis nulla pactione adeo in possessionem privatam abire possit, ut vita hominis fama enecti periclitetur?" Idem placuit 10 Fergusoni in *Principles of moral P.* II. *ch.* 5. *sect.* 1. I. G. Fichtio in *Grundlage des Naturrechts* T. II. p. 31. s. et Exc. Wendtio in l. *Grundzüge der phil. Rechtslehre* §. 49. p. 81. ss. Divinitus de omni eius modi deliberatione praecipiens Summus Clodius in *Grundriſs d. allgemeinen Religionslehre* (Lips. 808.) §. 41. n. 1. p. 224. s. cum F. Henrico Iacobi in Opp. Vol. III. p. 37. hominis maiestati ius contra superstitionem, neglecta legis vi atque sententia, eius literas urguentem, aggratiandi concessit. Atque ipsi Tullio, qui hic rigidus facit cum illo mendicantium custode et terrore, cuius inexorabili immisericordiae persuaderi non poterat, mendico fame pereunti vitam utcumque tamen esse tolerandam, ipsi inquam Stoicidae nostro alibi, Rhet. II. 58, 174. (Sch. c. 57.), *qua in re fieri potest, ut, cum incolumitati consuluerimus, quod sit* (imo videatur tantum) *in praesentia de honestate* (potius a reverentia adversus literam legis, sine calumnia interpretandae) *delibatum, virtute aliquando et industria recuperetur* (illi, cui eripueris, suum restituatur), *incolumitatis ratio videtur habenda; cum autem id non poterit, honestatis.*

Phalarim] quem puerulos adhuc lactentes edere solitum fuisse, cum Clearcho ap. Athenaeum p. 369. perhibet Tatianus sect. 54. Atque etiam secundum Aristotelem *Eth. Nic.* VII. 5. sect. 2. et 7. *Eudem.* VI. 5., ut Aspasius scholiasta interpretatur p. 154., λέγεται φαγεῖν τὸν ἑαυτοῦ παῖδα. V. n. ad II. 26. pr. cl. *in Pis.* §. 42. ex. *Tusc.* II. 7, 17. V. 26, 75. ex. Seneca *Ep.* 66. §. 17. Plin. XXXIV. c. 4. sect. 19. §. 32. Olear. ad Suidam in v. Φάλαρις. Interrogandi signum, volgo supra post *Quid* positum, illinc promovimus post *possit.* V. ad II. 7, 25. pr.

§. 30. *tuae utilitatis*] Bern. cum Gun. transp. *utilitatis tuae*: quod displicet. Notandum est autem Futurum actionis perfectae et in protasi et in antapodosi, cum utraque res simul eventum habitura cogitetur: ut *Or.* III. 14, 55. ex. *Or.* 69, 231. ex. *Lig.* 12, 36. ex. *Fin.* II. 18, 69. pr. 33, 107. ex. III. 3, 10. ex. V. 16, 45. ex. *Catil.* II. 5, 11. IV. 6, 11. pr. ubi haec notavit Aug.

sis, qui multam utilitatem rei publicae atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis: si quid ob eam causam alteri detraxeris, non sit reprehendendum. Sin autem id non sit eius modi: suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra Naturam morbus aut egestas aut quid huius modi, quam detractio aut appetitio alieni; sed communis utilitatis derelictio contra
31 Naturam est: est enim iniusta. Itaque lex ipsa Naturae, quae utilitatem hominum conservat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque

---

Matthiae, V. D. Addimus ex h. l. §. 32. *Phil.* VII. 9, 26. ex. *de fato* c. 11. ex. *Tusc.* III. 32, 78. *si lugenti persuaseris: non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris.* Cf. Görenz in Progr. scholast. (Zwiccaviae edito) *de Futuri exacti vi optativa* p. 8. s. qui h. l. expedit ita: „*Gesetzt es wäre dein Wille gewesen, in irgend etwas einem Menschen deines Vortheils wegen Abbruch zu thun: gegen Menschenpflicht würdest du da wohl gehandelt haben und gegen Naturgesetz.* Sed, ut accedat optativa quaedam vis, quae manifesta est §. 29. pr. in v. *dixerit quispiam* (cl. Curtio VI. 8, 35.) et in Plauti *Trinummo* II. II. 104. (578.): nihilo minus in tali connexione ubique significatur eventus coniunctus statim cum ipsa actione, non post demum consequens. — Dictionem *utilitatem afferre* notavit Oertel *de Germanismis ling. lat. apparentibus*, *Sect.* II. p. 21. comp. Quinctil. *Instt.* extr. Proximorum sensus hoc modo constituatur: *Sin autem ea causa, cur alteri detrahatur, non sit eius modi.* Muretus *V. L.* XV. 9. ex. (in Grut. *Lamp.* II. 1142.) e vetere libro profert *sin autem is non sis eiusmodi*: unde coniicimus, *eius modi* esse pronominis glossam. Nam *is* est etiam in duob. Aldi; in uno non comparet *autem*. Extr. §. Bern. Goth. Gu. 1. 2. 4. et a prima manu 5. itemque edd. vett. habent: quam *detractio atque appetitio alieni*: quod placet F. Heusingero, interpretanti: „*non detractio solum* [imo *modo!*], *sed etiam appetitio alieni.*" Degradationi magis convenit *aut*.

§. 31. *decernit profecto*] Bern. Gu. 1. 2. 3. et ante correctorem 5. *decernet*: quod praeferendum videbitur, si cogitaris rationem quasi iudicem legisque interpretem.

inutili ad sapientem, bonum, fortem virum transferantur res ad vivendum necessariae (qui si occiderit: multum de communi utilitate detraxerit): modo hoc ita faciat, ut ne, ipse de se bene existimans seseque diligens, hanc causam habeat ad iniuriam. Ita semper officio fungetur, utilitati consulens hominum et ei, quam saepe commemoro, humanae societati. Nam 32
quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium est. Nulla enim nobis societas cum tyrannis, et potius

Deinde Sch. cum volg. *sapientem, bonum, fortemque.* F. Heusingero, copulam cum pluribus Manutii, Goth. Vin. Gu. 1. 2. 3. ed. Magont. Ven. 470. Rom. 471. tollenti, fauet Bern. quoque. V. de hoc articulo ad I. 1, 2. p. 7. De constructione *qui si occiderit : — detraxerit* v. ad §. 50. pr. Seclusimus haec ut parenthesin. Nam ad superiora spectant seqq. *modo hoc ita faciat, ut* (caveat) *ne.* Ergo etiam a seq. sententiae principio *Ita* valet : *Quae praecepta servans, hac cautione adhibita.* Cf. I. 80. (p. 185. s.) 88. p. 199. s. *Modo* pro *dum modo* positam observavimus ad I. 156. *Or.* §. 28. *modo id eleganter — faciat.* Deinde *de se bene* (np. ultra meritum) *existimans seseque diligens* dicitur φίλαυτος. Cf. I. 9, 30. pr. Totam hanc Ciceronis sententiam reprehendit Pufendorf *de I. N. et G.* l. III. c. 2. §. 2. refutatus a commentatoribus, Barbeyracio et Mascovio *not.* 6. Nulla potest esse dubitatio. Ille enim, cui detrahetur, ipse civitatis, cuius interest, talem virum servari, pars est. Ergo hoc munus, si non civi, at civitati certe debet. Hoc unum contra moneri poterit, ineptum esse, quisquis sapienti, bono, forti viro certam quandam praescriptionem in perpetuum dare velit, quid in extremo necessitatis casu facere debeat. Huic quidem non praecipiendum, sed ab eo discendum ipsi morum magistro, ut Grammaticis, ab ingeniosissimo quoque poëta, rhetoribus, ab eloquentissimo et summo oratore exempla repetentibus. Id autem, quod praestitum fuerit ab artifice quocumque in genere, postmodum subiiciatur sane Aristarchorum censurae. Minus perfecti autem homines, qui sibi connivere ament, talium cautionum frustra admonebuntur. Extrema sic capimus : *Ita semper officio fungetur, cum nemini detrahet nisi propter communem hominum quam plurimorum societatisque humanae utilitatem, cuius derelictio iniusta est* (§. 30. ex.). Hottingeri versio *utilitatem singulorum hominum* opponit *universae societati humanae.*

§. 32. *Nulla enim*] Bern. *Nulla est enim societas nobis cum t. et potius.* Cur. et ed. Ven. 502. cum volg.

summa distractio est; neque est contra Naturam, spoliare eum, si possis, quem est honestum necare; atque hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim,

---

sed potius. Cf. *Acad.* II. 17, 54. *cur eo non estis contenti — ? et cur id potius contenditis?* Sic potiusque I. *Off.* 92. p. 207. *ac potius* I. 68. ex. *Or.* II. c. 18. pr. *nunquam — extorsimus : ac potius — tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus.* c. 37. ad f. *Minime, inquit Antonius : ac sic decrevi philosophari potius.* — Idem Bern. confirmat ordinem seqq. verborum : *quem est honestum necare.* Huius constantis in vett. rebus publicis sententiae Binkes p. 47. (16.) de Graecis adduxit exempla apud Cic. p. *Mil.* 29, 80. pr. et *de inv. rhet.* II. 49, 144. pr., apud Romanos autem *legem Valeriam*, de qua Liv. II. 8. paullo ab in. Plutarch. in *Poplicola* c. 11. et in huius *compar. cum Solon.* c. 2. Heineccius *Antiq. Rom. Append.* L. I. §. 26. Laudatur etiam Grotius, qui *I. B. et P.* l. III. c. 10. §. 3. Ciceroni assentiri videatur. Dixerit quispiam cum Euripidis *Electra* 1057. Mngr. „Δίκαι' ἔλεξας· ἡ δίκη δ' αἰσχρῶς ἔχει. Quis enim, pestiferos atque impios a quovis ex arbitrio necari atque exterminari honestum esse, iudicet, nisi qui simulationibus, odiis, suspicionibus vitam muniturus omnemque vitae congregabilis fructum interceptum sit?“ Verum tamen quaeritur hic de viro bono, qui, patriae misertus, pro communi omnium salute recuperanda non dubitet suam vitam obiicere minaci tyranno, sanguinem sitienti. Hic nunquam eius modi animi perturbationibus ad parricidium et scelus incitabitur *nec quidquam aget, quod, dubitet, aequum sit, an iniquum* (I. c. 9. ex.), etiam si in eo laudando omnes conspirarent philosophi. Facinorosi autem, in quos istae perturbationes cadunt, ut, qui nuper Parisiis regiae familiae insidiati sunt, sicarii conscleratissimi, *non verbis sunt et disputationibus philosophorum* (quas surdis auribus exciperent), *sed vinclis et carcere fatigandi* (93.). Eo liberius hac de re sententiam ferre licebit. Nam plerique morum magistri paullo timidiores videntur aut sibimet ipsis pavere et formidare, si tale facinus facere licuerit, aut a παῤῥησίᾳ abhorrere, ne scilicet displiceant potentioribus. Sed non videntur considerasse, se ipsos reos fieri maiestatis, quippe qui cum tyrannis, i. e. iis, qui ne umbram quidem legum relinquunt lacerantque omni scelere rem publicam et in ea funditus delenda occupati sunt, legitimos confundant reges et principes, Christum cum Belia! Homini sane nefas est, supremi dei regere fulmina. Sed hunc in usum deus hominem rationis lumine instruxit, ut dignoscere posset hominem ab universi generis humani peste ac pernicie, quem

ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tamquam spiritu carere coeperunt et nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas et immanitas beluae a communi tamquam

---

modo exstirpanda. Alias neque incendium, a fulmine excitatum, ab hominibus restingui fas esset. Contra tyrannos uti iure et moderamine inculpatae tutelae in ultima certe necessitate concessit etiam Exc. Krug. *Dicaeol.* §. 84. *not.* extr. p. 358. His autem si maluetitis, quam aliis efferis monstris, parci: nae probare debebitis hominis definitionem Platonica illa, quae in gallum deplumem cadit, longe ineptiorem! Habet etiam ea res convenientiam. Nam si omnes hanc legem, a Cicerone propositam, sequerentur aut a Natura ipsa etiam inviti sequi cogerentur: tum quidem nemo exsisteret tyrannus. Nam, quem ratio ab illa vesania non revocaret, hunc certe metus deterreret. Quamquam nulli unquam populo, cui libertas sua venalis non est, haec a quoquam eripietur, non magis, quam puellae invitae virginitas. Nam qui potest mori, cogi non potest. Sed hoc ipsum miserum est, ne libertati superstes sit, mori. Itaque, ne, si res ad seditionem descenderit, plures cadant victimae: qui Herculis illius ritu insontes ex taeterrimorum monstrorum faucibus funestis eripere volet, is, generosi animi impetu elatus, auxilium feret; eventum autem modestus permittet deo. Longe aliter de nefaria audacia enthusiasmi vel potius furoris, quo quis occoecatus, invita societate civili, interfecit quempiam sanctarum legum praesidio septum, esse statuendum, sobrius ac circumspectus huius rei arbiter iudicat in Brouckhusii *Real-Encyclopaed.* T. X. p. 960.

si et ipsa sanguine et tamquam spiritu carere coeperunt] Sch. cum Facciol. ex huius codice pro *sanguine* dedit *languere*, quod habet etiam Vincent. Bellovac. et cod. Huydekoop. Nos quidem auctores chirurgis sumus, ut criticis relinquant medelam illam amputandi etiam *languida* membra, non modo *emortua*: de quorum abscissione F. Heus. comparat Celsum V. 26. §. 34. ex. Non est tamen, ut cum Heus. *sanguinem* quodam modo tropice accipias pro *vita et vigore.* Imo intelliguntur *membra exsanguia*, i. e. *ea, quae non modo incorruptum sanguinem amiserunt, vitiosum collegerunt, sed quibus omnino decedit sanguis.* Görenz ad *Leg.* III. c. 14. pr. atque iterum ad *Acad.* II. 38, 120. pr. observat, duplicem causam amputationis poni, alteram, quae ad membra affecta ipsa spectet, si emortua sunt, alteram, quae ad reliqua corporis eiusdem membra pertineat. Cf. n. ad I. 136. ex. *Phil.* VIII. §. 15. ex. Ovid. *Metam.* I. 190. s.

corpore segreganda est. Huius generis sunt quaestiones omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur.

33 VII. [1]Eius modi igitur credo res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio

---

a communi tamquam humanitate corporis] Non e Manutii, ut Sch. notat, sed e Mureti coniectura, etiam Reizio probata, post vero etiam in Gu. 3. reperta, nunc editur *humanitatis corpore*, quod Scheller interpretatur *hominum corpore*. At vero *humanitas*, in cuius vi explicanda hic Heus. et Gernh. argutiis certant, collective non usurpatur. Praeterea *tamquam* non suo loco posita est. Oportuit certe dictum: *tamquam corpore humanitatis*. Cf. *p. Sext.* §. 135. ex. E Gu. 3. restituimus *corpore*, sed proscripsimus glossam, quae, petita ex antecedd. *ex hominum communitate*, glossatam expulit ap. Vincentium: *a communi humanitate segreganda est;* abest autem certe ab uno Ox., in quo est: *a communitate corporis*. — Deinde Bern. Guu. omnes et Gryph. transponunt: *quaestiones sunt*, Gu. 3. *eae omnes*. E pron. *eae*, quod Gu. 1. ignorat, ed. s. l. et a., Ven. 498., Lipss. 507. 513. Lugd. 527. fecerunt *hae*, abiecto *omnes*, quod et p omittit. Cf. n. ad 3, 14. pr. Forte leg. *Huius generis quaestiones sunt eae*. Denique *ex tempore* i. e. q. *e re nata*, *κατὰ τὰς διαφορὰς τῶν καιρῶν περιστάσεως*, *tempori convenienter*, ut *Att.* IX. 2. b. extr. Cf. n. ad I. 51. p. 125.

C. VII. §. 53. *aliqui casus*] Hanc pronominis formam agnoscit et Bern. Censori Ienensi, quem ad II. 74. p. 153. memoravimus, etiam invitis codicibus, rescribendum videtur *aliqui*, ubicumque adiective ponitur. Schuppius autem in Seebodii *Krit. Biblioth.* 1820. n. 12. p. 995., utriusque formae pronomen cum Substantivis iungi concedit, hoc servato discrimine, ut *aliquis* certum quendam subindicet, e. g. *Epist.* VII. 1. pr. *Si te dolor aliquis corporis aut infirmitas valitudinis tuae tenuit*, ubi ex eiusd. l. *ep.* 4. §. 2. intelligitur *podagra*. XI. 28, 20. Vagius autem altera forma *aliqui* poni videtur XVI. 12, 1. *p. Sext.* c. 62. ex. *Tusc.* IV. 16, 35. ex. *semper aliqui talis terror impendet*. V. 21, 62. *Acad.* II. 7, 19. pr. 26, 86. secundum Görenzii lectionem. Hinc faciles concedimus, alteram formam fortasse a scribis invectam esse ibid. 19, 61. *quibus aspectum solis sive deus aliquis sive natura ademerat*, ut in *Lael.* 23, (87.) 6. pr. et *Tusc.* I. 11, 25. ubi tamen Davis. tacito edidit *deus aliqui viderit*; sed ib. 34, 82. *Num igitur aliquis dolor aut omnino post mortem sensus in corpore est?* Cf. n. ad I. *Off.* c. 32. pr. Statim

consilium eius peremisset. Ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum; quid idcirco fugiendum non sit, quod omnino turpe non est.

Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium imponimus: ut geometrae solent non omnia docere, sed postulare, ut quaedam

---

post Bern. cum Guu. omnibus et decem codd. Aldi transp. *eius consilium.* — *Perimere* recte explicatur *irritum facere*, comp. *p. Sext.* c. 22. pr.

ex superioribus libris satis multa praecepta sunt] Schützio, cum I. M. Heus. interpretanti *praecepta exstant*, refragatur positus verborum. Praepositionis *ex* pro *in* usurpatae idem Heus. exempla comparat parum similia: nisi forte dixeris, scriptorem sic loqui, quia haec in superioribus libris obiter tantum praecepta sunt, tertio libro reservanda. Vix tamen aliter haec exponi poterunt, quam: *ex superiorioribus Panaetii libris deprompta satis multa a nobis praecepta sunt.* Nescio igitur, an aliquid tribuendum sit I. Walkeri suspicioni, *ex* post haec vv. transferendam esse. Certe ante seq. *quibus* desideramus praepositionem, ut I. 97. pr. 103. pr. 161. pr. II. 89. ex. et ubivis alibi. — Deinde Gu. 4. *sit* ignorat in vv. *quid sit propter t. fugiendum*, ut in eius modi oppositorum comparatione per anaphoram I. c. 42. pr. Tum Bern. Gu. 1. 2. 4. μ, P. Balduin. et Gryph. *quid sit, quod idcirco fugiendum non sit:* quod non displicet Gernhardo. Cf. 4, 18. ex. *quid est ergo, quod — soleat?* I. 4, 14. pr. *sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat:* ubi item Facciol. cum Palat. 2. et Ven. 554. *sit, quod* sustulit, ut h. l. F. Heus. cum Goth. et Pearcio. In rell. ll., abiecto v. *sit*, servatur *quod.* In ψ et ed. Facc. scribitur *sit id, quod.* Maxime concinna visa Heusingeri est lectio. Proxime post Sch. scripsit: *quia omnino t. non est,* ut ait cum F. Heus. e Guu. omnibus, septem Aldinis, ed. Magont. Gryph. Anemoec. At vero hi habent *quod*, ut et Bern., qui cum decem Aldinis et Tertii libro, Gu. 1. 3. 4. 5. ed. Mag. et Gryph. confirmat *turpe non sit,* idque Gernh. praetulit. Maiorem tamen probabilitatis speciem habet *est:* quo vitatur etiam ὁμοιοτέλευτον.

prope tamen absoluto] Sch., cui hic de lectionis varietate nulla fides habenda, cum quibusdam habet *et p. tamen a.* Copulam, quae abest a Bern. et aliis plerisque

sibi concedantur, quo facilius, quae volunt, explicent; sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum: at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se exptendum. Mihi utrumvis satis est; et tum hoc, tum illud probabilius videtur nec
34 praeterea quidquam probabile. Ac primum Panaetius in hoc defendendus est, quod non utilia *cum honestis pugnare aliquando posse* dixerit (neque enim ei fas

---

ll. itemque a Nonii c. VI, 89. antiquissimo MS. Gu. et ed. Merceria, expunxerat F. Heus. *Tamen* sic, nulla concedendi particula praecedente, ponitur I. §. 38. pr. 153. ubi cf. n. p. 301. *Or.* I. 18, 82. pr. 32, 145. pr. *Div. in Caec.* 13, 41. *Catil.* III. 5, 10. *qui paullo ante aliquid tamen ... respondisset ..., repente conticuit*; et ib. §. 12. pr. — Seq. Indicativum *quae volunt* cum Nonio in v. *Explicare* firmat Bern. quoque. De *mathematicorum more*, qui, si quid evidens est, id sumunt pro certo atque concesso, cf. *Tusc.* V. 7, 18. pr. — *Non licet per Cratippum*, i. e. non concedente Cratippo. Sic Macrob. *Sat.* I. c. 24. *Vergilianos versus ..., pueri cum essemus ..., sine iudicio mirabamur; inspicere autem vitia nec per magistros nec per aetatem licebat.* De Stoicorum et Peripateticorum, qui *ad honestatem prima Naturae commoda adiungunt* (*Acad.* II. 45, 138. ex.), in finibus bonorum et malorum dissensione Cicero *Acad.* II. 43, 134. ex. *Distrahor: tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur.* Resp. ad h. l. 8, 11. p. 200. *Leg.* I. 20, 54. 21, 55. *Tusc.* V. 41, 120.

§. 34. *Panaetius in hoc*] Bern. cum 4 Guu. male transponit *in hoc Panaetius.* — *Neque enim ei fas erat*, i. e. consentaneum Stoicorum rationi. V. 3, 12. pr. cl. Van Linden in *Diss. de Panaetio* p. 104. s., ad I. c. 2. pr. 16. laudata. Recte igitur Hottinger ad h. l. p. 240. *nefas*, οὐ θέμις, οὐ θεμιτὸν, monuit dici in eo, quod per naturam non liceat. Cf. 4, 17. pr. Temere igitur in Platonis *Timaeo* p. 526. ed. Lugd. (Bip. IX. p. 303.) τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ πάντος εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας λέγειν ἀδύνατον ex Ciceronis *de Universo* c. 2. interpretatione *indicare in volgus nefas* rescribendum οὐ δεῖ αὐτὸν coniecit Wideburg ad I. *N. D.* 12, 30. pr. ubi tamen ipse Cicero ἀδύνατον firmat, reddens: *qui in Timaeo*

erat) sed ea, *quae viderentur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honestum; nihil honestum, quod non idem utile sit,* saepe testatur; negatque, *ullam pestem maiorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint.* Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore diiudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quae videretur esse, non, quae esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quidquam de hac parte post Panaetium explicatum est, quod

---

patrem huius mundi nominari neget posse, ut et Lactant. I. 8, 1. et Minucius Felix c. 19, 17. Explicuit Iosephus *in Apionem* l. II. c. 31. οὐκ ἦν ἀσφαλές, Tertull. *Apolog.* „*enarrari in omnes difficilem.*" Et iam Kindervater in commentariis ad I. *N. D.* p. 153. *not.* cum interpretatione illa comparaverat Horat. I. *Carm.* 24, 20. Idem Cicero alium *Timaei* locum p. 306. Bip. νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ vertit: *intelligentiam autem ulli rei adiunctam esse sine animo, nefas esse.* Tum in Bern. quoque legitur *quae viderentur.* Al. *videantur.*

quod non idem utile sit] Gu. 3. *sit utile* et §. 33. Gu. 1. *nihil praeter id, quod honestum* (excluso *sit*), *propter se esse expetendum:* unde hic quoque suspectum fieri possit, ut significavimus ad I. §. 43. ex. Nihil tamen in his uni libro tribuimus, cum in eius modi reciprocatione alterutri enunciationis membro verbum addi soleat: ut 3, 11. ex. 5, 20. p. 215. s. II. 3, 9. ex. Pronn. *quod — idem* iunguntur *Acad.* I. §. 35. c. 9. ex. Similis ratio videtur ib. II. 25, 79. *quod ne id facere posses:* ubi Görenz comparat I. *Or.* 29, 132. *quod tamen id esse, quod* etc., susque deque habens, quid Subiecti, quid Praedicati loco sit. — Ad proxx. *negatque —, qui ista distraxerint,* v. *Epicrisin* supra p. 183. ss. — Inferius Bern. scribit: *nullis* (hic Abl. est etiam in Cur. et ed. Ven. 502. Cf. II. 59. ex.) *amminiculis* et deinde cum Gu. 1. 4. 5. *quicquam est de hac parte p. P. explicatum,* quem ordinem equidem praetulerim volgato *quicquam de — explicatum est;* sed a Gu. 4. abest *explicatum,* a 2. 3. *est.* Im-

quidem mihi probaretur de his, quae in manus meas venerint.

35 VIII. Cum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, commoveri necesse est. Sed si, cum animum attenderis, turpitudinem videas adiunctam ei rei, quae speciem utilitatis attulerit: tum non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contra Naturam, quam turpitudo (recta enim et convenientia et constantia Natura desiderat aspernaturque contraria) nihilque tam secundum Naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas et turpitudo esse

---

modestum Ciceronem facit Degen, encliticam *quidem* referens ad seq. *mihi*. Quasi vero sit proclitica! Tum pro volg. *de iis* e Bern. scripsi *de his* propter seqq. *quae in manus meas venerunt*. Sic Sch. cum Bern. et volgg. Sed Gernh. cum Pearcio et Heus. e Goth. Guu. quatuor, *s*, ed. Gryph. et Bald. praetulit *venerint*, scite interpretans: *quae me legere memini.*

C. VIII. §. 35. *species u. obiecta.*] Cf. II. c. 10. ex. *Fin.* I. 14, 47. *plerique ..., victi et debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos.* V. 19, 50. ex. *nulla utilitate obiecta.* Ad Inf. *commoveri* supplendus Subiecti indefiniti Accusativus *hominem* v. *unum quemque nostrum.* Gernhardum, III. *ad Herenn.* 3, (4.) §. 5. pr. comparantem, fefellit prava eius loci distinctio. Adest enim ibi Subiectum *viros fortis.* Rectius comparabuntur, quae ibid. statim praecesserunt: *ostendemus, res magnas et celsas sequi et appetere oportere.* §. 4. *supplicum, dicemus, misereri oportere —; ulcisci male meritos oportere;* c. 4. §. 7. *Neque enim solum laudis causa rectum sequi, convenit.* c. 5. §. 9. *Virtute vel ultro ad mortem proficisci, esse praeclarum.* — Deinde *tum non ut. relinquenda e.* Bern. quoque lectio est. — *Aspernaturque contraria,* i. e. *tristis et aspera est contrariis.* Cf. cum interpp. *Tibull.* I. 6, 2. Virg. *Aen.* VIII. 365. Ciceronis argumentatio haec est: „Nulla in Natura potest esse ἀντινομία. Atqui, utilitatem ut quaerant, impellit, turpitudinem ut fugiant, omnes homines monet Natura. Ergo, si et honestatis et utilitatis studium naturale est, utrumque ipsa Natura coniunctum esse, efficitur; certe absurdum est, *in eadem re utilitatem et* [Bern. cum al. *utili*] *turpitudinem*

esse non potest. Itemque, si ad honestatem nati sumus eaque aut sola expetenda est (ut Zenoni visum) aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia (quod Aristoteli placet), necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum. Quod autem bonum, id certe utile.

---

non esse." In alienum sensum haec detorsit Bardili in Hauffii *Philologia* II. p. 59. ex. quasi *utilitas sequatur Naturam, ut accessorium suum principale!* Garve autem ad h. l. p. 42. (ed. 2.) castigat Ciceronem, quod, utilitatis rationem a Natura proficisci, dixerit. At vero ipse Ciceroni hic substituit notionem abstractam rerum externarum, mediocriter tantum ad virtutis usum exercitationemque utilium, ad quas quaerendas intelligentia tamquam aliqua ancilla appetitibus facem praeferre debeat. Noster vero philosophus absolutam utilitatem cogitat (εὐδαιμονίαν, i. e. εὔρουν βίον, cum Zenone ap. Sext. Empir. *Pyrrh. Hyp.* III. 172. Stob. *Ecl. Eth.* II. p. 138. et Diog. VII. 88. ubi cf. Menag. cl. Gatakero ad Antonin. V. 34.), quam Natura rectae rationis quasi instinctu quaerit. De hac *utilitate* v. supra p. 185. cl. n. ad II. 3, 11. p. 25.

ut Zenoni visum] Additum volgo *est*, quod Facc. cum edd. vett. retraxerat ante *visum*, abest ab ed. Magont. Itaque, iubentibus Heuss., delevi. In verbis *omni pondere gravior* inest eadem allusio, quae 3, 11. p. 200. *Fin.* V. 30, 92. ad libram, cuius similitudine significabatur, virtutem tam praestantem esse, tam laudabilem, ut toto in mundo, terra pariter et mari, nihil quidquam inveniatur, quod cum ea comparari conferrique possit: reliqua omnia ὡς ῥοπὴν ζυγοῦ λογισθῆναι, ut loquitur Esaias XL. 15. i. e. ὡς οὐδὲν εἶναι vs. 17. Cf. *Sapientia Salom.* XI. 23. *Lanx Critolai* probatur a Dav. Chytraeo in *Tabula philosophor.* p. 347. D. *Thesaur.* Gronov. T. X. et ab Ioanne Ben. Carpzov in *vita et placitt. Crit. Phaselitae* (Lips. 743. 4.) §. 13. p. 36. ss. qui multa comparavit neque tamen animadvertit, Critolaum legisse Homeri vestigia in *Il.* VIII. 17 — 27. de Iovis catena illa. Alia metaphora, etiam magnificentior, frequentatur 47. ex. *Tusc.* V. 41, 119. ex. *Fin.* III. 14, 45. pr. IV. 12, 29. s. 13, 32. pr. V. 24, 71. ex. 72. 30, 90. 31, 93. *Ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae* (aut, ut alibi, *stellarum*): *sic omnis ista rerum in corpore sitarum* (et externarum) *aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat necesse est: ut ea ne in conspectu quidem relinquatur.* In seq. sorita formam quidem syllogismi agnoscit, sed nervum probandi desiderat Garve ad h. l. p. 46. s. Certe, si, ut Facciolato visum, Cicero

36 Ita, quidquid honestum, id utile. Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum et civium; hinc opum nimiarum potentiae non ferendae, postremo etiam in liberis civitatibus regnandi exsistunt cupiditates, qui-

hoc argumento efficere voluerit, ut et, quidquid honestum, idem utile esset et, quidquid utile, idem honestum, labo-rabit totius argumenti compages. Nam, ut concedatur, *honestum*, cum sit *secundum Naturam* atque *aut solum aut maxime propter se expetendum*, ergo *summum bonum* (cf. *Fin.* III. 8, 27. IV. 18, 50. *Tusc.* V. 30, 84. Plutarch. περὶ Στ. ἐναντιωμ. p. 1039. Diog. VII. 101. 127. ad f.), *honestum* igitur contineri in *utili*: tamen hae notiones non reciprocantur neque aequipollent; sed latius patet *utile* eique *honestum* subiectum est, tamquam pars generi.

§. 36. *Q. error — secernit*] Abstractum pro concreto: *Quare, non Natura duce, sed errore quodam homines improbi — secernunt.* Cf. II. 3, 10. ex. Eorundem criminum quotidianorum enumerationem v. *N. D.* III. 30, 74. ubi ab Ill. Creuzero adducitur Io. Lydus *de magistrat.* R. II. 9. p. 108. Σικὴν δὲ τὸ ὑπόζωνιον ξίφος Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Hinc *sicae* dicuntur pro caedibus a sicario factis, ut *venena* pro *veneficiis* (*Or.* II. §. 105.); *peculatus* autem sunt publicae pecuniae defraudationes. *Opes* Degen hic de divitiis accipit, contra, quam alibi, ubi debuerat. Hic quidem, ut e seqq. patet, eodem sensu dicuntur, quo I. 86. pr. — Deinde edd. vett. transponunt *exsistunt regnandi cupiditates.* Verbum Grutero et Facciolato suspectum fuit, dubis etiam superius illud *nascuntur.* Tuetur illud Gernh. Sed solet ad *hinc*, maxime in gravioris orationis anaphora, nullum adiungi verbum, ut I. 61. p. 148. ss. *Or.* III. 15, 56. *Verr.* IV. §. 24. c. 10. ex. *N. D.* II. 24, 61. Similiter ib. 23, 61. pro *Vides Virtutis templum, vides Honoris* Heindorf e Glog. restituit *Inde — inde*, cui glossator superscripsit *videmus.* In al. codd. est *Vide — vide.* Legitur quidem *Or.* III. 15, 56. pr. *Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili et voluntate.* Sed languere videtur *fuerunt.* Nostrum l. citavit Nonius in v.

bus nihil nec taetrius nec foedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident; poenam, non dico legum, quae saepe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non

---

Taetrum. Sch. hic scripsit *tetrius*, ipse I. 45. pr. aliam secutus orthographiam. — *Nihil excogitari potest*, i. e. *ne cogitari, ne si fingere quidem volueris*, ut *Or.* III. 45. ex. 179. pr. *Leg.* I. 23, 60. ex. ubi glossema *cogitari* a Görenzio, quem sequitur Sch., receptum notavit Cel. Matthiae ad *Catil.* II. 4, 7.

poenam — legum] i. e. *a legibus constitutam*, ut *Catil.* I. 9, 22. (33.). Ibid. 2, 4. (5.) *mors ac rei publicae poena* est *mortis poena, a re publica inflicta.* *Mur.* 27, 56. (104.) *odium inimicitiarum*, i. e. ex inimicitiis ortum: 41, 89. pr. (163.) *nova poena legis.* *De har. resp.* c. 18. *hominum poenas deesse adhuc, non deorum.* *Or.* I. c. 46. *innocentiam iudiciorum poena liberare.* Eodem modo *Leg.* II. 17, 43. *offensio iudicii*, quidquid obloquatur Görenz, est *ignominia et calamitas ex condemnatione*, qualis accidit e. g. P. Rutilio Rufo. Ib. §. 44. pro *metu tum conscientia* Exc. Hand in *Ien. Allgem. Lit. Zeit.* 1810. n. 71. felicissime coniecit legendum *metu conscientiae*, ut ib. I. 14, 40. *angore conscientiae fraudisque cruciatu.* Nam i. e. q. *Parad.* V. 3, 2. *exortus ex conscientia peccatorum timor.* Cf. n. ad II. *Off.* 5, 16. p. 35. *Agrar.* II. 14, 36. (52.) *Duae causae sunt huius obscuritatis, Q., una pudoris, — altera sceleris* (i. e. *sceleri tribuenda*). *P. Sext.* c. 62. *e magnis contentionibus rei publicae* (i. e. quibus occasionem dederat rei publicae administratio) *inimicus.* *Or.* III. 1, 7. *rei publicae dignitas*, i. e. hominis e re publica administrata. Vell. P. II. 64, 2. *fortunae — invidiam*, i. e. quam fortuna faciebat. Ceterum, ut hic et *Leg.* I. 15, 42. *leges*, v. ib. II. 17, 43. ex. *iudicia perrumpere*, sic *Catil.* I. 7, 18. (28.) *leges ac* [male nuperi edd. revocarunt *et*] *quaestiones perfringere*, i. e. violare, dicitur is, qui, cum in iudicium adductus, manifesto crimine teneatur, aliqua tamen via elabitur et se eripit poenis debitis. *P. Sext.* 64. 134. pr. *neque elabi ex iudicio iucunditate sua neque emitti gratia potest neque opibus ac potentia leges ac iudicia perfringere*, i. e. (135.) *vi iudicium disturbare*, cum diffidit. *L. I. in Verr.* 5, 13. pr. *Confringat sane ista vi sua consilia senatoria* (i. e. iudicum, e senatoribus lectorum), *quaestiones omnium perrumpat, evolet ex vestra severitate: mihi credite, arctioribus apud populum Romanum laqueis tenebitur:* ubi aperte alluditur ad dictum sive Zaleuci in Stob. *Sermon.* XLIII. p. 304. ed. Gesn. sive Anacharsidis ap. Valer. M. VII. 2. *extern.* 14. et Plutarch. *Solon.* 28. A. (c. 5.), ex quo ad ipsum

37 videant. Quam ob rem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio (est enim totum sceleratum et impium), qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est. Satis enim nobis, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnis deos

---

Solonem transtulit Diogenes Laërt. I. 58. ex versibus Iambicis expressum a Platone Comico in Hellade:

Ἔξασιν ἡμῖν οἱ νόμοι τούτοισι τοῖσι λεπτοῖς
Ἀραχνίοις, ἃ τοῖσι τοίχοις ἡ φάλαγξ ὑφαίνει.

Sic enim turbata metra ap. Eustathium et Suidam III. p. 575. v. φάλαγξ, cl. ib. Vol. II. p. 27. ἔξασι ἀντὶ τοῦ ἐοίκασι, restituit Car. Reisigius, V. Exc. in elegantissimi ingenii summaeque eruditionis *Coniectaneorum in Aristoph. l.* I. c. III. p. 116. Aliis plagis se impediit Degen.

§. 37. *deliberantium —, qui deliberant*] Huius modi repetitionem sibi permisit scriptor c. 4. ex. I. 5, 8. *sic definiunt, ut — definiant. Or.* III. c. 10. ex. Deinde in Gu. 2. leg. *pervenitur*, in quarto, 4, ed. Magont., Ven. 498. Lipss. 507. 515. et Lugd. 527. *pervenerit*: ad quem singularem verbi numerum supplendum foret pron. indefinitum *quis*. V. n. ad I. 121. pr. Ceterum, quod dicimus *in ipsa dubitatione facinus inesse*: non illa reprehenditur dubitatio, qua quis ambigit, *quale sit id, de quo consideratur*: quae quidem turpis non videtur 4, 18. ex.; sed eorum, qui, cum videant meliora probentque, deteriora sequi cogitant. Haec nunquam non apertum indicium est, eos saepe multumque peccando veri rectique sensum, a Natura sibi insitum, oblitterasse et, quantum in ipsis fuit, exstinxisse: ut iam voluntas pravi illecebris servile obsequium praestare assueta sit. Etenim, qui deliberant, sibi cupiunt licere; qui cupiunt, facile sibi persuadent licere atque ita ab honestate iam desciverunt. Nec vero actio demum, sed ipsa cupiditas animum deformat turpitudinisque labe afficit. Fac, exempli caussa, compares Tacit. *Hist.* II. 77. ex. ubi, *qui deliberant* (fidemne servent, an frangant), *descivisse* dicuntur. — Tum item alibi sensu dicitur *satis enim nobis* A. *persuasum esse debet,*

hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

IX. Hinc ille Gyges inducitur a Platone: qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, 38
descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata anulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit (erat autem regius pastor); tum in concilium se pastorum rece-

---

ut I. c. 20. pr. *Arch. P.* 6, 9. (14.) pr. *Nisi multorum praeceptis multisque literis mihi ab adolescentia persuasissem* (i. e. effecissem, ut ita sentirem atque in hoc starem iudicio), *nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem.* De ipsa sententia cf. Isocrat. *ad Demon.* c. 6. §. 5. Μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν. Καὶ γὰρ, ἂν τοὺς ἄλλους λάθῃς, σαυτῷ γε συνειδήσεις. Ex hac regula Noster *Leg.* I. 14, 40. s. *bonos viros* a *callidis* discernit.

C. IX. §. 38. *Gyges inducitur a Platone*] l. II. *de re publ.* p. 359. ed. Steph. 592. Frcf. (46. ed. Ast.). Fabulae fundamentum reperitur ap. Herodotum I. 8 — 12. et Iustin. I. 7. ex. Dicitur terra *discessisse*, ῥαγῆναι in Plat. l. c. Comp. Ambrosio III. c. 5. v. Nonius I. 132. et Sch. in *Lex. Cic.* s. v. n. 2. — Proxima vv. volgo sic posita, *in illum hiatum descendit*, transposui e Bern., Guu. omnibus et Goth., qui modo peccat *discedit.* — Seqq. Bern. cum Goth., pluribus Aldi codd. et Gu. 1. 2. 3. sic transponit: *corpus hominis m. vidit* (Gu. 1. *videt*) *magnitudine inusitata.* Haec ad miraculum pertinet, ut omnia, quae naturae morem deserunt: unde in divinae naturae aut originis signis habebatur ab omni antiquitate. V. Heynii *Excurs. XIII. ad Virgil. Aen.* I. p. 172. — Orthographiam *anulum* tuetur Bern. cum aliis plerisque. Grotefend in *Lat. Gramm.* Vol. II. §. 180. p. 197. (ed. 3.) §. 193. pr. cum Varrone derivat ab *anno.* At vero tam honeste derivari poterit ab *ano*, rotundo foramine, quam *penicillus* a *pene* cum Cic. in *Epistt.* IX. 22, 6. s. Certe Graece δακτύλιος notat et *anulum* et eam partem, quam suo nomine appellari, praesertim nostris temporibus, ut inter omnes constare dicitur, verecundissimis, obscoenum est. De v. *concilium* v. Gronov. ad Liv. XLIV. 2. Plato l. c. συλλόγου δὲ γενομένου τοῖς ποιμέσιν εἰωθότος, ἵν' ἐξαγγέλλοιεν κατὰ μῆνα τῷ βασιλεῖ τὰ περὶ τὰ ποίμνια, ἀφικέσθαι καὶ ἐκεῖνον.

pit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam converterat: a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cum in locum anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus, reginae stuprum intulit, eaque adiutrice, regem dominum interemit; sustulit, quos obstare arbitrabatur: nec

---

cum — converterat: — cum — inverterat] Particulam *cum*, ut c. 3. ex., rectius accipies pro *postquam*, quam cum Gottlebero pro *quam diu*: nisi malueris cum Gernh. pro *quoties*. Nam Plato scribit pastorem experimentum illud iterasse. Vix igitur opus erit, e Gu. 1. et ed. Ascens. cum Heus. et Deg. rescribere *cum — converteret* (i. e. *cum forte converteret*), quamquam id ipsi Gernhardo accommodatius videtur ad Platonis vv. τυχεῖν τὴν σφενδόνην τοῦ δακτυλίου περιαγαγόντα πρὸς ἑαυτὸν εἰς τὸ εἴσω τῆς χειρός. Observante Gottlebero Lucianus in *Philopseud.* c. 24. pr. III. p. 51. imitatur ita: ἀναστρέψας ἅμα τὴν σφραγῖδα εἰς τὸ εἴσω τοῦ δακτύλου. Valckenar. ad Eurip. *Hippol.* p. 255. e Photii Lex. profert: σφενδόνη ὁ δάκτυλος (corrig. δακτύλιος) ἄνευ τῆς σφραγῖδος. Harpocratio notat p. 307. anuli *palam*, σφραγιδοφυλάκιον, Lysiam et Aristophanem dicere πυελίδα. De anulorum magicorum superstitione plura collegisse laudatur Io. Kirchmannus *de annul.* c. 21. — Ad vv. *in locum* intell. *suum*, quod addit Ambrosius. Cf. Görenz ad IV. *Fin.* 1, 2. ex. *Immo istud quidem, inquam, loco:* qui locum durinsculum coniectura mactat duriore, *I. i. q., inquam, quodque loco*, scilicet duritiem virilem existimans, ut nuper quidam doctus coepit scribere versus.

regem dominum interemit] *Candaulem*. Ab Herodotea narratione discrepant, quae de Gyge, Lydorum regnum ope exercitus occupante, tradit Plutarch. *Quaest. Gr.* p. 301. Vtra narratio e Xanthi Λυδιακοῖς manarit, definire verecundatur vir eruditissimus harumque rerum, si quis alius, gnarus, Creuzer ad *Historicorum Gr. antiquiss. fragmenta* p. 204. Apud Dionysium Hal. VI. p. 820. Reisk. inter Lydorum imperium Gyge rege et Persicum bellum statuitur intervallum annorum ducentorum et viginti, si εἴκοσι legamus cum Scaligero ad Euseb. p. 774. et Creuzero p. 200. quae fere conveniunt cum Herodoti calculo I. 14. ex quo Gyges regnavit a. Chr. a. 716 — 678. Sed Euphorio ap. Clement. Alex. *Strom.* I. p. 389. huius regis aetatem aequalem facit Homeri. De eius divitiis, quae adeo in proverbium cesserant, v. Fischer ad Anacreont. XV. 1. et Ill. Iacobsii animadv. ad Archilochum in *Anthol. Gr.* T. VI. p. 155. An cum Degenio huc referenda sint *regna Lydia* ap. Tibull. IV. 1, 19. nescio. Possunt enim *Croesi regna* intelligi. — Verbo *sustulit* Bern. cum

in his cum facinoribus quisquam potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens: nihilo plus sibi licere putet peccare, quam, si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi 39

Goth. Gu. 4. et edd. vett. habet adiectam copulam *que*, quam Nonius in v. *Sublatum* cum al. libris excludit. Idem Bern. firmat ordinem verborum *facinoribus quisquam* et sic recipere voluit Gernh.: nam nota V. D. cum textu non congruit.

nihilo plus] Bern. *nihil plus*, quod e plerisque lib. recepit F. Heus. Retractasse sententiam in Indice videtur Gernhardo ad h. l. et Görenzio ad *Leg.* I. 12, 34. p. 50, ubi in v. *nihilo sese plus, quam alterum, diligat*, libri eodem modo turbant. At vero Index, a Conrado Heus. filio confectus, spectat ad I. M. Heus. patrui notam, a quo nepos dissenserat. Solet sane *nihil* ante Comparativum fere non cum hoc iungi, sed aut in Nominativo Subiecti (ut *nihil* pr.) aut in Accusativo Obiecti cum verbo strui aut e praepositione pendere. Non tamen crediderim, *nihil plus* coniunctim ne Latinum quidem esse. Graecis certe, Accusativum mensurae Comparativis addere, familiare est. Vid. Aug. Matthiae in Gramm. Gr. mai. §. 424, 1. 455. n. 8. et de Atticismo *οὐδὲν μᾶλλον* et, quod paullo alia vi usurpatur, *οὐδὲν ἧττον μᾶλλον* Fischer in Indice I. ad Aeschinis Socr. *dialogg.* s. v.; item Koen. et Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 60. F. Heus. ad I. 22, 78. ubi ei placuit *nihil minus*. comparavit *Or.* III. [illegible] *non multum est maius, quam illud.* — De addito in plerisque libris Infinitivo *peccare* Gernh. comparavit *Tusc.* V. 19, 55. ex. et seqq. *bonis viris — quaeruntur* adhibuit ad *Cat. Mai.* 16, 55. ut doceret, Passivum ibi cum Dativo strui: *Curio ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt.* At vero ibi intelligitur *ab eo*, quod glossatores addunt; Dativus autem pendens a proximo verbo, cum vi praeponitur. Ad sententiam comp. *Or.* III. [illegible] *Nam sapiens virtuti honoris praemium, haud praedam, petit.*

§. 39. *minime mali illi quidem, sed*] Sic *Tusc.* I. 3, 6. *multi iam esse Latini libri dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis.* Quam lectionem recte tuetur Becher l. supra p. [illegible] laud. cuius V. D. [illegible] textu corruptum restituatur. Cf. de hoc pronominis pleonasmo ad II. 6, 21. ex. Brut. 9. 37. *Att.* XV. 26. *Reliqua pars epistolae est illa quidem

quidem, sed non satis acuti, *fictam et commenticiam fabulam prolatam* dicunt *a Platone*. Quasi vero ille aut factum id esse aut fieri potuisse defendat. Haec est vis huius anuli et huius exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid, divitiarum, potentiae, dominationis, libidinis causa, feceris, si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum, sisne facturus? — Negant, id fieri posse. — Quamquam potest id quidem; sed quaero,

---

in utramque partem; sed tamen etc. *Fin.* II. 21, 55. Ceterum hic notantur Epicurei, ut patet e *Fin.* I. 16, 50. s. Cf. ipse Epicurus ap. Diog. Laert. X. 151. Arrian. *diss. Epict.* III. c. 7. Clemens Alex. *Stromat.* IV. Seneca. *Epist.* 97. ad f. Seqq. in Bern. quoque sic collocata, *prolatam dicunt*, alii invertunt. — Partt. *quasi vero* habent vim ironicam, ut 229. pr. *Or.* II. c. 28. et 67. *Rosc. A.* 16, 46. pr. 55, 92. (ubi cf. Matthiae) 36; 102. ex. 60, 147. *Div. in Caecil.* c. 5. p. in. *Verr.* III. c. 19. p. in. *Caecin.* 1, 2. *Mur.* 17, 35. ex. (71.) 36, 75. (139. pr.) *Planc.* 33, 81. m. *Balb.* 6, 14. *Pis.* §. 18. ex. *Phil.* I. §. 22. pr. VII. §. 101 pr. *Famil.* III. 7, 4. ex. *Ep. ad Q. fratr.* I. 1, 2. *Quasi vero ego id putem.* *Acad.* II. 2, 6. pr. *Fin.* II. 3, 7. IV. 28, 77. *Tusc.* I. 22, 60. 35, 85. ex. *N. D.* II. 36, 90. *Divin.* II. 29, 62. *Fat.* c. 5. m. Ea explicatio petenda ex Ellipsi, supplenda h. l. sic: *Agunt* [illegible] *est* [illegible] *perinde, quasi.* *Verr.* I. I. 39. Cf. Tursellinus, qui item *perinde, quasi* per ironiam dici docuit et simpliciter *quasi*. Sic p. *Planc.* c. 25. *Quasi quisquam sit, si* etc. *Verr.* V. c. 66. pr. *N. D.* I. 10. ex. §. 26. ubi Heindorf ex uno Glog. inseruit *vero*, dissentiente Moesero. Quibus Graecae partt. respondeant, v. ap. Vigerum in *Idiotism.* c. VIII. s. 10. r. 6. — In seqq. notatur [illegible] pro *Significatio huius exempli, ad* [illegible] *declarandum* [illegible] *hoc modo* [illegible], *sententia fabulae haec est: si etiam si,* [illegible] *subtraheres arbitris et testibus, quidquid velis, possis nullo refellente,* [illegible] *nulla tamen inde voluntatem* [illegible] *debere* [illegible] *honestatis regulam atque* [illegible] [illegible] Cf. 77. ex. s.

Quamquam potest id quidem] Gottleber cum Gesnero in *Chrestomathia* Cic. n. CXXXV. n. 5. ex antecedd. supplet *negari*. Schellerus cum Facc. et Ern. substituit *Nequaquam*. F. [illegible] librorum auctoritatem sic defendit, ut Cicero, cum esset Academicus, [illegible] fieri posse, ut dii res hominum non curent, [illegible] improbe [illegible] facta ignorent. Cf. *N. D.* III. 35, 85. pr. [illegible], 79. [illegible] *Divin.* II. 59, [illegible] [illegible] igitur hic [illegible] *Est id* [illegible] *dubium* [illegible]

quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? — Urgens rustice sane: negant enim posse, et in eo perstant; hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quaerimus, si possint celare, quid facturi sint: non quaerimus, possintne celare; sed tamquam tormenta quaedam adhibemus, ut, si responderint, se, inpunitate proposita, facturos, quod expediat,

---

sumque. Gernh. autem cum Hottingero p. 242., hanc licentiam Academiae adolescentioris commilitoni concedi noluit, nec vv. *diis hominibusque* urgueri. Cum gravitate nimirum repeti illud *si nemo sciturus sit.* Dii immortales! quamnis tricis opus fuit, ut, vos nullo numero habendos esse, expedirent interpretes! quos lateret, haec quoque esse a Platone l. II. p. 365. E. Ἀλλὰ δὴ, ἐάν γε οὔτε λανθάνειν οὔτε βιάσασθαι δυνατόν. Οὐκοῦν εἰ μὲν μὴ εἰσιν ἢ μηδὲν αὐτοῖς τῶν ἀνθρωπίνων μέλει, καὶ ἡμῖν οὐ μελητέον τοῦ λανθάνειν etc. Longe alia ratio est loci compar. *Epist.* I. 9. (10.) 53. ex. (59. Benedict.) et, si Cicero nihil amplius voluit, quam per ὑπερβολὴν quandam significare, *posse id semper celari*, nonne bardi ac stupidi sunt adversarii, qui tamen negent, *posse id semper esse omnibus* (hominibus) *ignotum?* Haeccine offensio tanti fuit, ut Cicero, eam levaturus, iterum quaereret sic: *sed quaero, quod negant posse, id si posset* etc.? Partt. *quamquam —; sed* inter se respondent I. 9, 30. pr. II. c. 9. pr. *N. D.* III. 36, 88. pr. ut *quamquam —: tamen* V. *Fin.* 28, 85. in. *Lael.* 17, 9. (64.) — Ad seq. *rustice* Hottinger comparat Gr. ἀγροικῶς, quod dicatur pro ἀμαθῶς, ἀμούσως, et in seqq. *hoc verbum*, ad quod Deg. male supplet *posse*, recte de tota *quaestione* acceperat. Male Bern. haec sic connectit: *in eo perstant, quod verbum* etc. — Tum Gernh. e Gu. 1. 2, 3. 8. ed. Ascens. et Gryph. transposuit: *si celare possint*, propter vim verbi *celare*, i. e. *impune peccare*. At vero, quae sit oppositionis vis, patet in vv. superioribus: *quod negant posse, id si posset.*

tamquam tormenta quaedam adhibemus] Sic mitigari metaphoram, observatum est ad I. 9, 30. p. 67. Sequiores sic pron. iungunt cum part. *velut*, e. g. Tacitus *dial. de orat.* XXX. 1. Quinctil. *Instt.* X. 5. *ab illa, in qua iuvenes consenuerint, umbra* (scholae) *vera discrimina, velut quendam solem, reformident.* Gottleber annotavit haec: „Cicero imitatus est, opinor, Platonem, qui e Socratis disciplina ingeniis adolescentum tormenta adhibebat illa βασανίζειν, ut, quid ad propositas quaestiones responderent, sponte sua ipsi invenirent. Adhibet ad rem exprimendam τὸ βασανίζειν (in *Lachet.* p. 255. vel ex ed. Steph. 188. A.) οὐ πρότερον ἀφήσει Σωκράτης, πρὶν ἂν βασανίζῃ ταῦτα.

facinorosos, se esse fateantur; si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant. Sed iam ad propositum revertamur.

40 X. Incidunt multae saepe causae, quae conturbent animos utilitatis specie, non, cum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem, (nam id quidem improbum est), sed illud, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cum Collatino collegae

---

Et paullo post (C.) *οὐδ' αὖ ἀνδρὸς ὑπὸ Σωκράτους βασανιζόμενοι.* cf. *Theaet.* S. VI, 7, 12. Fischer. Hanc formam Platonicam exprimit h. L., eamque apte ad rem praesentem transfert; qua cogit, admotis quasi tormentis, eos, qui vel negent vel adfirment, se, impunitate proposita, facturos, quod expediat, ut aut hoc aut illud concedant, quod alias non daturi fuissent. Transtulit hanc Socraticam formam eleganter ad vinum Horatius L. III. 21, 13. Ex his locis intelligere studiosi humanitatis possunt, quo modo imitatione praestantissima loca veterum exprimere possint et debeant." Aliter tamen Horatii l. ab interpr. exponitur. Subtilius, quam ipse Cicero, Garve ad h. l. p. 48 — 52. (ed. 2.) disputat, tantum abesse, ut turpitudo omnis contineatur hominum, quos res turpis offendat, improbatione, ut potius, quae in aliorum hominum animis, non eadem cupiditate perturbatis, se prodat offensio, propter quam omne nefas celari velit, huius causa lateat in ipsius turpitudinis natura. Infixa nobis eius rei aversatio est, quam Natura damnavit. Ex quo efficitur, *omnia turpia per se ipsa fugienda esse.*

C. X. §. 40. *multae saepe*] Sic legitur et in Bern., ut 2, 6. ex. — Tum *conturbare* in deliberatione, ut 31. pr., dicuntur illecebrae, quae praestigias quasdam animis adhibent, quibus iudicium corrumpatur. *Utilitatis* autem *species*, i. e. *simulacrum*, *imago*, dicitur de ea, quae videtur esse, non est utilitas, ut §. 18. 35. pr. 41. pr. c. 11. pr. Garve ad h. l. p. 69 (53. s. ed. 2.) animadvertit, maxime perspicue hic a Cicerone definiri *causam*, *cum repugnare utilitas honestati videatur*. Eius diiudicandae has proponit regulas, I. ut, si diffiteri nequeas, turpitudinem adiunctam esse rei, iaceat utilitatis species, valeat honestas. II. Sin autem de honestate aut turpitudine non liqueat, utilitas autem, praesertim omnium communis, aperta sit, ne de honestate quidem dubitandum esse. III. Denique si honestas dubia sit, utilitas autem vel ad nos solos vel ad paucos pertineat, hanc praeponderari debere honestate, cum

Brutus imperium abrogabat, poterat videri fecisse iniuste: fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum adiutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum et memoriam regni esse tollendam: quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet.

---

verendum sit, ne conturbet animum utilitatis species. Cf. quae disseruimus T. I. p. 322. Cicero autem hic quidem supersedit praeceptis generalibus remque statim declaravit exemplis. Sed primum exemplum L. Iunii *Bruti*, qui primus consul a. V. 244. collegam suum, Lucretiae violatae maritum, cum rebus suis omnibus civitate cedere iussit (ut narratur a Livio II. 2. Floro I. c. 9. p. in. Eutropio I. 8, 4. s.), non huc pertinere videtur Garvio p. 65. (57. ed. 2.), quippe in quo honesta honestis, pietas in patriam amicitiae gratique animi officiis, repugnare videantur. Errat autem Garve in eo, quod, hoc exquirendi officii genus in ipsa operis descriptione, a Cicerone facta, contineri, negat. At resp. ad I. 160. ex.

in regibus expellendis] pro *omnibus regiae gentis* vel *L. Tarquinio Superbo cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe*, ut dicitur ap. Liv. I. 59. pr. Cf. ib. ad II. c. 2. ex. Drakenb. quem J. M. Heus. laudat. Similiter loquitur Pelopidas ap. Corn. Nep. XVI. 5, 2. *subsidio Thessaliae proficiscerentur tyrannosque eius expellerent*, i. e. Alexandrum Pheraeum, tyrannum, eiusque gentem. Deinceps in Bern. legitur *et adiutor*, ut nunc editur. Est ea quidem coniunctio non inelegans et p. *Flacco* ab in. dicitur *socius atque adiutor consiliorum*. Sed cum in plerisque MSS. reperiatur *etiam*, in uno Aldi *et etiam*, utramque particulam exclusimus cum μ. Gravitas quaedam exsistit ex chiasmo. Cf. simile asyndeton *p. Sext.* 17, 40. pr. *L. Tarquinium Collatinum* M. Heus., auctore Livio I. 57. Egerii, quem Tarquinius Priscus patruus populo Collatino dedito praefecerat dominum (ib. c. 38. pr.), filium fuisse scribit. Sed Dionysius Hal. l. IV. e temporum ratione, illius nepotem fuisse, conficit. Causa indicendi huic exsilii fuit propensioris in regias partes animi suspicio, orta ex Collatini leniore de reddendis Tarquiniorum bonis sententia posteaque vel maxime confirmata inde, quod Aquilios, sororis filios, coniurationis convictos, supplicio eximere conatus est, ut narratur ab eodem l. V. p. 221. a Plutarcho in *Poplicola* c. 7. et a Zonara, quorum narratio in quibusdam discrepat. V. Pighii *Annal.* I. p. 69. —

neque utilitas valuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege,
41 qui urbem condidit, non item. Species enim utilitatis animum pepulit eius. Cui cum visum esset utilius, solum, quam cum altero, regnare: fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile videbatur neque erat, assequi posset; et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem nec sane idoneam. Peccavit igitur: pace vel Quirini vel Romuli dixerim.

Mox *utilitas valuit* praeter necessitatem a Degenio accipitur pro *praevaluit*, *praelata est*: cuinam rei? an honestati? Minime. Imo, i. e. q. *utilitati obtemperatum*, *utilitatis ratio habita est.* — Extr. §. Bern. quoque agnoscit lectionem *non item.*

§. 41. *animum pepulit*] Sic *Acad.* II. 10, 30. *quem ad modum primo visa nos pellerent: deinde appetitio ab his pulsa sequeretur*: ubi Görenz post Gesnerum in *Thesauro* docuit, *pelli* proprie dici fides vel chordas, i. e. *impelli*. Cf. Ernest. in Schützii *Lex. Cic.* s. v. nota 2. 5. Notatur Romulus ut *impius humanitatisque expers* propter caedem fratris, ad quam iniuriam hanc habebat causam, i. e. (ut §. 31 ex.) *praetextum*, *quod ludibrio fratris novos transiluisset muros*, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον, ut memorat Plutarch. in *Problem.* et Festus Pomp. in v. *Sacrosanct.* De diversis eius rei opinionibus cum Livio I. 7. cf. S. Aurel. Victor l. extr. *de orig. gentis Rom.* Dionys. Hal. II. c. 5. s. Plutarch. in *Romulo* c. 10. Io. Ge. Christi Gebauerus in diss., qua *Romulum observationibus varii generis illustratum* sistit (Lips. 719. 4.), c. II. §. 5. p. 21. Remum, qui, et calliditate et opibus fratri impar, cum iuvenili levitate rem sanctam, muros urbis, violasset, una cum infausto illo Faustulo aliisque, qui, tumultu exorto, ad eum tuendum servandumque concursaverant, ab adversae factionis hominibus obtruncatus dicitur, summo iure, si hoc spectes, caesum esse pronunciat auctoritate ICTi Pomponii in *Digestt.* I. 8. *l.* ult. Hoc non probat, Romulum gavisum esse impudenti fratris delicto, cui ignovisse oporteret. In Bern. et al. legitur corrupte *muri causae*; sed deinde *nec probabilem nec sane idoneam.* Spreta optimorum II. auctoritate, Sch. revocavit *neque satis idon.* De partt. *neque — nec* resp. ad 1, 4. ex. *Sane* autem post negationes levius affirmat, observante Görenzio ad *Fin.* II. 13, 43. ex.

— *pace vel Quirini vel Romuli*] i. e. *vel dei vel ro-*

Nec tamen nostrae nobis utilitates omittendae sunt 42

---

minis *Romani auctoris urbisque parentis.* Observatur, Ciceronem, dum iram Romuli deprecetur eiusque *pacem*, i. e. veniam ac favorem praesti propitiique numinis, precibus exposcat, tanto magis fictam eius divinitatem ridere, ut Lactant. I. 15, 29. 30 — 33. Tertull II. *Nat.* 9. IV. *adv. Marc.* c. 27. Cf. notata supra p. 204. ad l. *N. D.* II. 24, 62. ex. *Tusc.* I. 12, 28. pr. *Catil.* III. 1, 2. Liv. I. 16. Arnobius l. I. p. 30. Augustinus *C. D.* III. 15. IV. 20, 24. Nominis mutationem (de qua cf. Lactant. I. 21, 23. pr.) ad deos auctores refert cum aliis Plutarchus in *Romul.* c. 28. p. 36. Cf. *Quaestt. Rom.* p. 159. Atque etiam, ut Marti a Sabinis, sic ipsi Iovi hoc nomen tribuitur in vetere inscriptione ap. Gruter. XIX. 5. IOVI CVSTODI QVIRINO SALVTARI. Dionys. Hal. II. 63., a Numa Romulum appellatum fuisse *Quirinum*, scribit. Acutissime autem Cel. Buttmann in diss., *Excursu* XIII. extr. ad l. I. laudata, p. 143. docuit, auctorem populi antiquissimi cognominem nihil aliud esse posse, nisi ipsius populi virtutem, herois nomine consecratam: cuius duplex nomen respondeat item duplici eiusdem populi nomini *Romanorum* et *Quiritium*: ut *Quirinus* primitus fuerit heros gentis Sabinae, *Curibus* oriundae, *Romulus* autem Albanae, tum vero, utraque gente in unum confusa populum, fabula etiam heroum numen conflaverit in unum, utroque nomine celebratum: ceterum antiquitus gentem Sabinam et opibus et dignitate praevaluisse videri ex eo, quod in concionibus populi R. solenniter, honoris causa, usurpetur *Quiritium* appellatio, itidem ut *Quirinus* divinum sit conditoris nomen: in qua rei explicandae ratione praeivit Ovidius *Fast.* II. 475 — 480. Hinc ultra persequimur coniecturam, cum Romani a Quiritibus essent devicti, auctorem consilii de utriusque gentis coniunctione, ut unum in posterum efficerent populum potentiorem, fuisse *Iulium Proculum*, cui *Romulus visus augustiore forma, quam fuisset,* dixisse ferebatur, *se deum esse et Quirinum vocari,* ut est I. *de leg.* 1, 3. et ex Floro I. 1, 18. ap. Iornandem Cassiodorum. Cf. Pighii *Ann.* I. p. 26. Huic coniecturae probabilitatis quaedam species quaeri potest ex *populi fuga Nonis Capratinis* ap. Plutarch. in *R.* c. 29. atque e narratione, quo modo ad Romuli successorem pervenerit regnum, ib. in *Numa* c. 2. 3. p. 60. Ceterum assentimur Ill. Beckio, Perill. Niebuhrii *de hist. Rom.* I. p. 165. 172. s. 181. 207. opinionem, totam duorum primorum regum historiam non exornatis rerum vere gestarum narrationibus, sed fictis constare, refellenti eruditissima *Epicrisi quaestionis de historiae Romanae antiquissimae fontibus et veritate* (Lips. 812. 4.) p. 6. 20.

§. 42. *utilitates omittendae*] i. q. *relinquendae* c. 8. pr.

aliisque tradendae, cum his ipsi egeamus; sed suae cuique utilitati, quod sine alterius iniuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa: *Qui stadium currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; supplantare eum, quicum certet, aut manu pellere nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est; alteri deripere, ius non est.*

43 Maxime autem perturbantur officia in amicitiis: quibus et non tribuere, quod recte possis, et tribuere, quod non sit aequum, contra officium est. Sed huius generis totius breve et non difficile praeceptum est. Quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, cetera generis eiusdem, haec

---

Adiungitur explicatio *aliisque tradendae.* — Tum *quod* cum Subiunctivo *fiat* valet *quoad* v. *quatenus id.* — Post vv. *qui stadium* insertum volgo *inquit* sustulimus ad fidem Gu. tertii et ψ. Cf. 108. et n. ad I. 144. p. 289. — Paullo post volgatur *manu depellere*, comp. Horat. S. II. 6, 78. sed e Nonio s. v. *Supplanto* atque exc. Bedae restitui lectionem probatam F. Heusingero, Bremio ad l. *de fato* c. 12. ex. et Görenzio ad *Fin.* IV. 8, 20. ex., qui *pellere* explicat, *ictu per manum illato ex cursus aequabilitate excutere atque ita morari.* Malim: *praecipitare eum, qui praecurrit, ut pronus cadat.* Alio dolo ei, qui insequebatur inque eo erat, ut superaret priorem, honorem eripiebant, nempe *supplantando*, ut Nisus Salium in Virg. *Aen.* V. 335. s. 342. 350. Cf. Statius *Theb.* VI. 630. *fraus cursibus omnis abesto!* Deinceps „*sic* in applicatione" (an accommodatione?) „exempli positi et omnino in consecutione dici" notavit Görenz ad *Fin.* V. 14, 40. p. 582. b. Subauditur potius ante superius exemplum *ut*, similiter atque *N. D.* I. 27, 75. *Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corporis — : sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse:* quam comparationis rationem, notat Heindorf, geminam plane fore, si pro Inf. *esse* scriptum esset *sunt.* De praecepto cf. h. l. 5, 22. ex.

§. 43. *quod recte possis*] F. Heusingero hic probatur Gu. primi lectio *possit*, ut II. c. 19. ex., dissentiente tamen Gerhardo. Mox ex more iis, quae per articulum κατὰ μερισμὸν enumerantur, sine particula collectiva subiiciuntur *cetera generis eiusdem*, ut *Fin.* IV. 2, 4. ab in. ubi v. Görenz. Recte autem haec praecepta h. l. traduntur.

amicitiae nunquam anteponenda sunt. At neque contra rem publicam neque contra ius iurandum ac fidem, amici causa, vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico.

Perturbantur enim *officia in amicitiis* non iis, quarum vinculum est honestas, sed iis, quae utilitate mutua fructuque continentur. In his susque deque habetur vera officiorum ratio ita, ut contra officium fiat, cum aut falso pudore servatur amicitia aut, ne suas utilitates omittant amicisque tradant, deseritur. Cf. *Lael.* 10, 7. (35.) — 12, 2. (40.) 3. 2. (42.) — 13, 1. (44.) 17. 1. (61.) *Mur.* 3, 7. 8. (13. 8.) His illustrantur simul vv. *Fin.* III, 21, 71. *Nec vero rectum est, cum amicis aut bene meritis consociare aut coniungere iniuriam; gravissimeque et verissime* (leg. sever.) *defenditur, nunquam aequitatem ab utilitate posse seiungi* etc. quorum sensum omnino pervertit Görenz, interpretando: *neque sane tantum hoc rectum est — ; sed omnino gravissime* etc. Ergo caveamus nobis a Görenzio ipsiusque amicis (si modo quemquam habere potest), quippe qui consocient et coniungant iniuriam: quas amicitias Noster infra 44. ex. *coniurationes* putat. Huius nostri loci immemor ideoque Tullio iniquior, de ancipiti hoc casu anquisitius et enucleatius, duce prae ceteris Theophrasto, disputat Gellius I. 3. ubi, allato exemplo consilii ancipitis, quod Chilo Lacedaemonius ceperat, ut sibi et iudicis et amici officium salvum esset, laudatoque Pericle, qui, cum amicus eum rogaret, ut pro se causaque eius falsum deieraret, his ad eum verbis usus est: δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν, repetitur etiam Phavorini definitio, ut χάρις *indulgentia gratiae*, sit ὑφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι.

ne si iudex quidem erit de ipso a.] *ne tum quidem, si de ipsius amici capite iudex erit.* Sic saepius part. *quidem* notioni primariae statim subiicitur, ut negatio, priori enunciato inserta, ad posterius pertineat, aut contra, e. c. 19. pr. I. 84. pr. *ne re publica quidem postulante.* Epist. I. 9 (al. 10.), 54. ex. *Brut.* c. 87. *vigere me, ne si Africanus quidem fuit —, existimari velim.* *Planc.* c. 20. ab in. *ut, ne si cogitasset quidem quispiam* (affirmat hoc pron.) *largiri, daretur spatium comparandi.* *Att.* XIII. *ep.* 10. §. 4. *in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla* (hoc pron. aperit negativum sententiae vim) *suspicio.* *Mil.* c. 33. pr. §. 88. ex. *N. D.* III. 9, 23. III. 4, 12. *Ne aegri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicinae est.* Celsus de med. VIII. 4. ed. Krause. p. 518. ex. *ne si fractum quidem os desedit, totum excidi necesse est.* Liv. XXXIV, 39. *non modo adiemittenda*

Ponit enim personam amici, cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiae, ut verum amici causam esse malit, ut orandae litis tempus, quoad per leges
44 liceat, accommodet. Cum vero iurato sententia dicenda

---

cum procursu — tela spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur: plane ut Cic. p. *Cluent.* 21, 72. (73. pr.) *huic, ne ubi consisteret quidem contra te, locum reliquisti.* 31, 96. 21, 69. pr. *Verr.* V. 2, 6. pr. Itaque minime sollicitanda erat sanissima lectio *de fato* c. 12. *Ne illa quidem eversa, vera est haec enunciatio.* Sic enim utrumque enunciatum implicatur arctius, quam si diceretur: *illa eversa, ne haec quidem enunciatio vera est.* Hanc autem explanandi rationem ostendit locus *Fin.* V. 30, 91. *Ne seges quidem igitur est spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam videris:* ubi item potuit dici: *Igitur, ne si avenam quidem uspiam videris, seges est* etc. Ad seqq. respexit Io. Sarisber. *Policrat.* V. 11. *Hinc est illud proverbium, auctore Cicerone, apud antiquos celeberrimum: Exuit personam iudicis, quisquis amicum induit,* a quo scriptum fuisse, F. [illegible]us. conicit: *Exuit enim amicum, quisquis personam iudicis induit;* Gernh. autem p. 463., eum scribere voluisse: *Exuit personam iudicis, quisquis iudicem induit.* Hic versum legerat senarium, quem indicavimus, ut I. 76. p. 177. septenarium. De metaphora, hic non, ut alibi, in malam partem usurpata, v. Erasmi *Adagia* prov. 2606. p. 781. Froben.

ut orandae litis] Sic Bern. cum Nonio IV. 30. et 342. in vv. *Accommodatum* et *Orare*. Neque vero idem est, ut Sch. enotavit, in edd. vett., in quibus potius substituitur *perorandae*. Oliv. et Extr., ed. Bipontinus, languide praeponunt *et*. Ad v. *accommodet* intell. *ei*, hoc sensu: *ut et ipse amico operam det die quam maxime opportuno, ubi ei non defuturus sit patronus, quem ipse velit, et ut clepsydras apponat satis spatiosas.* Erat autem lex Pompeia iudiciaria, l. a. 698., *uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorandum ita, ut duae horae accusatori, tres reo darentur,* teste Asconio p. 86. ed. Manut., quem adhibuit Görenz ad *Fin.* IV. 1, 1. Cf. *Brutus* 94, ad *Att.* XIII. 49. Tacit. *dial. de orat.* 38, 1. s. — *Orare* est *agere dicendo*. V. Schützii *Lex. Cic.* s. v. n. 2.

§. 44. *iurato sententia dicenda*] Solebant iudices, qui sorte eligebantur in singulis causis, suam fidem iure iurando astringere apud Graecos pariter et Romanos. V. Aeschyl. in *Eumen.* 679. s. ad Areopagitas: [illegible] 708. s. [illegible] Isaeus or. I. [illegible]

Pacu-

cenda sit: meminerit, deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. Itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicia,

---

Pacuvius *armorum iudicio* ap. Nonium c. IV. §. 69. in v. *Cerno*: „*Et aequum est et rectum, quod postulas; iurati cernant,*" quae Perizonio ad Sanct. Vol. II. p. 471. ed. Bauer. (in *Resp. ad Kusteri diatr. de v. Cerno*) videntur verba Agamemnonis, Aiaci vel Vlixi (qui arma Achillis post huius mortem petebant), postulanti fortasse, ut Graecorum principes lecti, qui controversiam hanc iudicarent et dirimerent, iurati sententiam dicant, respondentis, aequum esse, quod postulet, atque ideo permittere se et constituere, ut iudices *iurati cernant*, h. e. considerent rem et post auditam utramque partem sententiam ferant de armis his controversis, cui illa tradi debeant. De iure iurando a iudicibus praestando ap. Rom. v. Cic. *Inv. rhet.* I. 39. 70. *Rosc. A.* 3, 8. Ascon. ad *Act. I. in Verr.* c. 6. Sch. p. 277. ex. Imp. Iustinian. *Cod.* III. t. I. *l.* 14. *Cui non est cognitum, antiquos iudices non aliter calculum iudicialem accepisse, nisi prius sacramentum praestitissent*: „*Omni modo se cum veritate et legum observatione iudicium esse dispositiuros?* — *Dei praesentia consecrati ex maiore praesidio lites diriment, scituri, quod non magis alios iudicant, quam ipsi iudicantur* —: *si quidem* ..., *Deo inspectore adhibito, causas proferunt trutinandas.* Cf. ibi Gothofredi n. 58. 59. Car. Sigonii *de iudiciis* l. I. c. 28. Opp. T. V. p. 758. Car. Breti *Ordo perantiquus iudiciorum* etc. c. 16. Io. Lud. Albrecht Diss. *de vera iurisdictionis veteris indole* etc. (Lips. 1752. 4.) §. 17. p. 36. Puteanus *de iure iurando antiq. iud.* in Graev. *Thesaur.* T. V.

deum se adhibere testem] *sibi* supplet Görenz ad *Fin.* II. 21, 67. pr. Pearce non, ut Sch. enotavit, *divinum habere*, sed *div. se habere t.* hariolatus est. In vv. *ut ego arbitror* pron. agnoscitur a Bern. quoque idque adiicitur in comp. l. *de divin.* I. 3, 5. pr. De *mentis divinitate* citantur argumenta *Tusc.* I. 26, 64. s. *Somn. Scip.* c. 8, 4. Plato *de leg.* X. p. 897. B. πᾶσιν, οἷς ψυχὴ χρωμένη, νοῦν μὲν προσλαμβάνουσα ἀεὶ θεὸν, θεὸς οὖσα, ὀρθὰ καὶ εὐδαίμονα παιδαγωγεῖ πάντα. 899. B. ἐπειδὴ ψυχὴ μὲν ἢ ψυχαὶ — ἐφάνησαν ἀγαθαὶ .... πᾶσαν ἀρετὴν, θεοὺς αὐτὰς εἶναι φήσομεν etc. quo tamen posteriore loco agitur potissimum de anima mundi. Cf. quae ad §. 23. notavimus de Genio innato. Sententia non prorsus destituitur auctoritate SS. LL. Vid. *Genes.* II. 7. *Actor.* XVII. 27. ss. Scilicet mentem, sanctissimo pietatis vinculo religionisque nodis deo religatam, non solum dei memorem esse, sed dei sibi etiam consciam.

si eum teneremus, QVAE SALVA FIDE FACERE POSSIT. Haec rogatio ad ea pertinet, quae, paullo ante dixi, honesto amico a iudice posse concedi. Nam si omnia facienda sunt, quae amici velint: non amicitiae, tales, sed coniurationes putandae sunt.

---

si eum teneremus] *Morem* supplet Scheller in *Lex.* s. v. *Tenere* n. 12) *behalten* et n. 16) castigatque Ernestium, qui, in *Clavi* s. h. v. ad fin. intelligens *amicum haberemus*, ipse in notis recte *eum* retulerit ad *morem*. Legitur haec dictio ap. Virgil. *Aen.* III. 408. et Cic. *Tusc.* V. 11, 34. p. *Flacco* c. 7. pr. *O morem praeclarum disciplinamque, quam a maioribus accepimus, si quidem teneremus! Sed (nescio, quo pacto) iam de manibus elabitur:* quo ex l. particulae *si* ea vis, ut sit optantis pro *o si*, non magis inseri potest, quam ex hoc nostro, ut voluerunt interpp., item Bavius Voorda ad *Praelectt. Iani a Costa* p. 311. et *Lectt. et interpretatt. Tullian.* c. 14. p. 136. nec non, ut videtur, Ill. Creuzer ad III. *N. D.* 1. p. 493. b. At vide, quam multo explanatius Noster optet 69. ex. Sensus est igitur: *qui mos sane praeclarus foret, si, ut publice quidem in iudicio servatur, privatim etiam sequeremur,* nempe cum *iudicem domi suae convenimus.* Incommode Degen haec ad alias vitae privatae res transfert. Cf. *Lael.* 11, 11. (39) cl. 12, 4. (40. ex.) *Salva fide* usurpatur Celso quoque IGTo in *Digestt.* lib. XVI. ex. *l.* 32. ex. Ipse Noster sic iudicem rogat in *Epist.* XIII. 58. 59. et Phaedor lib. IV. *epilogo* vs. 26. s. Ceterum Bern. cum Gu. 2. 3. 4. 5. ed. Magont. et alia s. l. et a. non male scribit *facere possent,* respiciens ad *maiorum* voluntatem. Cf. n. ad 5, 23. p. 220. — Deinceps Bern. scribit *paulo*, ut ubique. V. Grotefendi *Lat. Gramm.* II. §. 179. — In fine notio primaria *amicitiae* est Subiecti simul et Praedicati loco, ut 2, 6. p. 194. *labor.* Sch. retinuit Ernesti lectionem: *si omnia facienda sint, — putandae sint*, quae reperitur in Bern. Sed modestia dubitationis ab h. l. alienior est, quam a I. 10, 32. p. 72. ss. Indicativum tuemur exemplo h. l. c. 12. ex. in conditione ex Gu. 2. 3. 5. et ed. Ascens.; in antapodosi ex omnibus praeter Gu. 2. et ex Aldi codices cum Heusingero, monente, huc respicere Sarisberiensem III. *Policrat.* c. 12. *Vnde et Crispo, historicorum inter Latinos potissimo* [*Iug.* 31, 15.], *sed et ipsi Ciceroni placuit, in malis factionem esse, quod in viris bonis vera amicitia est.* Cf. *Lael.* 5, 5. (18. pr.) 12, 10. (43. pr.) *improborum consensio excusatione amicitiae tegenda non est.* c. 27. ex. De Stoicorum ap. Diog. Laërt. VII. 124. decreto, ἐν τοῖς φαύλοις μὴ εἶναι φιλίαν, v. supra ad I. 56. p. 133.

Loquor autem de communibus amicitiis: nam in 45
sapientibus viris perfectisque nihil potest esse tale.
Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt, hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset et is, qui

---

§. 45. *de communibus amicitiis*] i. e. *volgaribus*, quibus opponuntur *sapientium familiaritates* in *Lael.* 21, 1. ut *levibus amicitiae perfectorum hominum, id est sapientium*, ib. 26, 12. (100.). De nobili illo amicitiae exemplo, cuius etiam *Fin.* II. 24, 79. ex. mentio fit, v. Plutarch. περὶ πολυφιλίας pr. c. 2. §. 4. ex. Frcf. p. 93. Diodor. Sic. in *excerptt.* p. 554. ed. Wesseling., quem l. Latinis verbis dedit Menagius ad Diog. Laërt. VIII. 10. p. 354. ed. Meib. Lactantius V. 17, 22. s. Vsus eodem argumento est Quintilian. *Declamat.* XVI. *Amici Vades.* Pro *Damone et Phintia Euephaenum et Eucritum* nominat Polyaenus l. V. *Strateg.* sect. 22. *Moerum* et *Selinuntium* et pro *Dionysio*, cuius tamen nomen semel ascriptum est haud dubie a glossatore, *Phalarin* Hyginus *fab.* 257. quam huius fabulam elegantissimo versibus expressit F. Schiller in carmine: *die Bürgschaft.* Dionysio Superiori hanc sponsionem factam autumat Deg., ut ipse Cicero *Tusc.* V. 22, 63. pr. Sed laudatur a Gernhardo A. G. Lange in libro, a Wielando edito: *Neuer teutscher Mercur* a. 1808. fasc. III. p. 188. ss., qui ex Aristoxeno ap. Iamblichum *vit. Pythag.* §. 253. comp. Porphyr. *vit. Pythag.* §. 59. Dionysio Minori id evenisse, docuit. Nam Aristoxenus testatur, se ex ipso Dionysio, cum, regno pulsus, Corinthi rhetor esset, audivisse, suos familiares invidia Pythagoreorum Phintiae crimen finxisse insidiarum tyranno structarum.

hoc animo inter se fuisse, ut] Sch. et Deg. cum Heus. *ut* esse volunt adverbium, notans, id, quod sequitur, exemplum esse ad illustrandam sententiam: *D. et Ph. Pyth., ferunt, hoc* etc. At vero adversatur tum positus verborum, tum illud, quod ita pron. *hoc* referendum esset ad proxime praecedentia: quae quidem hoc exemplo non illustrantur, sed illud praeceptum, supra §. 43. de amicitiae contentione cum commodis externis traditum, quod hoc cap. extr. repetitur, ut acute animadversum erat a Gernhardo, qui ad h. l. et p. 449. cum Augusto Matthiae in l. *de Anacoluthis ap. Cicer.* p. 9., iterum illo edito in Wolfii *Analectt. literar.* III. p. 20., agnoscit anacoluthon, cum *ut* Coniunctio, pluribus verbis interpositis, facilius potuerit negligi in apodosi. Itemque vindicavit *Or.* II. 6, 23. *Sic enim se res habet, ut, quem ad modum volucres videmus, procreationis atque utilitatis suae causa, fingere et construere nidos, easdem autem, cum aliquid effece-*

morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa, postulavisset; — vas factus est alter eius sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset: admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se ad
46 amicitiam tertium ascriberent. Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur; iaceat utilitatis species, valeat honestas. Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur: religio et fides anteponatur.

---

rint, levandi laboris sui causa, passim ac libere, solutae opere, volitare: sic nostri animi, forensibus negotiis atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore, contra Schützium, in novissima adhuc editione Coniunctivos substituentem. V. D. in *Heidelb. Iahrb. d. Liter.* 1812. n. 3. p. 47. hoc exemplum ad ellipticam anacoluthi formam refert. Res fere eodem redibit; sed nobis quidem planior videtur Gernhardi ratio, secundum quam Coniunctio *ut* negligitur, quippe nimis remota, verbum autem, quod ex ea aptum esse debebat, primariam enunciati formam induit, *factus est*: quo ipsius vadimonii commemoratio evadit gravior, ut apud Valerium M. IV. 7. *extern.* 1. Ciceronis vestigia legentem: *Damon et Ph. — tam fidelem amicitiam iunxerant, ut — alter non dubitavit.* Similiter in re, quae vere facta est vel nunc est vel futura est, abrumpitur constructio post ὥστε, e. c. in Sophocl. *Electra* 275. ἡ δ᾽ ὧδε τλήμων, ὥστε τῷ μιάστορι ξύνεστι. Paulli *ep. ad Galat.* 2, 13.

commendandorum suorum causa] i. e., ut suos sibi superstites alicuius amici tutelae committeret. Narrat Aristoxenus, eum, cum e duobus una viventibus rem curandam haberet familiarem, sibi pactum esse eiusdem diei partem reliquam. De *commendationibus morientium* (*Fin.* III. 20, 65.) laudantur Gronovii *Obss.* III. 25. p. 404. Male Degen *suorum* in Neutro genere accipit pro *rebus suis*. Aliter dicitur, quamquam in eadem re, *res suas ordinare.* — Sequens *ut* valet *ea lege, hac conditione* v. *sponsione, ut.* — *Ad diem* usurpatur *Verr.* II. c. 40.

§. 46. *comparatur*] i. e. *in comparationem atque contentionem venit, repugnare videtur.* Tum Sch., cuius editoris pleraque peccata negligentiae sunt, non voluntaria, invitus in textu reliquit *anteponantur.* Bern. cum al. *anteponatur*, quem ad modum 5, 22. p. 218. ex singulari

amicitiae. Sic habebitur is, quem exquirimus, delectus offici.

XI. Sed utilitatis specie in re publica saepissime peccatur: ut in Corinthi disturbatione nostri. Durius etiam Athenienses, qui sciverunt, ut Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. Hoc visum est utile: nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeeo. Sed nihil, quod crudele, utile: est enim hominum naturae, quam

---

verbi numero iunguntur synonyma. — Extr. §. scribit *dilectus*, itemque I. §. 6. (p. 14.) 149. ubi cf. nota.

C. XI. *in Corinthi disturbatione*] V. n. ad I. c. 12. (pro quo et Heus. et Degen miro concentu 11. citant) §. 35. p. 81. s. cl. de urbis opportunitate Livio XLV. 28. pr. Post *ut* — *nostri* potest quidem subaudiri *peccarunt*; sed, cum sequatur, *Durius etiam Athenienses*, facilius utrobique subaudietur *fecerunt*, ut 47. pr. 101. pr. 105. I. 84. p. 192. ex. *N. D.* III. 27, 68. *At id ipsum quam callide, qui* — *!* Horat. *A. P.* 140. *S.* I. 2, 90. 4, 136. Lactantius VI. 11, 24. ibique Bünemanni n. *b*). De *Atheniensibus, timori remedium a crudelitate mutuantibus*, v. Valer. M. IX. 2. *extern.* 8. Aelian. *V. Hist.* II. 9. pr. cum Perizonii n. et de *Aeginetarum* opibus ib. XII. 10. in primis vero Pausanias II. 29, 2. pr. 5. Strabo VIII. c. 6. p. 205. ss. ed. stereot. Plutarchi *Pericles* c. 8. *Aeginam* ὡς λήμην τοῦ Πειραιῶς ἀφελεῖν κελεῦσαι memoratur. V. Meursius *de Piraeeo* c. 8. pr. Deinde Bern. cum plerisque conspirat in lectione *Piraeo*, quam tuetur F. Heus., sequentibus Sch. et Degenio: ut nunc editur in Aemil. Prob. II. *Themist.* 6, 1. Sic dici substantive et locus designari videtur Schellero in *Lex.* s. v. p. 7991. s. adiective autem, ut *portus* suppleri debeat, *Piraeeus*: idque hic praetulit Gernh. cum Victorio, I. Gronov., Ern., Oliveto, itemque cum MSS. μ et ψ, nisi forte horum varietas ab Oliveti sectatore Oxon. neglecta est: comp. *Att.* VII. 3. sect. 7. *Famil.* IV. 12, 4. Heus. autem provocat ad Plaut. *Most.* I. 63. *Trin.* IV. 4. (al. 5.), 11. (1105.) Terent. *Eun.* II. 2, 69. III. 4, 1. ubi vox trisyllaba est, sed fortasse per synizesin. Certe plerique edd. ibi scribunt *Piraeeum* etc. Porro memorat, non solum Πειραιᾶ dici, sed etiam τὸ Πείραιον v. Πειραῖον atque ap. Steph. Byz. τὸν Πειραιόν. Statuatur, ut cuique placet. Sic autem dicebatur insula, quae portum effecit, hominum manu atque opere, auctore Themistocle, continenti iuncta. Strabo IX. 1. p. 259. s.

47 sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Fannius apud patres nostros,

---

§. 47. *peregrinos urbibus uti prohibent*] i. e. q. paullo post *usu urbis.* Degen hoc posterius minus esse volt, *duntaxat intrare in urbem*, prius autem *habitare in urbibus*. Admirare acutissimi interpretis subtilitatem! De Lacedaemoniorum, ex Lycurgi lege quadam, quam Plutarchus in *Agide* c. 10. memorat, usu urbis suae prohibentium peregrinos, inhospitalitate atque inhumanitate v. Florens Christianus et Bergler ad Aristoph. *Pacem* 624. in *Commentariis* a Beckio nostro editis et hunc Virum Illustr. ipsum, a Gottlebero laudatum, ad eiusd. *Aves* 1014. Has *ξενηλασίας* vituperat Pericles ap. Thucyd. II. 39. pr. ut ex h. l. Ambrosius III. 7. Repugnant enim *iuri cosmopolitico*, i. e. *hospitalitatis universali* v. *peregrinorum naturali*, quod *iure gentium* contineri docuit Exc. Krug *Dicaeol.* §. 99. et nota. — *Fannii* nomen hic restituimus e coniectura illa quidem, sed ea certissima. In Gu. 3. et Ald. 1561. leg. *Petronius*, in Magont. Rom. Lipss. 507. 513. *Peneius*, in Lugd. 527. *Peneus*, in Goth. aliisque *Penius*. Volgatur *Pennus.* Is perhibetur esse *M. Iunius Pennus*, qui, ut in *Bruto* 28, 109. memoratur, *facile* (legitur et *facete*) *agitarit in tribunatu C. Gracchum quaestorem, M. Lepido et L. Oreste COSS.* a. V. 627. aer. Capit. Nam aliam Censorinus *de Die Nat.* c. 17. sequitur. Quibus verbis quid significetur, cognoscetur e Plutarcho in *C. Graccho* c. 3. s. cl. A. Gellio XV. 12. Nimirum reus factus est Gracchus, cum quaestor e Sardinia Romam redisset. In Festi autem loco, supra ad 5, 23. p. 220. ascripto, ad quem provocant, *Penni* nomen non est, nisi e coniectura refictum. Ceterum C. Gracchi ibi, calamitosam sociorum conditionem miserantis, verbis alienissimum sensum substituit Pighius *Annal.* III. 35. et lepidissimo sane errore Car. Langii verba ex nota ad h. l. tamquam fragmentum ex Ciceronis *oratione Corneliana* nobis venditat! Freinshemius autem in *Supplem.* ad Liv. l. LX. c. 9 — 16. adeo totam concinnavit orationem Gracchi, dissuadentis hanc legem: quam nihilo secius populus sciverit, cum *Perperna, nihil ad se pertinentia civis Romani iura complexus, a Sabellis iudicio petitus* sit, referente Valerio M. III. 4, 5. ubi vv. *Papia lege* a sciolo glossatore inculcata videntur: nisi forte ipse compilator anachronismo quodam *Papiam legem* anticipavit. Nam duas fuisse *leges Papias*, antiquiorem de civitate, id quod Car. Sigonius *Emendatt. l.* I. *c.* 10. in Gruter. *Lamp.* II. p. 165. s. affirmat, parum veri simile est. Perpernam repetitum puto *lege Claudia*, lata a. V. 576., teste Livio XLI. 12. 13. ex. XLII. 10. pr. Quod si Pennus tum eiusmodi legem pertulit: quonam pacto *ξενηλασίαν*, quatuor

Papius nuper.[7] Nam ESSE PRO CIVE, QVI CIVIS NON SIT, rectum est, non licere; quam tulerunt legem

---

annis post factam, ut *novi et insoliti quid* commemorare potuit Plutarchus in *C. Graccho?* Cum enim hic promulgasset legem *de civitate omnibus Italicis danda* (c. 8. 9. Vellei. P. II. 6, 2.): ὄχλου πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος, ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον, ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας. Γενομένου δὲ κηρύγματος ἀήθους καὶ ἀλλοκότου, „μηδένα τῶν συμμάχων μηδὲ τῶν φίλων ἐν Ῥώμῃ φανῆναι περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας,“ ἀντεξέθηκεν ὁ Γάϊος διάγραμμα, κατηγορῶν τοῦ ὑπάτου etc. c. 12. Appian. *Civ.* I. 23. l. 47 — 51. ἡ βουλή, διαταραχθεῖσα, τοὺς ὑπάτους ἐκέλευσε προγράψαι, „Μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει μηδὲ προσπελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν.“ *C. Fannii, C. F., qui consul cum Domitio* (a. 631.) *fuit, oratio de sociis et nomine Latino contra Gracchum* laudatur a Cic. in *Bruto* c. 26. Exordium „*Si, Quirites, minas illius*“ citatur in *Or.* c. 47. ex. Cf. Pigh. *Annal.* III. p. 61. s. Nec vero offendere debet, quod apud Festum dicitur *de lege Fannii*: sic enim ibi quoque certe probabilius corrigetur, quam *de lege Penni*, quae, crede mihi, a VV. DD. ficta est. *Lex*, sensu latiori dicitur, quidquid tenet populum; ergo etiam formula decreti, a magistratu propositi, e. c. *Phil.* III. §. 30. Et potuit a C. Graccho, invidiae conflandae causa, sic dici non rogatio ad populum solenniter lata ab eoque iussa; sed consulare edictum, quo Fannius populo legem imposuit, versiculo senatus peregrinos exterminans.

Papius nuper] tribunus legem de peregrinis urbe expellendis tulerat, L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato COSS., ut Dio refert l. XXXVII. *historiarum* (c. 9. ex.), citatus a Turnebo *Adv.* XX. 13. a Sigonio *Emend.* I. c. 10. atque iterum II. c. 37. p. 296., cuius sententiam de tempore huius legis (*p. Arch. P.* 5, 10. ex. *Balb.* c. 23. p. in. I. *Agrar.* 4, 13. *Att.* IV. *ep.* 16, 6. memoratae) male intellexit Ernestus *Ind. Leg.* Cf. Pigh. ad a. V. 688. T. III. p. 317. Heineccii *Comm. ad leg. Iul. et Pap. Popp.* l. I. c. 1. p. 12. s. Bach *H. I.* l. II. c. 2. sect. 2. §. 80. *Peregrini* ea aetate qui dicti sint, Spanhen. in *Orb. Rom.* p. m. 363. docuisse laudatur Ernesto. Cf. Athan. Oteyza et Olano l. IV. *Paralipom.* c. 14. in Meermann. *Thesauro* T. I. p. 599. ss. Niebuhr, V. Perill., *Röm. Geschichte* T. I. p. 391. et quos alios laudat Haubold, V. Ill. et S. Rev., in *Instt. I. R. priv. lineamentt.* l. II. c. 3. ab in. p. 57. s. cl. p. 402. Mox Bern. cum Guu. omnibus et ed. Gryph. transponit: *quam legem tulerunt*, item cum Goth., in quo

sapientissimi consules, Crassus et Scaevola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est. Illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra res publica cum saepe alias, tum

---

est *tulerant*. Qui libri nisi unius quasi familiae essent, hic eorum consensus nos adverteret. De lege *Licinia et Mucia*, lata a. 658., qua, qui Romae se pro civibus gererent nec cives essent, in suas civitates remitterentur, v. Balduini *Iuris prudentia Muc.* p. 100. Sigonius *de ant. iur. Ital.* c. 1. Cic. *Brut.* c. 16. post m. *p. Balb.* c. 21. pr. 23. ad f. *Cornel.* I. fragm. p. (1117. Ern. ed. 776.) 21. ed. Sch. *Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, video constare inter omnis, non modo inutilem, sed perniciosam rei publicae fuisse.* Nimirum, ut ad eum l. notavit Asconius p. 192. *L. Licinium Crassum oratorem et Q. Mucium Scaevolam Pont. max. eundemque et oratorem et iuris consultum significat. Hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in sua civitate sociis in suo consulatu tulerunt. Cum enim summa cupiditate civitatis Romanae Italici populi tenerentur et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gererent, necessaria lex visa est, ut in suae quisque civitatis ius redigerentur. Verum ea lege ita alienati animi sunt, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit.* V. n. ad II. *Off.* c. 21. m. el. Car. Dav. Ilgenii, quem V. S. Rev., honoris causa, nomino, in *Opusc. philoll.* T. II. *in Cic. p. Arch. P.* p. 27. s. De *Crasso* et *Scaevola*, aequalibus et collegis, v. n. ad II. 57. p. 111. *Or.* I. c. 39. de altero *d'Arnaud lib. II. Var. Coniectur.* c. 29. et in *vitis Scaevolarum* (ed. Arntzenii Trai. ad Rh. 1767. 8.) §. 25 — 47. p. 75 — 122. Maiansii *ad XXX Iuris consultorum fragmm.* etc. *Commentar.* (Genev. 764. 4.) T. I. p. 159 — 236. Chr. Ludov. Neuber in l. „*Die iuristischen Klassiker, ein Beitrag zur civilist. Biographie*" (Berol. 806. 8.) T. I. p. 56 — 71. Ill. Hugonis *Gesch. des Röm. Rechts* §. 241. ed. IV. Binkes p. 49. m. ss. praeter Balduinum l. c. p. 95. ss. laudat Perizonii *Animadvv. hist.* c. 9. p. 365. et Bachii *Hist.* I. l. II. c. 2. sect. 4. §. 59.

cum saepe alias] V. *alias*, servata in *Ven. sec.* aliisque ll., deest in Bern. et al. plerisque. Certo cuidam tempori opponitur 86. pr. I. *de Or.* 9, 38. m. *Brut.* 59, 1. *Tusc.* IV. 4, 7. *N. D.* I. 6, 15. pr. ap. Aemil. Prob. XXIII. in *Hannib.* c. 11. ex. Quantae clades Romanos sub bellis Punicis triverint, exponit Augustinus *C. D.* II. c. 18.

maxime bello Punico secundo: quae, Cannensi calamitate accepta, maiores animos habuit, quam umquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret! Athenienses cum Persarum 48
impetum nullo modo possent sustinere statuerentque, *ut, urbe relicta, coniugibus et liberis Troezene de-*

---

maxime *b. Punico secundo*, ib. c. 19. et Liv. XXIII. c. 11. ex. De clade *Cannensi* incomparabili praeter eundem XXII. c. 50. pr. Polybium l. III. Plutarchum in *Fabio* c. 16. ss. et in *Marcello* c. 9. Appianum, Zonaram, Orosium etc. v. Pigh. ad a. V. 537. T. II. p. 159. De Romanorum post hanc *calamitatem* (v. ad II. 8, 27. ex.) animis cf. infra h. l. 114. Locus classicus est ap. Livium XXII. 61. ex. XXIII. c. 13. pr. Quamquam ib. c. 14. memoratur, Romanos *ad ultimum prope desperatae rei publicae auxilium, cum honesta utilibus cedunt, descendisse;* sed Facciol. recte monet, fieri quaedam temporibus honesta, quae ipsa per se non sint. Eadem de re Florus II. c. 6. post m. *O horribilem in tot adversis fiduciam! o singularem animum ac spiritum populi Romani!* et aliquanto post: *O populum dignum orbis imperio! dignum omnium fauore et admiratione hominum ac deorum! Compulsus ad ultimos metus, ab incepto non destitit.* Eutrop. III. c. 5. ex. Silius Ital. X. 588. ad finem usque. — Extr. §. *honestas* dicitur *speciem utilitatis obscurare*, np. ut sol stellarum aut lucernae lumen: de qua metaphora v. n. ad 35. ex.

§. 48. *Athenienses cum — sustinere*] *Att.* VII. *ep.* 11. sect. 2. *Fecit idem* (ut urbem relinqueret) *Themistocles. Fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat.* Thucyd. I. 18. 73. 74. Pausanias II. 31, 10. Plutarch. in *Themist.* c. 10. 11. in *Cimone* c. 5. et in *Catone Mai.* c. 5. m. Aemil. Prob. II. in *Themist.* c. 2, 8. Iustin. II. c. 12. Inclutam hanc Atheniesium magnanimitatem celebrat Lycurgus in *Leocrat.* (*Oratt. Grr.* T. IV. p. 186.) 156, 26 — 157, 11. Demosthenes *adv. Androtion.* p. 597, 11 — 15. Lysias (*Or. Gr.* T. V. 97 — 104.) *Epitaph.* p. 193, 36 — 194, 27. Isocrates in *Panegyr.* c. 26. ex. 27. pr. 28. et *Panathen.* c. 17. qui urbem relictam esse dicit διὰ τὸ μὴ τετειχίσθαι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον. Aliam huius migrationis causam superstitionis indicat Herodotus VII. 141. ss. VIII. 41. 51. ss. Cf. Meursius *de Graecia feriata.* Est autem Τροιζήν, hodie *Trezina*, in Peloponneso oppidum Argolidis maritimum, Epidauro finitimum. Guil. Canter *Novar. lectt.* l. VII. c. 4. in Gruter. *Lamp.* T. III. de h. l. annotavit haec: „Athenienses, quae cum Persa

positis, navis conscenderent libertatemque Graeciae classe defenderent: Cyrsilum quendam, suadentem,

---

gesserunt bella, iis profecto, quanti libertatem facerent, ostenderunt planissime. Itaque, cum legatos Darius ad ipsos misisset, qui terram et aquam peterent, quibus illi porrectis dominum agnoscerent: adeo sunt eam rem aversati, ut ne legatis quidem ipsis parcerent, quin eos mox in barathrum conicerent: quoniam cum iis, quos ipsis natura hostes conciliarat, nullum sibi ius putabant intercedere. Nec secus cum iis, quos Xerxes decimo post anno [480. a. Ch. n.] misit, actum quidam putant" [ex Plut. *Themist.* c. 6. cuius tamen verba ab interpp. ad prius illud bellum referuntur]. „Quae quamquam sunt magna: maiora tamen de civibus suis, qui remissius libertatem tuebantur, sumpserunt supplicia. Primum enim, cum Xerxes maximis copiis in Graeciam ingressus, coram ea peteret, quae legatis ante negata fuerant; Cyrsilus forte quidam, minis regiis territus, obtemperandum petitioni Xerxemque recipiendum ausus est suadere. At mox reliqui, indignati, cominus ipsum, et uxorem eius mulieres, interemere. Nec hoc satis. Etenim cum, urbe iterum capta, legatus ad Athenienses Athenis postremo mitteretur, qui societatem ipsorum magnis praemiis Persae acquireret: Lycidas quidam similiter, ut Cyrsilus, conditionem accipiendam putavit. At hunc quoque illi lapidibus et uxorem eius pariter mulieres confecerunt. Ciceronem haec duo video confudisse atque e duobus unum fecisse. Etenim Lycidas, non Cyrsilus, est is, qui fuit lapidibus obrutus. Cyrsilus enim dicitur a Graecis ἐκ χειρὸς peremptus: id autem idem sonare, quod Latine *cominus*, exempla, si quis negabit, probant. Sic enim Xenophon initio παιδείας: ἔχειν δὲ δεῖ τοὺς ἐξιόντας τόξα etc. ἔτι δὲ καὶ παλτὰ δύο, ὥστε τὸ μὲν ἀφεῖναι, τῷ δ' ἂν δέῃ ἐκ χειρὸς χρῆσθαι: et in *Hellenicis*: πάλιν σὺν τοῖς παραγεγενημένοις τῶν πεζῶν ἀνέβαλλον καὶ ἐκ χειρὸς ἐμάχοντο. Itaque *Lycidae* supplicium ad *Cyrsilum* Cicero per incogitantiam transtulit. Fuerunt enim hi diversi. Ac Lycidae quidem Herodotus [IX. 5.], Cyrsili meminit *de corona* Demosthenes [p. 296, 5 — 16.]: qui tamen, quoniam pari memoriae lapsu Cyrsilum lapidibus necat, Ciceronem videri poterit in errorem induxisse. Deinde tempora utriusque negotii tam diversa traduntur, ut nullo pacto queant in unum redigi." Haec Canter. At vero minime illi *Cyrsilum* (de quo cf. Harpocr. in v.) cum *Lycida* confuderunt. Etenim ἐκ χειρὸς significat etiam *statim*, *continuo*, vel i. e. q. αὐτόχειρι ap. Lycurgum in *Leocr.* p. 165, 7. ss. ἄξιον τοίνυν ἀκοῦσαι καὶ (non placet cum Reiskio hic inserere τοῦ, ut hic articulus cohaereat cum GG. γενομένου ψηφίσματος, qui potius absolute positi sunt, *facto decreto*) περὶ τοῦ ἐν Σαλαμῖνι τελευτήσαντος, γενομένου ψηφίσματος, ὃν ἡ βουλὴ

ut in urbe manerent Xerxenque reciperent, lapidibus cooperuerunt. Atque ille utilitatem sequi videbatur; sed ea nulla erat, repugnante honestate. Themistocles post victoriam eius belli, quod cum 49
Persis fuit, dixit in concione, *se habere consilium rei publicae salutare; sed, id sciri, non opus esse.*

(*Areopagus* : cf. *I.* *Off.* 75. ex.), ὅτι μόνῳ λόγῳ ἐνεχείρει προδιδόναι τὴν πόλιν, περιελομένη τοὺς στεφάνους (erat enim ille senator, cuius privilegium erat coronae gestatio), αὐτόχειρες ἀπέκτειναν.

Xerxenque] Auctore F. Heus. e Gu. 1. 3. ed. Magont. et Lipss. 507. 513. adoptavimus Graecam Accusativi sing. formam, ut I. 108. p. 255. Ap. Cornel. Nep. II. 9, 1. et XIV. 1, 5. MS. Gu. item exhibet *Artaxerxem*. Pro volgato *lapidibus obruerunt*, quod etiam in Bern. et ap. Non. in v. *Recipere* legitur, F. Heus. e Palat. 1. et Anemoecii Augustano restituit *cooperuerunt*, comp. *Act. II. in Verr.* l. I. 46, 119. Idem vero e Gu. 1., exemplo Victorii, Ven. 554., Pearcii, Heumanni, scripsit *Atqui ille*, quae a recentioribus quoque facta correctio non magis necessaria est, quam I. 144. p. 290. Etenim „Particulas *atque*, *atqui* saepe a librariis confundi, docet Drakenb. ad Liv. III. 52, 8. et V. 4, 1: Differunt autem usu. Nam *atque* praeter illas significationes, quas monstrat Horatius Tursellinus *de Partic. L. L.*, inservit quoque confirmandis augendisque s. amplificandis iis, quae praecedunt. Contra *atqui* inservit illationi, assumptioni nec non proponendae ad refutandum obiectiunculae : quae tamen distinctio non ita perpetua est, quin interdum *atque* teneat locum τοῦ “ [adversativae part.] „*atqui* : ut probat Corte ad Sallustii *Iug.* c. 4. §. 3. Quam ob rem non tam faciles esse debemus ad reponendum *atqui* pro *atque*, quam ad corrigendum *atqui* in *atque*. *Atqui* nunquam est confirmantis, augentis. Quocirca perinde est, utrum legas *Atqui ille utilitatem secutus videbatur*; an vero *atque*. Contra in l. *de amic.* c. 19. [§. 5. pr. vel 68.] omnino legendum : *Atque in ipso equo libentius utimur consueto, quam novo.* Sic enim ipsius equi exemplo, unde obiectio petita fuerat, probat idem, quod paullo ante exemplo vini vetusti probarat. Nec opus est pro *atqui* legere *quin*, ut recte vidit Facciolatus.“ Haec verissime monuerat Bav. Voorda *Lectt. Tull.* c. 8. Cf. h. l. 61. pr. II. 5, 16. p. 34. *Epist.* V. 2, 17. pr.

§. 49. *belli — cum Persis*] V. ad I. 61. (p. 144.) 75. pr. Tum Bern. facit cum Gu. 1. 2. 3. 5. decem Aldi unoque Tertii, ad quorum fidem Gernh. volgatum ordinem vv. *opus* (cf. c. 32. ex.) *non esse*, servatum a Sch.,

Postulavit, *ut aliquem populus daret, quicum communicaret.* Datus est Aristides. Huic ille: *Classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse: quo facto, frangi Lacedaemoniorum opes, necesse esset.* Quod Aristides cum audisset, in concionem magna exspectatione venit dixitque, *perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum.* Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant qui-

---

mutavit, comp. *Or.* II. 73, 296. ex. *Lael.* 14, 10. pr. (51). Sententia haec est: *inutile esse* (quod κατὰ λιτότητα dicitur pro *obesse*), *quia id effectum dari non posset, si emanarit in volgus*, vel, ut est ap. Valer. VI. 5. *extern.* 2. *rem evolgari non oportere.* Πρᾶξιν ἀπόῤῥητον πρὸς τοὺς πολλοὺς dicit Plutarchus in *Themist.* c. 20. pr. et similiter in *Aristid.* c. 22. p. 532. Seqq. citantur a Nonio in v. *Subducere.* Ap. Livium XXXIV. 38. pr. scribitur *Gythium*, ut Gr. Γύθιον ap. Polyb. V. 19. quem l. ascripsit Gernh. ναύσταθμον τῶν Λακεδαιμονίων, ὃ καλεῖται μὲν Γύθιον, ἔχει δὲ ἀσφαλῆ λιμένα· τῆς δὲ πόλεως ἀπέχει τριάκοντα σταδίους, item ap. Strabonem, Diodorum, Lycophr. v. 98. et Pausaniam I. 27, 6. III. 21, 4. 5.; sed ib. § 6. Γύθειον, ut in Xenoph. *Hellen.* II. 4, 11. Vid. ib. Schneider ad VI. 5, 32. Cicero ει expressit saepe per e. V. n. ad II. 82. pr. Misere vero contra genus grammaticum peccat Degen, cui portus iste dicitur *Gytheus.* — In clausula Heus. invenit apud Vincentium Bellov. *necesse esse*, ut Heumannus corrigi voluerat. Pron. relativum sic Infinitivos copulat *Fin.* I. 9, 30. ubi Görenz p. 40., invitis MSS., in quibus est *oporteret*, recte tamen defendit *oportere.* *N. D.* I. 17, 45. *intelligitur enim, a beata immortalique natura et iram et gratiam segregari, quibus remotis, nullos a superis impendere metus.* Sed ib. II. 9, 24. *negat enim ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur; cuius etiam in reliquiis inest calor his, quae natura respuerit*, miror, Heindorfi, deleri iubentis pron. *is* et deinde corrigi *inesse calorem*, audaciam Mosero probari potuisse. H. quidem l. facile potuerunt confundi simillima compendia scribendi *esse* et *est*, quod legitur in Gu. 4. Placet tamen Gernhardo, Coniunctivum servari propterea, quod *quo facto* dicatur pro *quod si factum esset*: incertum enim erat, an id futurum esset. Apud Valer. l. c. est: *classem illum Lacedaemoniorum — velle incendere, ut, ea consumpta, dominatio maris ipsis cederet.* — Forma contracta *audisse* usurpatur item in *Cat. Mai.* 13, (1.) 43.

dem, auctore Aristide, repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunîs, socios vectigalîs habemus.

XII. Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam esse utile, ne tum quidem, cum id, quod utile putes, adipiscare. Hoc enim ipsum, utile putare, quod turpe sit, calamitosum est,

---

Melius hi] Intell. *iudicarunt* v. *statuerunt*. V. n. ad II. 53. ex. *Leg.* II. §. 26. c. 11. pr. *Or.* III. c. 59. *Quo melius nostri illi senes, qui* etc. — *Piratas* I. M. Heus. intelligit eos, qui belli civilis licentia piraticam impune faciebant. *Socii vectigales* autem significantur ii, qui e Pompeii partibus steterant, ut Massilienses, fidelissimi socii (II. 27. s.), ut rex Deiotarus, populo R. amicissimus. *Phil.* II. c. 37.

C. XII. *Maneat ergo*] np. *firmum, indubitatum*, dicitur de sententia, quae, nullis adversariorum argumentis labefactata, adhuc valet. Sic partim cum Görenzio, partim cum Gernhardo in *Ien. Allgem. Lit. Zeit.* 1811. n. 195. vel 196. placet legere *Acad.* II. 25, 79. *Si maneant illa omnia* (np. quae contra te diximus): *laceras, istam causam*: quem l. Sch: ex Ernesti coniectura, qua sententiae integritas non restituitur, refinxit, ipse autem peiori sollicitavit. *Minu* eodem sensu usurpavit Plato in *Critone* c. 8. ex. ubi cf. Fischer. Bern. cum volgatis proxima *quod esse utile putes*, quem ordinem e duobus Aldi libris unoque Tertii Graev. Ern. etc. receperunt, collocat sic: *quod utile esse p.* Equidem v. *est* incertis sedibus exsulare iussi, quod ne in proximis quidem additur, neque c. 11. ex. 5, 18. p. 212. §. 50. ex. *si id turpe iudicat. Et gloriosam putat.* Cf. ad II. 55. ex. Ceterum hic desinit disputatio de ea, quae videatur utilitatis cum *honestate omnino* fieri saepe dissensio. Nam §. 47. 48. proponebantur exempla *fortitudinis*, quod honestum non esset, id ne utile quidem putantis. Deinceps disseritur de *iustitia*. Pearcii autem, I. M. Heusingeri et Gernhardi ad 96. pr. opinio, scriptorem de *iustitia* c. 10. usque ad 17, 71., de *prudentia* inde a c. 17, 71. usque ad 25, 95. disputasse, quam incommoda sit, notare non praetermisit Binkes p. 48. et recte iam Garve ad h. l. III. p. 252. (231. s. ed. 2.) monuerat, non facile fines regi posse inter locum de *prudentia* et inter locum de *iustitia*. Quippe; ne potest quidem esse *prudentiae* locus singularis. Quod si ad philosophiam, cuius ipsis tirunculis abecedariis volgares interpretes sunt rudiores, interpretandam vel minima mica salis inerat,

50 Sed incidunt, ut supra dixi, saepe causae, cum repugnare utilitas honestati videatur: ut animadvertendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate coniungi. Eius generis hae sunt quaestiones: Si, exempli gratia, vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame summaque annonae caritate; si idem sciat, compluris mercatores Alexandria solvisse, navisque in cursu, frumento onustas, petentis Rhodum, viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem et bonum virum fingimus. De eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet; sed dubitet, an turpe

---

attendere debebant ad 95. extr. vv. *quae videntur esse utilitates contra iustitiam simulatione prudentiae.* Nimirum, cum *prudentiae* sit, *legere intelligenter utilitates*, omnino insanus foret, qui haec disiungere vellet ac dicere, *utilitates videri repugnare prudentiae.* Imo perinde est, *utilitates*, an *prudentiam* dicas repugnare *iustitiae*, *fortitudini*, *temperantiae*. Cf. *Conspectus* h. l. p. 178. III.

§. 50. *causae, cum — videatur*] Coniunctivum firmat et Bern. Cf. c. 10. pr. Idem mox scribit *Alexandream*. V. p. 268. n. ad II. 82. pr. De urbis prope a Nili ostio Canopico κωμαιρεία v. Strabo XVII. 1. p. 425. s. 463. ubi dicitur μέγιστον ἐμπορεῖον τῆς οἰκουμένης: et de *Rhodiorum* institutis alimentariis ib. XIV. 2. p. 194. s. ed. stereot. — Ad vv. *si idem — viderit* intell. *post se.* Nam contra rei naturam Hottinger naves navibus, quae eodem tendant, occurrentes facit. — Extr. §. Ernestus, ut ait, e Cur., scripsit: *dubitet, turpe sit, an non sit;* sed, Degenio teste, in Cur. itidem, ut in Gu. 2. est: *an turpe sit, an non sit.* Sic ψ quoque, modo quod ultimum *sit* detrahit. Bern. cum roll. *dubitet, an turpe non sit:* quae lectio, arbitro Gernh., ferri non potest propter sententiam. Nimirum hanc illi subiicit vim: *sed iudicet turpe.* „Si turpe non esse putat," inquit, „dicendum erat, *sed dubitet, an turpe sit,* id quod in Gu. 5. et impr. incert. a. legitur; idemque versione expressit Hottinger: *aber noch ungewiss, ob es unrecht sey.*" Qua in re V. D. egregie fallitur. V. quae extr. *Excursu* XI. ad l. I. attulimus, et locum A. Gellii I. 3. de Chilone: *id ipsum tamen, in fine quoque vitae, an*

sit, an turpe non sit. In huius modi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno et gravi Stoico; aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo: Antipatro, *omnia patefacienda, ut ne quid* 51

---

iure posset reprehendi culparique, *dubitavit*: quae respiciunt ad ipsius Chilonis verba haec: *quod, metuo, ne a culpa non abhorreat.* Ergo, culpari posse, credit. In negatione autem post *dubito* v. *nescio*, *an* usurpatur quidem *nemo*, *nihil*, *nusquam* etc.; sed vix usquam *non*. Vel se ait: *Dubium est, ecquaenam fieri possit accessio*; sed *Fin.* IV, 24, 67. ex. parum abest, quin neget. In uno, qui cum maxime in promptu est, loco *Acad.* II. 25, 81. tuetur illud quidem Th. Wopkens in *Lectt. Tull.* (Amstel. 730.) p. 35. Sed nullus dubito, quin, exclusa negatione, quam uncis notabimus, legendum sit: *Quaere rationem, cur ita videatur: quam ut maxime inveneris* (*quod, haud scio, an* [*non*] *possis*): *non tu, verum* (hic facile excidere potuit *tu*) *testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere, ostenderis.* Neque tamen negative accipio cum Schuppio, V. D., p. 17. s. libelli, ad II. 74. p. 148. laudati. Nam importunus sane atque insolens fuisset Cicero, si quaestionem tam facilem a Lucullo, quicum disputat, solvi posse, negasset. Imo non dubitat, quin ratio rei explicandae ab illius sagacitate inveniri possit. Nihilo minus placuit, in hoc loco supplendo sequi Gernhardum, monentem, ob vocabulorum similitudinem non mirum esse, si librariorum oculi aberrarint partemque priorem transiluerint: praeterea, si ad alterutram partem vergat sententia, propensiorem esse eo, ut celare honestum putet; hic autem de frumentarii deliberatione et consultatione integra quaeri. Recte. Cf. 2, 7. 9. 3, 11. pr. 57. pr. I. 3, 9. 9, 30. ex. 161. Cum tamen nec Cur. neque alius liber faueat priorem *an* delenti, interim retinenda videtur e itemque XI. *Att.* 6. ex. *Is dicitur vidisse Ar euntem, an iam in Asia?* ubi Sch. priorem tacito expunxit cum Ern. Cf. Curtius VIII. 7, 25. ex. Tursellinus et Meiner p. 47. s. libri, ad I. §. 2. pr. citati.

§. 51. *Diogeni Babylonio*] Hic quidem de non nullis laxius statuisse videtur ex eo, quod, non certis principiis usus, iuridica cum ethicis confudit. Cf. 91. Non huius, ut Degen perhibet, auditor fuit Panaetius, sed *Antipatri Tarsensis*, de quo v. Ernesti *Ind. hist.* quem tacito exscripsit Schütz in suo p. 26. s. Cf. Van Linden *Diss. de Panaetio* §. 8. 9. p. 31. ss. b. Tennemanni *Gesch. d. Philos.* T. IV. p. 332. s. 367. 369. s. atque Exc. Krugii *Gesch. d. Phil. a. Z.* §. 147. *b*) et *d*). Ceterum hae controversiae ostendunt, subtilius disputandi iudiciique acuendi gratia, fictis exemplis usos esse philosophos veteres. Videtur an-

omnino, quod venditor norit, emptor ignoret; Diogeni, *venditorem, quatenus iure civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cetera sine insidiis agere; et, quoniam vendat, velle quam optime vendere.* „*Advexi, exposui. Vendo meum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris, cum maior est copia.* Cui

---

tem Cicero haec quoque mutuatus esse ex Hecatonis libro *sexto de officiis.* — Ad vv. *ne quid omnino, quod venditor norit* intell. *ad rem subiectam quocumque modo spectans atque ad eius aestimationem momentum aliquod habens.* — Tum *quam optime vendere* (cum suo emolumento) i. e. q. *so quam plurimo.* Ad postrema vv. *cum maior est copia* Bav. Voorda *Lectt. et interprett. Tull.* c. 7. notavit haec: „Nollem a perspicacissimo Facc. pro insiticiis haberi. De Ambrosio, [III. 6.] ea omittente, satis fecit ei, ut opinor, Heus. maior, qui tamen minus recte priora exponit — *Fortasse vendo minoris, quam anni.* Rectissime Heus. alter: — *minoris, quam ceteri* frumentarii, *cum maior est copia* tritici per eos advecti, suum vendituri sunt." [Imo Heus. Futurum verbi tempus non addidit.] „Sententia per se plana est, suppleta intellectu duplici ellipsi: *Vendo meum non pluris, quam ceteri* (ubi advenerunt, vendituri sunt), *fortasse etiam minoris* (vendo, quam ceteri tunc) *cum* (per ipsorum adventum) *maior copia* (facta est, vendituri sunt)." Sed tum scriptum oportuit: *cum maior e r i t* vel *fuerit copia.* Praeterea ita quidem Diogenes liberalior etiam esset ipso Antipatro, qui tamen nimiam lucri cupiditatem ei exprobat. Sensum plane pervertit Degenii interpretatio: „*Weil die Zufuhr (sowol von mir als von Andern) ziemlich stark ist.*" Quanto potior erat Gernhardi ratio, post vv. *cum maior est copia* (mei frumenti) intelligentis *quam ceterorum.* Sed nec F. Heusingeri explicatio displicet, si ellipsis hoc modo suppleatur: *Vendo* (i. e. vendere soleo) *meum non pluris, quam ceteri* (frumentarii vendere solent suum), *fortasse etiam minoris* (quam ceteri, vendo, apud eum v. *alias*), *cum* (i. e. quoties) *maior est* (ἀφθονος) *copia* tritici per alios mercatores advecti et expositi. Perite F. Heus. monet, negotiatores mercibus suis secundum annonam fori, quam deprehendant, pretium statuere solere; eos igitur, qui foro sciant uti, cum videant, rerum, quas ipsi venales advexerunt, magnam copiam ab aliis eodem convectam esse, suas merces paullo minoris, quam alios, vendere: ita parvae pecuniae iactura saepe magnum damnum redimere, quod ex eo nasceretur, si merces suas aut post longam demum moram vendere aut alio asportare cogerentur. Quod si mercator, eum, lucri spe ductus, alios

Cui fit iniuria?" Exoritur Antipatri ratio ex altera 52
parte: „*Quid ais? Tu, cum hominibus consulere debeas et servire humanae societati eaque lege natus*

---

alios iuvare studet, maximam saepe iacturam facit et vendere non potest nisi cum damno suo inde, quod exiguum rebus advectis pretium propter earum abundantiam statuitur: nonne aequum videtur, ut, aliquando opportunitate usus, plusculum lucretur atque ita damnum suum resarciat? Quod ni recte fieri iudicetur: nemo, salva et fide et re sua, poterit mercaturam facere. Ita, sublatis commerciis, dissolvetur ipsa hominum societas et homo hominis ope atque industria, qua vel maxime eget, destituetur: ut copiosius ex Diogenis mente ad 13, 57. pr. disputat Rachelius.

§. 52. *Exoritur A. ratio ex altera parte*] i. e. argumentatio v. *disputatio*. Sic *Divin.* I. 51, 116. pr. *Hic magna quaedam exoritur — somniorum Antiphontis interpretatio.* Bavio Voordae l. c. haec et rursus, paullo post quae subiiciuntur, *Respondebit Diogenes fortasse sic*, umbratico doctore vel magistro, pueros erudiente, quam Cicerone, digniora videntur, qui, ut alibi alias personas, ita h. l. philosophos ultro citroque disputantes inducat sine eius modi admonitionibus, uter incipiat, uter desinat loqui, ineptis et frigidis. „Et qualis, quaeso", inquit, „illa Latinitas est *exoritur ratio* pro *exoritur oratio* vel *affertur ratio?* quam elegans illud *fortasse sic?* Vtramque igitur pericopam in marginem libri relegatam reddamus auctori suo sciolo: nam vel ipsum aurium iudicium, si quid sapio" [Salve, Bavi Thales!] „ea Ciceroni abiudicat. Nec in huius modi causis, quamquam prudentia opus est, anxie adhaerere debemus codicibus MSS. Horum enim ministerio uti, non serviliter in eos iurare debemus. Exemplo sit Bentleius, qui in Horatio nulla MSS. auctoritate, imo saepe invitis illis omnibus, innumeras coniecturas criticas ex solo ingenio prodidit easque, si non omnes, certe plerasque longe felicissimas." At vero, ut priora recte abesse possint: tamen in hoc librorum consensu, ea delere, foret temeritatis. Non tamen dissimulandum, altero loco suspecto pro *respondebit* a Bern. substitui *respondit*. Sed, his omissis, personae non satis distingui videntur. Non haec eiusdem farinae videntur, cuius illa 53. pr. Cf. quo modo Noster composuerit Diodorum cum Chrysippo *de fato* c. 6. item Carneadem cum Epicuro ib. c. 11. s. aliaque vividioris sermocinationis exempla *p. Mur.* 30, 62. ex. (115.) IV. *ad Herenn.* c. 51. s. §. 64. ss.

sis et ea habeas principia Naturae, quibus parere et quae sequi debeas, ut utilitas tua communis sit [utilitas] vicissimque communis utilitas tua sit,

---

principia Naturae] Binkes p. 15. s. n. 7. cum Schellero in *Lex.* s. v. p. 8456. confundit hic cum *primis Naturae*: quae, ipsi ad 3, 13. p. 303. observavimus, synonyma esse, sed alio sensu. Ad haec confundenda ne illo quidem valet locus Fin. V. 7, 18. H. l. intelliguntur ea, quae I. 4, 11. — 14. (ubi p. 33. cf. n. 2.) indagata sunt *ingeniis nostris semina innata virtutum: quibus auctis, virtutis quasi carmen effici* dicitur Fin. V. 15, 43. Tusc. III. 1, 2. ubi hi tamquam igniculi, a Natura dati, praedicantur *Naturae lumen*. Cf. infra hi l. 76. pr. Hoc autem paullatim demum elucescit. Itaque Degen et a Stoicis et ab ipsa Natura descivit, hos esse opinatus *naturae primos appetitus*: qui potius eum bestiis communes sunt. Iac. Nic. Loensis *Miscellan. epiphyll.* L. I. c. 5. (in Gruter. Lamp. Tom. V. Supplem. p. 259. a.) monuit, de iis notionibus hic disputare Ciceronem, quae nobis aequi et boni naturale ac verum iudicium suggerunt: intelligi enim ea principia, de quibus loquatur Aristoteles in VI. τῶν Νικομαχείων libro, cum dicit νοῦν εἶναι τῶν ἀρχῶν, h. e. *mentem procreatricem esse principiorum*, quod, ut Eustratius inquit, ea ex se pariat. „Ingenuit enim Natura seu Deus potius nobis in animo nostro semina quaedam, e quibus tempore iam maturo tum artes, tum sapientiam, tum veri intelligendi vim omnem valeat excitare et producere. Haec autem, ut Alexander Aphrodisaeus in commentario *de anima* docet, *in intellectu potentiali sive materiali sita sunt*, omni hominum generi communia, [qui quidem mente non sunt capti]“ etc. Quamquam Aristoteles l. c. VI. c. 6. ex. potius de cognitionis, quam de honestatis, principiis disserit.

ut utilitas tua communis sit utilitas] Sic verbum interponitur a Bern. Gu. 1. 2. 3. ed. Gryph. et P. Baldinis. Reliqui transponunt *utilitas sit*. Groning. et edd. vett. praeter illam s. l. et a. *utilitatis sit*, ut substantivum in suspicionem veniat, non magis necessarium, quam in altero membro, ubi Gu. 3. transponit *vicissimque communis utilitas sit tua*. Cf. fin. 26. s. ex quo l. sensus sic accipietur: *ut tibi propositum sit, utilitatem tuam communem esse, vicissimque* etc. Quam egregie dictum! Naturae enim, quae omnem progeniem suam pari amore complectatur neque eorum, quos in eodem conscientiae gradu constituit, cuiquam prae ceteris faveat, ratio sibi ipsa repugnaret, si naturam suorum salutem et ius ita disiunxisset, ut unius utilitas aliorum utilitati officeret. Imo tam communis est, quam ipsius vitae munus. Hinc imitandum exemplum

elabis homines, quid iis adsit commoditatis et coiae?" Respondebit Diogenes fortasse sic: „Aliud st celare, aliud tacere. Neque ego nunc te celo, i tibi non dico, quae natura deorum sit, qui sit nis bonorum: quae tibi plus prodessent cognita, uam tritici vilitas. Sed numquid, quod tibi audire tile est, id mihi dicere necesse est?" — — „Imo 53 ero necesse est, si quidem meministi, esse inter omines Naturâ coniunctam societatem." — — „Meini. Sed num ista societas talis est, ut nihil uum cuiusquam sit? Quod si ita est: ne vendenum quidem quidquam est, sed donandum."

---

orporum coelestium, quae concordi amicitia orbitas suas ersequuntur, nullo quoquam nullum quodquam impeiente. — Mox Bern. *quid his adsit*, et, paucis interiectis, on *quis*, sed *qui sit finis*, ut I. 4, 14. pr. *sentit, quid sit rdo*, — *in factis dictisque qui modus*. Ceterum, *quae nara deorum sit, qui sit finis bonorum*, haec esse maxima in hilosophia eorumque cognitionem ad bene beateque viendum unice necessariam, auctoribus Stoicis, docuimus xc. VIII. ad l. I. Cf. *Fin.* IV. 5, 11. — Tum a Bern. onfirmatur vera lectio *tritici vilitas*, in prox. autem cit cum volg. *sed, non quidquid t. a. u. e., idem ihi etc.* Recte Gernh. praetulit *id — dicere*, cum non pponatur *aliud dicere*, sed *reticere*.

§. 53. *Imo vero, inquiet ille, necesse est*] Haec vv. ropter similem superiorum clausulam e Bern., μ aliisque xciderunt. Sed cum Gu. 5. Goth., ed. s. l. et a., Ven. 98. Lipss. 507. 513. Lugd. 517. substituant *inquit*, vv. *nquiet ille* cum optimo cod. Palat. 1. exclusimus, auctore oorda. „Nam," inquit, „ipsum *Imo vero* satis indicat, ersonam loquentis mutari. Quin mox rursus subiicitur: *Memini, inquiet ille*. Nec enim Ciceronis est, eadem erba tam axiguo vel potius nullo intervallo repetere. Delenda igitur sunt alterutro loco et quidem in priore, uia in posteriore nullum aliud adest indicium mutatae ersonae loquentis." Adest vero; nempe ipsum v. *Meini*, quod satis aperte respondet illis: *si quidem meministi*. Similiter personae mutantur *p. Mur.* 31, 65. ex. (119.) Praeterea Gu. 5. omittit pron. *ille*, Gu. 4. substituit *inuit ille*, quod recepit Exter, ed. Bip.; Gu. 1. transpouit *ille inquid* (sic). Itaque hic etiam glossema proscripsinus. — Extr. cap. Bern. cum plerisque peccat *nihil suum uiusque*, scilicet male intellecto scribendi compendio.

XIII. Vides in hac tota disceptatione non illud dici: *Quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam*; sed *ita expedire, ut turpe non sit*: ex altera autem parte, *ea re, quia turpe sit, non*
54 *esse faciendum*. Vendat aedis vir bonus propter aliqua vitia, quae ipse norit, ceteri ignorent; pestilentes sint et habeantur salubres; ignoretur, in omnibus cubiculis apparere serpentis; male materiatae sint, ruinosae; sed hoc praeter dominum nemo sciat. Quaero: si haec emptoribus venditor non dixerit aedisque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putarit, num iniuste aut improbe fecerit?

Alia res est in affirmatione I. 7, 21. p. 49. ubi corruptam h. l. lectionem citavimus.

C. XIII. *ita expedire, ut turpe non sit*] i. e. *expedire idemque* (v. *sed*) *turpe non esse*. Mox in Bern. corruptum est *favendum*.

§. 54. *in omnibus cubiculis a. serpentes*] Alias anguis, domi deprehensus, erat in ostentis. *Divin.* I. 18, 36. II. 29, 62. Sed ib. 31, 66. *in Salonio ad focum angues nundinari solere* dicuntur. Post *male materiatae* ab Heus. e Gu. 2. restitutum *sint* deest, ut in rell., sic in Bern., qui deinceps recte habet: *Quaero si haec*. Plerique hic. Sequens *quo* adiungit contrarium, ut I. 86. p. 196. — In extr. vv. *iniuste aut improbe* particulam *aut*, quae a Bern. quoque servatur, Reiz cum Facc. et Ern. mutavit in *atque*. Cf. ad 6, 30. ex. Gernh. haec differre statuit hoc modo: „iniuste aut saltem improbe, cupide, immoderate." Nos agnoscimus gradationem potius, ut 5, 21. *spoliet aut violet*. II. 69. ex. Praemittitur his vv. volgo *id*, quod Degenii Graecitas nimis callide interpretatur „κατὰ τὸ", nos auctoritate Gu. 2. exclusimus, ut placuerat F. Heusingero, comp. 40. ubi item volgabatur: *poterat videri facere id iniuste*; sed Heus., secutus eundem Gu. 2. et a prima manu quartum, expulit pronomen, frustra adversante Gottlebero ad §. 57., qui locus absimilis est. Cf. Lael. 2, 9. (al. 10.) *Tu autem — facis amice*. Quod attinet ad rem, usus eodem hoc exemplo etiam Carneades est in oratione, quam Romae habuit, ut, iustitiam esse stultitiam, doceret, ap. Lactant. V. 16, 5. 17, 32. et *Epit.* c. 56. qui refert Ciceronis e l. III. *de re publ.* verbis: ex qua eadem oratione etiam illa sunt ap. Cic. *Fin.* II. 18, 59. quod latuit b. Platnerum in libro alioquin eruditissimo: *Philosophische Aphorismen* Vol. II. p. 418. ed. nov.

„*Ille vero*," inquit Antipater. „*Quid est enim aliud*, ERRANTI VIAM NON MONSTRARE (*quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est*), *si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est, quam viam non monstrare: nam est, scientem, in errorem alterum inducere.*" Diogenes contra: „*Num te emere coëgit, qui ne hortatus quidem est? Ille, quod non placebat, proscripsit; tu, quod placebat, emisti. Quod si, qui proscibunt* VILLAM BONAM BENEQVE AEDIFICATAM, *non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est nec aedificata ratione:* 55

---

§. 55. *Ille vero*] Degen supplet: *Sic fecit.* Imo repete *improbe fecerit*, Futurum exactum, de cuius, in priori membro bis positi, usu v. n. ad 6, 30. cll. *Acad.* II. 25, 81. ex. *Mur.* 30, 62. Seqq. Bern. quoque collocat sic: *Quid est enim aliud:* quo ordine Gernh. verba collocat etiam in *Cat. Mai.* 2, 6. ex. (al. 6. ex.) V. n. ad I. 68. pr. 154. pr. *Or.* I. c. 58. m. *Aliud est enim*, *iste artificem* —, *aliud* etc. Suspecta est structura in *Or.* I. 54. ex. §. 120. *Quid enim est aetas hominis....?* — Deinde formam *sanctum est* (i. e. lege sacrata vetitum) agnoscit Bern. quoque, ut 65. pr., et Gur., teste Degenio, qui per errorem hanc lectionem tribuit et Ernesto. Hic vero cum rell. tenet *sancitum est.* De Atheniensium lege; ἀποφαίνειν ὁδὸν πλανωμένοις καὶ κοινωνεῖν κατὰ τὸν βίον ὕδατος ἢ πυρός, quam post Diphilum in *Parasito* ap. Athen. VI. Ἀγνοεῖς, ἐν ταῖς ἀραῖς Ὅτ' ἐστιν, εἴ τις μὴ φράσει ὀρθῶς ὁδὸν Ἢ πῦρ ἐναύσει ἢ διαφθείρει ὕδωρ; quam expressit Ennius versibus I. 51. laudatis, citantur Petiti *Leges Atticae* p. 678. et Valckenar. ad Herodot. VII. c. 231. — In seqq. est duplex metaphora *ruere*, tamquam in foveam, *et per errorem in maximam fraudem* (insidias) *incurrere*, tamquam in plagas. Degen cum Hottingero *fraudem* hic accipit pro *damno*. Enimvero sequitur: *scientem, in errorem alterum inducere*, i. e. de industria tendere plagas, ita, ut ipse praevideas, alterum deceptum iri. Cf. 68. ex.

proscripsit] i. e. *venale proposuit, affixo titulo*, ut 66. 68. in fragm. or. *p. Tull.* ed. Sch. p. 10. ex. *fundum proscripsit.* V. Sch. *Lex. Cic.* s. v. — E proxx. de *villa non aedificata ratione*, i. e. *sic, ut vera ratio postulat*, ergo secundum regulas architectonicas, *aedificandi descriptione accommodata*

multo minus, qui domum non laudarunt. Vbi enim iudicium emptoris est, ibi fraus venditoris quae potest esse? Sin autem dictum non omne praestandum est: quod dictum non est, id praestandum putas? Quid vero stultius, quam venditorem eius rei, quam vendat, vitia narrare? quid autem tam absurdum, quam si domini iussu ita praeco
56 *praedicet?* DOMVM PESTILENTEM VENDO!" Sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut, id, quod utile videatur, non modo, facere, honestum sit, sed etiam, non facere, turpe. Haec est illa, quae videtur utilium fieri cum honestis saepe dissensio. Quae diiudicanda sunt. Non enim, ut quae-

---

ad usum (I. c. 39. pr.), apparet, item de *villa* loqui oratorem in lacero loco *p. Rosc. A.* 45, 132. ex. *aptam et ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis aut in Bruttiis habent, unde vix ter in anno audire nuncium possunt.* Cf. Matthiae, V. S. Rev.; ib. ad 39, 113. cl. nota ad I. *Off.* 92. p. 208. Continuo post Bern. male scribit *multum minus.* Cf. tamen n. ad 38. ex. — *Praestari* dicuntur vitia rei venditae ab eo, qui auctor in vendendo se nexu obligavit, ut aut damnum emptori sarciat, i. e. pecunia aliisve rebus compenset, quandoque etiam poenam subeat, aut ut redhibeatur sibi res vendita, ipse pretium restituat. Cf. 65. 67. 71. ex. Florentinus in *D.* XVIII, 1. *de contrah. empt.* l. 43. pr. *Ea, quae, commendandi causa, in venditionibus dicuntur, si palam appareant, venditorem non obligant: veluti si dicat „servum speciosum, domum bene aedificatam."* Postea legebatur: *Quid vero est stultius*, ut statim post in Gu. 3. *quid autem est tam.* Sed v. *est*, quod Ascensius promovit post *stultius*, suspectum Gernhardo, cum Gu. 1. omisimus, ut placuerat Görenzio ad IV. *Fin.* 28, 78. Idem delendum arbitramur in *Agrar.* II. 4, 11. *Quid enim est tam populare, quam pax?* Saltem vv. struenda erant, ut in *Or.* c. 34. *Quid est enim turpius, quam* etc. De hac ellipsi, in proximo statim membro iterata, cf. II. 54. (cum n. p. 104.) 66. *Tusc.* III. §. 71. c. 29. pr. V. 28, 80. *Quid enim est foedius?*

§. 56. *fieri cum honestis saepe dissensio*] De hoc particulae positu v. I. 10, 33. p. 75. cl. Görenzio ad *Fin.*

eremus, exposuimus; sed, ut explicaremus. Non 57
gitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec
ic aedium venditor celare emptores debuisse. Neque
nim id est celare, quidquid reticeas; sed cum, quod

. 24, 69. p. 620. ab in. — Tum *ut quaereremus* valet:
*t quaestionem moveremus, ipsam rem in ambiguo relinque-
rmus.*

§. 57. *frumentarius ille Rhodios*] Bern. cum aliis *Rhodius*. Per se non absurde. Non enim ipsi Aegyptii terra sua feracissima, ubi agri cultura floreret quam maxime (Strabo XVII. c. 1. p. 417. ed. ster.), frumentum liasque res, quibus abundarent (Aristot. *Oecon. Opp.* II. . 395. Herodot. II. 177.), exportabant, certe antiquitus; ed ipsi exteri, qui illis rebus egerent, ad earum merca- uram Aegyptum adibant atque inde, quantum ad vitae ecessitates opus esset, invehebant. Atque etiam *Rhodii* n Hellenii conditoribus memorantur ab Herodoto II, 178. V. Heerenii *Ideen über die Politik, den Verkehr u. d. Handel er vorn. Völker der alten Welt.* T. II. p. 715 — 18. 722. d. 2. Aliter tamen serioribus temporibus, de quibus Vir Ill. T. III. exposuit. Ipsi Alexandrini maximam artem fuere Graeci. Vtcumque sit: *aedium emptoribus* ic opponuntur *Rhodii* (50.), quos Gernh. inutili subtili- ate a solis frumenti emptoribus distinguit. De aedium mptore cum Cicerone assentimur Antipatro. Recte enim eticentiae, praesertim occultorum vitiorum, utpote fraudi, o malitiae, poenam constituerunt iure consulti (65. sx.). ecus videtur de frumentario, si quidem non nisi pecu- iaria ratio habeatur. Nam possunt sane incidere causae, t, aliae rationes singulares valere debeant, e. g. si urbs bsidione prematur ac cives fame ad incitas adacti sint. lioquin unius cuiusque scientia aut notitia ipsa res est retiosa: quam ut aliis gratis largiatur suumque commo- um privatum in usus publicos conferat, ipse eius fructu areat, iniquum est postulare: modo frumentarius lucu- ento quaestu ac compendio contentus sit neue emptores, ame laborantes, omnino spoliet. Quamquam id auso ve- endum esset, ne frumentum, ab ipso advectum, a plebe ripiatur: id quod hic illic dardanariis accidit. Rache- ius quoque ad h. l. potius a Diogene stat post Grotium e *I. B. et P.* l. II. c. 12. §. 9. ad quem cf. Barbeyracii ot. Gall., itemque ad Pufendorf. *de I. N.* l. V. c. 5. . 4. ubi Mascovius in n. 1. Ciceroni Diogenis sententiam robari autumat; sed non attendit ad disputationis nexum. Iam a proximae argumentationis principio, qua Diogenis erba repetuntur, ut refellantur, *enim* valet i. q. *quidem*, icut I. 9, 30. pr.

quidquid reticeas] „Pro *quidquid* malim legi *cum*

tu scias, id ignorare, emolumenti tui causa, velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit et cuius hominis, quis non videt? certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non viri boni: versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Haec tot et alia plura, non inutile est, vitiorum subire nomina?

58 XIV. Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt: quid de iis existimandum, qui orationis vanitatem

---

(s. *quam*) *quid*. Facile haec potuere commutari et sequitur *sed cum velis*, cui *cum quid reticeas* aptius respondet." Scheller. Ita quidem legitur in Lugd. 527. non, ut Schütz notat, *quem quid*. In gemino loco 108. pr. opponitur Infinitivo Infinitivus. Hic autem non potuit non aliter construi propter *quidquid*, ad quod pron. male Degen e priori membro refert *id*, cuius abundantia similiori exemplo, quam quae a Gottlebero aliisque comparantur, asseritur ab Hor. Tursellino *de Partt.* ex *Or.* c. 34. ad f. *Nescire autem, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum.* Ad sententiam declarandam cf. Püfendorf *de I. N. et G.* V. 3, 3. ex quo haec tantum excerpamus: „Extra contractum constitutus, recte possum multa alios celare, etsi ex eo silentio solus ego lucro aliquo fruar, quod cum altero communicaretur, si idem ipsi per me indicaretur." — Ad seqq. potius respicit Lactantius VI, 12, 11. quam, ut Cellario videbatur, ad l. *Off.* 30. 108. ex. Cf. *Fin.* II. 16, 53. ex. *Obscurus* dicitur non modo is, *qui, fallendi causa, obscure loquitur, sed etiam, qui insidiose obscure dissimulat.* *Digestt.* XVIII. t. 1. *de contrah. empt.* l. 43. §. 2. Ἀψευδὲς ἦθος eius, qui in omnibus veritatem sequitur, laudat Eurip. in *Suppl.* 869. (871.) — In fine pro volg. *nonne inutile* (i. e. *damnosum*, ut I. 10, 32. pr. et p. 72.) Facciolati codex habet *non utile.* Hanc lectionem ortam puto ex Goth. lectione: *non inutile*, quam praetulimus. Similiter in argumentatione 76. *Non igitur faciat —?* 77. 90. *Non igitur patria praestat —?* Vid. *Exc.* XI. ad I. p. 336. *Fin.* V. 14. 40. et *Indices* ad Goerenzii edd. *ll. de Legg.* et *Acadd.* in v. *Non.* Praeterea in Goth. abesse videtur v. *est*, quod Gu. 4. transponit: *nonne est inutile.* Cf. h. l. §. 77. Graecis quidem haec ellipsis in interrogatione perfamiliaris est. V. e. g. Platon. *Gorg.* p. 492. E. ὁ τῶν κιναίδων βίος οὗτος οὐ δεινὸς καὶ αἰσχρὸς καὶ ἄθλιος;

C. XIV. §. 58. *quid de iis existimandum*] Bern. *de his.* Gerundio additum volgo *est* delevi auctoritate Gu.

adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus et satis literatus, cum se Syracusas, *otiandi*, ut ipse dicere solebat, *non negotiandi, causa*, contulisset, dictitabat, *se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset.* Quod cum percrebuisset: Py-

---

primi. V. ad I. c. 31. pr. — De partt. *nec — et* in seqq. v. n. ad 4, 20. p. 215. s. — *Satis* (cf. II. 89. pr.) *literatus* est mediocriter imbutus literis. V. ad I. 135. p. 271. s. *Canii facetum* ingenium, de quo cf. II. *Or.* 2. 69. ex., hoc ipso loco exprimitur eodem verborum lusu, quo noster usus est I. 156. — „Qui se otio asserere cupiebant et ab urbe secedebant, *Neapolim* non raro se recipiebant (quae ea de causa *otiosa* dicitur Horat. *Epod.* 5, 43.), interdum et *Syracusas*: erant enim urbes quaedam hominibus non ambitiosis nec negotiosis gratiores et iucundiores. Sed et *Augusto*, ut a Suetonio 72. scribitur, locus erat secretus et singularis in edito, cum quid sine interpellatione agere volebat, quem *Syracusas* vocabat.“ Turnebus *Adv.* XXIX. 2., qui arbitratur, huius urbis nomine inscriptam fuisse comoediam a Caecilio ob urbis illius delicata otia. Ex ea affertur apud Non. in v. *Stare*:

Hic amit, familiae fame pereant (f. metri causa scrib. *depereant*), *ager autem stet sentibus.*

Oscitanter Bern. praetermisit vv. *ut — negotiandi. Negotiari* autem proprie dicebantur Romani, qui in provinciis, ut Syracusis (*Verr.* II. c. 62. ex.), rem quaerebant sive pecuniis fenori locandis (quae negotiationis ratio eo fructuosior erat, quod fenoris magnitudo in provinciis nulla lege definiretur) sive frumento ab aratoribus coëmendo Romamque, aut quorsum quaestus iuberet, subvehendo, quod negotii genus etiam honestius videbatur. Quidquid enim ab agri cultura quaestus petebatur, id honeste petebatur. V. ad I. c. 42. ex. Negotiatores autem, qui, libera re publica, mercatoribus honestiores erant, in provinciis tam diu manere, quam diu negotiari libeat, dicuntur *Verr.* III. c. 41. *Flacc.* c. 29. V. Io. Aug. Ernest. *de negotiatoribus Rr.* in *Opuscc. philoll. critt.* p. 8. 9. ss. 15.

dictitabat] Bern., in quo, ut aliis plerisque, est *dictabat*, stabilit ordinem verborum *emere velle*, quae Sch. mire virgula dissecuit. *Interpellatores* iidem, qui *de fato* c. 2. ex. *interventores*, dicuntur. Cur. aliique repudiant

thius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis: *venales quidem se hortos non habere; sed licere uti Canio, si vellet, ut suis:* et simul ad coenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut

---

glossam, quae volgo post *Pythius ei quidam*, a Ven. 502. et al. post *Syracusis*, a Bern. post vv. *se h. non habere* inculcatur, *dixit*. Degenio autem placuit, haec a Pythio per nuncium referri ad Canium. Ad *argentariam facere*, *exercere* v. *administrare* Scheller in *Lex.* p. 925. s. v. n. 2. c) subaudire iubet *artem.* Cf. Gesner. *Thesaur. L. L.* I. 443, 7 — 26. II. 571, 8 — 14. *Argentaria* autem dicitur negotiatio et quaestus omnis mensariorum. *Mensa* duplex fuit, publica et privata. Negotiationis privatae curatores itidem, ut rei nummariae publicae administratores, dicebantur *mensarii*, Gr. *τραπεζῖται* (Matth. *Evang.* 25, 27.) et a permutatione pecuniae atque intertrimento non nunquam *κολλυβίσται*, Lat. *nummularii*, proprie autem *argentarii*. Hi argentariae mensae exercitores erant negotiatores, auctoritate publica constituti, qui non solum aes suum, sed et privatorum pecunias, apud se depositas, ubi opus esset, renumerandas mandato domini, locabant in fenus atque ex his promptum auxilium praestabant omnibus, quaeritantibus argentum in fenus, qui quidem bona nomina existimarentur, i. e. quorum fides non laboraret, sed quibus cum maxime numerato opus esset. Praeterea in omnibus rebus emundis vendundis, contrahendisque negotiis tabellionum munera fungebantur, itemque in auctionibus. Atque etiam collegium quoddam constituebant, cuius praecipua sedes esset Romae. Sed per provincias etiam negotiabantur. *De argentariis veterum* exstant a) Io. Gfr. Sieberi *Diss.* II. Lips. 737. 39. 4. et in Io. Melch. Gl. Beseckii *Thes. iur. camb.* T. I. p. 1 — 55. b) Herm. Huberti *Diss.* II. Trai. ad Rh. 739. 40. 4. et in Oelrichsii *Thes. Dissertt. Belgic.* Vol. II. T. I. p. 1 — 156. Huc etiam praeter Corn. Hofmanni *Diss. de commerciis et cambiis veterum* (Regiom. 726. 4.) pertinet Ios. Lud. Ern. Püttmanni *Pr. Electorum* c. 5. Lips. 1795. 4.

cum ille promisisset] Intell. *se venturum* et ex antecedd. *ad coenam*: quod additur in Phaedri IV. f. 24, 15. et in Plin. *Epist.* I. 15. pr. ubi cf. Corte. Potuit tamen hic absolute dici, ut *vocare et revocare*, sup. *ad coenam*. V. Cassitus ad Phaedri *fab. ined.* 20, 10. p. 52. ed. III. Seqq. citat Nonius II. 283. s. v. *Gratiosum*. Vv. *ut argentarius* indicant causam gratiae, quam ipsa fecit, ut impetraret: *qui esset gratiosus.* Haec Subiunctivi post pron. relati-

argentarius, apud omnis ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque, quid eos facere vellet. Ad coenam tempore venit Canius; opipare a Pythio apparatum convivium; cymbarum ante oculos multitudo; pro se quisque, quod ceperat,

---

vum ratio causalis latuit Degenium. Cf. 112. m. *qui — arbitraretur, surrexit: p. Quint.* c. 16. *Etiam gravius quid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregasset aut fortuna coniunxisset: Verr. l.* I. 25, 64. 26, 65. *Iste, qui una cupiditate raperetur, ... imperavit.* Ib. *Homo, qui semper hospitalissimus existimatus esset, noluit videri ... invitus in domum suam recepisse.* 66. *Homo, qui ... parens esset, obstupuit hominis improbi dicto.* 67. ex. c. 51. ab in. *Homo, qui semper ita palam dictitasset, ... dicebat.* Ib. *Rabonius, qui legem nosset ... et qui non putaret, sibi expedire, ita accipere, —, negat, oportere exigi.* Eod. c. extr. II. c. 40. pr. V. 40, 105. *Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Cluent.* 14, 64. ed. Beck. *Catil.* 2, 5. (7.) *Illi autem, qui ... egregia sentirent, sine recusatione ... negotium susceperunt. Caecin.* c. 7. in. *Homo timidus imperitusque, qui neque animi neque consili satis haberet.* Cf. Matthiae, V. C., ad *or. p. Rosc. A.* 8, 23. Ceterum dolo huic Pythii, ut circumscriberet divitem empturientem, piscatores subornantis, a Franc. Luisino Παρέργων l. II. c. 10. in Gruter. *Lamp.* T. III. comparatur ille, quo Egestaei, Siciliae populus, Athenienses ad inferendum Syracusanis, hostibus suis, bellum inflammare cupiverunt, narrante Thucydide l. VI. c. 46. ex. aliusque Antonii, falsam piscationis praedam ostentantis, quem tamen callidior frustrata est Cleopatra, ut refert Plutarch. in *Ant.* c. 29. ex. Cf. Horat. *Epist.* I. 6, 57 — 61. de *Gargilio.* Sed omnes superavit Potemkin, qui Catharinam illam II., Imperatricem, a. 1787. iter per Tauricae deserta facientem, non solum ingentis populi aspectu, sed etiam urbium oppidorumque simulacris, ad tempus exstructis, et figmentis quasi scenicis fefellerit.

tempore venit] Intell. *suo.* Gernh. laudat N. Heinsium ad Ov. *Heroid.* IV. 109. Sic h. l. 45. ex. *ad diem.* Al. *tempori*, i. e. *mature*, ut *p. Sext.* c. 37. post m. ubi similiter praecessit: *non percussit locum*, np. *suum*, i. e. *vitalem.* Tum vv. *a Pythio* absunt a ll. quibusdam. Sed cum v. Passivo struuntur pro *Pythii iussu.* — *Opipare*, πολυτελῶς, explicatur ab Ambrosio III. c. 11. (non, ut Gernh. ex aliis citat, 2.) *exquisitis copiis adornatum convivium.* — Pro *ante oculos* Nonius c. XIII. 14. in v. *Cymba*

afferebat; ante pedes Pythi pisces abiiciebantur.
59 Tum Canius, „*Quaeso,*“ inquit, „*quid est hoc, Pythi? tantumne hic piscium? tantumne cymbarum?*“ Et ille, „*Quid mirum?*“ inquit. „*Hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium; hic aquatio; hac villa isti carere non possunt.*“ Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? Impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos. Nomina facit;

---

legit *ante pedes*, corruptela e seqq. orta. Ambrosius l. c. reddit: *in conspectu coenantium ante hortulos.*

§. 59. *tantumne hic piscium*] Deg. Ellipsi duriuscula supplet: *semper hic est.* Quippe cum volgatis omisit adv. *hic*, restitutum, auctore I. M. Heus., a Gernh. e Goth., Gu. 4. Groning. et ψ, qui habet *est hic.* Iam magis convenit Pythii responsio: *hoc loco est* etc. — *hic aquatio.* Ambrosius: *Responsum quaerenti: aquationem illic esse, dulcis aquae gratia innumerabiles eo pisces convenire.* Imo ipsi Syracusani illinc aquas petere dicuntur. Contra Catonis, senis, praeceptum, repetitum a Plinio XVIII. 5. §. 6. *Praedium ne cupide emas*, Canius *emit tanti, quanti* (vendere) *voluit Pythius.* V. Schelleri *Lex.* in v. *Quantus* p. 8936. Idem Genitivi usus est 54. ex. *pluris multo. Epist.* VII. 23, 5. s. *Agrar.* II. 26, 100. ex. 36, 145. Degen explicat per ellipsin praepositionis ἀντί, fretus fragili volgarium Grammaticarum fulcro. Cf. Lamb. Bosii *Ellipss. Graecc.* p. 265. s. (472. s.) 394. s. (664. s.). Ista vero ellipsium commenta destruxit, Herculis, hydram debellantis, laborem aemulatus, Hermannus ad Viger. *Append.* II. *de Ellipsi.* p. 877. ss. ed. 2. De repetitione *et emit instructos* (supellectili) v. ad I. 1, 2. pr. cl. *Verr.* V. c. 46. *Errabas, Verres, et vehementer errabas.*

Nomina facit] Francisco Binkes p. 50. n. 52. „valde arridet novissima Schützii lectio *Ille* (np. Pythius) *nomina f.*“ Sed de hac familiaris sermonis negligentia, quam F. Heus. excusat simili exemplo Caesaris *de B. G.* I. 18, 2., monitum fuerat iam a Schellero in *Obss.*, pronomen personale interdum solere omitti, ut statim ante: *Gravate ille* (i. e. Pythius) *primo* (intell. *consensit*, v., *passus est, a se impetrari*). *Quid multa?* (cf. 80.) *Impetrat*: ubi item subauditur *hic* v. *Canius*; sed sententiae vis personam indicat itidem, ut *Verr.* II. c. 40. *Citat reum. Non respondet* (np. reus). *Citat accusatorem. Hic*

negotium confieit. Invitat Canius postridie familiaris

---

etiam Cicero, de re nota loquens, Pythii nomen vel pronomen omittere potuit, quod crederet neminem non scire, *nomina facere* solenniter dici creditorem, dantem alicui mutuum aut, quod ei vendidit, credentem in diem (Senec. *de v. beata* 24. Vlpian. in *D.* L. *t.* 14. l. 2.), eiusve arcarium, i. e. servum, calendario praepositum. Scaevola in *D.* XL. *t.* 5. *l.* 41. §. 17. Cf. Salmasius *de usuris* (L. B. 1638. 8.) c. 6. p. 123 — 156. *de modo usur.* c. 10. p. 426 — 429. et c. 11. p. 472 — 475. *Miscellae Defens. pro Cl. Salmasio de variis obss. ad ius Att. et Rom. pertinentibus* c. 29. p. 751 — 759. Quamquam post I. M. Heus. et alios ab hoc laudatos eiusdem opinionis patronos, quibus addendus Abr. Wieling *Lect. Iur. Civ.* l. I. c. 25. p. 85., de debitore, qui rei emptae pretium non repraesentet, accipit Degen, provocans ad Ernesti *Clavem* s. v. *Nomen*. Ernesti notam repetiit Sch. in *Lex. Cic.* III, II. p. 38. a. ipse rem in ambiguo relinquens. Idonea exempla prolata esse, negat Gernhard. Nobis quidem praeter l. Pomponii in *D.* XV. *t.* 1. *l.* 4. §. 1. exemplum in promptu est e l. I. in *Verr.* c. 36. ubi *nomen fecisse* dicitur, qui se debitorem fecit eo, quod in suo codice rationum nomine aliquo *acceptum retulit.* Cf. ib. c. 39. ex. Similiter *scribere* dicitur argentarius et cum debitorem obligat (Horat. *S.* II. 3, 69.) et cum creditori cauet de aere apud se deposito (Plaut. *Curc.* III. 40.) seque mutua pecunia obligat, *sibi mutuam proscribendo* XXVI. *D.* t. 7. l. 9. §. 7. ex. ubi f. leg. *perscribendo.* Quaecumque enim in tabulis (praesertim trapezitarum) referuntur, sive ut ipse debeas, sive ut tibi debeantur, dicuntur *perscribi.* *Att.* IX. *ep.* 12. sect. 3. IV. 18. sect. 2. Plaut. *Truc.* I. 1, 53. Sueton. *Iul. Caes.* 42. ubi *perscriptae* dicuntur *usurae*, quae summam aeris alieni, cui adiectae essent, auxissent, ut usuris onerati defeneratique iam plus deberent. Ipse etiam Wolf, V. S. et Perill., agnovit, ibi de satisfactione usurpari, non ut alibi, si quis *perscriptione*, i. e. a trapezita solvit: v. e. *Att.* XVI. *ep.* 2. paullo ab in. Canius autem Pythio istam pecuniam ne potuit quidem statim *acceptam ferre* (*zu Buche bringen*) et per suas se tabulas obligare: nisi forte putas, ipsius rationes domesticas in illa argentarii villa fuisse depositas. Nihilo minus hic intelligi possit *Canius*, si *nomina facit* accipiatur pro: (*argentarium*) *nomina facere iubet.* Sic in Plaut. *Asin.* II. 4, 34. emptor, ut pro re credita satisfaciat, adducit trapezitam *et scribit nummos.* Horatii autem vv. II. *S.* 3, 69. *Scribe decem a Nerio* (*tabulas*), recte, ad creditorem spectare, vidit Heindorf: sed nescio, an praeter necessitatem cogitarit de *syngrapha.* Neque semper in creditoris locum substitutum esse crediderim feneratorem, cui debitor satisfactione obligaretur. Imo per hunc ipsi creditori, i. e. domino. Equidem vvi

suos. Venit ipse mature; scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, *num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret.* — „*Nullae, quod sciam,*" inquit: „*sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset.*"

60 Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim

---

illa sic capio: *Dicta Nerio*, trapezitae, *ut scribat*, i. e. nomina faciat, *in decem tabulis*. Debitor autem, cum mutuum reddit (proprie reciproca mensae scriptura) atque ita tollit obligationem, priori scriptura factam, *rescribere* (i. e. quod rescribatur, dictare) dicitur. ib. 76. Terent. *Phorm.* V. 7, 29. s. ubi v. Donat. cl. Servio ad *Aen.* VII. 422. Auson. *Epist.* V. 23. Verum enim vero haec etiam explicationis via relinquenda propter mutatam in segg. personam: *Invitat Canius* etc. Displicet enim, cum Degenio, qui ideo, ut idem retineretur, nomen repetitum volt, Tullium facere aemulum nutricum atque anicularum, sic fere fabellas infantibus narrantium. Satis erat autem, Canium, qui non numerato, sed cauto emisset, obligari solitus creditoris tabulis, quippe sui, ut argentario, liceret, in sua re auctoritatem interponere: hoc est enim, *negotium conficere* (*einem Geschäft seine Form geben, es in Richtigkeit bringen, rechtskräftig machen*). Fit literarum obligatio *nomine transcripticio*. V. ad h. l. *Excurs.* IV.

Venit ipse mature] Citat haec Nonius in v. *Maturum*. Cf. *Verr.* I. I. 26, 66. pr. Ad segq. *eos nullos videret* comparatur I. 159. p. 312. *Ea Posidonius collegit permulta.* Sed, Adi. *nullus* etc. usurpari pro Adv. *non*, probatur cum aliis exemplis, laudatis a Tursellino *de Partt.* p. 640. et Ernesto in Schützii *Lex. Cic.* s. v., tum hoc *p. Rosc. A.* 44, 128. *Haec bona in tabulas publicas nulla redierunt.* — Post *quod* (i. e. *quantum*) Coniunctivi *sciam* eadem est ratio, quae 34. ex. 44. *quas — possit.* Post *inquit* cum Gu. 1. et Goth. expunximus pron. *ille*, quod Bern. Gu. 2. 3. 4. et ed. Magunt. ante verbum retrahunt. Suspectum illud fuit iam F. Heusingero; nobis autem etiam ipsum v. *inquit*, ut 53. pr. Certe non magis necessarium est, quam *Verr.* II. c. 50. ex.

§. 60. *Stomachari*] i. e. *Motus ei stomachus est. Indignabundus aegre v. moleste tulit. Accusabat illius dolum, suam imprudentiam.* Aut i. e. q. *expostulavit* (*cum Pythio*), ut II. *Or.* §. 567. ex. et in fragm. 1. e l. I. *Acad.* ed. Sch. p. 165. Sequitur enim: *Sed quid faceret?* i. e. *frustra verba perdidit: nihil profecit.* — Deinde Bern.

Aquillius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis cum ex eo quaereretur, *quid esset dolus malus?* respondebat: *cum esset aliud simulatum, aliud actum.* Hoc quidem sane luculente, ut ab homine perito definiendi. Ergo et Pythius, et omnes aliud agentes,

---

scribit *Aquilius* et c. 15. pr. *Aquiliana.* De *C. Aquillio Gallo, Iuris consulto celeberrimo*, exstat Io. Glieb. Heineccii or. Frf. ad V. 1731. repetita in *Sylloga var. opuscc.* p. 766 — 787. et in *Opp.* T. II. p. 777 — 797. Cff. Maiansii *Commentarii ad XXX Iuris consultorum fragg.* T. II. p. 87 — 126. Fuit Ciceronis *collega* in praetura a. V. 687. *Cluent.* 53, 289. ed. Beck. V. Pigh. *Annal.* III. p. 301. Fabric. in *Cic. histor.* ad a. XL. §. 39. *Iudicium de dolo malo, quod C. Aquillius protulit, everriculum malitiarum omnium* dicitur *N. D.* III. 30, 74. ubi Wyttenb. p. 795. cum Ernesto in *Clav. Legg.* p. 8. scribit, eum hanc *legem de dolo malo* tulisse a. V. 686. Imo *formulae Aquillianae* fuerunt potius praeceptiones cautionum in re contrahenda: e quibus tamen, si quis contra fecisset, postea actio institui posset: ergo *leges mancipii*, i. e. leges, quae in mancipatione dicebantur inter mancipantem et eum, qui mancipio acciperet; sive verba solennia in stipulando, quibus pactio fieret res contracta et in quibus obligatio consisteret. Ex demum sponsione actio redhibitoria vel rescissoria empti aestimatoriave damni nomine induci- tur, aut, si ab ipso fraudatore actione venditi conventus fuerit, exceptio peremptoria doli mali. Qua actione exceptioneve consequebantur ii, qui dolo circumscripti fuerant, restitutionem in integrum. Vid. Ger. Noodtii *de forma emendandi doli mali in contrahendis negotiis admissi apud veteres Liber*, L. B. 1709. 4. et in *Opp.* T. I. p. 293 — 320. (ed. noviss.) maxime c. 4. s. p. 298. ss. et c. 16. p. 318. s. Christ. Frid. Glückii *Diss. de vita potendae restitutionis in integrum Praetoriae* etc. Hal. 1776. 4. c. 2. §. 22. in *Opusco. iurid. Fasc.* II. p. 430 — 442. Ill. Hugonis *Gesch. d. R. Rechts* §. 241. n. 6. p. 383. s. cl. §. 69. p. 89. §. 90. p. 121. ed. IV. Adhibe etiam *D.* XIIX. 1. 68, 1. Gai. *Inst.* IV. §. 119.

In quibus ipsis] Heusr. supplent *formulis proferendis*, i. e. *cum eas proferret*, consultoribus, ex ipso quaerentibus, quid esset dolus malus, respondere solebat etc. comp. Aemil. Prob. XXII. in *Hamilc.* 1, 5. Propter Imperfectum, nescio, an rectius accipiatur pro *de quibus*, ut I. 139. ex Hottingeri, in praepositione *in* haerentis, versio vv. *cum ex eo quaereretur* (Bern. cum volgg. *quaererem*) plane neglexit. Cf. *Top.* 7, 32. ex. Ib. 9, 40. *dolus malus* eodem

alind simulantes, — perfidi, improbi, malitiosi. Nullum igitur factum eorum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

XV. Quod si Aquilliana definitio vera est: ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. Ita nec, ut emat melius, nec, ut vendat, quidquam
61 simulabit aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus

---

modo definitur. Noodt l. l. c. 2. docet, hanc definitionem more veterum a potissimo exemplo compositam esse. Quare Mascov. ad Pufendorfii *I. N. et G.* V. 3. §. 4. n. 1. monet, posse causas incidere, ut ii, quos dissimulando aliquid celamus, iure id noscendi destituantur. Itaque haec definitio, tantum abest, ut, *sane luculente* (quam formam hic tuetur Bern. contra Cur. et ed. Ven. 502., cum aliis substituentes *luculenter*), i. e. perspicue et distincte, enucleata, rem quasi acu tangat, ut latius patere videatur ipso definito. Eius ambiguitas induxit Grotium *de I. B. et P.* III. c. 1. §. 7. ut Ciceronis, alibi, dissimulationem in re publica saepe necessariam esse, dicentis, inconstantiae accusaret. Sed repellitur a Barbeyracio in not. Gall. Cum Aquilliana fere convenire Servii Sulpicii definitionem in *D.* IV. *t.* 3. *l.* 1. §. 2. et Pedii ib. II. *t.* 14. *l.* 7. §. 9. et Pauli *Receptt. Sentt.* I. *t.* 8. §. 1., notavit Binkes p. 51. n. 38., cui Vlpianus *D.* IV. *t.* 3. *l.* 1. §. 2. merito praeferre videtur Labeonis definitionem, non, quod aliae sint falsae, sed quod haec Labeonis exacte, plene et distincte rem explicet, *omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.* Satis verbose! Praeterea ab eodem laudantur Huberi *Digress. Iustinian.* l. III. c. 25. §. 1. *Eunom. Rom.* p. 177. s. Schulting in *Enarr. ad p. p. D. de dol. mal.* §. 1. *Iuris prud. Anteiustin.* p. 286. — Post *malitiosi* adiectum volgo glossema *sunt*, quod Gu. 3. transponit post *improbi*, proscripsi auctoritate septem Aldinorum, Gu. 1. 2. et a prima manu quinti, Bern., ac atque trium codd., quos adhibuit Görenz ad *Fin.* I. 18, 59. ex. Tum Bern. pron. *eorum*, volgo post *factum* positum, ante hoc voc. retrahit cum Gryph. et Guu. quatuor. Cum Gu. 1. omitti potest, si haec sic cogitaris: *Fieri non potest, ut ullum factum:* nisi malueris post *cum* supplere *id.* Denique in Gu. 2. 5. est *coinquinatum*, quod priscum voc. seriores scriptores renovarunt.

C. XV. §. 61. *Atque iste dolus*] Recte Bav. Voordt contra Betul. et Aldum, qui *atqui* maluerunt, tuetur *atque*, ut 48. ex., non solum ob codd. auctoritatem, sed in

dus malus et legibus erat vindicatus, ut tutela XII ta-

---

primis ob rem ipsam. „Postquam enim," inquit, capite praecedenti demonstraverat, aliud agere, aliud simulare, esse Natura turpe; addideratque, hoc ius Naturae Aquillium, prolatis de dolo malo formulis, h. e., propositis doli actione et exceptione, in ipsum ius civile vexisse; ulterius hoc confirmat exemplis, docetque iam ante Aquillium dolum malum non omnibus in causis, nec adversus omnes personas, impune fuisse. Et primo quidem utitur exemplis legis XII tabularum legisque Laetoriae: quarum illa impuberibus a tutore suo fraudatis; haec puberibus, sed XXV annis minoribus, a quocumque inter contrahendum circumscriptis, subvenit. Alterum addit exemplum omnium bonae fidei iudiciorum, in quibus multo amplior iudici potestas fiebat per formulas a Cicerone memoratas, quam in stricti iuris iudiciis. Diversam utriusque iudicii naturam egregie ipse describit in *Or. p. Rosc. Com.* c. 4. Cum igitur in negotiis, quae non sunt bonae fidei, neque ulla lex dolum malum vindicaret, nisi ageretur de re impuberis vel minoris, nec per iudicii ipsius naturam tam late iudicis potestas pateret, Aquillius praetor propositis de dolo malo formulis, quod legi et interpretationi legis deerat, edicto supplevit. Et sic factum est, ut nullum prorsus negotium dolo malo geratur impune. Thesin igitur suam, „ „ dolus malus ipso quoque iure civili vindicatur" ", [*dolum malum — vindicari*] Cicero prius confirmat instituto Aquillii: mox corroborat iis, quae ante Aquillium iam locum habuerant." Ne vero Cicero hoc modo secum pugnare videatur, Binkes. p. 51. n. 41. adhibuit Noodtii l. l. c. 5. et 7. explicationem de differentia inter contractus *stricti iuris* et *bonae fidei*. Cicero enim volt, contractum, transcriptione nominis ex causa empti initum, quamvis plenus doli mali esset, tamen, quod *stricti iuris* esset, tunc temporis iure civili valuisse, nec potuisse ob dolum intervenientem a Praetore rescindi per restitutionem in integrum, quoniam nondum prodita esset Aquillii actio et exceptio doli mali: in contractibus b. f. autem iam ante Aquillium secus fuisse. Tales enim contractus ipso iure nulli erant ob qualemcumque dolum in contrahendo admissum ab aliquo contrahentium. Copulam *et* voci *legibus* praemittit Bern. quoque cum Nonio in v. *Vindicare*. Pro *ut tutela* Bav. Voorda ad *Praelectt. Iani a Costa* p. 137. legi maluit *in tutela*, ut subaudiatur *dolus malus* potius, quam *mala*. At vero eius modi ellipses solennes minime offendere debent. Ex re ipsa apparet, intelligi *tutelam suspectam*, i. e. *contra fidem v. dolo malo gestam, si quis per tutelam fraudaret quempiam*. *Caec.* c. 2. pr. ed. Sch. p. 45. (al. c. 3. 8.) Atque ipse Voorda concessit, *tutelae iudicium* famosum esse. V. Gothofred. ad *Or.* I. 36, 166. *turpi tutelae*

bulis, circumscriptio adolescentium lege Plaetoria,

---

iudicio liberaretur. N. D. III. 30, 74. Iunguntur *iudicia de fide mala, tutelae, mandati,* ap. *neglecti.* Similiter dicitur *tutelae damnari* in *D.* III. t. 2. *l.* 1. et L. 6. § ult. 42. *Suspecti* (tutoris) *crimen e lege duodecim tabularum descendere,* testes sunt Iustinian. pr. *I. de susp. tut.* et Vlpian. in *D.* XXVI. t. 10. *l.* 1. §. 2. Ex lege tab. XII. proponebatur *actio adversus tutorem in duplum,* ut est in D. t. 7. *l.* 55. §. 1. Tutor fraudator Iuvenali I. 46. s. dicitur *spoliator pupilli.* De eodem X. 222. s. *qui circumscripserit Hirrus pupillos.* Ibid. XV. 134. s. quem locum paullo inclementius tractavit Alex. Ruperti, lege et distinguendum: *Plorare ergo iubet* (Natura) *causam dicentis amici Squaloremque rei; pupillum, ad iura vocantem Circumscriptorem.* *Circumscribere* est decipere et fraudare. ib. XIV. 237. Cic. *p. Rosc. Com.* c. 8. sub f.

circumscriptio adolescentium] Sch. cum volgatis praemittit *et*, quam ab Heus., iubentibus Gu. 1. 2. 3. 4. et Goth., deletam, excludit Bern. quoque. Tale est asyndeton 47. p. 262. s. I. 10, 31. pr. Tum Bern. scribit *lege Laetoria*, ut et hic volgo editur et alibi. Sed in quibusdam MSS. legitur *Pletoria* v. *Plestoria*, in al. diserte *Plaetoria.* Commemoratur *Plaetoria gens* Romae et in decem nummis et in marmoribus tum Gruterianis, tum Muratorianis. A *Laetoria* distinguendam esse, abunde disci potest e Pighii *Annalibus.* Librarii autem pro sua sapientia huic illam, tamquam a *laetus* derivatam, substituere solebant: unde haec nomina confusa vides in Liv. II. 27. (cl. Valerio Max. IX. c. 3. n. 6.) XXXIV. 45, 5. et in codd. Hirtii *de b. Afric.* c. 98. Id propterea cum Heindorfo ad N. D. III. 30, 74. ad f. secuti sumus tabulam aeneam, quae in Herculanensi Museo asservatur: in cuius vers. 112. haec lex appellatur *Plaetoria.* Nulla antiquitatis fide nititur Ernesti in *Cl. Legg.* p. 27. Schützii ad III. *N. D.* 30. et Degenii ad h. l. opinio, latam esse a M. Laetorio Planciano a. V. 490. Binkes p. 51. n. 40. scribit: 590. In Plauti (qui in *Bruto* c. 15. ex. a. V. 569. mortuus scribitur) *Pseudolo* I. 3, 69. s. dicitur *quina vicenaria.* Cf. eiusd. *Rudens* V. 3, 25. s. Ex ea enim omnibus nondum quinque et viginti natis annos curatores dabantur, cum antea non nisi prodigis aut dementibus darentur. Capitolin. in *Antonino philos.* c. 10. ex. quo de loco I. A. Ernestus l. c. imperitissime oblocutus est Heineccio in *H. I. C.* p. 84. Cf. pr. *Institt. de curat.* Vlpiani fragg. XII. §. 4. Caii *Epitom.* I. extr. E Suetonii IV. *Praetorum* p. 28. in fragg. (ed. Wolf. Vol. III. p. 66. s. ubi alterum citatum falsum est) citantur haec a Prisciano VIII. 744. *Lex — quae vetat minorem annis XXV stipulari,* [illegible], et XVIII. p. 1164. *Minor viginti quinque annorum stipulari non potest,* passive pro *sponsione teneri.* Cf. *Cod. Theodos.* VIII. 12.

t sine lege iudiciis, in quibus additur EX FIDE

---

e don. l. 2. Tabulae Heracleensi debetur caput de infamia, ircumscriptori adolescentium, qui adversus eam legem ecisset, proposita. V. Guil. de Hertoghe *Diss. Tribonianus irca legem Laetoriam non errans*, Ien. 720. et in *Opuscc.* . 1 — 24. Io. Hetzeri (vel, Hauboldo in *Instt. lin.* aepius ll. §. 288. p. arbitro, potius Io. Chph. Regneri) *Diss. ad legem Laetoriam*, Lips. 1749. 4. et in Dan. 'ellenbergii *Iuris prud. anteiust.* T. II. p. 591 — 623. lexii Symm. Mazochii *Comment. in aeneas tabulas Heracleenses* P. II. p. 427. ss. ex qua non nulla excerpta unt in Cic. *de Off.* ed. Neapol. 777. ad h. l. Lud. Iul. rid. Hoepfner *Pr. de lege Laetoria*, Giss. 1778. 4. Car. ea *Vindiciarum et Obss. iuris* c. 5. Vol. I. p. 118 — 121. achii *H. I. R.* II. 2. sect. 1. §. 26. Hugonis *Gesch. des* l. *Rechts* §. 135. p. 185. s. Huic legi videtur etiam ebéri, quod *minoribus XXV annorum ... in omnibus rebus*, *ipsis, Praetor succurrit*, ut scribit Gaius in *Instt.* II. §. 63. IV. §. 57. ex.

sine lege iudiciis] Male haec a I. Fr. Gronovio coniunguntur quasi per Hyphen. Ad vv. *sine lege* cogita *iudicatur erat.* Etiam sic nihil impedit, quo minus intelligantur *arbitria*, i. e. quaelibet bonae fidei iudicia, quae non descendunt ex lege, sed in quibus Praetor ex bono et aequo supplet, quod deest iuri civili. Hanc enim potestatem v. *arbitrium* habet statim post. *In quibus* (i. e. *quorum intentione*) *additur* EX FIDE BONA. Pessime Degen, Garvii, iam ab Hottingero ad h. l. p. 247. ss. castigata, confusione seductus, supplet, quod hic volgo additur glossema, *agitur*, scilicet ab iudicibus, quibus Praetor praeceperit, ut *ex fide bona* iudicent. Imo hae omnes formulae ab ipso actore, arbitrum alterum adigente, addi solent neque ad iudicis, sed ad ipsorum litigantium idem, sive servatam sive violatam, spectant. *Agitur* nihil aliud est, nisi a sciolis librariis, qui statim ante extruderant v. *additur*, corrupta lectio. Ab optimis ll., ut a Bern., omissum delevit Pearce, probante Bavio Voorda in *notis* ad Iani a Costa *Praelectt. ad illustrr. qq. titt. iur. Civ.* p. 137. „Formulae enim," inquit, „qua iudicium bonae fidei constituebatur simulque dabatur arbiter, inserebant sola verba *ex fide bona*, teste ipso Tullio in *Top.* c. 17. [66.] et *de Off.* III. c. 17. [70.] idemque colligi potest ex his verbis c. 16, 66. *quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona.*" Accommodabatur haec agendi formula contractibus b. f., eorumque erat propria. Iustinian. *I.* IV. 6. §. 30. *In bonae fidei iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex bono et aequo aestimandi, quantum actori restitui debeat.* Ianus a Costa l. c. notat, quod ait *permitti videtur*, „Nec enim id ipsa formula nominatim permittit, ut in actionibus, quae in aequum et bonum

BONA. Reliquorum autem iudiciorum haec verba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriae MELIVS

---

concipiuntur (*l.* 3. pr. *D.* XLVII. *t.* 12. *de sepulc. viol.*): ut amplior videatur formula actionis bonae fidei. *L.* 14. §. 13. ex. *D.* XI. *t.* 7. *de relig. et sumpt. fun.* ubi ICTus ait, iudicem debere *solutius aequitatem sequi, cum hoc ei actionis natura indulgeat* (in aequum et bonum conceptae). In formula actionis bonae fidei verba illa *ex fide bona* tacite hanc potestatem permittere videntur, quam expresse permittunt illa verba, *in quantum aequius et melius videbitur.*" Ad totum h. l. adhibe Turnebi *Adv.* XXV. 13. „Cum tam variae olim essent fere iudicioeum formulae, quot iudicia: proinde aliis atque aliis verbis concipi solebat et quaedam eis solennia addebantur verba, etc., ut fraus, dolus, calliditas omnis tolleretur." Cf. Sigon. *l.* I. *de Iudic.* c. 21. sub f. In *or. p. Rosc. Com.* c. 8. ex. verius videtur legi, *formulae, ad quas privata lis accommodetur* (i. e. *accommodari possit*), quam cum Schützio *accommodatur.* De dolo, obligationum impedimento, v., quos laudavit Haubold, V. S. Rev., in *Instt. I. R. priv.* lineam. §. 662. *b.* atque de actionibus et iudiciis bonae fidei ib. §. 798. Cf. Rachelio ad h. l. laudatus Bachovius *Tract. de Action. Disp.* 6. et Sutholto citati plures alii *Disp.* 12. §. 58.

in arbitrio rei uxoriae] Boëthius in *Top. Cic.* „*Iudicium uxoriae rei est, quoties post divortium de dote contentio est.* Sic restringunt etiam h. l. interpretes. Sed mortua etiam muliere sive in matrimonio sive in hostium potestate, parti uxoris competebat actio dotis a parte mariti restituendae, *quantum aequius melius videatur,* viro uxori, *uxorem viro praestare oportere.* Cic. *Top.* 17, 66. *Digestt.* XXIV. *t.* 3. *l.* 66. §. ult. XLVI. *t.* 3. *l.* 82. ex. Iac. Raevardus *de auctoritate prudentum* c. 4. Brisson. *l.* V. *de formulis* c. 146. s. Exigitur autem ex hac formula dos vel *illico* vel *annua, bima, trima die et non in solidum,* sed *in quantum maritus facere potest, si non dolo malo suam deminuerit substantiam.* Iustinian. *Cod.* V. *t.* 13. §. 7. ibique praeter alios interpp. I. Cuiacius in *Paratitlis.* Vlpiani fragg. *t.* VI. §. 4 — 17. Cum mulieris culpa factum erat divortium; pars dotis remanebat apud virum; sin mariti: integra recipiebatur. Cic. *Top.* 4, 19. s. Valer. VIII. 2, 3. Quod cum quaereretur, utrius culpa divortium factum esset, eadem causa in rhetorum scholis dicebatur *malae tractationis,* ut docet Quinctil. *Instt.* VII. c. 4. ubi Capperonius p. 498. n. 54. observat, dici etiam aliter *iudicium de moribus.* V. scriptores laudatos ab Ill. Hauboldo l. l. §. De origine harum cautionum actionumque v. Gellius *N. A.* IV. c. 3. Iustinianus in *ex stipulatu actionem* transfudit *Cod.* l. c. et *Instt.* IV. t. 6. §. 29. De actionibus

AEQVIVS; in fiducia INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIVS AEQVIVS, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur INTER BONOS BENE AGIER, quidquam agi dolose

---

quibus adiiciebatur AEQVIVS MELIVS (nam aliis quoque arbitriis hanc formulam accommodatam videmus p. *Rosc. C.* 4, 11.) Binkes p. 52. n. 42. laudat Cuiacium *Obss.* XXII. c. 14. Ianum a Costa ad cit. §. *Instt.* Schultingium *Enarr. ad tit. D. de cap. minutione* §. 3. et Noodtium *Comm. ad d. t.* (D. IV. 5, 8.) p. 123. Cf. Rachel. ad h. l.

in fiducia] pro *in iudicio fiduciae* (*Rosc. C.* c. 6.) v. *in fiduciae actione*, eum, qui fiduciam accepit, in iudicium vocatur, quod per fiduciae rationem fraudarit quempiam, h. e. quod fidem, quam praestare debebat, fregerit, re fiduciaria in mancipio detenta. *Fiducia* dicebatur contractus de dominio revocabili, i. e. species quaedam alienationis, qua quis, fidem alicuius secutus, ei rem quandam, dicis gratia, mancipabat ea lege, ut eam deinde remanciparet: unde sequitur fiduciarii obligatio. Eius modi venditiones imaginariae fieri solebant in emancipatione liberorum (Vlpiani fragg. *t.* X. §. 1. Gai. *Instt.* I. §. 132. 134. 140. s.) in *coëmptione fiduciaria*, tutelae evitandae causa (ib. §. 115. ss. 118. s. 123. 195.) aut hereditatis a sacris liberandae. V. Beck', Eques Splend., ad or. *p. Mur.* 12, 52. ex. (al. 27.) et Ernestus, cuius in *Clavi* notam repetiit Sch. in *Lex.* p. 313. s. v. Praeter testamenta, per aes et libram nuncupata, forte huc referenda sunt *fidei commissa tacita*, in quibus quis *domestica cautione* (i. e. nuda pollicitatione) *obligavit se ad praestandum fidei commissum ei, qui capere non potest:* de quibus v. *Digestt.* XXX. *l.* 103. XXXIV. *t.* 9. *l.* 10. et exemplum ap. Cic. *Fin.* II. 18, 58. Eius formulam v. infra h. l. 70. Cf. Sigon. l. I. *de iud.* c. 5. Iac. Raevardus *de auctor. prud.* c. 5. Cl. Salmas. *de modo usurar.* c. 14. p. 590 — 604. et *de usur.* c. 4. Franc. Car. Conradi *Diss.* II. de *pacto fiduciae*, Helmst. 1732. 33. 4. Alias *fiducia* dicebatur pro pignore, quod debitor creditori in iure cesserat ea lege, ut, soluta quidem ad diem pecunia, remanciparetur; non soluta, creditori pleno iure committeretur, i. e. lege commissoria cederet. Hinc Gai. *Instt.* II. §. 60. *fiducia contrahitur aut cum creditore pignoris iure aut cum amico, quod tutius nostrae res apud eum essent.* Cf. Rachel. De eius differentia a pignore et hypotheca Binkes p. 52. n. 42. citat Isidor. *Orig.* l. V. c. 25. ed. Gothofr. p. 932. Cuiac. ad Pauli *Sentent.* II. *t.* 13. Noodt *Obss.* II. 7. *Opp.* T. I. p. 272. Ex recentiori iure expuncta est.

aut malitiose potest? Dolus autem malus in simulatione, ut ait Aquillius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non illicitatorem venditor, non, qui contra liceatur, emptor apponet. Vterque, si ad eloquendum vene-

---

in simulatione] Graev. Facciol. Oliv. Ern. et Schütz omittunt praepositionem, quam Bern. et Groning. cum rell. ll. plerisque omnibus addunt. Neque repudiarim, cum *continetur in* i. q. *inest*. Iunguntur haec vv. in *Verr.* IV. §. 60. Ed. s. l. et a. Ven. 498. Lipss. 507. 513. et Lugd. 527. addunt *et dissimulatione*, ut 64. pr. et hoc cap. pr. e Bern. excidit *simulatio*. Sed respiciunt haec ad definitionem, 14, 60. propositam. — Tum Deg. e Cur. et ed. Ven. 503., quibuscum conspirat Bern., revocavit volgatam lectionem *non licitatorem*. Sed e Pal. 1. affertur *non illicitorem* (non, ut Gernh. refert, *inl.*), ex antiquiss. Augustano *inlicitatorem*. Sic h. l. scripsit Sch., rectius autem in *Epist.* VII. 2, 1. e probis libris: *illicitatorem potius ponam, quam illud minoris veneat*. Teste Festo, veteres sic dixerunt *emptorem*; sed recte F. Heus. intelligit emptorem simulatum, qui alios licitantes licitando superet, ut rerum venalium pretia accendat.

non, qui contra liceatur] *Contra*, ad quod Sch. supplet *atque venditor velit*, rectius F. Heus. acceperat pro *vicissim*, *ex altera parte*. Obloquitur Degen, monens, adverbium esse. Quasi vero ille aliter voluisset! Cf. Caesar. *de B. G.* I. 18, 3. Bern. cum al. e glossa addit pron. *ei*, repudiatum ab uno Aldi cod., ed. Ascens. et Lugd. 527. Muretus *VV. LL.* XIV. 8. in Gruter. *Lamp.* II. 1116. s. ingeniose coniecit duplicatis literis legendum non, ut vitiose in Schützii nota scribitur, *esse*, sed *asse*, comp. Persii *Sat.* V. vs. ult. At enim per se intelligitur, fictum emptorem, ab empturiente appositum, in huius commodum minimo pretio contra liceri debere, non tam, „ut reliquos ab emptione deterreat," quam causam volgo interpp. subesse putant; sed ut ne, re propter aemulorum absentiam alio die ad licitationem deducta, adversus animi sui sententiam quisquam liciteur. Optat autem, ut, nemine, qui serio contra liceri velit, reperto, sibi facilius res addicatur. Eius modi nuper usu venit exemplum. Nam adhuc sub iudice lis est de praedio quodam sub hasta vendito, subornatis, cum eo die nemo ad hastam accessurus videretur, ab empturiente sociis, qui, dicis causa, in fraudem iuris licitarentur, ut apud eum licitatio remaneret. — In clausula, nescio, qua fide Exter, ed. Bip.,

-it, non plus, quam semel, eloquetur. Q. quidem 62
Scaevola, P. F., cum postulasset, *ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur*, idque venditor ita fecisset, dixit, *se pluris aestimare*; addidit centum milia. Nemo est, qui, hoc viri boni fuisse, neget; sapientis, negant, ut, si minoris, quam po-

---

scripserit *eloquentur*. Morem hunc *semel eloquendi* v. *indicandi*, commendatum Christi auctoritate in Matthaei *Ev.* V. 37., adhuc probant in primis illi, qui a *Custodia Dei* nomen sortiti sunt.

§. 62. *Q. q. Scaevola*] *omnium hominum moderatissimus* (II. 57. p. 111.), *quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere*, ut ait in *Lael.* 1, (1.) 4. ubi in Wetzelii nota scribitur ita: „Africam iustissime rexit (*Verr.* II. 10.)". Imo, notante ibi Asconio, *Asiam singulariter rexerat, adeo, ut dies festus a Graecis in honorem eius constitueretur, qui diceretur Mucia*. Cf. idem ad *Div. in Caecil.* c. 19. p. 275. ubi Sch. inconstantia non sane laudabili scripsit *Mutius* et *Mutia*. V. de eo ad h. l. 47. p. 264. — Cum v. *indicare*, qua hic usurpatur potestate, Degen ad I. 28. n. 3. pr. turpiter confundit v. *indicare*, hoc ipsum proprie venditorum esse autumans, pretium rei venali statuentium. — *Centum milia*, suppl. *sestertiûm*, vel, quod glossatores addunt, *nummorum* aequant *centum sestertia*, i. e. 3333⅓ thalerorum. M. Heus. supplet *aeris*; item Degen, qui tamen intelligat non *asses* (= 1), sed *sestertios* (= 2½). En confusionis auctor! cuius errorem ipsa nummorum nomina redarguunt.

viri boni] Deg. cum Heus. retinuit ordinem volgatum *boni viri*, per se non male propter vim oppositionis. V. ad I. 7, 20. p. 46. Sed invertunt Guu. omnes, Bern. et edd. vett., ut c. 13. ex. II. 53. Recte monuit Gernh., absolute dici *sapientem*, i. e. *prudentem*, ut 38. ex. I. 114. p. 245. II. 55. p. 70. Ceterum haec a Pearcio et aliis fere sic explicantur: *Sapientis, negant, hanc spontaneam pretii adiectionem fuisse: sicuti sapientis non fuisset, si vendidisset minoris, quam potuisset*: sensu non plane commodo, ut videtur Bavio Voordae in notis ad *Praelectt. Iani a Costa* p. 138. „Nam si stultitiam, quae putabatur, emptoris Scaevolae comparare voluit cum alicuius venditoris stultitia, cur non potius ab hoc ipso venditore, quocum contrahebat Scaevola, exemplum sumpsit, quam indefinite ab quovis alio? Hic enim ipse venditor ita indicaverat rem suam, ut si minoris vendidisset Scaevolae, quam cuivis alii potuisset." Imo: *ut si minoris venditurus esset Scaevolae, quam posset*. Ita verborum

tuisset, vendidisset. Haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientis existimant: ex quo Ennius: *Nequicquam sapere sapientem, qui*

---

proprietatem et usum temporum urguentes facile labefactamus Voordae coniecturam, vv. *ut si — vendidisset* traiicientis post vv. *idque venditor ita fecisset.* Facilius, si pro singulari legeretur pluralis numerus *virorum bonorum et sapientium*, ut simul exprimeretur, venditorem pro aequitate sua longe infra fundi pretium substitisse (cuius tamen rei documentum, satis erat, commemorari ipsam pretii adiectionem), pateremur membrum illud subiici verbis *addidit centena milia:* quem ordinem verba requirere videntur Lindnero in *Commentat.*, cuius ad I. *Exc.* XII. p. 359. meminimus, §. 10. observanti, talem membrorum et verborum traiectionem optimo cuique scriptori passim placuisse: cll. Minucii Fel. *Octav.* 25, 12. Iustinian. *Instt.* II. *t.* 18. pr. Gronovio ad Gellii *N. A.* XII. 1. Sed hi loci non satis similes sunt; Taciti autem *Ann.* I. 15. aliter exponit Gronovius. In volgata, si nuda verba spectas, hoc inest ambiguitatis, utrum post comparandi particulam *ut* subaudiatur *sapientis fuisse negarent*, an, *sapientis fuisset* v. *fuisse dicerent:* ut solet, praecedente verbo negativo. V. ad h. l. 3, 9. pr. Quam interpretationem si hic quoque sequi placuerit: legi poterit *ut, si minoris, quam potuisset, emisset* cum Gu. 5. omnibusque edd. vett.: nisi forte veniam dederis audaciae hariolandi: *ut si maioris, quam potuisset, emisset*, hoc sensu: *Tamquam vir bonus ne potuit quidem minoris emere: illi autem errore quodam volunt et affirmant, potuisse.* Partt. *ut si* idem notant q. *perinde, quasi.* Cf. *N. D.* III. 31, 76. pr. *Or.* I. 53. sub fin. *Epistt.* II. 14, 2. pr. XIII. 21, 4. ex. Terent. *Eun.* I. 2, 37. Videtur tamen respici ad venditoris illam, quae (54. s.) videbatur esse, stultitiam. — In vv. *Haec igitur est illa pernicies* (i. e. opinio perniciosa) Gu. 5. v. *est* non male excludit. Cf. ad II. 8, 7. (p. 18.) 32. ex. Idem tollendum p. *Coel.* c. 17. in vv. *Haec igitur est tua disciplina?* Saltem h. l. transponendum: *Haec est igitur illa p.*, ut c. 27. pr. II. 30. p. 62. ad exempla I. 101. ex. *Balb.* §. 1. *Quae sunt igitur meae partes? Phil.* VI. c. 5. p. in. *Is est enim ille, qui semper senatus iudicium — contempserit.* X. c. 2. pr. Sic in *Lael.* 15, 3. (52.) vv. *Haec enim est tyrannorum vita*, saeculi XII. codex Bern. n. 514. C. in hunc revocat ordinem: *Haec est enim.* Similiter *N. D.* I. 7, 16. ex. transposuit Heindorf. Suspectum habemus etiam positum volgatum in *or.* 4, 12. *Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum.* De sententia cf. II. 35.

ex quo Ennius] cuius in *fragm.* ap. Columnam p. 210.

ipse sibi prodese non quiret. Vere id quidem, si, quid esset *prodesse*, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panaeti, video in iis libris, quos *de officiis* scripsit Q. Tuberoni, dicere: *Sapientis esse, nihil contra mo-* 63
res, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris. Neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque rei publicae. Singulorum enim facultates et copiae divitiae sunt civitatis. Huic Scaevolae factum, de quo paullo ante dixi, placere nullo modo potest. Etenim, qui omnino tantum se negat

---

versus hic solutis numeris, integer autem affertur *Famil.* VII. 6. ex.

Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit,

ex Euripidis *Medea* altera ib. XIII. *ep.* 15. 5.

Μισῶ σοφιστήν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Eidem sententiae patrocinatur Callicles in Platonis *Gorgia* c. 41. p. 486. B. πῶς σοφὸν τοῦτό ἐστιν —, εἴ τις εὐφυῆ λαβοῦσα τέχνη φῶτα ἔθηκε χείρονα, μήτε αὐτὸν αὑτῷ δυνάμενον βοηθεῖν; etc. Male Sch. revocavit volgatum ordinem *sibi ipse.* Meliorem praestat Bern. quoque. V. ad I. 116. p. 247. et de negatione, quae cum ipso v. *queo* non coaluit, ad I. 110. ex. Ad formulam *si — conveniret* cf. *Tusc.* III. §. 47. c. 19. ex. — Deinceps male Bern. scribit *in his libris.* V. II. 56. (p. 107.) c. 24. ex. Idem cum Gu. 1. Goth. Vin. ed. Magont. Lipss. 507. 513. et Ern. substituit *de officio*: non item c. 23. pr. De *Q. Aelio* (vitiose Degen scribit *Aemilio*) *Tuberone*, cui Hecato libros hos inscripsit, v. *Brut.* c. 31. pr. *Mur.* 36. 75. s. quibus testimoniis refellitur Degen, perhibens eum praetorem a. V. 630. Cf. Valer. M. VII. 5. 1.

§. 63. *Singulorum enim f.*] Coniunctio in Bern. deest, itemque post *Etenim* pronomen *qui*, respondens sequenti demonstrativo *huic*, pro quo substituit *huius*; sed superscriptum est *his.* *Etenim* Gernh. explicat καὶ γὰρ τό. Copulae vis obtinet etiam in tali obiectione, ubi praecessit negatio, v. c. in *Divin.* II. 69. pr. §. 142. magis etiam in *Cat. Mai.* 5, 6. pr. (15. pr.) ubi sententiarum nexus hic est: *Ennius senectute paene delectabatur. Et recte quidem: iniustae enim sunt causae, cur senectus misera videatur.* H. I.

facturum compendi sui causa, quod non liceat, huic
64 nec laus magna tribuenda nec gratia est. Sed sive simulatio et dissimulatio dolus malus est; perpaucae res sunt, in quibus dolus iste malus non versetur: sive vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini; certe istum virum bonum non facile reperiemus. Nunquam est igitur utile, pec-

---

hunc fere nexum expressit Hottinger: *Tantum abest, ut huic Scaevolae factum placere possit, ut vix quidquam magna laude aut gratia dignum faciendi auctor esse videatur.* Calumniatus Hecatonis sententiam Cicero videtur Garvio ad h. l. p. 146. (137. s. ed. II.) Ratio enim ipsa, quam Hecato sententiae suae reddit, praecepti usum moderari videtur ac rei familiaris curam cum generosi animi liberalitate atque aequitate, civibus debita, conciliare. Nec vero Hecato vituperandus, si quidem non tam mancis legum literis, quam menti earum et sententiae satis factum voluit. Haec certe ipse Cicero distinxit 68. 69. ex. Verum tamen ex brevi hoc fragmento non ausim Ciceronem calumniae damnare. Nam certe magis, quam par erat, *utilitate officium dirigi*, putabat Hecato: de quo infra c. 25. pr.

§. 64. *Sed sive simulatio et d.*] Bern. cum plerisque Aldi codd. Balduino et Extero, ed. Bip., habet: *Sed sive et s.* idemque omittit *non* ante *versetur.* Deinde pro *certe istum* cum al. peccat *recte iustum* et *reperimus*, quod e codd. Guilfel., septem Aldi unoque Tertii, Gu. 1. 2. 4. 5., edd. Ascens. Bald. Gryph. Grut. Gron. Oliv. receperunt Heus. Gernh. Degen. Sed alia ratio est praecedentium vv. *perpaucae res sunt.* Cf. c. 27. ex. Isti autem VV. DD. quasi comites ambulant cum Diogene Cynico laternario, defessi iam circum circa quaerendo virum bonum. F. Heus., quem sequitur Sch., ut horum cum superioribus nexum explanaret, frustra dedit operam, iudice Gernhardo, qui cum Facciol. accipit pro iudicio, quo totum hoc caput revocetur. Nos sententiam *sed* — *reperiemus*[1] parentheseos instar ducimus, quasi dicatur: *Quamquam virum bonum re, non nomine, frustra quaeremus.* Ad hanc viri boni notionem cf. 76. I. 7, 20. et *p. Quint.* c. 16. pr. — In prox. legebatur *Numquam igitur est*: in Goth. *Numquam est enim*, quem ordinem restitui. In *Epist.* IX. 22, 9. ex. *Non ergo in verbo est.* Docui autem in τῷ Non hac. *Nusquam igitur est*, extremum verbum fortasse delendum. Frequentissime enim v. subst. in consecutione omittitur, e. g. *Phil.* II. c. 12. *Omnes ergo in culpa.* Sententiam

care, quia semper est turpe: et quia semper est honestum, virum bonum esse, semper est utile.

XVI. Ac de iure quidem praediorum sanctum apud nos est iure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. Nam, cum ex XII satis esset ea praestari, quae essent lingua nun- 65

---

eandem reperimus in *fragm.* (p. 143. ed. Schütz.) ap. Augustin. *Omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitum, „O miserum, cui peccare licebat!“*

C. XVI. §. 65. *de iure praediorum*] i. e. rerum mancipi eorumque immobilium. Sic dicuntur tam *fundi*, quam *domus*, a *praede*, quia his populo caveri poterat. V. Vlpian. t. XIX. §. 1. Ill. Hugonis *Gesch. des Röm. Rechts* §. 160. n. 1. Perill. Niebuhrii *Röm. Gesch.* T. II. p. 359. s. cl. Io. Chph. Koehii *Diss. de praedio urbano et rustico*, Ienae 757. 4. — E Bern. et Gu. 1. scripsimus *sanctum apud nos est*: quem ordinem Gernh. in nota certe probare videtur. Deg. cum Heus. e Gu. 2. recepit: *sancitum ap. nos est*, cum iidem 55. ex. recoperint formam contractam. Sch. cum volgg. *sanctum est ap. nos.* Gu. 4. *apud nos sancitum iure civile est*; 5. *sancitum apud nos iure c. est.* Haec inconstantia vv. *apud nos* suspecta reddit item v. *est*, quod c. 22. pr. in simili oratione omittit. Quamquam Gernh. comparat *Leg.* II. 26, 64. ex: *lege sanctum est, ne.* Hic autem sic dicitur non de lege, sed de auctoritate prudentum. Alias ius, ex interpretatione ortum, disputatione fori examinatum et re iudicata confirmatum, ICTi solenniter significabant hac formula: *hac* (vel *iam hoc* v. *certo* v. *hodie certo*) *iure utimur*, ut e. g. Varro II. *de re rust.* 2. 5. pr. *In emptionibus* (pecoris) *iure utimur eo, quod lex* (mancipii) *praescripsit. In ea enim alii plura, alii pauciora excipiunt.* V. copiosas Car. Ph. Thierbachii Obss. *de notione et indole formulae: Hoc iure utimur.* 1819. Lips. 4. Hoc etiam communi nomine *ius civile* dici, affirmat Pompon. in *D.* I. t. 2. *de O. I. l.* 2. §. 5. Binkes p. 52. n. 44. laudat Brissonium *de verb. sign.* s. v. *Civilis* et Ianum a Costa ad §. 5. *I. leg. agn. succ.*

ex XII] Additam volgo glossam *tabulis* proscripsit F. Heus., auctoritate Nonii in v. *Praestare.* Idem glossema expulit Görenz *Leg.* II. 25, 58. p. 193. praecedente praepositione. Cf. ib. 24, 61. Verba legis citat Festus in v. *Nuncupata*: QVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTEI LINGVA NVNCVPASIT, ITA IOVS ESTO. Haec in *tab.* VI. illata sunt e lege Attica quadam de iis, quae essent

cupata, quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret: a iure consultis etiam reticentiae poena est constituta. QVIDQVID ENIM ESSET IN PRAEDIO VITI, ID, statuerunt, SI VENDITOR SCIRET, NISI

---

lingua nuncupata, ὁμολογίαι, ut observat Gottleber et Gernh., citatis Petiti *legg. Att.* l. IV. t. IV. p. 51. Ὅσα ἄν τις ἑκὼν ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ ἐναντίον μαρτύρων, ταῦτα κύρια εἶναι. Significantur hic, quae *promissa* (*Digestt.* IV. *t.* 3. *l.* 37. XXI. t. 1. *l.* 19. §. 3. 11.), *asseverata* (*D.* XIX. t. 1. *l.* 13. §. 3.), *nominatim dicta* sunt in lege mancipii, i. e. in pacto venditionis. V. Hugonis *Gesch. des Röm. Rechts* §. 69. n. 4. ff. §. 90. n. 4. *Vtei lingua nuncupassit* saepius in XII scriptum fuit haecque *nuncupationis verba* (ut dicuntur in Gaii *Instt.* II. §. 119. 121.) rata esse iubebant etiam in testamentis, ut patet in lib. I. *de or.* c. 57. ex. Cf. p. Caecin. §. 65. — *Quae qui infitiatus esset*, sc. emptori, cum essent ab eo quaesita. De *dupli poena* cf. Pauli *Sentent.* II. *t.* 17. §. 3. *auctoritatis venditor duplo tenus obligatur.* §. 4. *Distracto fundo, si quis de modo mentiatur, in duplo eius, quod mentitus est, officio iudicis, aestimatione facta, convenitur.* Id. I. *t.* 19. §. 1. *Quaedam actiones, si a reo infitientur, duplantur, velut — de modo agri, cum a venditore emptor deceptus est.* Posteris temporibus etiam in aliis rebus pretiosioribus emptori dupla promitti a venditore solebat pro evictione, i. e. si unquam rem, a non iusto possessore venditam, verus dominus ab emptore repeteret iudicio. *Mur.* 2, 3. ex. ubi, miramur, cur Matthiae, Vir alioquin acutissimus, veram Graevii et Beckii (§. 6.) interpretationem, comparationi, ibi factae, quam maxime consentaneam, reliquerit. Atque etiam, si duplam venditor non cauisset, tamen, quod esset moris et consuetudinis, si eo nomine ageretur ex empto, dupli condemnabatur reus. *D.* XIX. t. 1. *l.* 11. §. 14. XXI. t. 1. *l.* 31. §. 20. t. 2. *l.* 2. et *l.* 37. pr. §. 1. Varro II. *de re rust.* 10, 5. cl. Cuiacio in *Paratit. ad tit. Cod. de Evictionibus*, quem laudat Binkes p. 52. n. 45. Adde, quos de *duplae stipulatione* laudavit Ill. Hanbold in *Instt. I. R. priv. lin.* §. 704. *b*) et de *nexu* ib. §. 668. *b*). — In Bern. hic male scribitur *quae* (omisso pron. *qui*) *infitiatus e. d. poena s.* et cum Guu. omnibus ed. Magont. Lipss. 507. 515. aliaque s. l. et a. *a iuris consultis*, haud dubie perspicuitatis causa. — *Reticentiae poenam* actione aedilicia, i. e. vel redhibitoria (cf. 91. ex.) vel aestimatoria (66.) in venditorem eiusve heredem intra redhibitionis tempus persequebatur emptor et modo in duplum condemnabatur venditor, modo in simplum, si rem vitiosam, in statu suo et cum omni fructu oblatam, reciperet, redderet pretium et accessionem vel eam, qui eo nomine

IMMEDIATIM DICTUM ESSET, PRAESTARI OPORTERE.

Ut cum in arce augurium augures acturi essent 66
iussissentque Ti. Claudium Centumalum, qui aedis
in Coelio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis: Claudius proscripsit insulam, vendidit. Emit P. Calpurnius Lanarius. Huic

---

obligatus erat, liberaret. *D.* XXI. *t.* 1. *l.* 45. Binkes p. 53. n. 47. praeter leges, huc vix pertinentes, citat Noodtii *Comm.* ad h. *tit.* p. 457. Ambrosius MI. . . . doli actionem substituit, notatus propter id a Pufendorfio *de I. N. et G.* V. c. 3. §. 2. ubi eandem fere legem tulisse laudatur etiam Plato *de LL.* XI. p. 916. D.

§. 66. *in arce*] Capitolina, quae, teste Festo, dicebatur *auguraculum*, quod ibi augures publice auspicarentur ad orientem versi (teste Livio I. 18.), ergo prospectu in *montem Coelium* capto. — *Claudii* praenomen *Ti.* debetur Car. Langio legiturque in uno Manutii codice, a duobus aliis eiusdem et ed. Facciol. omittitur. In rell. est *T.* et in *Vatin.* c. 1. memoratur *T. Claudius* quidam. Tum Bern. scribit *Centummalum*: Gu. 3. *Centumnalum.* Apud Pompon. in *D.* I. *t.* 2. *de O. I.* §. 36. *Appius Claudius*, qui aliis *Caecus*, in codd. appellatur *Centemmanus.* Cognomen *Centumalus*, ab *alendo centum* (servos) ductum, quod tuetur etiam Valer. M. VIII. 2, 1., erat Fulviorum (*Fast. consul.* a. 455. 524. 542.), *Claudiorum* autem *Cento* vel rectius *Centho* (ib. a. 513. et in argenteis nummis. V. Pighii *Annal.* II. p. 46. ex.) multaque alia; agnomen *Unimanus.* Flor. II. 17, 16. Quid ergo, si h. l. refingatur *Centhonem Unimanum?* — Seqq. *demoliri ea, quorum* (quam lectionem tuetur Bern. cum Nonio II. 610. IV. 300. in v. *Officere* et *Moliri*) Facciol. explicat: *ea cacumina aedium summittere, quae auguribus spectantibus officiebant.* Eodem modo M. Heus. et Degen. Cel. Bremi autem ad c. 19. *de fato* p. 78. agnoscit generis mutationem, praecedente alius generis substantivo, ut in *Parad. praef.* §. 1. *Leg.* I. § 45. c. 16. ex. quem locum prorsus obscuravit Görenzii interpretatio. Cf. n. supra ad II. 4, 4. p. 30, s. Praesertim post v. *res* sequitur Neutrum ib. c. 7. pr. I. 76. ex. — *Demoliri* est destruere *molem*, i. e. aedificium arduum. Hor. *Od.* III. 29, 10. De iure augurum v. Görenz ad *Leg.* II. 8, 21. — *Insula* proprie dicitur pro *domo*, *quae non iungitur communibus parietibus cum vicinis circuitque cingitur*, ut explicat Festus s. v. p. 192. ed. Dacer. Sed pro *domo* simpliciter posuit Proculus in *D.* VIII. 2, 13. pr. Cic. *Att.* XVI. 1. sect. 5. Cf. Schützii *Lex.* s. v. — *Calpurnium Lanarium*, Car. Langius suspica-

ab auguribus illud idem denunciatum est. Itaque
63 Calpurnius cum demolitus esset, cognossetque, Claudium aedis postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri iussus: arbitrum illum adegit, QVIDQVID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater (ut enim ceteri ex patribus: sit;

[illegible]

... esse eundem, qui a Plutarcho memoratur in *Sertorio* c. 7. p. 571. C.

arbitrum illum adegit] „*Adigere arbitrum* in *Topicis* (10, 43.) iterum atque iterum usurpatum a Tullio, est *agere ad arbitrum*, ut non nulli censent, vel potius *dare cogere*, auctore Festo, qui scribit: *Adigas, dare cogas*: atque hanc verissimam interpretationem ex antiquitatis sepultae arcanis repetitam reor." Turneb. *Adv.* XXV. 23. pr. Sed similiter usurpatum *adigere aliquem ius iurandum* pro *ad ius iurandum* v. *iure iurando*, quod item dicitur. V. Schelleri *Lex.* s. v. p. 232. — Deinceps male scribitur in veteri cod. Nonnii *qui quicquid*, in Bern. *quid sibi* — *oporteret. Ex fide bona M.* etc. Integra huius actionis aestimatoriae formula, in ius concepta, videtur fuisse haec: *Iudex esto. Quod Ti. Claudius Centumalus insulam in Coelio monte, quam vendidit (mihi) P. Calpurnio Lanario, postea proscripsit, quam esset ab auguribus demoliri iussus, qua de re agitur, quidquid ob eam rem illum (Ti. Cl. Centumalum) mihi (P. Calp. Lanario) dare facere oportet ex fide bona eius, id iudex Ti. Cl. Centumalum mihi (P. Calp. Lanario) condemnato: si non paret, absolvito.* V. Gai. *Inst.* IV. §. 47. Go. 1321. (f. LXXXII. b. lin. 261) 256.

M. Cato sententiam dixit] „Suae aetatis celeberrimus ICTus edidit *Commentarios I. Civilis* et *Responsa*. Festus v. *Mundus*. Cic. *de or.* II. 33. Cf. Bachius *H. I.* l. II. c. 2. sect. 4. §. 27." Binkes p. 53. n. 48., qui aperte confundit eum aut cum Censorio, avo, aut cum Censorii filio, patruo suo. V. Wetzelii *Excurs. in Catonem* §. 5. d) p. 294. et §. 6. p. 297. Hic autem Saloniani filius memoratur in *Bruto* c. 60. et in Gellii *N. A.* XIII. 19. ubi tribunus plebis fuisse et, praeturam petens, mortem obisse dicitur. De Ciceronis libro, quo laudavit *Catonem* Vticensem, v. ad I. 112. p. 259. s., el. M. Seneca *Suasor.* VI. — De more *filios ex patribus* nominandi egit Castallo *Var. L.* c. 29. in Gruteri *Lamp.* T. IV. 586. Tum Bern., in quo est *si hic, qui*, videtur scribere voluisse *sic hic.* Sed saepe pron. demonstrativum ante relat. a scribis inculcatur, e. g. *in Verr.* l. II. c. 15. *Nullae sunt occultiores insidiae*,

qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus. Is igitur iudex ita pronunciavit: *Cum in vendundo rem eam scisset et non pronunciasset, emptori damnum praestari oportere.* Ergo, ad fidem bonam, 67
statuit, pertinere, notum esse emptori vitium, quod nosset venditor. Quod si recte iudicavit: non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilentium venditor tacuit. Sed huius modi reticentiae iure civili omnes comprehendi non possunt: quae autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus

---

quam *eae, quae latent in simulatione offici aut in aliqua necessitudinis nomine*, pron. *eae* non agnoscit Augustinus, e quo locum illum etiam Schütz retulit in *Fragmm. librorum incertorum* p. 145. Ceterum dubitavit iam F. Heus. de auctoritate volgati ordinis vv. *lumen illud*, quem Bern. cum Guu. omnibus, Goth. et edd. ante Lambinum invertit. Agnoscere tamen videtur Vinar. Deinde in Bern. Gu. 2. novem Manutii codd. [illegible], [illegible], edd. Gryph. et Bald. legitur *in vendendo*. F. Heus. verum putat, quod est in Gu. 1. 3. et Tertii libro, *in vendundo*. V. ad II. 64. pr. Sed *venum dando* est in Ven. 502. et rell. cum MSS. tum edd. Cf. Freinshemii *Index in Tacitum* s. v. *Venum dare*. — Extr. §. *damnum* intellego et pretium et factas in demoliendo impensas.

§. 67. *Ergo ad fidem*] Sic Heus. e Guu. omnibus, Goth. et ed. Gryph. Accedit Bern. et Balduin. Volgatum *Igitur* retinuit Sch. — De *frumentario* atque *aedium pestilentium venditore* resp. ad 57. pr. — Post *reticentiae iure civili* Bern. cum Gu. 1. 2. 3. Goth. atque ed. Gryph. expulit Adi. *omnes*, ad sententiae veritatem necessarium. V. Exc. Krugii *Dicaeol.* §. 68. in nota p. 249. s. Similiter scribae turbarunt 3, 14. pr. — *M. Marius* dicitur *Gratidianus*, quia pater eius naturalis fuit *Gratidius*. Nam in *Bruto* c. 45. extr. vv. *M. Gratidius — accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater*, Sch. corrupit temeraria correctione, *patrem*: quae lectio perabsurda iam Graevio ad h. l. suspecta fuit. Nec est ibi, ut cum Heus. de transponendis vv. cogites. V. quae de eius modi traiectionibus notavimus T. I. p. 146. Adde e *Bruto* c. 89. *Exercebatur una lege iudicium Varia.* Verr. l. II. c. 42. pr. *Nunciabatur*, ... *etiam in concione tribunum plebis de causa Sthenii M. Palicanum esse questum.* Fuit ea-
[illegible]

propinquus noster, C. Sergio Oratae vendiderat aedis eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae serviebant; sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est.

Ora-

tem M. Gratidii soror Ciceronis nostri avia, ut ipse memorat *Legg.* III. 16, 36. Cf. infra h. l. 80. pr. — De C. *Sergii* (*Sili*) cognomine *Oratae* v. Macrob. *Saturn.* II. c. XI. pr. et Festus, citatus a Pighio in *Annal.* III. p. 248. Schütz hic scripsit *Auratae* et deinde *Auratam*, ut *Or.* I. 39, 178.; idem vero in *Hortensii* fragg. p. 108. s. *Oratae*.

Eae Servio serviebant] Pro volgato *Hae*, quod tenent Gernh. et Sch., restitutum ab Heus. pron. *Eae* diserte agnoscit Bern. *Sergii* nomen Sch. de Pearcii, Wyttenbachii, F. Heus., Reizii et Gernh. sententia proscripsit. Sic placuerat iam Fr. Balduino in *Iuris prud. Muc.* p. 873. et ad Papin. *de Evictione* p. 564., refragante Barbeyracio in notis ad Pufendorf *de I. N. et G.* I. V. c. 5. §. 5. quicum facit Binkes p. 51. n. 36.; nos cum Bavio Voordi in *Lectt. Tull.* c. 9. „Posteriori *Sergio* supra scripta esse in aliquo codice *cuidam alii*, testatur Pearce et recte notat, hunc Sergium, cuius aedibus venditae serviebant, omnino alium fuisse a Sergio emptore. Nam si dominantis praedii dominus acquirat quocumque titulo praedium serviens, exstinguitur servitus confusione: *l.* 1. *l.* 15. *D.* [VIII. t. 6.] *quemadm. servit. amitt.* licetque emptori iure dominii facere, quidquid antea in eodem praedio iure servitutis fecisset. Quocirca, si idem Sergius et dominus praedii dominantis et emptor servientis fuisset, ne locus quidem daretur controversiae, venditori Gratidiano ex reticentia motae. Ceterum mihi cum Iac. Fr. Heusingero videtur posterius *Sergio* a mala manu esse: nec opus esse, aliud nomen, v. g. *Servio* aut *Seio*, quaerere aut substituere, ob rationes, ab illo allatas. Fortasse syllaba *ser* errore librarii repetita peperit spurium *Sergio*. Quidquid sit, non esse eam vocem a Cicerone vel illud argumento est, quod, quoties aedes simpliciter *servire* dicuntur, non intelligimus usum fructum similemve, quae personae alicui, sed, quae praedio debetur, ut ius stillicidii tignive immittendi." De *servitutibus* scriptores indicavit Haubold, V. S. R., in *Instt. I. R. priv. lin. P. spec. l.* II. *sect.* 5. c. 1. p. 220 — 229. cf. p. 437. s. maxime §. 472. *de servitutibus praediorum urbanorum.*

in mancipio] i. e. q. *in mancipatione*, in transferendo dominio, cum se nexu obligaret. V. Sch. in *Lex. Cic.* s. v. p. 354. s. qui recte intelligit *faciendo*. Cf. Hugo in *Gesch. des R. Rechts* §. 69. Quamquam vero *mancipium* non

)ratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius: us Crassus urguebat: *quod viti venditor non lixisset, sciens, id oportere praestari*; aequitatem Antonius: *quoniam id vitium ignotum Sergio non uisset, qui illas aedis vendidisset, nihil fuisse necesse dici nec eum esse deceptum, qui id, quod merat, quo iure esset, teneret.* Quorsus haec? 68

---

on dicitur pro formula v. conditione: tamen I. *Or.* 9, 178. s. de eadem hac causa *in mancipio* et *in mancipii* *ge* promiscue dici potuit, ut simpliciter *in lege* XVIII. *)igestt. t.* 1. *l.* 68. pr. Cf. Magius *VV. LL.* IV. c. 3. n Varron. *R. R.* II. 2, 5. pr. in Gruteri *Lamp.* II. p. 402. Gesneri *Thes.* III. in v. *Lex* p. 71, 52 — 69. De *ıancipatione* v. iam locum classicum in Gai. *Instt.* I. 119. s. et praeter Cuiacium *Obss.* l. XI. c. 37. Turneb. *Adv.* (X. c. 19. scriptores laudatos a Summo Hauboldo l. l. 433. *b*) cl. ib. p. 435. — *Oratam Crassus defendebat* fuit enim lurco lurconi amicus) etiam alia in causa, uius meminit Valer. M. IX. 1, 1: Turpiter iuris disciulus lapsus est Binkes p. 51. n. 36. sententiam Crassi, ronuncians, fulciri lege XII tabb., qua cautum fuerit, t in venditionibus ea etiam, quae nota essent venditori, itia diceraentur et, qui aliquid dissimularet, reticentiae oenam ferret. Nimirum fraudi ei fuit Mascovii in Puendorfii *de I. N. et G.* l. V. c. 3. §. 5. nota 1., qui nauspicatis auspiciis in suam ipsius stragem adhibuit rima huius cap. verba.

quod viti] i. e. q. I. *Or.* 39, 178. *quidquid incommodi.* Sic I. *Off.* 6, 19. *quod ... operae curaeque.* 137. p. 277. — De vi causali pronominis cum Subi. *qui* (i. e. cum s) *illas aedis vendidisset*, v. ad 58. In seqq. autem, ubi Degen *qui id* explicat *cum ille*, nos et propter praecedens ron. *eum* et propter insertum Indicativum (*id, quod merat*) agnoscimus regulam iuris generalem. — *Antonius* gitur (de quo v. ad II. 49. ex.) usus est exceptione, uam fere eandem supra dederat Diogenes 55. *ubi iudicium mptoris est, ibi fraus venditoris nulla.* Eademque admittiur in *D.* XIX. 1, 1. §. 1. *Non videtur esse celatus, qui civit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit.* Cf. XVIII. , 43. §. 1. XXI. *t.* 1. *l.* 48. §. 4. *l.* 1. §. 6. *l.* 14. extr. Binkes laudat Grotium in *flor. spars. ad ius Iustin.* p. 167. t *I. B. et P.* l. II. c. 12. §. 9.

§. 68. *Quorsus haec?*] Sic post Car. Langium, annuentibus etiam Groning. et Bern., pro volg. *quorsum h.*, quod cum Heus. retinet Degen, restitutum est a Gernh.,

ut illud intelligas, non placuisse maioribus nostris astutos.

XVII. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio ergo postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiae, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis nec agitaturus? ipsae enim ferae, nullo insequente, saepe inci-

---

ut *Tusc.* I. 25, 60. pr. *Leg.* I. 7, 22. pr. 24 (al. 23), 62. ex. Idemque ad *Cat. Mai.* 12, 42. pr. p. 76. notat, ante lit. *h* meliorum libb. auctoritate firmari *quorsus*, quod labialis lit. *m* cum *h* minus conspiret. In fine placet ex ed. s. l. et a. legi *astutias*. In multis ll. est *astus*, neglecto scilicet, scribendi compendio. Cf. 71. pr. Sic abstracta ponuntur *p. Mur.* 36, 76. *Odit populus R. privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit* etc.

C. XVII. *quatenus manu tenere possunt*] Non displicet lectio Lipss. 507. 513. *teneri*. Cf. *Brut.* c. 80. sub f. *cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret.* Deinde Bern. cum Gu. 3. 5. ed. Gryph. et Bald., *Ratio ergo hoc postulat*, inserto pronomine ab aliis alio loco. — De ἀποσιωπήσει v. ad I. c. 24. pr. cl. *Att.* XV. 13. Sch. p. 266. ex. *Sed, ne quid ante* —. *Nosti horum exercitationem in latrocinio.* — *Ne* in interrogatione affirmativa (*Suntne* etc.) pro *nonne* vel *an non* tam male habuit Ernestum (cuius notam repetiit Sch. in *Lex.* s. v. p. 14.), ut totum hunc locum vix incorruptum putaret. Sed v. 78. pr. cl. *Excursu* XI. ad I. 1. p. 336. *Catil.* I. 3, 6. (10.) 8. pr. (12. pr.) III. 5, 11. (16. pr.) *De Divin.* II. 97. c. 47. pr. 103. c. 50. pr. *Pro domo* §. 137. Ab Heuss. citantur Plin. *Paneg.* 88, 4. Cic. in *Vatin.* passim. *Fin.* V. 18, 48. *Tusc.* II. 21, 50. 22, 53. *N. D.* III. 27, 69. pr. *Epist.* VIII. 3. pr. ibique Corte. Minus recte Matthiae ad *or. p. Rosc. A.* 12, 33. ex. cum Heus. huc traxit ex eadem or. 39, 113. pr. *Itane est?* quae formula potius negat: spectat enim ad seq. ibidem aliam quam interrogationem, similiter, ut *Off.* II. 83. ex. *quid ita?* — Post *etiam si excitaturus non sis* placuit Schützio ex uno Oxon. cum Ernesto et Pearcio addere glossam *feras*, cui tres Oxx., unus reg. Angl. et Duisburg. substituunt *bestiam*: deinde iidem triumviri expunxerunt substantivum *ferae*, abusi testimonio ed. Coloniensis.

unt. Sic tu aedis proscribas? tabulam tamquam lagas ponas? domum propter vitia vendas? in eam

Sic tu ae. proscribas?] Gryph. et Bald. *Si tu*, quod xstat in Bern. Nexus hic est: *Tamquam qui plagas tenunt, in quas ferae, nullo insequente, ipsae* (i. e. *sponte*) *saepe incidunt: sic tu aedis proscribere velis?* etc. Sch. eglexit indicare interrogationem. Gernh. vero adeo improbat interrogationis signum ab Heuss. in fine post *imrudens* positum, atque ex affirmatione fidiculis quibusdam, iolato usu loquendi, hunc extorquet sensum: *Item tu sidias struis, si proscribas*, comp. c. 19. pr. Degen seravit ille quidem interrogationis signum, sed, quasi non dhibuisset, Hottingeri versionem secutus, supplet: *Sic agis, cum — proscribas.* Nos non semel, sed pluries nterrogationis signum posuimus. Quippe indignationis is hunc postulat sensum: *Tune animum inducere poteris, edis proscribere?* Eadem potestas est Futuri 52. pr. Tum . Heus. e Gu. 1. atque ed. Ald. recepit *tamquam plagas*; uem eundem pluralem numerum vindicat in Ovid. *A. A.* II. 428. Gernh. cum Gottlebero suspicatur, esse hoc interpretamentum verbi *ponas*. Görenz autem ad *Acad.* II. 5, 79. p. 146. a. tuetur lectionem volgatam *tamquam lagam* ob singularem numerum *eam* in seqq., ubi ex ingenio, ut ipse de se praedicat, corrigit *si in eam aliquis ncurrat*, quae depravatio reiicitur a censore Ienano, Gernardo, quod *si*, pro *si forte* posita, cum pron. *aliquis* onstrui nequeat. Tolerabilius certe e Gu. 3. scriberetur: *n eam ut aliquis incurrat.* Sed haec quoque interrogant: *Sequumne videtur, ut in eam* etc. Cf. II. 85. ex. *Agrar.* I. 1, 3. De Enallage numeri eleganter F. Heus. observarat, Ciceroem in comparationibus saepe verba, quae rei, cui quid assimilatur, proprie conveniebant, ad eam rem transtulisse, uae alteri assimilatur: comp. *Rosc. Am.* 27, 7. (75.) *N. D.* I. 20, 53. ex. p. 89. a. ed. Creuz. Addimus *Fin.* V. 30, 90. itemque huc referimus attractionis exemplum, d I. 80. p. 185. ascriptum, alterum in *Bruto* 57, 262. *omni ornatu orationis tamquam veste detracta.* Similiter . l. pron. *eam* refertur ad *domum*, cuius tabula *tamquam plagae* positae sunt. Cf. 55. pr. Addit Heus., passim omparationem et tropum tam belle misceri, ut hic ab illa nagnam claritatem, illa vero ab hoc miram suavitatem mutuetur. *Tusc.* II. (non I.) 5, 13. pr. *Or.* 71. pr. uem locum Heus. etiam e duobus MSS. Gu. sic legit: *Sed si quem magis delectant soluta* (in oratione): *sequatur ea sane: modo, sicut quis Phidiae clypeum dissolverit, collocationis universam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem:* melius, quam Schütz, cuius onicctura obscurat item elegantiam loci II. *Or.* 23, 96. x. quicum comp. *Brut.* 4, 16. ubi vv. *sic — exaruit* in parenthesi ponimus.

69 aliquis incurrat imprudens? Hoc, quamquam video, propter depravationem consuetudinis neque more turpe haberi neque aut lege sanciri aut iure civili: tamen Naturae lege sanctum est. Societas est enim, (quod etsi saepe dictum est, dicendum tamen est saepius) latissime quidem quae pateat, hominum inter homines; interior eorum, qui eiusdem gentis; propior eorum, qui eiusdem civitatis. Itaque maiores aliud ius

---

§. 69. *N. lege sanctum est*] Sic *sancitum*, quod cum volgg. ll. retinuit Degen, contraxit Gernh., cum Graev. 2. Gu. 5. et P. Balduino, ut c. 16. pr. *Verr.* II. 50, 123. pr. — Post vv. *quod etsi saepe dictum* Sch., invitis libris, delevit *est*, ne quatuor deinceps recurrerent. Sed, Bern. cum Gud. quatuor transponente *dicendum est tamen*, Gu. 4. *dicendum tamen saepe est*, ibi quidem expunxerim facilius. V. n. ad 4, 10. p. 24. Respiciunt haec ad §. 21. s. 6, 26. ss. 31. I. 50. s. 53. 149. ex. *Lael.* 5, 11. s. (19. s.) Deinde cum Graevio legitur *hominum inter homines*, non constat, qua librorum fide. Nam in Bern. est *omnium inter omnes*, ut in al. plerisque, nisi quod Vin. habet *omnium inter homines*, Ascens. *hominum inter omnes*, Gu. 5. *omnibus inter omnes*, 4. per anastrophen *omnes inter omnium*. F. Heus. e I. 51. pr. coniecit, utramque lectionem esse coniungendam hoc modo: *hominum inter homines, omnium inter omnes.* Simile exemplum ad I. 53. p. 128. ascripsimus e I. *N. D.* 19, 50. Sed ut Adi. *omnes* I. *Leg.* 10. 29. ita et nudum Substantivum idem reciprocando solet repeti I. c. 7. p. 51. et §. 22. ex. *Lael.* 14, 4. ex. 6 (50.) *Fin.* III. 19, 63. pr. V. 23, 65. quem l. Gernh. cum Heus. miro consensu e *Tuscul.* citat. Similiter l. c. 7. pr. dicebatur *hominum inter ipsos.* Notas hominum et *omnium* in libris confundi, ad *Fin.* III. 19, 64. notat Görenz p. 394. a.

qui eiusdem gentis] Adiectum volgo *sunt* Bern. cum Gu. 1. 2. mutat in *sint*. Gu. 5. transponit *q. e. sunt gentis*. Itaque exclusi. Idem glossema Gu. 3. inculcat in proximo membro: *qui eiusdem sunt civitatis.* Eadem ellipsis obtinet in seqq. de *iure gentium*, quod Cicero ab hominis repetendum natura atque ex intima philosophia hauriendum putat (resp. ad 5, 23. pr. cl. *Leg.* I. 5, 17. s. 6, 19. s.) et a *civili*, i. e. publice constituto, distinguit, ut fere omnes ICTi Romani: de quibus Binkes p. 55. n. 58. consuli iubet Schmausii *Neues System des Rechts der Natur* §. 9. s. p. 39. ss. et Hoffbaueri *Entwurf einer Gesch. des Naturrechts* §. 12. in eiusdem l. *Naturrecht* etc.

entium, aliud ius civile esse voluerunt. Quod

Hal. 804.) p. 563. *Ius gentium* a *Naturae iure* non dis-nxisse videtur Cicero *Invent.* II. 22, 65. 53, 160. s. libi videtur distinxisse, e. g. *p. Mil.* 11, 30. Cf. En-elbronneri *Diss. de loco Ciceronis qui est de legibus* p. 22. . c. 2. §. 2. Commentarii instar possunt esse Gaii in *stt.* I. §. 1. verba, quae e *Digestt.* I. 1, 9. etiam in istinianeas migrarunt *Instt.* I. 2. §. 1. Cf. idem in *D.* LI. 1, 1. pr. III. 5, 59. IV. 5, 8. VII. 5, 2. §. 1. IX. , 4. pr. XLIII. 18, 2. quibus in locis *civili naturalis* pponitur ratio. Vlpianus quidem, cuius ad 5, 28. p. 221. 50. ex. meminimus, triplex distinguit ius, et *naturale* et *ntium* et *civile*. Nescio autem, quonam tandem argumento inkes n. 56. negarit, distinxisse iam Tryphoninum *ius aturale* a *iure gentium* in *D.* XII. 6, 64. de quo monuerat chömann in Progr. contra Hugonem, qui in *Gesch. d. Rechts* §. 310. n. 1. ed. V. (§. 250. n. 2. ed. IV.) lpianum primum volt esse auctorem huius distinctionis *D.* I. 1, 1. §. 3. s. ubi item Smallenburg hanc rationem lpiani propriam existimat. Cf. *l.* 4. *l.* 6. pr. *t.* 6. *L.* 24. X. 2, 50. XXV. 3, 5. §. 16. XLIII. 16, 1. §. 27. L. 7, 32. Iulio Paulo (cuius sententiam explicuit Noodt in *omm. ad tit. D. de iust. et iur.* [I. 1, 11. pr.] p. m. 4.) *s naturale* definitur *id, quod semper aequum et bonum est.* loc, Binkes notat, ab eo L. 17, 84. §. 1. inconstanter onfundi cum *iure gentium*, quod idem IL. 15, 19. pr. e onstituto venire dixerit. At vero ibi iste de iure fetiali otius loquitur, quo gentes e communi constituto inter e utuntur. Ceterum Hugo, V. Ill., l. l. de histor. iur. . §. 149. et n. 2. disputat, *ius gentium* Romanis nuncu-ari ab externa origine. Non enim, naturali ratione con-titutum, philosophia contineri, sed experientia notitiaque, uid iuris apud omnes peraeque custodiretur populos, qui uidem moribus et legibus regerentur. Huic extrinsecus ecepto et quadam tenus peregrino, cuius si colligeretur orpus, perficeretur dicaeologia quaedam harmonica s. niversalis, opponi *ius civile*, i. e. ipsius civitatis Ro-nanae proprium et quasi vernaculum, ut h. l. Idem vero ensu strictiori opponitur etiam Romanorum *iuri publico* t *sacro*; denique sensu strictissimo distinguitur a *iure cripto*, i. e. et a *legibus*, populi iussu conditis, et a *iure onorario*, magistratuum edictis constituto, ut sit *ius con-uetudinarium*, prudentium responsis disputationeque fori ompositum usuque receptum. Vid. ib. §. 144. cll. Gai. *nstt.* I. §. 7. et quae supra ad c. 16. pr. notavimus. De oc discrimine scriptores non nullos indicant Eckhard *Herm. Iur.* l. I. c. 4. §. 133. Smallenburg ad *Schulting. ot.* ad l. 1. §. 3. *D. de iust. et iur.* T. I. p. 16. Stork *Disp. de Rom. I. N. et G. et Civ.* Gron. 1804. Praeter ios, quos laudavit Binkes p. 54. n. 51., in primis adhi-

civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur. Eas

---

bendus Haubold, V. S., in *Institt. i. R. priv. lin.* §. 21. et p. 399. in *Supplem.* ad p. 30.

Quod civile, non idem continuo gentium etc.] Hanc sententiam pervertit Hottingeri versio eo, quod confusione quadam *iuri civili* denuo substituit *ius gentium*. Ius gentium necessarium atque absolutum est ideoque omnes homines peraeque tenet; civile autem certae cuiusdam rei publicae populum ideoque particulare est. Etenim ius, a communi omnium hominum ratione promulgatum, amplificatur per leges positivas et iuris civilis instituta. Idem vero pro norma et regula esse debet, quam legum civilium auctores sequantur. Sed experientia testatur, iuri rationali non exacte respondere illud, quod quisque populus ipse sibi ius constituit: imo longius propius abesse a perfectissimo Naturae et veritatis exemplo, i. e. ab ipsa forma ac specie iuris, aeterna illa atque immutabili, quam sola mente cernimus; sed magis magisque excoli et perfici potest. Nec vero a primo statim ortu ultimam perfectionem recipit, quia hominum, ut sunt, vitae communi accommodari debet: unde, ut significanter sane SS. LL. loquuntur, Moyses, Israëlitis legum lator, faciem, cuius, postquam cum Deo collocutus esse credebatur, splendorem profanorum oculi ferre non poterant, velavit. Cf. Krugii nostri, V. S., *Dicaeol.* §. 12. n. 2. ib. §. 7. ex. n. 2. p. 52. n. n. 2. ad §. 8. et *Eusebiol.* n. 1. ad §. 26. p. 162 — 165.

solidam et expressam effigiem nullam] Videri potest philosophus allusisse ad Epicureos *adumbratos deos*, in quibus item non res esse dicuntur, sed *similitudines rerum et species quaedam, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi*, I. *N. D.* 27, 75. Eodem modo loquitur *Tusc.* III. 2, 3. de populari gloria: *ad quam fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens — in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata.* Itaque *expressam effigiem* hic non recte interpretatus *descriptam et veluti depictam* videtur Heumannus ad *or. p. Arch. P.* c. 6. ex. Adumbratam imaginem σκιαγραφίαν vocat Plato in l. ad I. 6, 14. p. 35. ascripto. Adde alium e IX. *de re publ.* p. 586. C. de ἡδοναῖς —, εἰδώλοις τῆς ἀληθοῦς ἡδονῆς καὶ ἐσκιαγραφημέναις. Similiter Livius XLI. 12. sub fin. fictiones iuris, in legum fraudem excogitatas, appellat *imagines iuris*. De formula, *hoc iure utimur*, v. ad c. 16. pr. Impudentes

psas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis. Nam quanti verba 70 illa: VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM! quam illa aurea: VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAVDATIONE? Sed, qui sint *boni* et quid sit *bene agi*,

---

...ero Tullii sententiam calumniatus Lactantius VI. 6, 25. ...1, 13 — 18. eum *umbraticum* et *imaginarium praeceptorem* notat c. 12. §. 14. Quasi vero haec non ad solum *ius civile* spectent: id quod indicat additum suspirium: *Eas ipsas utinam sequeremur!* Nimirum, *leges saepe perrumpi*, conquestus est 36. ex. Nec sibi repugnat *Or.* I. 44, 195. quippe e Crassi, ICTi, persona loquens, cui respondetur ib. c. 57. ex. *Ius civile* autem infra 71. 72. pr. dicitur *ductum a Natura*, hic *ex Naturae et veritatis exemplis*, i. e. *a vera lege, quae est recta ratio, Naturae congruens* (Lactant. VI. 8, 7. e l. III. *de re publ.*), *tamquam ab optimo exemplari*. Pro hoc enim *exemplum* dici, notarunt Gesner in *Thesaur.* II. p. 480, 8 — 21. Ernest. in *Clavi* s. h. v. et Ruhnken. ad Rutil. Lup. *de fig. sent. et eloc.* II. p. 108. quibus laudatis, Gernh. cum Gottlebero apposite comparavit Platon. *Parmen.* §. 13. ed. Heind. τὰ μὲν εἴδη ταῦτα ὥσπερ παραδείγματα ἑστάναι τῇ φύσει, τὰ δὲ ἄλλα τούτοις ἐοικέναι καὶ εἶναι ὁμοιώματα. Incommode Sch. h. l. in *Lex. Cic.* s. v. *Exemplum* n. 1. interpretatur sic: „*ipsi illi homines iustitia insignes*“ [quinam?] „*etsi non explent iustitiae ideam, tamen ab isto exemplari, quod natura et veritate continetur, proficiscuntur.*“

§. 70. *quanti verba illa*] Supple *sunt*. Sic 82. pr. *Acad.* I. 10, 37. pr. *N. D.* I. 12, 32. ad f. et in Senec. *Epist.* 26. m. dicitur, *tanti*, *minoris*, *pluris* etc. *esse* v. *videri*. Degenii supplemento ellipseos (ἀντὶ) μεγάλου (τιμήματος) τι ποιεῖσθαι non magis opus est, quam 51. ex. 59. (p. 284.) 62. In principio formulae *ut inter bonos* F. Heus. eiusque successores cum Gu. 2. 3. Goth. ψ atque ed. Ascens. expulerunt *ut*. Degen uncis notavit etiam v. *oportet*, adhibito auctore Paulo Manutio ad *Ep.* VII. 12, 3. ubi et *ut* et *oportet* a probatioribus libris excluditur, ut h. l. 61. *Top.* 17, 66. (c. 16. ed. Sch.). At hic quidem, ut apparet ex adiectis, fiduciae formula non eodem modo truncata est, quae integra haec fuisse videtur: EGO VERO HANC REM MEAM TIBI MANCVPO EA CONDITIONE (v. EA LEGE v. ITA), VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM (i. e. *quod tibi fidem habui; perfidia tua*, ut *p. Rosc. A.* 40, 116. *per eius fidem laeditur*: ubi v. Matthiae) CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM (Bern. h. l. *sim*); SED VTI MIHI

magna quaestio est. Q. quidem Scaevola, Pontifex Maximus, *summam vim*, dicebat, *esse in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur* EX FIDE BONA: *fideique bonae nomen*, existimabat, *manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus,*

REMANCVPES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE. Cf. Brisson. *de verborum signif.* p. 357.

Q. quidem Scaevola] De hoc v. ad 47. p. 264. Tum Bern. cum Guu. et edd. vett. transponit: *vim esse dicebat in omnibus arbitriis*, excluso etiam pron. *iis*, ut 61. Sed cf. 17, 66. pr. Videtur his vv. idem significari, quod superioribus *magna quaestio est* et seqq. *in his magni esse iudicis, statuere.* Bonaë fidei iudicia dicuntur *arbitria*, quia non e certa formula pendent, qua condemnatio intenditur et a qua iudici discedere non liceat; sed iudex tamquam *arbiter* ex aequo et bono, i. e. ex eo, quod aequitas postulare videatur, controversiam dirimit litemque componit. Cf. n. ad 61. cl. *Digestt.* III. 16, 7. XVI. 3, 24 ex. — Mox *manare* (quod Bern. corrupit in *manere*) *latissime* idem valet q. *patere latissime, eius vim pertinere ad plurima.* Nimirum „in bonae fidei contractibus diligentius quaeritur, quid venire debeat in hac bonae fidei formula. In his enim aliquando tantum dolus praestari dicitur, aliquando dolus et culpa, quae ex inscientia, ignorantia, indiligentia venit; et ex his quidam sunt contractus, in quibus praeter dolum et culpam praestatur diligentia vulgata *l. contractus* 23. *D.* [L. *t.* 17.] *reg. iur.* Et bonam fidem dolum omnem excludere, nemo non videt, doli enim variae possunt esse species, ut colligere licet ex his, quae Accursius notavit ad *l.* 3. §. *nunc videamus.* 5. *D.* [XXVI. *t.* 10.] *de susp. tutor.* nascitur enim ex malitia et calliditate, quae vel maior vel minor esse potest, ideoque nullus est contractus, in quo dolus non praestetur, et obtinuit, in quibusdam non praestari culpam. Nimirum ex lege Aquillia distinguuntur culpae gradus, quos bonae fidei formula complectitur, 1) *culpa lata* s. *magna*, quae praestatur tamquam dolus. 2) Ex magna negligentia contrahitur *culpa levis*, quam committit is, qui non praestat id, quod diligens pater familias praestare solet. Dicitur etiam *culpa gravior* ad differentiam 3) *culpae levissimae*, quae contraria est diligentiae exactissimae, quae non semper praestatur; sed plerumque in contractibus cum extraneo, qui bona fide servit." Ianus a Costa *Praelectt. ad illustr. quosd. titt. iur. civ.* p. 309. s. Cf. *D.* XIII. *t.* 6. *l.* 5. §. 2. Cic. *p. Rosc. A.* 39, 113.

in tutelis, societatibus etc.] Cf. *Top.* 10, 42. *p. Caecin.* c. 2. ex. Sch. (al. c. 3. pr.) *Rosc. Com.* c. 6. *Digest.* III.

fiduciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitae societas contineretur: in his magni esse iudicis, statuere (praesertim, cum in

---

2, 6. §. 5. s. Recensentur *N. D.* III. 30, 70. *iudicia de fide mala*, *tutelae* (cf. ad h. l. 61. pr. cll. *Obss. iuris Rom.* Cornelii van Bynkershoek l. VI. c. 8. et Rygersosii c. 4. et 5.), *mandati* (*Rosc. A.* 38, 111 — 39, 114. Gai. *Instt.* IV. §. 155. ex. *D.* XVII. *t.* 1. Noodt *Prob. iur. civ.* IV. 12.), *pro socio* (*Rosc. A.* 40, 116. s. *D.* XVII. *t.* 2. *l.* 52. §. 1. Schulting ad Caii ex *Institt.* IV. §. 148. ss. epitom. *lib.* II. *t.* 9. §. 16. n. 98. in *Iuris prud. Anteiust.* p. 171. Cannegieter l. III. *Obss. iur. Rom.* c. 19.), *fiduciae* (contra familiae emptorem imaginarium in testamento per aes et libram nuncupando, aliosque fiduciarios. V. n. ad h. l. 61. Gai. *Instt.* II. 102 — 105. Vlpian. fragm. XX. §. 2. ss. 9. s. Haubold *Instt. i. R. priv. lin.* §. 518. *b.*), *reliqua quae ex empto aut vendito* (*Dig.* XIX. 1, 6. §. 9.) *aut conducto aut locato* (Ant. Augustini l. IV. *Emendatt. et opin.* c. 14. in Otton. *Thesaur.* T. IV. p. 1546. s.) *contra fidem fiunt.* Cf. Iustinian. *I.* IV. 6, 28. Gai. *Instt.* IV. §. 62. *Sunt autem bonae fidei iudicia haec: ex empto vendito, locato conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, fiduciae, pro socio, tutelae, p***** dati* (ubi V. D. coniecit *commodati.* Propius accedit Savignii coniectura *pignoris dati*: propius fortasse *pignori dati*, ut *D.* L. 17, 23. dicitur *pignori acceptum*), *depensi.* In seq. ibidem lacuna apparent modo literae *pco.* Liceat coniicere *precarii* e *Digestt.* l. c.

In his] Bern. *in iis*; sed superscriptum est *in his.* Prae Degenio, qui iuris prudentiam auxit *directis actionibus contrariis*, audiendus potius Voorda *Lectt. et interpretatt. Tull.* c. X. „Notissimum iuris studiosis est, ex tutela, ex mandato aliisque contractibus, item ex negotiorum gestione nasci duas actiones, directam et contrariam: ex societate (ne quid de obsoleto fiduciae contractu aut de antiquata rei uxoriae actione dicam) nec non ex empto vendito, locato conducto oriri duas actiones directas. Sed non aeque perspicuum est, quare Cicero dicat, *praesertim* in his, quae contrarias actiones pariunt, illud magni esse iudicis, ad amussim iudicare, quid quemque cuique praestare oporteat. — Nempe, quod ad ea, quae contrariis actionibus exiguntur, non ab initio, simulatque contractus perfectus est, obligamur, sed ex post facto et ex accidenti, cum tota obligatio, salvo contractu, abesse possit, imo saepe absit. E contrario ad ea, quae directis utrimque iudiciis exiguntur, obligatur quisque contrahentium ab initio. E. gr. emptor, simulatque

plerisque essent iudicia contraria), *quid quemque*

---

emptio perfecta est, aeque obligatur ad pretium solvendum, ac venditor ad rem tradendam. Nam ubi ex una parte est obligatio ex empto, ibi adest ex altera parte obligatio ex vendito: neque enim emptio sine venditione intelligi potest nec merx sine pretio. Sed aliud obtinet in tutela ceterisque negotiis, ex quibus iudicia contraria dantur. Vbi enim tutela est, ibi adest quidem obligatio ad rationes reddendas et reliqua praestanda, sed non adest semper nec necessario obligatio aliqua ad tutorem indemnem servandum. Quid enim, si nihil de suo impenderit? Idem accidit in commodato, deposito, pignore, negotiis gestis, mandato, ex quibus omnibus dantur, si opus est, iudicia contraria. Iam illud in primis notandum, quod quisque contrario iudicio consequi potest, id etiam posse eum, quocum agitur iudicio directo, salvum habere iure compensationis, *l.* 8. §. 2. *D.* [III. 5.] *de negot. gest. l.* 18. §. 4. *D.* [XIII. *t.* 4.] *commod.* vel iure retentionis *l.* 15. §. ult. *l.* 59. *D.* [XLVII. *t.* 2.] *de furt. l.* 25. in fin. *l.* 26. *D.* [III. *t.* 5.] *de procurator. l.* 1. §. 4. *D. de contrar. tut. act.* ex generali regula legis 1. §. 4. *D.* [XLIII. *t.* 18] *de superfic.* et *l.* 156. §. 1. *D.* [L. *t.* 17.] *de R. I.* et sic duae lites conflantur in unam, quod semper cordi fuit Romanis. Sunt autem in numero eorum, quae contrario iudicio locum faciunt, quaeque proinde per compensationem seu reputationem servari possunt, multa prudentiae maioris et sapientiae magis reconditae. Exempla exstant in *l.* 1. §. 6. 7. *l.* 3. §. 1. (add. et §. 2. 3.) *D.* [XXVII. *t.* 4.] *de contr. tut. act. l.* 61. §. 5. *D. de furt.* quae proinde facile iudicem, in iudicio directo datum, fugere possunt, si non quam accuratissime causam excutiat, rimetur, perpendat, et ipsius actionis contrariae vim ac potestatem plenissime perspectam habeat. Recte igitur Cicero ait, *praesertim in his* bonae fidei iudiciis, in quibus iudicia contraria sunt, *magni esse iudicis, statuere, quid quemque cuique praestare oporteat. Magni iudicis* non tam h. l. ad integritatem animique invicti et a vero flecti nescii robur refero, quamquam haec omnium iudicum prima dos est, quam ad prudentiam peritiamque, qua omnia seu in iure seu in facto posita rite ponderet libretque." Cf. Ernest. s. v. *Iudicium* in Schützii *Lex. Cic.* III, I. p. 240. Sunt igitur *iudicia contraria* de actionibus contrariis. Sed quod per has post rem iudicatam, idem iudicio directo conventus consequi statim potest per compensationem (*D.* XXVII. 4, 1. §. 4.), cum actioni, qua condemnatio intenditur, ex altera parte opponuntur quaedam exceptiones atque his, si quando earum causae parum liquidae visae fuerint, rursus replicationes, replicationibus duplicationes, duplicationibus triplicationes etc. (Gai. *Instt.* IV. §. 116. u. 126 — 129. Iustinian. *I.* IV. *t.* 13. et 14.), non tamen

cuique praestare oporteret.

---

omnino in contrarium eius, quod affirmat is, cum quo agitur, conceptae, sed quae ex parte tantum adversarii causae et iuri derogent, *compensationis* nomine, *excepta depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, iniquum* iudicatur in Iustinian. *I.* IV. *t.* 6. §. 30. cui obstare videtur *l.* 1. *D.* III. *t.* 2. certe XVI. 3, 5. pr. et 23. Sed actio *pro socio* ex utraque parte directa est. *Instt.* IV. 16, 2. In *locatione conductione* locator interdum obligatur ob impeditum rei locatae usum, e. g. ut remittat de mercede ob calamitates bellicas. V. Ill. Haubold in *lin.* l. §. 713. *a*). Singulariter *operum locatoribus* eorumque heredibus datur *actio locati* in id, ut rei obligationibus suis satisfacere, i. e. praecipue opus ex lege locationis perficere aut id, quod, illo plane non aut non ad diem facto, locatoris hoc nomine interest, vel poenam commissam praestare, damnum, vitioso opere factum, resarcire, quandoque ipso contractu rescisso, pecuniam acceptam neque in opus impensam restituere condemnentur. *Redemptor operis* eiusque heredes utuntur *actione conducti* contra locatorem eiusque heredes, ut mercedem debitam solvere, impensas, ipsius domini nomine a redemptore in opus factas, restituere ac tempore, quo solvi debuisset, praetermisso, usuras legitimas praestare, et, quae praeterea debentur, dare facere iubeantur. De hisce actionibus omne iudicium, si quid in lege conductionis omissum fuerit, aequi et boni ratio moderari solet. *Instt.* III. 25, 5. V. Car. Aug. Haase *de opere locato et conducto Commentat. iur. civ. Rom.* Lips. 814. 4. In ceteris plerisque b. f. iudiciis aut compensationes aut actiones contrariae locum habent, e. g. *mandati*, quae an mandatario, qui fines mandati excessisset, danda esset, controversum fuit inter vett. ICTos. V. Gai. *Instt.* IV. 161. cl. Mascovii *diatr. de sectis Sabinianorum et Proculianorum in iure civili* c. 9. §. 9. p. 177. ss. Iam vero compensationis rationem habere, *quia id bonae fidei iudicio conveniens videtur, id* (an *in?*) *officio eius* (iudicis) *contineri* videtur Gaio *Instt.* IV. §. 62. item *deductionis* pro bonis venditis §. 65 — 68. Ibid. 61. ex evanidis codicis literis eruimus: *habita pensationis ratione.* Cf. Iustinian. *I.* IV. *t.* 6. §. 30. 39. *D.* III. 2, 6. §. 7. Io. Rogerius Trochaeus *de officio iudicis in causis capitalibus ex bono et aequo decidendis,* Lugd. 550. 4. Binkes p. 52. n. 43. laudat Huberi *Prael. ad tit. Instt. de off. iud.* §. 10. et Ger. Noodt *de foen. et usuris* l. III. c. 6. — *Praestare*, quod hic παρερμηνεύει Degen, i. e. q. *dare facere*, ut ap. Gai. IV. §. 137. *in his contractibus alter alteri* (consensu) *obligatur de eo, quod alterum alteri ex bono et aequo praestare oportet.*

71 Quocirca astutiae tollendae sunt, eaque malitia, quae volt illa quidem, videri, se esse prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimum. **Prudentia** est enim locata in delectu bonorum et malorum: **malitia** (si omnia, quae turpia sunt, mala sunt) mala bonis ponit ante.

Nec vero in praediis solum ius civile, ductum a Natura, malitiam fraudemque vindicat; sed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis

---

§. 71. *volt illa quidem, videri, se esse prudentiam*] Sic haec distinguenda, ne cum Schellero in *Obss.* ad h. l. Heumanno ad *or. p. Arch. P.* 5, 5. et Frotschero p. 10. libelli, ad II. 70. pr. laudati, construas *volt, videri se.* Constructio eadem est, ac si dictum esset: *malitia* (96.) *eorum, qui, volunt illi quidem* (cf. II. 6, 21. ex.), *ut videatur, se esse prudentes, sed plurimum absunt a prudentia*: de qua virtute v. ad I. 153. p. 302. cum *Excurss.* p. 320. s. 328. — Tum Bern. scribit *in dilectu.* — Anastrophe *ponit ante* usurpata est item I. 84. p. 194. in Ennii versu.

Nec vero] Hae partt. transeuntis sunt, ut simplex *Nec* II. *Acad.* 11, 33., observante Görenzio p. 65. b. — Deinde Bern. transponit *venditoris fraus*, ut Deg. cum F. Heus., secuto Guu., e quibus tamen 2. substituit *vendicionis*, 3. *venditoris omnis fraus*, et edd. vett., in quibus est *venditorum*: quae varietas Genitivum paene in glossae suspicionem adducit, otiosum, nisi sequeretur *qui.* Statim ante quidem, nullo adiuncto G., dicebatur *fraus*: quae vox cum vi certe praeponenda Genitivo est, ut 55. p. 278. De re haec notavit Voorda in *Lectt. et interpretatt. Tull.* c. XI. „Ex ipso Cicerone *de off.* l. III. c. 16. Schultingius notat hunc iuris progressum: Ex XII tabulis venditor non ad alia vitia praestanda obstringebatur, nisi quae lingua nuncuparat, quorum ob infitiationem lis crescebat in duplum. Quid, si venditor vitia sibi nota reticeret? in verba legis non incidebat, sed tamen, ex ICtorum interpretatione, in eius sententiam: quam ob rem hi et reticentiae poenam constituerant. Cicero ibidem. Deinde aediles curules iusserunt, ut venditores utique mancipiorum et iumentorum vitia palam pronuntiarent. *l.* 1. §. 1. *l.* 38. *D.* [XXI. *t.* 1.] *de aedil. edict.* Vid. Schulting. *thes. decad.* 68. §. 6. et praecipue *decad.* 83. §. 1. ubi plurima loca veterum, huc pertinentia, pro sua eruditionis copia affert. Noster hic locus probat, edictum illud aedilium Ciceroni iam notum fuisse, licet forsan aliis verbis conceptum. Vid. Gellium *Noct. Att. IV. c.* 2. Verba autem

excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto aedilium. Heredum

---

Tullii *de furtis* non ita accipienda sunt, ac si venditor praestare debeat, *servum nunquam furatum esse*, multo minus" [cum Hottingero et Degenio, quibus in primis obstat *D.* XXI. 1, 50. pr.] „*non esse furacem.* Nam edictum ait, *noxave solutus non sit*: hoc igitur tantum praestat venditor, servum non esse actioni noxali ex causa furti aliove delicto obnoxium. Interest enim emptoris hoc caueri, quia noxalis actio caput servi sequitur. §. 5. [IV. *t.* 8.] *Inst. l.* 7. *l. ult. D.* [IX. *t.* 4.] *de noxal. act.* Et furem esse, vel furacem esse pertinent ad animi vitia, quae ex aedilium edicto venditor nec pronuntiare palam, nec praestare necesse habet, etiamsi ea scierit. *l.* 52. *D. de aedil. edict.* nam aediles duo animi vitia nominatim excipiunt, *quis fugitivus errove sit*, ut significent, de ceteris venditorem non teneri, nisi promiserit, animi vitium abesse. *l.* 1. §. 9. 10. 11. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. §. 2. 3. 4. *l.* 52. *D. de aedil. edict.*" Poterat tamen, nisi venditor excepisset *mentem* mancipii insani, agi ex empto. Horat. *S.* II. 3, 284. ss. De *sanitate* cf. Plato *de legg.* XI. p. 916. A. B. *Fugam* callide excipit mango ap. Horatium *Ep.* II. 2, 14 — 19. Cf. *Digestt.* XXI. 2, 16. ad fin. *In* (servorum) *emptione*, ait Varro *R. R.* II. 10, 5., *solet stipulatio intercedere, sanum eum esse, furtis noxisque solutum*, i. e. *nemini furti obligatum*, interprete Vlpiano in *D.* L. 16, 174. XXI. 2, 30. s. Cf. XIX. 1, 4. pr. Causam proponendi huius edicti eandem, quam Cicero, tradit Vlpianus non, ut Deg. aliorum ex notis, parum intellectis, citat, lib. I. *D.* sed XXI. 1, 1. §. 2. Eodem cauetur etiam de iumentis *l.* 38. 43. pr. cl. XIX. 1, 11. §. 4. Vid. Noodtii *Comm. ad tit. D. de aedil. edicto in Opp.* T. I. p. 352 — 362. Paul. Ioh. Ans. Feuerbach *Civilistische Versuche* T. I. n. 2. p. 49 — 80. et quos scriptores de *edictis aedilium curulium* recensuit Haubold, V. S., in *Institt. i. R. pr. lin.* §. 177.

Heredum alia causa est] „Significatur, heredem non teneri ea, quae iubent aediles, praestare, i. e. heredem, qui ipse servum hereditarium vendit, non teneri praestare de sanitate, de fuga, de furtis. Pro hac sententia videri potest illud militare, quod venditor, vitium ignorans, teneatur tamen hoc fundamento, quia potuit illud notum habere l. 1. §. 2. *D. de aedil. edict.* et hoc respectu ibi additur, nihil interesse emptoris, cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate. Contra heres, qui mox post aditam hereditatem vendit servum hereditarium, vix ac ne vix quidem eius vitia nota habere potest, quia exiguo vel nullo tempore eius ministerio usus fuit. Certe facile, et sine culpa sua, ignorabit servum olim fugisse, aut iudicio

72 alia causa est. Ex quo intelligitur, quoniam iuris

---

noxali esse obnoxium, quamquam imputari heredi, ubi ipse vendidit, potest de corporis morbo vitiove, quia ipsius est, servum, quem venum exponit, ante inspicere et examinare. Aliam igitur viam ingressus Iacobus Cuiacius ad *Papiniani Responsa in explic. l.* 77. §. 8. *D. de legat.* II. Tullium sentire existimat de Sticho legato, aut per fidei commissum relicto, quo praestito, qualis est, heres defungitur. l. 45. §. 2. iunct. §. 1. *D.* [XXX.] *de legat. I.* nec praestat sanitatem, fugam, furtumve. Ingeniosa profecto, sed a mente Ciceronis aliena, vereor, ne sit haec interpretatio. Nec enim ait: heredum, in causa servi legati, alia ratio est. Et cum de venditore praemittat, pro aenigmate, foret, divinare, in persona heredis, aliam ac venditi obligationem. Nec opponit causam causae, hoc est venditionem legato, sed personam personae, hoc est, heredi defunctum. Denique servi legati sanitatem, fugam, furtumve non praestat heres, non ob hanc causam, quod vitia illa ignoret: nam ne tunc quidem praestat, cum scierit" [*D.* IX. 4, 40.]: „sed ob hanc potius rationem, quod legati causa sit lucrativa, adeoque certum servum, sed vitiosum, legans tanto minus legare videtur, quanto minoris ille homo est propter vitia sua. Conf. *l.* 62. *D. de aedil. edict.* Ex quibus omnibus efficitur, ut verba *heredum alia causa est* plane intelligi nequeant de servo legato. Superest igitur nihil aliud, nisi ea verba intelligere de herede, servum hereditarium vendente. Huius alia causa est, ac defuncti. Defunctus, si ipse vendidit, potuit et debuit scire de *sanitate*, de *fuga*, de *furtis*: huius igitur ignorantia non vacat culpa: alia causa est heredis, vitia hereditarii servi ignorantis. Huius ignorantia culpa caret. Ita Cicero. Cuius iurisprudentia licet quodammodo confirmetur ratione Vlpiani in *l.* 2. §. 2. *potuit enim ea nota habere venditor*, tamen, si eam admittas, omnino limitanda erit primum respectu morborum vitiorumque corporis, nam haec, si non omnia, certe pleraque potuit, ut ante dixi, heres quoque nota habere, mancipio prius inspecto et examinato. Deinde quod ad fugam furtumque attinet, quid, si heres sciat, servum olim fugisse, aut noxali iudicio obnoxium? Aequum sane erit, heredem ex sua scientia teneri. Apparet igitur, non per omnia verum esse, quod Cicero existimat, heredis, ex sua persona conventi, in his, quae aediles praestari iubent, meliorem esse causam, quam si conveniatur ex persona defuncti." Hanc *Voorda* l. c., frustra barbam vellentis Tullio, et Degenii explicationem facile refellimus *lege* 11. §. 7. 8. *D.* XIX. *t.* 1. Nos vero e XXX. 45, 1. sic interpretamur: *Heredum alia causa est, quam venditorum. Praestant enim de solis furtis et noxiis servi generaliter legati, non de sanitate:* aut e IX. 4, 5. §. 1. XLIV. 7., 33. hoc modo: *Heredes*

Natura fons sit, hoc secundum Naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. Nec ulla pernicies vitae maior inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui, impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria?

XVIII. Periclitemur, si placet, in iis quidem 73
exemplis, in quibus peccari, volgus hominum fortasse non putet. Neque enim de sicariis, veneficis,

---

venditoris non praestant eius, cui successerant, reticentiam, nisi vivus conventus fuerit, quasi lite contestata cum mortuo.

§. 72. *iuris Natura fons*] Idem est positus vv. *Tusc.* V. 2., 5. *O vitae philosophia dux.* V. ad II. c. 9. ex. — Deinceps Gernhard in *Exc.* *ad *Paradox.* p. 296. cum *μ*, Graev. Oliv. et Ernesto scribi volt *ex alterius praedetur inscientia*, propterea, quod, quae venduntur mancipia, non possunt cognita esse empturis, quibus quidem edictum fauet, quod paullo ante commemoravit, aedilicium. Speciose sane: sed veremur tamen viro acutissimo assentiri. Nam *inscitia* recte hic accipietur pro *simplicitate*. Sic I. 122. *ineuntis aetatis inscitia* eo sensu dicitur, quo ex Nostratium idiomate: *Verstand kommt nicht vor Iahren.* Etenim hac excusatione abutebantur malitiosi: stultum esse, venditorem eius rei, quam vendat, vitia narrare, nisi sibi de iis a venditore praestandis cauerit emptor stipulando; huius ipsius imprudentiam accusandam esse, si temere per errorem in fraudem incurrerit et vitiosum, quod placebat, emerit (56. p. 277.). His iam argumentatio opponitur haec: Leges, duce Natura, inventae sunt. Ergo, quae legibus vetita sunt, ea etiam a Natura damnari, consentaneum est. Vir bonus autem non solum legi, sed Naturae etiam rationique convenienter vivet.

C. XVIII. §. 73. *in iis quidem*] Bern. *et in his q.* Si copulam, quam et alii libri inserunt, a praecedentis verbi ultima syllaba absorptam iudicaveris: *quidem* abesse debebit, quam part. una cum *exemplis* omittit Gu. 2. — Tum pro volg. *putat* e Bern. et Gu. *1. reposui *putet*, quod placuerat et F. Heusingero. Iam recensentur facinora, quorum, excepto furto, iudicia erant publica e lege Cornelia (I. a. V. 672. repetita a Iulio Caesare a. 704.) *de sicariis et veneficis* (Sueton. *Ner.* c. 33.); lege item Cor-

testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est (qui non verbis sunt et disputatione philosophorum, sed vinclis et carcere fatigandi); sed haec consideremus, quae faciunt ii, qui habentur boni. L. Minúci Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt. Quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines eiusdem aetatis potentissimos: qui, cum illud fal-

---

nelia testamentaria *de falsis* (Sueton. *Aug*. 33. *D*. III. t. 10. *l*. 2.) contra *testamentarios*. Sic hic, ut *p*. *Sext*. §. 39. dicuntur *falsarii*, qui testamenta subiiciunt. Cf. h. l. 36. pr. Sallustio in *Cat*. c. 16. pr. dicuntur *signatores falsi*, ut Iuvenali I. 67. s. ab obsignatione testamentorum, de qua praeter Gai. *Instt*. II. §. 119. et Cl. Salmasii *tractatum de subscribendis et signandis testamentis* (L. B. 653. 8.) v. scriptores laudatos ab Hauboldo, V. S., in *Instt*. *i*. *R*. *pr*. *lin*. §. 519. *b*. atque p. 438. extr., et de legibus citatis ib. §. 212. n. *k* — *n*. et p. 423. in *Supplem*. ad p. 126. — In parenthesi, quam indicavimus, Sch. edidit *vincalis*; sed cum Gu. 1. 5. et antiquissimo cod. Nonii in v. *Fatigare* (i. e. *coërcere*. V. n. ad. I. 88. ex.) Bern. tuetur contractam formam, quae ex aliis ll. bene multis item restituta est 5, 23. p. 200. *Leg*. II. 23, 59. III. c. 3. pr. §. 6. ubi Sch. dedit *vinclis*; contra §. 7. pr. *vincula*: Görenz autem *vincla*, ut *Tusc*. I. 30, 74. II. 21; 48. Idem Bern. in seqq. scribit *hi*, *qui habentur b*., ut 4, 17. pr., et cum Gu. 1. diserte agnoscit apocopen in G. *Minuci*, de qua v. *Praef*. ad T. I. p. IX.

Quod quo facilius obtinerent] Cum in Gu. 2. reperisset *sed quo*, F. Heus. pron. *quod*, a 1. omissum, eiecit, ut *obtinere* absolute diceretur, ut *Att*. XI. *ep*. 7. sect. 1. sub. f. *si perseverant et obtinent*. Gernh. contra comparavit *p*. *Quint*. 23, 75. ex. Idem docet, quod et in vv. *scripserunt heredes* et in seq. *non repudiaverunt* insit huius causae vis, propterea utrobique scriptori placuisse Perfectum verbi tempus, itidem, ut Valerio M. IX. 4, 1. qui pro *h*. *eiusdem aetatis p*. habet *potentissimos civitatis nostrae viros*, non, ut Sch. notat, *nostrae civitatis*. H. l. octo codd. Aldi, duo Oxx. Goth. Vin. Gu. 3. cum edd. vett. Gryph. et Victorio substituunt *eiusdem civitatis*; Gu. 4. *huius civitatis*, quod placuit I. M. Heusingero: et sane §. 74. iidem audiunt *principes cives*, Valerio l. c. *lumina curiae*, *fori ornamenta*: sed Pearçe monuit, aptius hic

falsum suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpae, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur: quamquam alterum vivum amavi, alterum non odi mortuum. Sed cum Basilus M. Satrium, sororis 74 filium, nomen suum ferre voluisset eumque fecisset heredem (hunc dico patronum agri Piceni et Sabini: o turpem notam temporum illorum!), num

---

hic commemorari *eiusdem aetatis* oratores, i. e. *aequales*, cl. *Bruto* c. 64. (63. ex. ed. Sch.) — Deinde in Bern. legitur *esse falsum suspicarentur*; sed a correctore, ut volgo, *falsum esse*. Nos cum Infinitivum illum falsum suspicaremur: cum Goth. et Lugd. 527. alieni facinoris munusculum repudiavimus, ut 49. ex. Cf. *Phil.* XI. c. 1: *quae Romae iam suscepta arbitrabatur.* — Tum Bern. transponit *satin est hoc*, np. *quod sibi nullius essent conscii culpae.* Sequens *ut* pendet a praecedenti *satis*. Prave Rath *VI. Conspectu l. III.* hoc excerpserat argumentum: „*Improbis satis hoc est, ut non deliquisse videantur.*“ Quod vix Latinum videtur. — Extr. §. Gernh. cum volgg. *amavi vivum*; sed Bern. quoque agnoscit chiasmum: *alterum* (Hortensium, cuius mortem luget in *Bruto* c. 1.) *vivum amavi, alterum non odi mortuum*, Crassum, de quo v. *Epistt.* I. 9. (10.), 54. (60—63. ed. Bened.) *Phil.* II. 3, 7.

§. 74. *Basilus*] Degen dubitat, an hic sit Caesaris ille legatus, ab hoc memoratus *de b. G.* VI. 29. Sed ex temporis ratione efficitur, illum esse ipsum *Satrium*, cuius, ut recte observat F. Heus., ab avunculo testamento adoptati nomen postea fuit *L. Minucius Basilus*, qui in Caesaris percussoribus fuit alteroque post Caesaris interitum anno a servis suis occisus est, teste Appiano *Ἐμφ.* II. p. 199. et l. III. extr. Tyranni caedem ei gratulatur Cicero VI. *ad Fam. ep.* 15. (16.) Idem C. Trebonii, Smyrnae a Dolabella interfecti, a. V. 710. legatus fuisse memoratur in Bruti *Epist.* I. 6. sub fin. E *Phil.* II. 41, 107. F. Heus. colligit, respici hic tempora civilis belli, quibus coloniae et socii P. R., vexationis ac direptionis metu compulsi, *patronos* acceperint Antonium, *Basilum* et alios partium Caesarianarum pessimos homines. De *agro Piceno* v. Schneider, V. S., ad Varr. *R. R.* I. 2, 10. p. 261. — Bern. cum aliis peccat *hunc, ait, dico p. a. P. et S. o t. t. temporum nomen illorum, non erat* etc. Attraxit scilicet scriba *nomen* e seqq. Intelligendum est autem,

erat aequum, principes civis rem habere, ad Satrium nihil praeter nomen pervenire? Etenim si is, qui non defendit iniuriam neque propulsat, cum potest, iniuste facit (ut in primo libro disserui): qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed adiuvat iniuriam? Mihi quidem etiam verae hereditates non honestae videntur, si sunt malitiosis blanditiis, officiorum non veritate, sed simulatione, quaesitae. Atqui in talibus rebus aliud utile inter-
75 dum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem utilitatis, quae honestatis, est regula. Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans, *Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit*, res a

---

cum nomine etiam sacrorum onus ad Satrium pervenisse. *Princeps civis* sic dicitur *N. D.* II. extr. et in *Bruto* §. 80. pr.

qui non defendit iniuriam neque propulsat] Bern. cum volgg. adiicit glossam *a suis*, quam, in Gu. 2. supra versum ascriptam, cum exterminasset F. Heus., tacito contra auspicia reduxit Schütz. Sed resp. ad I. 7, 23. ex. Post *non modo non r.*, *sed* adiectam volgo part. *etiam* excludenti ψ et Gu. tertio fidem habuimus. V. ad I. 71. p. 165. s. Eandem in *Agrar.* III. 1, 4. pr. ed. Beck. recte excludere videtur cod. *C.* Multo etiam magis abundat *ad Att.* XIV. 14. *non modo non facturum*, *sed etiam ne passurum quidem.* V. ad I. *Off.*, 71. p. 165. s. *Phil.* II. c. 8. *non modo non cohaerentia inter se diceres*, *sed maxime disiuncta atque contraria.* — Tum Sch. retinuit volgatam lectionem *si sint.* Indicativum confirmat Bern. quoque et comparatio exemplorum I. c. 13. pr. 19. pr. — *Officiorum simulatione* hic et *in Verr.* l. I. c. 15. dicitur pro *officio simulato*, ut orator loquitur *p. Rosc. A.* 112. c. 38. ex.

§. 75. *perviderit*] Hoc, quod est in Bern., Turnebus quoque in codd. se reperisse fatetur in *Advers.* XX. 13. ex. et continuo post *istud quidem.* Sed in Bern. est *istuc*, ut editur: amatque Cicero pron. *istic*, *istaec* etc. ponere ante *c* et *q*, ut in *Bruto* c. 6. post in. *feci*, inquam, *istuc quidem.* Quamquam *Acad.* I. 4, 13. nunc editur *Istud quidem considerabo.* Eadem est confusio in III.

Natura copulatas audebit errore divellere. Qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

XIX. Itaque, si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen eius irrepere: hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At dares hanc vim

---

N. D. c. 28. n. 25. ed. Moseri. Genitivum *fraudium*, qui repugnat regulae Grotefendi in *Lat. Gramm.* I. §. 56. n. 7. ed. III., cum plerisque ll. tuetur Bern. et Scheller in *Lex.* s. v. ad fin. Apuleii exemplo. De sententiae veritate resp. ad p. 185. s. cl. §. 88. ex.

C. XIX. *si digitis concrepuerit*] „Sono digiti loco nutus aut etiam vocis utebantur, qui sibi sine cunctatione parituros praesto habebant, ut imperium maius aut ulla vocis significatione opus non esset. Itaque Cicero, *si d. c.* et *digitorum percussionem*, cum videlicet inter se colliduntur, ut concrepent, dixit pro eo, quod facile nulloque negotio adsequimur et levi quodam velut sono et nutu iubemus et obtinemus. Simile est illud Tibulli *lib.* I. *eleg.* 2. [34.] *Et vocet ad digiti me taciturna sonum*: et Martial. *lib.* III. epigr. 82, 15. *Digiti crepantis signa novit eunuchus.* Dicitur et *digitorum crepitus* de re nihili et contemnenda, ut apud Suidam in *Sardanapali* vita, ὡς τἄλλα τὰ ἀνθρώπεια οὐκ ἄξια ὄντα τούτου, τουτέστι τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος. Id etiam ψοφεῖν Graeci dicunt." Turnebus *Adv.* XX. 13. XXIX. 30. Cf. *Agrar.* II. 50, 117. Petron. 27, 5. — Tum Bern. cum Gu. 2. et edd. vett. scripsit in *locupletium testamento.* Simili corruptela 34. p. 259. Gu. 2. ed. s. l. et a. Ven. 484. Lips. 515. *negatque, ullam pestem maiorem in vita hominum invasisse.* II. 75. p. 145. s. Gu. 4. *modo enim hoc malum in re publica hac invasit.* I. 129. Gu. 1. 4. ed. s. l. et a. Ven. 498. Lips. 507. 513. Lugd. 527. et Nonii c. I. 121. codex Gu. *in scena sine subligaculo prodeat nemo.* II. 60. Goth. Vin. edd. vett. *quod praesens tamquam in manu datur.* Receptam h. l. lectionem confirmat Nonius in v. *Crepare.* Usurpatur autem, *irrepere*, in quo v. argutatur Degen, proprie de falsis, ut *p. Arch.* p. 6, 5. (10.) ex. De positu partt. *ne si — quidem* v. ad 13. p. 255. s.

At dares — : — saltaret] i. e. *si daturus esses : saltaturus esset* pro *si dedisses : saltasset.* Optative loquitur Cicero, ut in re ficta. Aliter de re, quae fieri possit, *Fin.* IV. 25, 69. *Roges enim Aristonem : — neget. — Zenonem roges : respondeat.* I. *N. D.* 21, 57. *Roges me : nihil fortasse respondeam. Quaeres ... putemne talem*

M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres: in foro, crede mihi, saltaret. Homo autem iustus isque,

---

esse —: *nihil, dicam, mihi videri minus.* Ib. §. 60. c. 22. pr. Horat. *S.* I. 1, 46. ibique Heindorf. Imperfecti Coniunctivi, quod pro Plusquamperfecto positum videtur, alia ratio in plerisque exemplis, a F. Heus. ad h. l. eiusque filio Conrado in *Praef.* LVIII. s. laudatis. Vt h. l. de mortuo, tamquam de vivo: eodem modo loquitur Cic. *in Verr.* V. 65, 168. ex. *Cognosceret hominem: aliquid de summo supplicio remitteres. Ignoraret: tum, si ita tibi videretur, — constitueres.* Sic recte emendavit P. Manutius, arbitro Augusto Matthiae ad *or. p. Rosc. A.* 20, 55. a quo tamen V. S. Rev. talia exempla itemque alia, in quibus conditionalis particula ante Indicativum compensatur interrogatione, non satis apposite comparata videntur ad l. c., qui non eiusdem generis est: *Innocens est quispiam; verum tamen, quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret.* — Deinde Bern. cum Guu. Goth. Vin., ed. Magont., Ven. 470. et Ascens. vv. sic collocat: *crede mihi*, ut *Att.* VI. 6. pr. VIII. 14. paullo ab in. *Famil.* X. 6, 5. pr. Serv. Sulpic. ibid. IV. 5, 9. Ovid. *Met.* I. 561. Degen et Sch. cum Heus. *mihi crede*, ut *Or.* II. §. 72. *Verr.* IV. 12, 28. *C. Rabir. Perd.* 6, 23. ed. Beck. *Mur.* 19, 40. (78.) 38, 82. (149.) *Epistt.* IV. 10, 2. VI. 13 (14), 7. Ammian. Marc. XIV. 10. ad f. in Constantii oratione extr. Priorem positum in prosa dictatum esse, non satis circumspecte negarat Möbius ad Cic. *Catil.* I. 8, 6. Cf. ib. II. 7, 15.

saltaret] Deg. cum aliis supplet: *prae gaudio.* Rectius glossator: *priusquam hereditatem amitteret*: cui in quodam libro repertae accessiunculae hanc ascripsit notam Turnebus in *Advers.* XX. 13. „Homines Romani nulla unquam conditione perduci potuissent, ut in foro saltarent idque Cicero loco turpissimae rei, et qua nulla foedior et flagitiosior commemorari possit, hic narrat.“ Cf. h. l. §. 93. ex. I. 145. pr. *Mur.* 6, 13. (24.) Sensum egregie constituerunt VV. DD. Gernh. et Bremi ad Hottingeri versionem p. 533. „Crassus, ut occultam aliquam artem, quoties voluerit, quodam quasi veneno veros heredes removendi in eorumque locum succedendi, impetraret (qua arte vir bonus, si eam habeat, non utatur), conditionem quamvis turpissimam non recusasset: atque hac praestigiarum potestate, obsequio vel maxime indecoro quaesita, quam saepissime abusus esset.“ De eius avaritia v. ad I. 8, 25. pr. *Parad.* VI. 1, 4. 2, 1. Apulei. *de magia* ed. Bip. p. 24. ex. Crassus dives *cum omnes superaret, a summet avaritia superatus est: omnibusque potius dives visus est, quam sibi.*

isque; — quem volumus, virum bonum] Haec explicate

quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, qui sit vir bonus, nescire fateatur. At vero, 76
si qui voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, iam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria. Quid ergo? hic non noceat, qui

---

nis causa adiunguntur. *Ex iustitia* enim *viri boni nominantur* I. c. 7. pr. Ceterum Deg., haec ad certos quosdam homines, uni cuique notos, referens, parum perspexit vim verbi *sentimus*, quod explicat *scimus, videmus.* Male etiam Hottinger Pluralem pro Singulari accipit. Imo i. e. q. *quem esse virum bonum volumus omnes*: spectatque ad animi nostri notionem confusam, de qua in proximis. — Deinde Sch. retinuit *quid sit vir bonus*: quae volgata lectio reperitur et in Bern., ut 60. p. 287. In Gu. 3. ed. s. l. et a., Ven. 484. 98. 506. Lips. 500. 507. 15. Lugd. 527. *quis.* Sed verior est Venetae 554. Ascensii, Gryph., Bald. lectio, revocata ab Heus. *qui sit v. b.* Vid. ad 52. p. 275.

§. 76. *si qui voluerit*] Sic emendavimus e Bern. In All. est *si quis.* V. ad II. 74. p. 143. s. In Gu. 1. corruptum est *si quid*, ut modo ante. — Iubet Stoicus, metaphora, ut videtur, a librorum voluminibus repetita, *evolvere* (philosophando), vel, ut 81. ex. dicit, *explicare atque excutere intelligentiam nostram*, i. e. *notionem nostram, quam habemus omnes* de viro bono *tectam atque involutam* (IV. *Tusc.* 24, 53. sub. f.), ut videamus, *quid in communi mente quasi impressum sit*: III. *Or.* c. 29. m. Etenim, ut est I. *Leg.* 9, 26. Natura *rerum plurimarum obscuras* [*necessarias.* In al. ll. est *nec satis*, ut e 22, 59. *illustratas* addi posse videatur] *intelligentias enodavit, quasi fundamenta quaedam scientiae.* Ib. 10, 30. *in animis omnibus imprimi* dicuntur hae *inchoatae vel quasi adumbratae intelligentiae*, ut 22, 59. ubi rectene Görenz, de *ideis innatis* cogitandum esse, negarit, dubitamus propter illa *Fin.* V. 21, 59. ex. Cf. ad h. l. 52. p. 274. ubi praedicantur *principia Naturae.* E *Tusc.* I. 24, 57. s., cl. I. *Divin.* 57, 131. ex., intelligere videmur, Stoicis probatam esse Platonis illam ἀνάμνησιν, de qua v. Stallbaumii mei, Viri Amplissimi, *Prolegg.* in *Phileb.* p. XXVI. LXXIII. In Cic. *Topic.* 7, 31. *notio*, ἔννοια, πρόληψις, definitur *ante percepta cuiusque formae cognitio, enodationis indigens.* Nobis dicitur *Ahnung, Urbegriff.* De notione *viri boni* cf. h. l. 64. atque de adiecta exceptione, *nisi lacessitus iniuria*, ad I. 7, 20. p. 47.

quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat? „Non igitur faciat“, dixerit quis, „quod utile sit, quod expediat?“ Imo intelligat, nihil nec expedire nec utile esse, quod sit iniustum. Hoc qui non didicerit, vir bonus esse non poterit.

77 Fimbriam consularem, audiebam de patre nostro puer, iudicem M. Lutatio Pinthiae fuisse, equiti Romano sane honesto, cum is sponsionem fecisset,

---

quodam quasi veneno] i. e. veneficio, magica arte et incantatione. Horat. *Epod.* V. 87. s. Tibull. II. 4, 55. Excusatius loquitur scriptor, praemissis vv. *quodam quasi*, ut I. 9, 30. p. 67. *Tusc.* III. 2, 3. pr. V. 24, 68. pr. Bern., qui cum Cur. recte tuetur *non noceat*, deinde mutat *perficiet*. Sed rei fictae accommodatior est Coniunctivus, quem cum Cur. et Ven. 502. aliisque ll. agnoscit etiam Nonius in v. *Movere*. Vt alibi dicitur *movere loco* v. *tribu*: sic h. l. *heredes*, i. e. *testamento expellere*. — *Dixerit quis* interiicitur optative, ut 102. pr. Cf. Curtius VI. 7, 35. *Haud facile* (fieri potest, ut) *dixerim*. Vsus autem pronomine *quis* dubitanter loquitur Noster, ut recte observat Frotscher meus in addita *Observationibus in Xenophont. Memorab. dissertatione de pron. Aliquis* (Schneebergae 819.) p. 24. Nescire se fatetur, an omnino aliquis dicturus sit. Sed occupatur obiectiuncula, si qui dixerit. Itaque i. e. q. 6, 29. pr. *Forsitan quispiam dixerit.* — Extr. §. volgato ordini, *bonus vir*, substituimus, ut Gernhardo placuerat, ad fidem Gu. textui eum, qui bis §. seq. recurrit.

§. 77. *Fimbriam*] *C. Flavium*, qui COS. fuit a. V. 649., Cicerone bimo. — *Spondere* olim i. valuisse q. *dicere*, et Festus docet et verbi *respondere* significatio volgaris comprobat. Sed obtinuit, ut perfecta *sponsio* nuncuparetur promissio cum conditione SI aut NI per stipulationem solennibus verbis ultro citroque facta: qua utebantur fere in omnibus vitae et privatae et publicae negotiis, ut iis conciliarent vim verbalis contractus, quo quis id, quod conceptis verbis pollicitus erat, poenae periculo obnoxius praestare teneretur (Plaut. *Curc.* V. 2, 67.), maxime vero in privatis controversiis, cum se ad rem dubiam qualemcumque probandam pignore obstringebant. Praestanda igitur sive iuris sive facti sive alius cuiuscumque rei futurae veritas finis est omnis sponsionis; pignoris autem, ea conditione, ni probetur causae, quam quis defendit, veritas, promissi poena est quasi momen-

SI VIR BONVS ESSET. Itaque ei dixisse Fimbriam,

---

num, quod ad praestandum fortius impellat: quippe cuius neuter paciscentium damnari velit sive serio (velut in Plauti *Casin. prol.* 75.) sive per iocum (in *Poen.* V. 4, 72.) sive pro portione facultatum. *Epid.* V. 2, 55. s. Et auctor sponsionis, qui provocat, et acceptor, qui provocationi respondet, uterque duo promittit, et rei controversae iudicationem et pignoris poenam, ita tamen, ut, quoniam conditio a dissentientibus fertur, alter dubitet et neget, alter confidat et affirmet. Qui affirmat, ea conditione provocat, NI *res ita sit*: quem contra sponsione se defendens, pignore mulctari volt, SI *ita sit*. Plaut. *Rud.* III. 4, 7. ss. Liv. XXXIX. 43. ex. Qua provocandi fiducia occurrere adeo movendis forte controversiis solebant, ut Africanus ap. Gellium VII. 11. ex. E Cic. *Verr.* III. c. 67. (58. ed. Sch.) apparet, *facere sponsionem* non i. esse q. *sponsione provocare* s. *lacessere* (*zur Wette auffordern*), i. e. *in pignus vocare*, pro quo per metonymiam consequentis dicitur *ad arbitrum vocare*, v. *iubere ferre* s. *dicere iudicem* (Liv. III. 24. 56. 57.); *capere cum aliquo una iudicem*. Plaut. *Most.* III. 1, 30. Exempla, ubi ipsa provocantis oratio refertur, exstant in *Epid.* V. 2, 34. *Pseud.* I. 1, 112. s. *Rud.* V. 3, 24. ss. ubi libertus provocat servum, ut pro se, quia caput non habebat, substituat vicarium civem, quicum iure agere possit et in quem obligatio cadat: *Cedo, quicum habeam iudicem* (quo iudice litem amittam, pignoris damnabor, condictum praestabo), NI etc. — NIVE etc. Provocationem sequitur consensus, quem ita significant: *cum aliquo pignus contrahere, dare, ponere* (Id. in *Pers.* II. 2, 4. ss. *Bacchid.* IV. 9, 135. Valer. M. IV. 3. *extern.* 5.), *die Wette eingehen.* Sequitur stipulatio et restipulatio. Hoc est *sponsionem facere* (*die Wette anstellen*). Gellius XIV. 2. ad fin. Cic. *Verr.* V. 54. ubi vv. NI *furtis quaestum faceret* (Servilius) sunt lictoris, Servilium Verris nomine ad pignus dandum provocantis. Interrogandi autem in stipulatione ratio plane contraria est. Nam cum infitiatoris intersit, falsum esse, quod ab altero statuatur: non potest affirmans alio modo ex negantis animo interrogare, quam hoc: *Spondesne*, SI etc. i. e. *Vin' pignoris alicuius damnari, si probavero, quod negas?* nec aliter ab interrogato responderi, quam: *Spondeo*, SI etc. Contra negans ex affirmantis voluntate restipulatur: *Spondesne*, NI *paret, verum esse, quod affirmas?* cui respondetur ab affirmante: *Spondeo*, NI etc. Ex his contra Sigonium *de Iudiciis* L. I. c. 21. p. 722. ed. Mediol. ab. Exc. Rostio l. infra l. probatur, verum sponsionis ordinem fuisse hunc, ut primum interrogarit Lutatius: *Spondesne*, SI *vir bonus sum?* adversarius autem in restipulatione: *Spondesne*, NI *vir bonus es?* similiter, ut ap. Valer. M. II. 8, 2. Q. Valerius: *Spondesne*,

se illam rem nunquam iudicaturum, ne aut spo-

---

si meo ductu Punica classis est oppressa? In Cic. or. p. Quint. c. 8. negantis sponsioni vindicatur vera lectio: si bona sua ex edicto — possessa essent; et c. 27. si — possessa sint. Sponsionis cum exceptione coniunctae exemplum, a Sigonio prolatum p. 723., dilucidius exponitur hoc modo: *Spondesne, si hereditas mea sit, ni testamentum prodatur? Spondeo, si h. tua sit, ni t. p. Tu vero spondesne, ni h. tua sit, ni t. p.? Spondeo, ni h. mea sit, ni t. p.* Interdum ipsi scriptores vett. discrimen illud, quod inter provocationem ad spondendum et ipsam stipulationem interest, neglexisse videntur, ut in *Epistt.* VII. 21, 1. ubi praeter necessitatem pro si ab editoribus substituitur ni et Indicativo Coniunctivus, itemque Gellius *N. A.* V. 4. *in quodvis pignus vocabat* (pro *condicebat*), si etc. Sponsionem excipit ipsum coram iudice vel arbitro (sculna) dato certamen, quod ita exprimebant, *certare pignore* (Virg. *Ecl.* III. 31.) s. *sponsione; contendere sacramento* (Cic. *Ep.* VII. 32, 4. ex.), *einen Streit nach angestellter Wette führen.* Denique causa utrimque dicta, vel *vincere sponsionem* s. *sponsione* (*Caecin.* 31. sed ap. Sch. 32. m. *Quint.* c. 27.), vel eius *condemnari* litigantes dicebantur pro ea parte, secundum quam iudex s. arbiter litem dederat: *die Wette gewinnen oder verlieren.* Iudicem oportebat litem dare secundum conditiones illas, quibus litigantes aut sponsione obligati erant aut ad iudicem provocaverant. Hunc, cum res iudicio agenda erat, praetor dabat his verbis: IVDEX ESTO. SI PARET —: CONDEMNA. (*Verr.* III. 28, 69.) Cum ex compromisso litigabant: is, qui rem ita esse affirmabat, iubebat alterum ferre iudicem, *a quo, ni ita esset,* condemnaretur. Praetor igitur volt, damnari reum, si actor verum dixisse reperiatur: compromissor autem, qui a negante ad arbitrum adigitur, volt item quasi pro reo condemnari, ni verum sit, quod defendat. Vtebantur igitur semper in provocando ad sponsionem pignoris vel ad iudicem aut arbitrum voocula ni. Stipulatio et sponsio ipsa fiebat cum particula si, restipulatio et responsio cum opposita ni. Praetor denique iudicem dabat cum part. si. Hae omnes obss. exquisitissimae debentur singulari eruditioni Frid. Guil. Ehrenfr. Rostii, Collegae nostri, e cuius elegantissimo Progr. *de usu vocularum si et ni in sponsionibus* (Lips. 820. 4. pp. 18.), exteris gratificaturi, haec delibavimus. Quam confuse hanc rem tractarant alii! ut Pithoeus *Adversar. subseciv.* I. 18. in Gruter. *Lamp.* II. p. 768. qui in *or. p. Caecin.* 16, 45. ubi corrigendum puto: *testificati discederent, optime sponsionem facere posse* (pro volg. *possent*), ni etc. *sponsionem facere* i. esse putat q. *sponsione provocare.* At vero hoc inest in superiori v. *testificati.* In provocatione pro ni usurpatur Accus. cum Inf. ap. Macrob. *Sat.* II. c. 13. ad f.

licaret famam probatum hominem, si contra iudicasset; aut statuisse videretur, virum bonum esse aliquem, cum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem

---

Ceterum crediderim, pro diversa rei sive affirmandae sive negandae conditione provocari tum per NI (*Verr.* III. §. 132. ubi v. Gothofred., et 135. *Pis.* 23, 55. Paul. *receptt. sententt.* l. V. t. 33. §. 1.), tum per SI: ut *p. Quint.* 6. 8. et 27. e lectione a Rostio, ut supra memoravimus, restituta. Item in Plin. *H. N.* VII. c. 57. ex. *si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse.* Certe potest esse duplex vel triplex sponsionis membrum, ita, ut aliud affirmetur, aliud negetur. Eo spectant partt. SIVE NIVE *p. Caecin.* 24, 65. quem locum T. I. p. 76. ascripsi. Exemplum habes in Plauti *Rud.* III. 4, 9. ss. ubi similiter, ut ib. V. 3, 25., confidentior provocator, si non triplicem, at certe duplicem fert sponsionis conditionem, utra utra placuerit, ad spondendum paratus. Cf. Brissonius L. V. *de formulis* c. 7. et Io. Lud. Albrecht *Diss. de vera iuris dictionis vet. indole* §. 12. p. 25. In stipulationibus autem super pacto convento ab utraque parte interrogatur iisdem particulis adhibitis. V. Paulus in *D.* XVII. 2, 71. De solenni usu particulae *si* in actionibus et quidem in intentionibus v. Gai. *Instt.* III. §. 91. IV. 4. 41. 46. 47. 60. 64. In condemnationibus usurpatur *si non* ib. IV. 43. 50. Male h. l. Sch. retinet volgatum ordinem *ni bonus vir.* Restitutum ab Heus. *vir bonus* agnoscit Bern. quoque. Lutatius igitur iudicium de moribus constitui voluit, cum, quod inter duos actum esset, neque tabulis neque testibus planum fieri posset, ut in consimili causa ap. Gellium *N. A.* XIV. 2. Ceterum M. Heus. et Degen, qui etiam in ceteris parum liquida comminiscendo turbat, *pignus* privatum, cuius sive promissi tantum sive sequestro positi addictione in sponsionibus victoris indemnitati consulebatur, confundunt cum *sacramento*, i. e. pignore publico, ea lege ap. pontificem deposito, ut victi pecunia sacris impenderetur: de quo v. scriptores ll. ab Hauboldo, V. S., in *Instt. I. R. priv. lin.* §. 872. Sacramento provocandi formula fuit: *Quando negas, te sacramento quinquagenario* v. *quingenario* (i. e. L vel D aureorum) *provoco.* Sic enim explicandae notae ap. Valer. Probum: *Q. N. T. S. Q. P.*

indicaiset] Bern. cum Gu. 2. 3. ed. Magont. Rom. Gryph. *indicavisset*, ut 87. *liberavisset.* Idem transp. *bonum virum esse aliquem;* sed corrector restituit *virum bonum.* Talem *Atticum* in *Epistt.* iudicat Cicero VI. 2. sect. 5. p. 299. m. Sch. *Tu, cuius — os mihi ante oculos solet versari, cum de aliquo officio aut laude* (i. e. virtute) *cogito.* —

Fimbria etiam, non modo Socrates, noverat, nullo modo videri potest quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare. Haec non turpe est, dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod contritum est vetustate proverbium. Cum enim fidem alicuius bonitatemque laudant, *dignum* esse dicunt, *quicum in tenebris mices*. Hoc quam habet vim, nisi illam, nihil

---

In seqq. provocatur ad *Socratem*. Hic enim apud Platonem ad *viri boni* notionem declarandam usus erat de *Gyge* fabula, ad quam Cicero 78. pr. redit. — De usu partt. *non modo* —, *sed ne quidem* cf. 105. — Vv. *quod non audeat praedicare* aperte spectant ad legis eius, quae omnibus assensum extorqueat, naturam: cuius verissimae sententiae significationem in notissima illa argumentatione, cui plurimum tribuunt Stoici, *Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne honestum est: bonum igitur quod est, honestum est*, latere, acutissime animadversum est a Lilio, V. Clar., in *Comment. I. de Stoicor. philosophia morali* p. 42. extr. „Quae in foro, in curia, coram iudicibus; verbo, quae publice dici possunt (*was Publicität verträgt*), *ea eius modi esse, ut certe non repugnent legi morali*, ipse Kantius observavit in libello: „*Zum ewigen Frieden*" p. 93. s. Viderint igitur tenebriones isti, qui aut dicendi aut scribendi libertatem detestantur, ne lucifugus horror in conscientiam ducatur. Quid enim? Nonne, quasi confessi et convicti, se ipsi praeiudicio quodam condemnare videntur? Nam virtutem moresque honestos nulla oratio laedere potest. Quippe vera, necesse est, bene praedicet; falsam superant.

non turpe est — ?] Alii transponunt *est turpe*; ut v. *est*, a Gu. 5. omissum, glossatori deberi videatur. V. ad c. 13. ex. cl. I. *Legg.* 14, 41. ex. *O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant!* — Mox ante *contritum* Bern. cum rell. praeter Gu. 2. Goth. et Ascensium addit *iam*, ut I. §. 33. (p. 76.) 37. p. 90. Sed cf. *Fin.* II. 14, 52. *Unde est hoc contritum vetustate proverbium, „quicum in tenebris"?* Nimirum in tenebris micanti liberum est fallere, si velit. Itaque *dignus, quicum in tenebris*, dicitur is, qui sit usque adeo certa fide, ut, ne si tuto quidem possit, velit quemquam mendacio fallere. V. Erasmi *Adag.* 725. p. 269. ed. Froben. et

expedire, quod non deceat, etiam si id possis, nullo refellente, obtinere? Videsne, hoc proverbio ne- 78
que Gygi illi posse veniam dari neque huic, quem, paullo ante fingebam, digitorum percussione hereditates omnium posse convertere? Vt enim, quod

---

interpp. ad Petron. 44, 7. *certus, amicus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare.* Nostrum h. l. citat Nonius IV. n. 303. in v. *Micare*, quod explicat *sortiri digitis.* Cf. h. l. 90. Italis dicitur *fare alla mora*, Gallis *jouer à la mourre.* Belgis quoque cognitus est hic ludus, qui celeri digitorum motu ita fiebat, ut bini, clausa manu, simul et digitos quosdam extenderent atque una numerum quendam ederent, ita, ut vinceret is, cuius coniectura parem digitis ab utroque simul exsertis et subito apparentibus numerum assecuta esset. V. Nonnus *Dionys.* XXXIII. 77. ss. Indice Nemesiano in *Buc. Ecl.* II. 27. solebant micantes *ter decernere digitis.* A Gernh. laudatur huius sortitionis modum explicuisse I. F. Gronovius *Obss.* III. 13. p. 416. Add. Senftlebius *de alea vett.* c. 18. §. 1. s. et Scheller in *Lex.* s. v. n. 1. *d*) p. 6276. ubi citatur *N. D.* II. 41. qui l. reperitur potius *Divin.* II. 41, 85. pr. Aliud est *ludere par impar* ap. Horat. *S.* II. 3, 248. ἀρτιάζειν. Vtramque lusionem confundit Fischer ad Aristoph. *Plutum* 817. Cf. Ill. Iacobs ad *Anthol. Gr.* ἀδέσπ. 54. T. XI, p. 307.

§. 78. *Gygi illi*] Resp. ad 38. In seqq. plurimorum librorum consensu firmatur *hereditates omnium posse convertere.* Gernh. cum Gronovio in *Obss.* IV. c. 5. p. 570. explicat *auferre*, quo sensu in *Epistt.* XII. 26, 4. dicatur *hereditatem avertere.* Praeterea subaudit *domum suam* cum Ernesto, comparante *Verr.* III. c. 76. m. *te — publicam pecuniam domum tuam convertisse*, ubi Lambin. notat, ap. alios *converrisse* legi. Quam dura haec ellipsis sit, sensit Scheller in *Obss.*, qui monet *convertere*, nisi addatur *ad se*, *in usum suum*, *in rem suam*, vel simile quid, non debere confundi cum *avertere* v. *intervertere.* Probat itaque, quod non nulli libri, teste Car. Langio, et Turnebo in *Advers.* XX. 13. et duo libri antiquissimi Lambini habent, *converrere*: eamque etiam codicis μ lectionem, e quibusdam suis libris probatam P. Nannio et Balduino, propagarunt Grut. Gronov. Oliv. F. Heus., Deg. et Schütz; expressit Hottinger, invito usu loquendi cum I. M. Heus. accipiens pro *corripere verriculo*, i. e. retis aliquo genere. Alii scopas adhiberi malunt. At vero hic non tam avaritia notatur, de qua Degen comparat Horat. *Od.* I. 1, 10. quam fraudes falsariorum, arte magica testamenta corrumpentium, ita, ut hereditates, veris heredibus ereptae, ad

turpe est, id, quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante et repugnante Natura.

79 XX. At enim, cum permagna praemia sunt, est causa peccandi. C. Marius cum a spe consulatus longe abesset et iam septimum annum post praeturam iaceret neque petiturus unquam consulatum videretur: Q. Metellum, cuius legatus erat, summum virum et civem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, *bellum illum ducere: si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mor-*

---

sese, i. e. ad veneficos et praestigiatores, transferantur. Cf. 19, 75. s. Atque hoc ipsum, non, quod Gernhardo placuit, voluit Pearce, interpretatus, „mutare, efficere, ut is, qui non sit revera heres, omnium scriptus sit heres." Sic *convertere* pro *immutare* dicitur in Horat. *Epod.* V. 86. et neutraliter ap. Cic. *de fato* c. 7. *sunt immutabilia nec in falsum e vero praeterita possunt convertere*: ut ib. c. 9. — Extr. §. probandi vis continetur eo, quod nulla sit Naturae ἀντινομία. Cf. ad 55. p. 240.

C. XX. §. 79. *At enim*] Subauditur *dixerit quis*. Est enim haec occupatio. V. Schütz *doctrina partic.* I. I. p. 83. — Mox *iaceret* (in oblivione, in occulto, quo minus inveniret eum honor) i. e. q. negligeretur, praeteriretur neque ad summum honorem eveheretur. III. *ad Q. fr. ep.* 2. ad fin. *Sperat, se futurum consulem, sed mirum in modum iacet*, i. e. eius non habetur ratio. *Mur.* 8, 17. pr. ubi cf. Matthiae. Omnino *iacere* dicitur, qui abiectus ac spe destitutus est. V. Gesneri *Thesaur.* s. v. n. 4. II. p. 944, 43 — 59. — Post *cuius legatus* in Bern. deest *erat*. Idem cum Nonio in v. *Duci* agnoscit *bellum illum ducere*. Hoc i. e. q. *ab imperatore consulto trahi* ap. Sallust. in *Iug.* 64. ex. ubi de eadem re, facta a. V. 645., vid. c. 65. 66. cl. Plutarcho in *Mar.* c. 7. ex. 8. ex. 9. pr. — *Consulem facere* i. e. q. *designare*. *Factus* hic et Sallustio l. c. 84. pr. 85. dicitur is, qui magistratum, quem petiit, assecutus imperiumque adeptus est, et h. l. 81. *fieri* i. e. q. populi suffragio declarari. Sic solenniter magistratus, quaestores, aediles curules, praetores, consules dicuntur *fieri* v. *facti* I. 138. *Or.* II. c. 69. ex. *Brut.* §. 224. m.

turum Iugurtham se in potestatem populi Romani daturum. Itaque factus est ille quidem consul; sed a fide iustitiaque discessit, qui optimum et gravissimum civem, cuius legatus et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. Ne noster quidem Gratidianus officio viri boni functus est tum, 80
cum praetor esset collegiumque praetorum tribuni plebi adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur: iactabatur enim temporibus illis nummus, sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque iudicio constitueruntque, *ut omnes si-*

Verr. l. I. c. 39. bis. *Agrar.* II. 1, 5. ter. 2, 4. (3.) quater. 36, 148. (99.) *Mur.* 8, (18.) 34. pr. 41, (89. ex.) 164. *Mil.* 9, 25. pr. *Planc.* 6, 15. s. c. 12. ex. 20, 49. 21, 52. 24, 58. pr. 26, 60. pr. *Pis.* c. 1. pr. et 2. pr. *Phil.* II. §. 4. ex. c. 5. III. §. 15. m. *Epistt.* X. 26, 9. *Att.* IV. 18. sect. 2. XIII. 32, 4. *Acad.* II. 1, 1. *Cat. Mai.* 6. (4.) 14. *Lael.* 25, 96. ex. Cf. Burmann. ad Quinctil. *Instt.* V. 10. ed. Capperonn. p. 301. n. 473. Recte autem F. Heus. e Gu. 1., cui consentit Cur., restituit *in potestatem P. R. daturum* exemplo Livii VIII. 24, 8. Bern. cum rell. *reducturum.* In eodem, Gu. 4. Ven. 498. ante *invidiam* obliterata est praep. *in.* Subiunctivi, a pron. *qui*, pro *quippe qui* posito, pendentis, ratio causalis est.

§. 80. *officio boni viri*] Hunc a Degenio et Sch. servatum ordinem transposuimus cum Gernh. e Gu. 1. 5. ed. Bald. itemque e Bern., ut 76. ex. 77. — Pro volg. *trib. plebis* e Bern. Gu. 1., optimis C. Langii libris scripsi *tribuni plebi* et 81. *tribunis plebi* cum F. Heus., laudante Oudendorpium ad Sueton. *Tib.* c. 2. Frustra hanc formam Ciceroni abiudicat Degen. V. Schelleri *Lex.* p. 8041. Ad v. *adhibuissent* intell. *in consilium*, quod additur II. 82. p. 158. — Deinde ab Heus., Deg. et Gernh. scribitur *nummus.* Sequimur Bern. aliorumque orthographiam, probatam Grotefendo in *Lat. Gramm.* II. §. 179. ex. *Iactari*, interprete I. M. Heus., dicuntur, quae certo loco non consistunt, quae variantur, modo extolluntur, modo deprimuntur; inde h. l. *nummus*, incerto eius pondere et proinde pretiis rerum fluctuantibus. De re nummaria et pretiis rerum ap. Romanos v. scriptores laudatos ab Haubolde, V. S., in *Instt. I. R. priv. lin.* §. 147. a) et c) cl. p. 417. *Supplem.* ad p. 79. a. — Seqq. *poena atque iudicio*

mul in Rostra post meridiem escenderent. Et ceteri quidem alius alio; Marius a subselliis in Rostra rectà idque, quod communiter compositum fuerat,

---

per ἐν δίκῃ ὄφλειν acceperim pro *poena iudicii*, v. *iudicio persequenda*. I. M. Heus. explicat: „Edicto constituerunt rem numariam: adversus quod qui faceret, multaretur aut ad populum accusatus publico iudicio damnaretur." Sed pro *iudicio* Scheller in *Lex.* s. v. p. 5403. coniecit *indicio*, i. e. indicii praemio. Hac potestate *indicium* reperitur *p. Rosc. A.* 37, 107. *Vatin.* 11, (10, Sch.) 26. Atque etiam huic coniecturae fauere videtur Plinius XXXIII. c. 9. sect. 46. extr. *Miscentur aera falsae monetae. Alii e pondere subtrahunt, cum sit iustum LXXXIV e libris signare. Igitur ars facta denarios probare tam iucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit. Mirumque, in hac artium sola vitia discuntur et falsi denarii spectatur exemplum pluribusque veris denariis adulterinus emitur:* unde Pighius III. p. 258. ad ann. 667. colligit, ex hac lege Triumviros monetales ordinarios postea esse ortos.

escenderent] Sic pro olim volgato *descenderent* legitur in Bern., ut e vet. libro suo emendarat Muretus *Variar. Lectt.* XIV. 8. in Grut. *Lamp.* II. p. 1117. quod *escendere* vetere lingua i. sit q. *ascendere;* et Ian. Guilielmius *Verisim.* L. III. c. 16. (ap. Grut. T. III.), qui similem locum de iisdem *Rostris* emendat *p. leg. Man.* 18, 55. ex. (83.) e libro scripto, Coloniae in aede maxima publicitus servato, qui liquido habet: *Et his temporibus nonne pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum escendere, cum eum vobis maiores vestri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent?* et sensu et verbis longe melius, quam volgo editur. Retinuerim tamen cum rell. ibi *non*, ita, ut sit indignabundi interrogatio. Observante Schellero, recte quidem dici potest *descendo in forum, ad comitia* cet., scil. ex aedibus meis, in colle positis: at non propterea *descendo in Rostra.* Nam non ex aedibus scando in Rostra; sed ex aedibus scando in forum ac deinde e foro, h. e. loco aequo, in Rostra. In Taciti *Ann.* XV. 59. pr. legitur *Rostra escendere.* Vbique fere hoc verbum a scribus depravatum observat Görenz ad *Fin.* III. 10, 33. ex. Vt ad vv. *Et ceteri quidem alius alio* subauditur v. *se contulerunt:* sic etiam ad seqq. *Marius a* (Bern. *ab*) *subselliis* (*tribuniciis.* Cf. Sueton. in *Iul. Caes.* 78.) *in Rostra recta.* Similiter *Att.* X. 9. *Melitum igitur* (scil. proficiscar); *deinde, quo videbitur.* XVI. 7. *Pedibus ad me statim,* scil. *venit.* Cf. Liv. XXXVIII. 56. *cum e porta recta* (intell. *via*, ut h. l.) *ad forum se contulisset.* Seqq. citantur a Nonio in v. *Componere.*

lus edixit. Et ea res (si quaeris) ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuae; ad eas tus, cerei: quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior.

---

si quaeris] hic i. valet q. *non diffiteor* estque affirmans, ut alibi *si verum quaeris*. Omnino vero haec formula ibi adhibetur, ubi lector plura requisiturus videatur: ut Att. IV. *ep.* 15. sect. 1. quo sensu alibi *si etiam hoc quaeris;* v. *noli quaerere; ne forte quaeras; quid quaeris?* V. Schwarz ad Tursellin. *de partic.* c. 157. n. 4. cuius utriusque sententiam sane discrepantem commiscuit Meiner p. 61. s. libri, ad I. 1, 2. pr. citati. — Positae dicuntur *omnibus vicis statuae:* quoniam non in media via, sed prope aedes ponuntur statuae. *Vicus* in urbe aedium est continuata series, quae suo nomine appellatur, observante Aldo Manutio *de quaesitis per epistolam* c. 7. in Grut. *Lamp.* IV. p. 311. s. De his *statuis*, quae Hottinger mutavit in deorum *simulacra*, v. Plin. l. c. et XXXIV. c. 6. sect. 12. ubi huic *Mario* falsum tribuitur praenomen C. Seneca *de ira* III. 18. pr. *M. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui ture et vino Romanus populus supplicabat:* ubi iam Lipsius comparavit Sallustii e l. II. historiar. fragm. ap. Macrob. *Sat.* II. c. 9. (Metello) *venienti ture, quasi deo, supplicabatur*, et tabulae Narbonensis VV. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS (Augusti). THVS. ET. VINVM. DE. SVO. EA. DIE. PRAESTENT. Male igitur Deg. repetiit I. M. Heusingeri errorem, non ipsi Mario, sed diis averruncis adolefactum tus et accensos cereos esse. Gernhardo laudatus G. S. Greenius *de Thure et Cereis ad statuas M. Marii Gratidiani* (Misenae 742.) de cereorum oblatione, pietatem et laetitiam publicam testante, laudat Barthii *Adverss.* VIII. 1, 858. et XXVI. 16, 1659. Ipso Tullio nostro Nonis illis Decembribus, quibus et urbem et cives servaverat, domum redeunte, τὰ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωπούς, λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστάντων ἐπὶ ταῖς θύραις, ut memorat Plutarch. in vita c. 22. Ceterum hic quoque a Bern. scribitur *thus*, quam pseudographiam sequitur Degen. Veriora docuit Grotefend in *Lat. Gramm.* T. II. §. 173. ex. 174. ex. A Sch. autem copulantur *tus et cerei*, ut volgo. Sed copulam, ab Heus. proscriptam, ignorat Bern. quoque codex. Comp. asyndeton bimembre 61. p. 290. — Senecae l. c. *Marius Gratidianus* dicitur *vir mali exempli, popularis tamen et non tam immerito, quam nimis, amatus;* Asconio ad *or. in toga cand.* p. 209. ed. Sch. *summe popularis homo, qui ob id bis praetor fuit.* — *Fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni coniunctus.* V. ad h. l. 67. p. 303. s. — Formula, *quid multa* (scil. *commemoro*)? eius est, qui missas facit ambages vel in exponendis argumentis, ut *Epistt.* VI. 20 (21), 4. pr. vel in narrando, ut h. l. 59. p. 284. *Att.* V. *ep.* 21. sect. 8.

81 Haec sunt, quae conturbent in deliberatione non nunquam, cum id, in quo violatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, praeripere collegis et tribunis plebi popularem gratiam, non ita turpe; consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit; aut, si turpe est, ne videatur esse utile. Quid ergo? possumusne aut illum Marium virum bonum iudi-

---

p. 272. ed. Sch. *Moleste tulit Scaptius. Quid multa? ut ei fidem meam praestarem, — imperavi, ut pecuniam solverent.* V. Tursellinum p. 881. s. Idem valet formula *Ne multa*, sc. *commemorem*, in *Verr.* V. c. 43. ex. et 44. sub f.

§. 81. *Haec sunt, quae conturbent*] Sic e Bern., Got. 1. 2. 4. 5., pluribus Aldinis et Tertii libro correximus, ad exemplum c. 10. pr. Rell. *conturbant.* — *Consulem fieri, quod sibi tum proposuerat,* non contigit Mario Gratidiano. Namque, testibus Seneca l. c., Asconio l. c. p. 215. Plutarcho in *Sulla* c. 32. ex. Floro III. 21, 27. et Valerio M. IX. 2, 1. ex. in altera praetura acerbissimo supplicio a L. Catilina interfectus est a. V. 671. Errare enim Appianum 'Εμφ. A. n. 402. et auctorem Graecum Fastorum Cuspiniani, qui eum huius anni consulem faciunt, edocuit Perizon. *Animadvv. histt.* c. 3. p. 103 — 6. ed. Harles. Cf. Ern. in Schützii *Indice hist.* p. 213. — Mox Bern. et ψ praestant *Quid ergo?* Haec formula, in qua fere subauditur *videtur*, est eius, qui e superioribus aliquid colligit, ut 61. (p. 293.) 73. ad f. 76. *Mur.* 23, 47. *Leg.* I. 19, 51. ad f. *Acad.* II. §. 92. c. 29. pr. *Att.* XX. 5. pr. „*Qui (malum) isti Pindenissae? qui sunt?*" inquiet „*nomen audivi nunquam.*" *Quid ergo?* (Hic Sch. praeter necessitatem, ut videtur, inseruit *num*, cum in cod. Helmst. reperisset *non*) *potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere?* Hinc est eius, qui, alicuius rei mentione inchoata, hanc opportunitatem arripit ulterius de ea quaerendi, *Or.* I. 43, 171. pr. *Brut.* 26, 99. m. Transitum facit *de fato* c. 2. pr. *in Verr.* III. c. 38. pr. 28, 69. ad f. IV. §. 102. c. 46. pr. ubi male distinxit Sch. *Quid? Ergo* etc. Obiectionem occupat *p. Rosc. A.* 1, 2. pr. *Caecin.* §. 20. 56. *Att.* XIV. ep. 14. p. 219. Sch. *Illum* ...

iudicare aut hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quae sit in ea species, forma et notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum, mentiri, emolumenti sui causa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus. Est 82
ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni et splendorem et nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem iustitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis convertat

---

essionem Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es. Quid ergo? Ista culpa Brutorum? Minime. Denique, ut *t οὖν*, facit interrogationem mirabundi *p. Caecin.* §. 39. . 14. pr. *Tusc.* III. 18, 39. aeque ac *Quid igitur*, ut volgo hic legitur: qua formula ex iis, quae non satis credibilia videntur, ea, quae parum consentanea sunt, eliciuntur: ut *Act. I. in Verr.* c. 7. §. 20. *Tusc.* V. 5, 3. pr. Ob compendii similitudinem *ergo* in *igitur* corruptam vides 67. pr. et extr. h. §. in Bedae atque Eybi exc. legitur *Cadit igitur — ?*

aut hunc] *Marium Gratidianum.* Male Bern. *atque hunc.* — Proxima i. significant, q. *Fin.* II. 35, 118. *Tute introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione pertractans, percontare ipse te*, vel, ut supra h. l. 76. pr., *animi tui complicatam notionem evolve.* — Seq. *nihil profecto minus* Gernh. ad I. 72. p. 84. b. non satis accurate explicuit, ut esset *nequaquam.* Imo intell. *Nihil p. minus*, quam hoc, *Cadit in virum bonum*, i. e. Nihil magis abhorret a specie, forma (idea) et notione viri boni.

§. 82. *Quid est*] Seqq. Bern. transp. sic: *quod afferre tantum possit utilitas ista, quae dicitur, quantum.* Alii aliter turbant. — *Fidem iustitiamque detraxerit*, ut II. 4. *detracta opinione probitatis.* — Proxx. Bern. transposuit: *se convertat quis.* C. Langium, qui testatur, in optimis ll. esse *conferat*, et Fabritium, ex uno libro idem probantem, secuti recentiores editores sunt, invitis tum rell. libris omnibus, tum Vincentio Bellov., Beda Eyboque: itemque Schellero, monente, *conferre* hac notione vix alibi, praeterquam in Ovidio (*Metam.* IV. 78. *contulit in saxum;* XII. 145. *in volucrem*) usitatum esse. Gernh. non plus effecit exemplis, quam acutulis suis obiectiunculis: „non opus esse verbis *ex homine*, si leg.

in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluae?

XXI. Quid? qui omnia recta et honesta negligunt, dum modo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cuius ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur, plurimum posse alterius invidia. Id

---

convertat. Nimirum hominis figura, tamquam domicilio, relicta, fingi quem migrare in pellem, naturae beluinae sedem." Cicero se ipse vindicet, comp. fragmento e l. III. *de re publ.*, cuius, a Lactantio VI. 8, 7. ss. servati, ultimis verbis, *cui* (verae legi, i. e. rectae rationi) *qui non parebit, ipse se fugiet ac, naturam hominis aspernatus,* (Schütz p. 80. edidit *aspernabitur atque*) *hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit,* continens fuisse, coniicimus, hoc ib. V. 10, 2. *Etenim si nemo est, quin emori* (malo Schütz p. 142. ed. *qui non mori*) *malit, quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem sit* (Sch. v. *sit* omisit) *habiturus: quanto est miserius, in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est* (Sch. transp. *est praest.*) *animus corpore.* Ex eodem l. restituimus etiam hic cum pluribus Aldi, duobus Angl., Goth. Gu. 5. ψ Eybo, omnibus praeter Moguntinam edd. vett., Facciol. et Pearcio praepositionem *in*, in libris Victor., Fabritii, quatuor Guu., totidem Aldinis unoque Tertii, Bern., exc. Bedae, ed. Mog., Anemoecii et Graev. absorptam a praecedenti *an*, quam in cod. μ de loco movit. Quamquam glossae suspicionem movere potest varians lectio Vincent. Bellov. et Balduini, *sub h. figura.* Gernhardo quidem, praepositione expulsa, ex Subiecti permutatione evadere omnis locus gravior videbatur: nobis vero durior. Cf. St. p. 255. Aristot. *Polit.* I. 2. *Ὥσπερ γὰρ, τελεωθὲν, βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν· οὕτω καὶ, χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης, χείριστον πάντων.*

C. XXI. *socerum habere voluit*] Pompeius Caesarem, cuius e Cornelia filiam duxit uxorem, Iuliam, a. V. 694, frustra Catone clamitante, regnum conciliari nuptiarum lenociniis, *οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι, γάμοις διαμαστροπευομένης τῆς ἡγεμονίας.* Plutarch. in *Iul. Caes.* p. 714. ed. Frf. c. 14. m. cl. c. 5. p. [illegible]. *Cat. Min.* c. 31. ad f. et *Pompei.* c. 47. ex. 70. ex. Sueton. in *Iul. Caes.* 21. 50. Ipse Pompeius non minus cupidus in se et patriam armaverat Caesarem tum, cum iterum consul a. V. 698. operam daret, ut Caesari Galliarum administratio in alterum quinquennium prorogaretur.

quam iniustum in patriam et quam turpe et quam inutile esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Graecos versus de *Phoenissis* habebat, quos dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi:

Nam si violándum est iús, regnandi grátia
Violándum est: aliis rébus pietatém colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum,

Att. VIII. *ep.* 3. sect. 2. pr. *Famil.* VII. *ep.* 3, 17. *Phil.* II. c. 10. Tum Sch. cum Ern. ed. *quam iniustum in p., quam inutile, quam turpe,* ut legitur in non nullis libris. Bern. cum al. omittit vv. *et quam inutile,* quae, ut recte post F. Heus. vidit Gernh., abesse non debent, Cicerone id agente, ut, quod *utile* Pompeio videbatur, id *inutile* fuisse, ostendat. Quia *iniustum in patriam,* propterea *turpe;* quia *turpe,* propterea *inutile* erat. Sic corrigitur volgi opinio illa, de qua 84. Iidem *versus de Phoenissis* bene interpretantur *versus ex Euripidis tragoedia, quae Phoenissae inscripta est,* comp. *Or.* III. c. 35. *versum quendam de Philocteta* (Sophoclis fabula). Suetonius eosdem de *Phoen.* versus 534. s. (538. s.), a Cicerone conversos, *Caesari* tribuit c. 30. ex. in quo et alium ex iisdem *Phoenissis* versum 516. (520.) Cicero usurpat VII. *ad Att. ep.* 11. sect. 1. Regnandi cupiditas eadem fecunda rapinarum mater fuit Caesari: cuius verbum esset, 'potentiae parandae et conservandae duo esse instrumenta, *milites* et *pecuniam*: eorum alterum alterius stare praesidio: cuius rei auctorem Dionem lib. XLII. adhibet Casaubonus ad Sueton. *Iul.* c. 54. pr. Addimus etiam Gottleberi notam: „Hanc ῥῆσιν Eteocli ab Euripide tributam et a Caesare in ore semper habitam, imitatione expressit Dionysius Hal. (L. IV. *A. R.* T. II. p. 716. Reisk.), quam Tulliae illi imperiosae tribuit: *καὶ γὰρ ἐὰν τἄλλα τις ἀδικεῖν ὀκνῇ, βασιλείας γε χάριν οὐ νέμεσις ἅπαντα τολμᾶν.* Forma *οὐ νέμεσις* est ducta ex Homero *Il. γ.* 156. quam alii imitati sunt, veluti Callim. *H. in Dian.* v. 64. ad quem locum v. Ernest. et Abresch. in *Anim. ad Aesch.* c. IV. p. 272. Alia loca, sententiam Euripideam exprimentia, collegit Valcken. ad *Phoeniss.* p. 193."

Capitalis] dicitur homo nefarius, sceleratus, qui *capital* aut facit audacter aut factum probat. V. Ian. Gulielmius *in Plauti Most.* (II. 2, 44.) *Quaestionum* c. III. in Grut. *Lamp.* T. III. Cf. *Off.* II. 73. p. 141. *Capitalis oratio.* Adiecta in omnibus ll. verba *vel potius Euripides* in uncos compegit Gernhard, Schütz autem sanae

quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit.
83 Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiverit idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis [esse] dicit, amens est: probat enim

---

parti corporis scalpellum adhibuit atque integrae, nihil misertus Tullii sui, *p. Sext.* c. 64. ex. quiritantis, *non esse eam medicinam, carnificinam esse istam et crudelitatem*: quid multa? detruncavit, auctore Wyttenbachio in *Biblioth. crit.* I. P. III. p. 29. s. (cf. ib. p. 19.), cui praeter Gottleberum, Reizium, Anonymum (nescio, quem) in *Act. societ. Traiect.* P. IV. p. 278. assensi erant Voordi *Lectt. Tull.* p. 489. et Ric. Porso ad *Phoen.* 534. comp. Cic. *Tusc.* I. 44, 107. ex. *Magna culpa Pelopis.* Sed fortiter defendit haec vv. Görenz ad *Fin.* IV. 2, 4. p. 424. b. cum auctoris sensus sit: *vel ut rectius Euripidem capitalem dicam, quippe qui Eteoclem tam capitalia loqui fecerit.* Argumenta, quibus Gernh. utitur, petitis illis e 106. ad f. I. 97. p. 216. *Lael.* 25, (4.) 93. ex. ubi Cicero hoc in poëtis adeo non reprehendit, ut etiam in laude posuerit, quod personae servierint, haec, inquam, argumenta facile elevabuntur, contra comp. *N. D.* III. 26, 66. *Divin.* II. 50, 104. ad f. *Tusc.* I. 16, 37. et II. 11, 27. ubi Noster iudicat, *recte a Platone educi* ex optima re publica *poëtas*, quippe qui *nervos omnis virtutis elidant.* Sed iniquius P. Petitus L. IV. *Miscell. Obss.* c. 2. p. 244. eandem exceptionem per malignam calumniam obiicit ipsi Tullio, quippe qui in prima *Epistolarum ad Atticum* in excusationem laesae amicitiae verba haec attulerit Euripidis: δεῖον τὸ ἀγαθὸν ἡ τιμή. Sed in *ep.* illa ad f. nunc editur potius οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοείην, quae sunt ex Homeri quodam versiculo. — Extr. §. Sch. invitus in textu reliquit *fuerit*, quae lectio, a Pearcio et Ern. e trib. Angl. MSS. recepta, etiam in Gu. 1. et 2. reperitur, in nota autem probat *fuerat*: quod verbi inchoativi *fuo* Plusquamperfectum vim habet Imperfecti *eram*, ut II. c. 1. ex. *quantum superfuerat.* Multa alia exempla adhibuit F. Heus. Cf. Conr. Heusinger in *Praefat.* p. LX.

§. 83. *concupiverit*] i. e. *in cupiditatem inciderit, animum applicuerit ad id, ut* etc. Sic pro volg. *concupierit* restitui e Bern., quatuor Guu. et ed. Gryph. V. ad I. 64. p. 149. s. De Caesare cf. I. 8, 26. Plutarch. in *Antonio* c. 6. Ἦγε δ' αὐτὸν ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους — ἔρως ἀπαρηγόρητος ἀρχῆς καὶ περιμανὴς ἐπιθυμία τοῦ πρῶτον εἶναι καὶ μέγιστον, et de *affectato nomine regio* Sueton. in *Iul.* 79. 80. — In proxx. *si honestam quis esse dicit* v. *esse* ab uno Aldino cod. excludi-

legum et libertatis interitum earumque oppressionem taetram et detestabilem — gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non esse, in ea civitate, quae libera fuit quaeque esse debeat, regnare; sed, qui facere possit, esse utile: qua hunc obiurgatione aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere? Potest enim (dii immortales!) cuiquam esse utile foedissimum et taeterrimum parricidium patriae: quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus PARENS nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut haec duo verbo inter se discrepare, re unum

---

tur: non male. V. n. ad II. 55. ex. — Deinde Sch. cum volgg. habet *sed ei, qui id facere possit, esse utile.* Pron. *ei* expunxerant F. Heus. et Gernh., auctoritate Gu. 1., ad exempla II. c. 18. ex. *Tusc.* V. 7, 20. *praemium proposuit *, qui invenisset novam voluptatem*, ubi Sch. itidem, nobili glossatoris munere functus, cum Davisio e cod. Eliens 2. * inseruit *ei.* De tollendo hic pron. *id* cum Gu. 1. 2. 3. μ et ed. Ascens. consentit Bern. Cf. 84. pr. et n. ad 54. ex.

Potest ... cuiquam — ?] Bern. *cuique* et 84. *Possunt enim cuique esse utiles angores?* corruptela e scribendi compendio nata, ut c. 12. ex. — *Obstrictum esse patriae parricidio* dicitur *p. Sulla* 2, 6. ex. ut *Catil.* I. 12, 29. *parricida civium.* Sallust. *Cat.* 51. *in parricidas rei publicae decretum.* Liv. III. 50. *parricida liberûm.* — Mox μ non male, omissa praepos. *ab*, exhibet Dativos *oppressis civibus.* Sed quo modo ante similem syllabam exciderit, in propatulo est. Iulium Caesarem *Patrem Patriae* nominatum esse ipsique mortuo positam in foro columnam cum titulo PARENTI PATRIAE, scribit Sueton. in v. 76. 85. Cf. Cic. *Phil.* II. c. 13. p. in. Idque eo indignius fuit, quod Tullius noster virtute sua singulari meruerat, quem primum omnium Roma *Patrem Patriae* libera diceret. V. *or. p. Sext.* c. 56. ad f. *Pis.* c. 2. pr. Plutarch. in *Cic.* p. 872. c. 23. ex. Appian. Ἐμφ. II. Plin. *H. N.* VII. 30, 31. quem l. ad I. 77. p. 180. ascripsi. Iuvenal. VIII. 244. Fabric. in *Ciceron. histor.* ad a. XLIV. n. 151 — 35. — Continuo post *utilitas dirigenda* dicitur *honestate*, ut 89. pro *ad honestatem.* — Deinde Bern. cum al. quibusdam peccat *haec duo verba* atque ultima verbi *discrepare* syllaba absorpsit seq. Ablativum *re.* Idem cum Gu. 4. post *unum*

84 sonare videantur. Non habeo, ad volgi opinionem quae maior utilitas, quam regnandi, esse possit; nihil contra inutilius ei, qui iniuste consecutus sit, invenio, cum ad veritatem coepi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

---

inculcavit *tamen*, quam, s. F. Heus. meliorum librorum fide proscriptam, retinuit Schütz. Cf. praeter exempla, ad II. 3, 10. p. 22. s. allata, *de fato* c. 19. sub f. *verbis eos*, *non re*, *dissidere*. *Fin.* IV. 22, 60. ex. 26, 72. m. *verbis consistere*, *re dissidere*; et ibid. *re consentire*, *verbis discrepare*. I. *N. D.* 7, 16. *re concinere videntur*, *verbis discrepare*. Proprie autem de sonis dicitur *discrepare*. — *Re*, i. e., si spectetur *vis voci subiecta*. Cf. *Fin.* II. 2, 6. ex. ubi *sonare* item valet *significare*; *exprimere*, *quae res voci subiiciatur*.

§. 84. *Non habeo*] Ab hac lectione, quam primus restitui iussit Muretus *Variar. Lectt.* XIV. 5., parum abludit Bern. stribligo *Non habet*. V. n. ad II. 2, 7. p. 17. s. — *Regnandi utilitas* est ea, quae regno continetur, ut 3, 14. p. 206. *progressio discendi*. — Deinceps Sch. retinuit cum volgg. *qui id iniuste consecutus sit*. Bern. *qui id* conflavit in *quid*. Gu. 2., cuius corrector cum Gu. 4. scripsit *iniuste id*, a prima m. cum *a* pronomen non habet: de cuius ellipsi Gernh. comparat *Paradox*. in *Praefat*. extr. Eo igitur hic itidem, ut §. 85. m., expuncto, F. Heus. sequitur Gu. 5. et Goth., in quibus est, *qui id non iuste*. Retinuerim tamen rell. omnium consensu librorum confirmatam lectionem *iniuste*. Idem enim Platoni in *Gorg.* c. 29. pr. p. 475. D. est ὁ κατειργασμένος τὴν τυραννίδα ἀδίκως. Quasi divinitus hic philosophus fudit oraculum, dignum, quod aureis literis insculpatur. Summa profecto miseria est, peccando adipisci cupiditatum fructum. Nihil ei, qui deliquerit, salutarius, quam mature condignas poenas luere. Vnde Noster in praeclara illa *epistola ad Att.* VII. 11. sect. 1. haec effatus de Caesare est: *Sibi habeat suam fortunam! — Malim ... mori milies, quam semel istius modi quidquam cogitare. — Ego hoc ipsum, velle, miserius esse duco, quam in crucem tolli. Vna res est ea miserior, adipisci, quod ita volueris.* Praetulit ei veritatis facem praestantissimus sapientiae Plato in *Gorg.* c. 28. s. p. 475. B. ss. De tyranni vita cf. II. c. 7. maxime §. 24. ex. *Lael.* 15, 5. s. (52. s.) *Tusc.* V. 20, 58 — 22, 62. Xenophon in *Hierone* VII. 10. ex. ed. Wels. Plato *de republ.* IX. p. 577. E. 578. A. 579. B. 580. A. laudatus Tacito in *Annal.* VI. 6. ut Lipsius quidem putat. Ego vero credo, respici potius ad *Gorgiam* c. 80. ex. p. 525. A.

Múlti iniqui atque infideles régno, pauci súnt boni, inquit Attius. At cui regno? quod, a Tantalo et Pelope proditum, iure obtinebatur. Nam quanto plurîs ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem,

---

pauci sunt boni] i. e. *benevoli, studio ac voluntate regi suo addicti, aequi, fideles.* Bern. corrumpit metra transponendo *boni sunt.* Deinde volgo editur *Accius*; ut est in Bern. Goth. Gu. 4. Ven. 498. Rell. *Actius.* Scripsi *Attius*: quod iam ante Grotefendum in *Lat. Gramm.* II, §. 176. 192. verum videbatur Fabricio in *Biblioth. Lat.* l. IV. c. 1. Vol. I. p. 669. III. p. 262. qui eum Funccii *Adolescent. L. L.* c. 2. n. 11. p. 86. laudatur ab I. M. Heusingero. Facciolatus, „de regno iniuste quaesito loqui Attium," autumans, refellitur sequentibus. Degenio, id est F. Heusingero, versus ex *Atreo* tragoedia desumptus videtur; nobis potius e *Clytaemnestra*, de qua v. ad I. 114. p. 244. En enim similia in Aeschyli *Agam.* 450 — 459. et 834. ss. ed. Glasg. ubi ipse Agamemnon conqueritur de regni invidia: Παύρεις γὰρ ἀνδρῶν ἐστι συγγενὲς τόδε, φίλον τὸν εὐτυχοῦντ' ἄνευ φθόνου σέβειν etc. I. M. Heus., laudato Munkero ad Hygin. *fab.* 124. notat, Ciceroni *Tantalum* non Phrygium, sed Argivum regem fuisse, a quo idem regnum sibi relictum obtinuerit *Pelops* filius. Homerus in *Il.* II. 100 — 108. de sceptro Agamemnonis, Volcani artificio, a Iove, cui debentur regna, per Mercurium administrum ad *Pelopem* transmisso, narrans, *Tantali* mentionem non facit, inde scilicet, quod illius, a quo ista acceperat poëta, mens haec fuit, *Pelopi eiusque genti regnum Peloponnesi datum*, interprete Hermanno in epist. III. ad Creuzerum „*Ueber Homer und Hesiodus*" (Heidelb. 818.) p. 21. s. *Proditum* hic est *posteris relictum.* Ceterum Deg. et Gernh. cum F. Heus. e Gu. 2. et 5. hic geminarunt praepos. *a Tantalo et a* P., assenso Görenzio ad II. *Leg.* 3, 7. ex. Sed v. n. ad I. 155. ex.

Nam quanto pluris] Hanc Accusativi formam hic diserte agnoscit Bern. Pro *Nam* Heumannus rescripsit *Iam.* Sic apertius significaretur gradatio. V. ad II. 68. pr. Vetat tamen Sch. cum I. M. Heus., qui, comp. *Att.* V. 20. sect. 4. ab in., laudat Schwarzium ad Tursellin. *de partt.* c. CXLI. 3. p. 533. docentem, hac particula continuari orationem, contraria inter se comparantem. Subtilius Gernh., comp. *Act.* II. *in Verr.* I. I. 57, 150., monuit, *nam* sic praeponi, ut indicium fiat causae, cur id, quod contrarium superioribus est, vel verum vel falsum sit: ipsam autem iudicii causam postponi: ut

85 servire sibi coëgisset? Hunc, tu, quas conscientiae labes in animo, censes, habuisse? quae volnera? Cuius autem vita ipsi potest utilis esse, cum eius vitae ea conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in maxima et gratia futurus sit et gloria? Quod si haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis: satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit.

86 XXII. Quamquam id quidem, cum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, consule iterum, et a senatu nostro iudicatum est. Cum enim Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac po-

---

h. l. sensus sit: *Quanto plures Iulio Caesari putas fuisse infestos? Nam is exercitu* etc., quibus notatur perduellis hostisque patriae (*Phil.* X. 12. c. 5. s.): cui *infideles* fuerunt familiarissimi omnium. Cf. ad 4, 19. p. 215. *Phil.* II. 5. 6.

§. 85. *conscientiae labes*] Cf. *Leg.* II. 10, 24. ex. ubi Sch. neglexit felicissimam Handii emendationem, in *Allgem. Ien. Lit. Zeit.* 1810. n. 71. propositam: *nam illùvies* (i. e. sordes immundi corporis) *vel aspersione aquae vel dierum numero tollitur; animi labes nec diuturnitate evanescere nec amnibus ullis elui potest.* Seqq. sensus hic est: *An cuiquam vita sua potest utilis esse?* — Extr. cap. Bern. transp. *debet esse*, ut c. 6. pr. Sed cf. 37. ex. 88. pr. Sententiae vis hic et 4, 20. (p. 216.) 87. pr. est: *quod non honestum sit, id nec utile esse.* In Cur. et ψ h. l. leg. *quod non idem honestum sit* idque recepit Ern., dissentiente F. Heus., quod tum sensus foret, *omnia, quae sint utilia, etiam honesta esse.* Cf. I. 14, 43. ex. ibique n. Idem valere videtur Heusingero infra 110. *Est enim nihil utile, quod idem non honestum sit;* Gernhardo autem, *nihil esse utile, quod turpe sit.* Illi potius assentimur.

C. XXII. §. 86. *iudicatum est*] h. e. *luculento exemplo declaratum.* In μ non comparet v. *est*. V. ad c. 16. pr. Deinde volgatum ordinem, *Cum enim rex*, Gu. 4. transponit sic: *Cum rex enim.* Itaque glossatores, qui in alium, quam qui appositionis proprius est, locum irrepsissent, cum Bern. expuli. — Deinde pro volg. *si*

tente: perfuga ab eo venit in castra Fabrici eique est pollicitus, *si praemium sibi posuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum.* Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum idque eius factum laudatum a senatu est. Atqui, si speciem utilitatis opinionemque quaerimus, magnum illud bellum perfuga unus et gravem adversarium imperi sustulisset. Sed magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. Vtrum igitur utilius vel Fabricio, qui 87
talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem a digni-

---

praemium sibi proposuisset, quod Sch. reduxit, F. Heus. e Gu. 1. dedit *posuisset*, observans, *praeponi praemia*, quibus eliciantur homines vel incitentur ad facinus: offerenti operam ac pretium paciscenti *poni* potius s. constitui *praemium*: comp. Sallust. *Cat.* XX. 14. — Deinde Schützio, elumbem structuram volgarem, *a senatu laudatum est*, reducenti, refragatur etiam Bern. codex. De historia v. ad I. 13, 40. *Exc.* XIV. p. 350. cll. Livio XXXIX. 15. ex. et Plutarcho in *Flaminino* c. 20. ex. et de *Pyrrho* quidem ad I. 12, 38. p. 92. ss. 96. Inter praeclaras opiniones, quibus mature audiendis animoque penitus recipiendis ad virtutes permagnas, in primis in bello utiles, Romani conformabantur, iure refertur haec: *Non insidiis vincere nec scelere, sed vi aperta et fortitudine; fortitudinisque laudem bello petere, non calliditatis*: ut e Polyb. Exc. L. XIII. in. memorat I. A. Ernestus *de privata Romanorum disciplina* in *Opusc. philoll. et critt.* p. 38.

§. 87. *qualis Aristides*] *quo totius Graeciae iustitia censetur, continentiae quoque eximium exemplum*, censore Valerio M. V. 3. *extern.* 3. ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος ap. Aeschin. *in Ctesiph.* p. 79, 37. ubi v. Markland. cl. Aemil. Prob. II. 1, 2. Plat. in *Gorg.* c. 81. ex. p. 526. B. Timocreon ap. Plutarch. in *Themistocle* c. 21. Ἐγὼ δ' Ἀριστείδαν ἐπαινέω, ἄνδρ' ἱερᾶν ἀπ' Ἀθανᾶν ἐλθεῖν ἕνα λῷστον. Cf. Cic. *p. Sext.* c. 67. *Tusc.* V. 36, 105. Exemplum iustitiae ab eo editum v. h. l. c. 11. ex. Proxima vv. Schütz cum F. Heus., cuius vestigiis, ut alibi, inhaeret Deg., sic accipit, quasi Cicero P. R. senatum eximat tantum ex nefario illo grege deliberantium, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem (36. s. 75. c. 18. ex. 28. pr.), de

tate seiunxit, armis cum hoste certare, an venenis? Si gloriae causa imperium expetendum est; scelus absit, in quo non potest esse gloria: sin ipsae opes expetuntur quoquo modo; non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. F., sententia: *quas civitates L. Sulla, pecunia accepta, ex senatus consulto liberavisset, ut hae*

---

ceteris non diffiteatur, senatum, utilitatis spe malorumque consiliatorum, ut statim L. Philippi, fuco atque fallaciis deceptum, in deliberatione, possetne id, quod utile videbatur, fieri non turpiter (40. 105. ex.), aliquoties peccasse. Cf. c. 11. pr. Probabilius Gernh. urguet vim *dignitatis*, „quae non est *honestas*, sed honore digna auctoritas, quae venenum atque insidias ut contemnit, sic putat non utilia; armis autem de gloria et de imperio contendit, ignaviae opprobrium fugiens, quoniam in bello admiratio efflorescit e contentione ac viribus. *Dignitatem* igitur strenue consecutus senatus est: contra idem senatus ab aequitate utilitatem non nunquam seiunxit sic, ut utile censeret, quod opes augeret, sociorumque et singulorum civium iura inferiora duceret commodis rei publicae. Ita senatus iustior fuit in vincendis hostibus, quam in civibus sociisque tuendis minusque metuit civium, quam hostium, invidiam." Hanc àcutissimi Grammatici interpretationem confirmare videtur ipse Cicero iis, quae in *Phil.* VII. c. 5. senatoribus insinuat, maxime §. 14. p. m. X. 10, 20. Igitur, quod semper senatus, ut indignum, repudiavit, violata victoria esset, si, regem per fraudem et insidias et domesticum parricidam aggressus, hanc hosti gloriam dedisset, ut videretur aliter vinci non posse: quem ad modum postea Sertorii victor, propterea ignominia notatus a Floro II. 17. ex.

quoquo modo] Recte explicatur *bonis malis artibus, per fas et nefas.* Male igitur Turnebus *Advers.* XX. 19. ex. probat, quod in antiquis libris reperit: *quo modo poterunt utiles esse cum infamia?* — De *Philippo* v. ad I. 108. pr. — Verbis *senatus consulto* in Bern. non praeponitur *ex*, nisi a correctore. Gu. 3. contraxit *liberasset*, ut 77. p. 329. *indicasset*. 98. pr. *Cat.* IV. 7, 15. (31.) *frequentasset*. *Att.* I. 17, 17. *impetrasset*: quem locum exhibebit nota proxima. *Libertas* autem hic intelligitur immunitas a vectigalibus. Heus. comparat *Agrar.* I. 4, 10. pr. *Phil.* II. c. 38. post in. Haec agros publicos *liberandi* potestas, *Sullae* dictatori data, videtur contineri *senatus consulto*, cuius mentio fit ap. Plutarch. in *Sulla* c. 33. post in. Statim post Bern. cum Gu. 3. ed. Rom. 471. Bald. Gryph. et Facc. scribit *eae*; sed paullo post eum volg. *neque his*.

-ursus vectigales essent neque iis pecuniam (quam pro libertate dederant) *redderemus*. Est ei senatus assensus. Turpe imperio! Piratarum enim melior fides. — At aucta vectigalia. Vtile igitur. — Quo usque audebunt dicere, quidquam utile, quod non honestum? Potest autem ulli imperio, quod gloria 88 fultum esse debet et benevolentia sociorum, utile esse odium et infamia? Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Nimis mihi praefracte videbatur,

---

quod retinuit Deg. et Schütz. Goth. *non iis*. Recte Gernh. e Gu. 3. 5. et edd. Rom. Bald. Facc. *neque iis*. Tum Bern. cum Gu. 1. 2. 3. 4. edd. vett. et Gryph. transponit: *Ei senatus est assensus.* — Post *Piratarum e. melior fides* Deg. servavit glossema *quam senatus*, quo (ut 93.) et Bern. et rell. libri laborant praeter Car. Langii codicem, cuius fidem secutus delevit Schütz. Solent autem piratae, accepto pretio, e potestate sua dimittere eos, qui e captivitate redempti sunt. — Ad seq. obiectionem intelligi potest *dixerit quis*, ut c. 20. pr.

§. 88. *fultum esse debet*] Stulte Bern. *debet stultum esse*. Transpositio autem eadem facta est ab omnibus Guu. et edd. vett. etiam Gryph. V. ad c. 21. ex. Sch. hic et alibi scripsit *ben ivolentia*; idem vero statim post *ben e fici*. Ibi Degen denuo luculentissimum doctrinae suae specimen edidit. Intelligit enim non *Catonem*, quem saepe alias Vtica oriundum effutivit (i. e. illum, qui praetorius Vticae periit), sed, irato Apolline, *Censorium*, qui centum annis ante Ciceronem floruit. Macte virtute tua, qui, ut Phoebus mundum, sic antiquitatem sepultam ingenii tui lumine collustras! Idem e Nonio c. II. n. 664. recepit *Nimis mihi praefractum videbatur*, sed pro *praefracte*, i. e. *pertinaciter*, positum accipit. Ipse Nonius interpretatur *durum, inflexibile*. Praeferenda haec lectio videbatur et Heus. et Gernhardo nec nobis displicet; sed ferri potest volgata, in qua Ciceronis libri consentiunt. V. *Latinit. Thesaur.* s. v. Ad rem faciunt haec ex *Epistt. ad Att.* I. 17, 17. (sect. 3.) *Asiani, qui de censoribus conduxerant*, (an hinc Degenii caput, ut Iovis Minervam, peperit Catonis *Censorii* umbram? Sed *censores* intelliguntur *L. Aur. Cotta* et *P. Servilius Vatia Isauricus*) *questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postulaverunt. Ego princeps in adiutoribus —. Invidiosa res, turpis postulatio et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane abalienarentur a se-*

aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis; cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus, eoque magis, quod illa ordinum coniunctio

---

natu. Huic quoque rei subventum est, maxime a nobis, perfectumque, ut frequentissimo senatu et libentissimo uterentur, multaque a me de ordinum dignitate et concordia dicta sunt Cal. Decembr. et postridie (a V. 692.). — *Sic ego conservans rationem institutionemque nostram, tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam*, np. oratione consulari *de Othone*: de qua v. Plutarch. in *Cic.* c. 13. Ipse Cicero in *Catil.* IV. 7, 15. (30.) *Att.* I. *ep.* 14. sect. 5. et *ep.* 18. sect. 4. gloriatur, duo firmamenta rei publicae per se unum constituta, et senatus auctoritatem et *equestrem concordiam*, Cf. H. I. Arntzenii *Miscellan.* p. 5. Cic. *ad Att.* II. 1. sect. 6. *Quid impudentius publicanis renuntiantibus? Fuit tamen, retinendi ordinis causa, facienda iactura. Restitit et pervicit Cato.* Cf. Garve ad h. l. p. 213. ss. ed. II. idemque de Catonis animo, etiam in quadam iniquitate obstinato, ad l. I. p. 216. Ex eiusdem mente Cicero loquitur, facete eum deridens, in or., a. V. 690. habita, *pro Mur.* 30, 62. pr. (114.) *Petunt aliquid publicani? cave, quidquam habeat momenti gratia.* Contra Iul. Caesar, COS. a. V. 694., ergo eodem adhuc quinquennio, in quod vectigalia conduxerant, quod per senatum non licuerat, id illi ordini per populum dedit, lataque *lege Iulia de publicanis, tertia pecuniae debitae parte relevandis*, sibi equestrem ordinem adiunxit. V. *p. Planc.* c. 14. ad f. Sueton. in *Caes.* c. 20. — De *publicanis* v. Bouchaud in *Mémoires de l'Academie des Inscriptions* T. XXXVII. p. 241 — 261.

cum illis sic agere] i. e. eos sic habere v. tractare. Cf. *p. Sext.* §. 51. pr. *in Verr.* l. I. 4, 9. III. 29, 70. pr. §. 119. bis. Mox Gernh. recepit Heumanni et Ern. correctionem *solemus*, confirmatam a cod. ψ: non tamen improbat rell. librorum lectionem *soleremus*, si etiam deinceps cum Gu. 3. legatur *pertineret*: ut Cicero, se hoc argumento contra Catonem usum esse, significet. De remissionibus, quas *coloni*, si quando continuae sterilitates aut aliquae calamitates improvisae annui proventus spem fefellissent, ab agrorum locatoribus impetrare solebant, I. M. Heus. comparat Plin. *Epistt.* VIII. 2. IX. 37. X. 24. ad f. Statim post Gernh. ex uno cod. Aldi, Lugd. 527. Ven. 554. cum Lambino, Fabritio, H. Wolf. Face. recepit *eoque magis, quod.* Sic II. 45. p. 87. *eo firmiore animo, quia.* 65. p. 129. *idque eo indignius, quod* etc. In Gu. 1. est *eo qd magis cum;* in Ven. 502. *eoque magis, qua* [an *quia?*]; in Bern. et rell. *quo, quod*

ad salutem rei publicae pertinebat. Male etiam Curio, cum, *causam Transpadanorum aequam esse,* dicebat, semper autem addebat, „*Vincat utilitas!*" Potius diceret, non esse aequam, quia non esset utilis rei publicae, quam, cum *utilem* diceret *non esse, aequam* fateretur.

Deg. e Cur. probat, sed contra usum loquendi accipit pro *eo magis, quod.* Quod si ea sana fuerit lectio: equidem ex antecedd. suppleverim *magis.* Cf. Liv. I. 25. ad f. *eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat.* Tacit. *Ann.* VI. 45. pr. *tanto acceptius in volgum, quanto modicus privatis aedificationibus.* V. Perizon. ad Sanct. *Min.* IV. 7. n. 4. T. II. p. 289. ed. Bauer. et Commentatt. ad Lamberti Bos *Ellipss. Grr.* p. 771. (483. s.) Ceterum Degen, auditiuncula quadam de iudicibus, ex ordine equestri lectis, aspersus, non videtur temporum rationem habuisse. Ea enim res aliter atque aliter mutata est legibus iudiciariis, post C. Gracchum latis.

Male etiam Curio] Intell. *dixit.* V. ad I. 144. p. 289. III. 42. p. 254. Proximam *cum* Bern. corrupit in *C. S.* De *Curione* v. ad II. 59. p. 117. Restitit hic *Transpadanis,* i. e. legatis e coloniis Latinis in Gallia Cisalpina s. togata trans Padum, non contentis Latii iure, post bellum Marsicum lege Pompeia illis dato, sed civitatem, i. e. ius suffragia ferendi et honores, saltem minores, ut aedilitatis, ut quaesturae dignitatem, Romae assequendi, petentibus. V. Dio l. XXXVII. Sueton. in *Caes.* 8. Lipsius ad Tacit. *Ann.* XI. 23. *Aequa* erat *causa* eorum, cum Galli Cispadani iam pridem civitatem assecuti essent. — *Vincat utilitas* dicitur pro *praevaleat u., eiu potior habeatur ratio.* Cf. 4, 19. p. 214. cl. *Catil.* IV. 5, 9. Sententia eadem expressa est supra 75. p. 322. ex.

Potius diceret] i. e. „Propius abfuisset a vero errorisque minus capitalis redarguendus foret, si dixisset, id, quod Transpadani postulabant, non esse conveniens cum iure, quippe quod non esset consentaneum rei publicae commodis." Male Bern. *doceret.* Argutatur autem Gernh., qui interpretatur *dicere debebat,* opinans, Ciceronem communitati nimium tribuisse, aequitatem ad rei publicae salutem revocando. Aliter Noster 40. ex. 83. ex. 110. ex.— Tum Bern. cum volgg. *quam, cum utilem esse diceret, non esse aequam fateretur.* „Nemo dubitat, quin mens et sententia Ciceronis haec sit: *Potius diceret, non esse causam Transpadanorum aequam, quia rei publicae non esset utilis, quam, cum fateretur, esse aequam, negaret tamen, esse utilem, et sic aequitatem ab utilitate, utilitatem ab aequi-*

89 XXIII. Plenus est *sextus liber de officiis* Hecatonis talium quaestionum: *Sitne boni viri, in maxima caritate annonae familiam non*

---

tate seiungeret. Solummodo laboratur de collocatione verborum, quae digna sit stilo Ciceroniano. Proxime ad verum accessisse Facc. videtur —, *quam, cum utilem non esse diceret, esse aequam fateretur*. Rotundior enim est periodus, ita composita, quam, si cum Pearcio legas — *quam non utilem esse diceret, cum esse aequam fateretur*: sic enim, quod praecipuum est in hac periodo quodque Ciceroni mirum videbatur, languidiuscule adiicitur contra morem Ciceronis, qui amat interiecta, mox autem principalem partem reservat periodo claudendae. Malim tamen legere *non utilem esse*, quam *utilem non esse*. Ceterum, quod ad rem attinet, Cicero negat, quidquam posse utile cuiquam esse, quod non sit aequum. Merito. Aequitas enim regit utilitatem, non utilitas aequitatem. Nunquam igitur nobis aut rei publicae utile esse potest, non dare vel facere alteri, quod aequitas, ut ei detur vel fiat, exigit. Sed saepe contingit, ut nobis utile non sit ac prudentia dissuadeat petere ab alio, quod aequitas illum iubet nobis dare facere quodque per aequitatem nobis postulare ab adversario licet." Suum cuique tribuere, semper est aequum, semper utile; sibi vero multa denegare eorum, quae iure perfecto ad quemque nostrum pertinent, saepe utile." Voorda *Lectt. et interprett. Tull.* c. XII. Schütz de I. F. Heusingeri sententia correxit: *quam, cum inutilem esse diceret, esse aequam f.* Deg. probat ineptam Manutii et Heumanni correctionem, transponentium: *quam, cum aequam esse diceret, non esse utilem f.* Lambini et Facciolati lectionem, quam eandem, Fabritius testatur, esse in C. Langii libro, restituit Gernh.; non prorsus tamen reiicit postremorum vv. correctionem, quae placuit Hottingero p. 264. *quam utile esse diceret, quod non esse aequum fateretur*, servatis prioribus, ubi Gu 4. mutat *quia non utile esset*. Sic Curionis sententia cum quadam dicendi gravitate revocaretur eo, quasi is dixerit, *causam Transpadanorum reiicere, aequum quidem non esse, sed tamen utile*. Faciliori defuncti sumus medela, recepta lectione, quam e binis codd. restituit Görenz ad *Fin.* IV. 26, 72. p. 511. b. monens, verba dicendi mediis Accusativis cum Inf. inseri solere. Cf. n. ad I. 59. ex. *Fat.* c. 5. m. *Hunc, scribunt ipsius familiares, et ebriosum et mulierosum fuisse*. *Verr.* V. 29, 73. (al. 72.) ad f. 39, 102. (101.) bis.

C. XXIII. §. 89. *Plenus — quaestionum*] Haec longius disiuncta sunt, ut II. c. 9. ex. De *Hecatone* v. h. l. 63. ex. Eadem, quae in seqq., structura est *Or.* III. c. 29. m. *Sitne, aliquando mentiri, boni viri*. De voc. *familia* v.

alere. In utramque partem disputat; sed tamen ad extremum utilitate officium dirigit magis, quam humanitate. Quaerit, *si in mari iactura facienda sit, equine pretiosi potius iacturam faciat, an servuli vilis.* Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. *Si tabulam de naufragio stultus arripuerit: extorquebitne eam sapiens, si potuerit?* Negat: *quia sit*

Schützii *Lex. Cic.* s. v. n. 2. Add. ex *or. p. Tullio* p. 8. ss. et 12. s. fragm. 3. 4. ed. Schütz. Salmas. in *Exercit. Plin.* p. 891. s. *Famuli origo ab Oscis dependet, apud quos servus famel nominabatur, unde et familia vocata,* teste Festo in v. Sapientior autem Hecatone AMMON, V. Magnif. et S. Rev., in *Diss.*, ad l. I. *Excursu IX.* p. 328. laudata, p. 7. turpe esse censet patri familias, servis in caritate annonae demensum negare. Non minus turpiter peccant illi, qui servos, aetate affectos, aut etiam bestias domesticas, graves annis, extrudunt, iudice Plutarcho in *Cat. Mai.* c. 5. Etenim πρὸς εὐεργεσίας καὶ χάριτας ἔστιν ὅτε καὶ μέχρι τῶν ἀλόγων ζώων, ὥσπερ ἐκ πηγῆς πλουσίας, ἀποῤῥεῖ τῆς ἡμερότητος. Accedit auctoritas Christi ap. Luc. 6, 36. Videtur autem *familiae* nomen saepe habuisse omen *famis* ex Caecilii fragmento, ad c. 14. pr. ascripto, et Iuvenali XIV. 126.

utilitate] Bern. cum MSS. Anglic. quinque, Pal. 1. 2. Gu. 1. ed. Rom. 471. et Victor. addit, *ut putat.* Intelligi poterit *errore quodam*, ut sensus sit, *utilitate, quae videtur esse, non, quae est; specie utilitatis; utilitatis opinione.* Cf. 34. m. 35. pr. Sed Gu. 4. vv. *ut putat* excludit. In rell., omissa part. *ut*, leg. *utilitate putat officium dirigi.* Heus. comparat 85. ex. *Fin.* II. 22, 71. pr. ubi Görenz, similitudinem de naui desumptam esse, monet. Idcirco sequitur: *Hic alio r. f., alio ducit humanitas:* quorum sensum pervertit Degenii interpretatio: *Darüber wird in dem einen Fall unsere häusliche Lage, in dem andern die Menschlichkeit entscheiden.* Ohe! — Seq. *si potuerit* Gernh. p. 463. ratione defendit ita, ut *si potuero* velit esse *si potestas mihi data fuerit, ut potis sim, nescio autem, an id non sit futurum;* ut significetur dubitatio aut propter rei agendae difficultatem aut propter modestiam aut, ut hic, in re ficta. Aliter distinxit Conr. Heusinger in *Praef.* LI. patris sui Fr. sententiam referens, dici *si potero*, ubi de actione, non statim praetereunte, sed continuanda, sermo sit: ut *Leg.* II. 7, 18. ex. Aliam h. l. esse rationem et *Leg.* II. 18, 45. pr. *Brut.* c. 6. ubi temere Sch. cum Ernesto correxit *Ego*

iniurium. — Quid dominus nauis? eripietne suum? Minime: non plus, quam nauigantem in alto eiicere de naui velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumpta nauis est, non domini est nauis,
90 *sed nauigantium. — Quid, si una tabula sit, duo naufragi, iique sapientes? sibine uter rapiat, an alter cedat alteri? Cedat vero, sed ei, cuius magis inter-*

---

vero, inquam, si potero, faciam vobis satis; nec melius *de Or.* II. c. 20. pr. et *Att.* II. 15. sub f. Gernhardo fauere videtur Görenz ad *Fin.* IV. 6, 14. p. 437. huic Futurö vim optativam tribuens. Cf. Lactant. V. 16, 15. pr.

non plus, quam] Male Sch. cum volgg. addit *si*, quam, a Goth. repudiatam, recte sustulerant Heuss., cum sensus sit: *non magis illud faciat, quam nauigantem in mari eiicere velit.* Non contentus hac ellipsi, Degen supplet hunc in modum: *non plus* (fieri potest, ut hoc faciat), *quam* (licet, ut) — *velit.* Improbata Grotii sententia in *I. B. et P.* L. I. c. 4. §. 7. n. 1. L. II. c. 2. §. 6. n. 2. ss. contraque laudato Barbeyracio ad Pufend. *de Off. Hom. et Civ.* L. I. c. 5. §. 28. Binkes in *Analysi* p. 56. n. 62. statuit, ius in tabulae usum competere ei, qui naufragii tempore tabulam primus arripuerit et iure ab hoc illum detrudi, qui iuris usum voluerit impedire.

§. 90. *iique sapientes*] Sic Heus. e Goth. Gu. 3. et (post rasuram) 5. In 1. est *ique*, in 2. et Bern. *eique.* Plerique, ut ψ, Ascens., Bald., Iac. Gronov. Facc. Oliv. *hique.* Gu. 4. *hiique sint sapientes.* Schütz cum Graev. et Ern. *aeque s.* Sed Stoicis nemo sapiente sapientior. Alia res est in seqq. *Quid, si haec paria in utroque?* Görenz ad *Acad.* II. 26, 86. pr. et (ne scilicet tam reconditae sapientiae observatio pereat) iterum ad *Fin.* V. 14, 40. p. 682. a. distingui volt: *Quid? si:* quod non magis probandum, quam si modo ante distingui placuerit: *Quid? dominus nauis eripietne suum?* similiterque in his, quae sequuntur, quaestionibus. V. ad II. 7, 25. pr. Lactant. *Epit.* 56, 5. pr. Liv. V. 51. *Quid haec tandem urbis nostrae clades nova? num ante exorta est, quam* etc.? — Deinde Bern. *sibi neuter rapiat*, quod cum Heus. e Gu. 1. libro Tertii et septem Aldi dedit Degen extra interrogationem et supplet *necesse est.* Contra monuerat Gernh., sic exspectari: *sed alter cedat alteri.* Quod tamen aliter se habebit, si quidem placuerit cum Degenio interpretari: *Es wird doch wohl keiner dem andern Platz machen sollen?* quae figura rhetorica satis convenire videtur sequenti responsioni. Poterit etiam tum interrogationis signum

intersit, vel sua vel rei publicae causa, vivere. — Quid, si haec paria in utroque? Nullum erit certamen; sed, quasi sorte aut micando victus, alteri cedet alter. — Quid, si pater fana expilet, cuni-

---

signum cum Görenzio addi post *neuter rapiat?* quasi responderi cupiat, *alteri licere rapere:* quam interpretationem, quasi ab h. l. sententia alienam, Balduino opposuerat Gernh., qui e MSS. Langii, Fabrit., quinque Ald., Gu. 3. et cum 5. correctore, nec non ex ed. Graev. dedit *sibine uter* (i. e. *alteruter*) *r.?* comp. *Verr.* III. 14, 35. *si uter volet.* In Goth. Vin. Gu. 2. 4. et a prima m. in 5., ed. Magont., Ven. 470. Rom. 471., alia s. l. et a. atque Ern. est *sibi uter;* in pluribus MSS., ψ, ed. Ven. 506. 554. Victor. Manut. Grut. Facc. Pearc. *sibine uterque;* in Ven. 484. 98. Lipss. 500. 7. 13. Lugd. 527. *sibi uterque.*

micando] Genuina haec lectio servatur a libro vallis S. Lamberti, ab antiquo Turnebi in *Adverss.* XX. 13. Graevii 2. Gu. 1. et Nonio c. IV. n. 303. Corrupte Bern. *medicando.* Al. *dimicando.* Eadem est varietas in Sueton. *Aug.* c. 13. ubi Casaubonus docet, frequentem apud veteres micationis usum fuisse in controversiis. V. n. ad 77. ex. Tum male Deg. cum volgg. *alteri cedat alter.* Futurum praeter Gu. 2. et Nonium agnoscit Bern. Intell. *si volet iustus esse,* quod addit Lactantius in *Epit.* 56. ex. ubi magis compendiata, quam in *Divin. Instt.* V. 16, 10. leguntur excerpta e Cic. l. III. *de re publ.* apud quem eodem exemplo usus narratur Carneades in disputatione, Romae contra iustitiam habita. Schütz in *fragg.* p. 78. cum antecessoribus suis (ut Ernesto p. 1153.) *epitomen* maluit exscribere, quam, ut debuerat, ex ipso fonte haurire. Binkes p. 56. hanc scripsit *notam* 63. „Barbeyrac. *ad Pufend.* l. c. §. 17. Ciceroni pro parte assentiri videtur, cum statuat, propriam salutem praeferri tantum legitime posse, si alterius vita societati longe sit utilior. Hanc doctrinam recte, si quid video, oppugnat Garve T. IV. p. 245. s. In ultimo enim vitae discrimine nemo“ [sapiens?] „animo tranquillo ponderare potest, cuius vita civitati foret utilior. Pufend. *I. N. et G.* L. II. c. 6. §. 4. sqq. et *de Off. Hom. et Civ.* l. c. §. 23. sqq. et ibi Treuer aliique statuunt, sui conservationem tanti haberi, ut omnis lex propter sui conservationis ardorem cesset. Merito obversantur his Pestel *Fund. Iurisprud. Nat.* §. 291. ed. IV. (qui pereundum potius dicit, quam cum innocui interitu vivere.) Kant *Metaphys. Anf. der Rechtsl. Einl.* p. XLI. sq. Hugo *Lehrb. des Naturr.* §. 123. ed. III. Bauer *Naturr.* §. 40. quorum philosophia mihi verior vi-

culos agat ad aerarium? indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem. Quin etiam defendat patrem, si arguatur. — Non igitur patriae praestat omnibus officiis? Imo vero; sed ipsi patriae conducit, pios habere civis in parentis. — Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? Imo vero obse-

---

detur." Verum enim vero contra Garvium (ed. II. p. 225. s.) monuit Hottinger II. p. 266., Ciceronem non singulariter de deliberatione capiendi in ultima necessitate consilii praecipere voluisse; sed, totius generis subtilius explicandi gratia, his exemplis usum esse, quae, posita in una re, transferri in omnes possint eas, in quibus conservatio incolumitatis aliis humanitatis officiis repugnare videatur, ut cum neuter, nisi alterius interitu, salvus esse possit. In naufragio aliove eius modi periculo nostrae vitae magis, quam alterius conservationi, consulere licet: per iuris quidem regulam, non, quo tunc utrique ius affirmate datum sit ex alterius incommodis praedandi; sed quod eo facto neutra ex parte violatur ius. Ius enim obmutescit et cessat, cum ipsa naturae necessitate inevitabili illa disrumpitur hominum inter homines consortio. Ergo uterque iuris legi peraeque exemptus est. V. Krugii, V. Summi, *Dicaeol.* §. 22. n. 2. et p. 482. *). Sed cum talium causarum diiudicatio ex ipsorum periclitantium arbitrio pendeat, hoc autem virtutis lege teneatur: obtemperandum conscientiae oraculo, ne in mortis quidem stupore conticescenti, sed vetanti, in tam ancipiti discrimine ψυχοστασίαν fatalis librae ullo momento inclinare, imperantique, ut exitum permittere velis divini numinis providentiae: cuius omnipotentia, si ita decretum fuerit, tenax sempiternae rerum futurarum veritatis praeter spem te conservabit. Haec ipsa fiducia in omni Fortunae tempestate est quasi Leucothees κρήδεμνον, et maria et ventos mitigans. Optime hac de consultatione praecepit I. G. Fichte in *Grundlage des Naturrechts* II. p. 85. ss.

Nefas id quidem]. Additum volgo *est*, cui Gu. 3 substituit *esset*, auctore F. Heusingero cum 5. omisimus. Cf. 87. *Turpe imperio*, et Donat. ad Terent. *Ad.* II. 4, 221 — Ad. seq. *Imo vero* ψ addit *maxime*. Sed per se valet q. *certe*, *profecto*. V. Tursellin. et Meinet p. 191. h. libri, ad I. §. 2. pr. laudati. — Deinde volgatum ordinem *pios cives habere* mutavimus cum Bern., omnibus Gud., edd. vett., Ascensio et Balduino. Cf. I. 55. pr. II. 50. *familiaritates habere fidas*. — In seqq. Bern. contraxit si

crabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet: accusabit; minabitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris. Quaerit etiam, *si sapiens* 91
adulterinos nummos acceperit, imprudens, pro bonis: cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait; Antipater negat, cui potius assentior. *Qui vinum fugiens vendat, sciens, debeatne dicere. Non necesse* putat Diogenes; Antipater *viri boni* existimat. [Haec sunt quasi contro-

---

nil. Gryph. *proficiat.* Goth. *profecerit : accusabit*, i. e. obiurgabit, verborum gravitate acriore utetur in eo increpando et castigando (I. 136. s.). Gernh. comparat *Att.* I. 6. pr. Add. *Mur.* 3, 7. (12. ex.) *cum grave est, vere accusari in amicitia, tum, etiam si falso accuseris, non est negligendum.* Extremorum vv. volgatum ordinem tuetur Nonius in v. *Spectare;* sed mallem e Gu. 3. exc. Bedae atque Eybi *patriae salutem saluti patris anteponet.* V. ad c. 5. ex. Ipsam rem atrocissimam mitis sapientia Tullii euphemismo significat, indicandum patris scelus magistratibus: quo patefacto, aliter fieri non poterit, quam ut ille supplicio afficiatur. Binkes p. 57. n. 64. laudat Marcianum (imo Marcellum) in *D.* IX. 7, 35. Bynkershoek *Obss.* l. VIII. c. 25. §. 10. Huber. *Eunom. Rom.* p. 460. s. Diram hanc officii deligendi necessitatem Raupach argumentum fecit tragoediae sublimis ac magnificae, cui nomen posuit „*die Erdennacht*".

§. 91. *Diogenes a.; Antipater n.*] V. ad 51. pr. Vera est autem Antipatri sententia, quia alias fraudes in infinitum perpetuarentur. Quod si liceat: licebit etiam alias iniurias devolvere in alios, ut furta facere, fidem fallere, peierare, non dissolvere aes alienum, adulterare etc.; si per has malitias nobis antea incommodi quid importatum fuerit. Et solent sane improbi abuti latebra ista. Etenim, cuneum cuneo trudi, dictitantes, pelluntur in omnem turpitudinem. — Deinde Bern. cum volgg. peccat: *venenum fugiens.* Nonius c. II. 337. citat: *Si qui vinum fugiens*, i. e. quod aetati cedit et exolescit, ut explicat Turneb. in *Adv.* XX. 13. Comparatur Senecae *ep.* 12. *Gratissima sunt poma, cum fugiunt.* Verbis, *Non necesse putat D., Ant. v. b. existimat*, quae adiiciuntur, glossatori deberi videntur: *Haec sunt quasi controversa* (Gu. 1. *controversiae*) *iura Stoicorum.* Bern. *Hae — controversia* i. Al. *Hae — controversiae et iura* vel *in iure.* Interprete Tur-

versa iura Stoicorum.] *In mancipio vendendo dicendane vitia, non ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure civili; sed haec, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum*

---

nebo l. c. sunt causae et consultationes, de quibus Stoici inter se dissentiunt: quae translatio sumpta est a iuris consultis, apud quos *iura controversa* et *dubia* vocantur, de quibus inter iuris consultos est dissensio: ut cum aliud videtur Mucio, aliud Bruto, aliud Manilio. Cf. *Mur.* 13, 28. (56.) ex. *Ius* autem *controversum* iuri certo opponitur. Degen cum I. M. Heus. illam ἐπίχειρον post ultimam quaestionem in fine capitis — *mile denariûm* transponere mallet; Schütz autem uncis notavit et per se parum commodam et hic prorsus alieno loco positam, arbitro Gernh., qui recte intelligit, quae sequuntur, eodem pertinere nec multum differre ea, quae in fine cap. leguntur.

redhibeatur] i. e. *reddatur.* Mire Degen derivat a *retro*. Quid ni sufficiat simplex *re* cum *d* ἐφελκυστικῷ? *Redhibere est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerit: et quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio*, ut ait Vlpianus in *D.* XXI. 1, 21. pr. et 23, 1. *Iubent aediles restitui et, quod venditioni accessit, et, si quas accessiones ipse praestiterit: ut uterque, resoluta emptione, nihil amplius consequatur, quam haberet, si venditio facta non esset.* Cf. ib. *l.* 28. Eodem tit. *de aedilic. edict.* recensentur vitia mancipiorum et iumentorum, propter quae redhibitioni vel actioni, quanti minoris, locus sit. Neque tamen omnia ad vivum resecantur (e. g. *l.* ult. pr. *Animi potius, quam corporis, vitium est, si ... mendax aut similibus vitiis teneatur*); sed sufficit, ea vitia indicari, quae alicuius momenti sint, ex *l.* 54. *D.* XVIII. 1. *Res, bona fide vendita, propter minimam causam inempta fieri non debet:* quam legem cum Noodtio *Obss.* II. c. 11. citat Mascov. ad Pufendorf. *de I. N. et G.* V. 3, 2. n. 3. ex. Deinde pro *furacem* edd. recentiores rescripserunt *voracem*, arrepta Pearcii coniectura, qui satis speciose comparavit Vlpianum in *D.* XXI. 1. *l.* 4. §. 2. non, ut Degen ex Hottingeri nota parum intellecta citat, *ex Iureconsultis B(uch* i. e. *lib.* pro *lege ff. de aedilicio edicto!!*) 4. §. 2. *Item aleatores et vinarios non contineri edicto, quosdam respondisse, Pomponius ait: quemadmodum nec gulosos nec impostores aut mendaces aut litigiosos.* Sed constans omnium ll. lectio minime repugnat iis, quae supra h. l. 71. extr. de *edicto aedilium* prolata sunt, modo ea recte interpretere. Confirmatur insuper disertis verbis Marciani in *D.* XXI. 1, 52. *Si furtum domino fecerit, non est necesse, hoc in venditione servi*

Alteri *dicenda* videntur; alteri *non* videntur. — *Si* 92
quis, aurum vendens, orichalcum se putet vendere: indicetne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mile denariûm? Perspicuum [iam] est, et quid mihi videatur et quae sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

---

praedicere, nec ex hac causa redhibitio est. Sed, si dixerit, hunc furem non esse, ex illa parte tenebitur, quod dixit promisitve. Cf. Vlpian. ib. *l.* 19. §. 1. Gai. ib. *l.* 31. §. 1. et *Synopsis. Basilic.* XIX. 10. c. 59. Neque obstat . 13. §. 1. et 3. *D.* XIX. *t.* 1.

§. 92. *orichalcum*] De hoc Gernh. laudat Heynium ad Virg. *Aen.* XII. 87. Movit autem eandem hanc quaestionem Carneades in Cic. l. III. *de re publ.* ap. Lactant. V. 16, 7. 17, 32. et *Epitom.* 56, 4. Post *mile* solennis est illa Genitivi forma *denariûm*, ut ap. Gell. *N. A.* VII. 11. ex. *qui spondet mile nummûm?* V. Nonius *de numer. et casib.* p. 495. De ipsa re ambigi posse videtur. Nam qui aurum pro orichalco aut argentum pro plumbo vendit per errorem, hic plerumque non labore suo paravit, sed, dextero Hercule, ut aiunt, invenit: ut omittam milites et latrones, praedam venum dantes, a quibus quidquam emere, nefas est. Videtur autem iniquum, stultum ex fortuna atque casu potius lucrari, quam peritum ex rei intelligentia sua: qui si vendentis errorem redarguerit, pro eo habendum erit, ac si illi donum muneratus fuerit. Licetque huic rei accommodare illud: *Sic vos non vobis mellificatis apes.* Verum tamen aliter in alia rerum conditione statuendum erit et de omni hac quaestione nihil praecipiendum praeter hoc, ut, si venditoris errorem redarguere velles, quoquo alio emptore, tunc etiam ipse emptor illud lucrum repudiare debeas, ut turpe ac fraudis plenissimum. Idem servandum, si viro docto libri cuiusdam, qui adhuc in deperditis fuit, ex antiquitatis ruinis servati, exemplar venum detur pro vilibus chartis. — A Graevio inde volgatur, *Perspicuum iam est;* sed a Bern. Guu. 1. 2. 4. 5. Goth. edd. vett. Ascensio, Gryph. et Facc. transp. *Perspicuum est iam.* Saepe autem part. *iam* intrusa reperitur et non difficilius hic ea caruerim, quam . 160. *Patefactus est enim locus ipse.* II. c. 16. ex. Aliter verba struuntur I. *de invent.* 37, 66. et *Or.* II. §. 215. *Iam illud perspicuum est.* Praeterea hic non intelligitur *de toto hoc genere*, sed *de postrema hac quaestione.*

XXIV. Pacta et promissa semperne servanda sint, QVAE NEC VI NEC DOLO MALO (ut praetores solent) FACTA SINT. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem pepigeritque, *ne illo medicamento unquam postea uteretur:* si eo medicamento sanus factus fuerit et annis aliquot

---

C. XXIV. *semperne servanda sint*] Gu. 3. *sunt*. Mallem, omisisset, itemque in seqq. *sit* post *quid faciendum*. Alias subauditur *quaeritur*. Vix enim haec quoque exempla ab Hecatone repetita crediderim. Sed in obliqua hac oratione, ut nunc est, visum est, interrogationis signum, volgo post *facta sint* positum, tollere. Ellipsis *ut praetores* * *solent*, quibus vv. glossatores * inserunt *edicere* v. *dicere*, a F. Heus. declaratur exemplo e *Bruto* c. 4. *Nec enim ex novis* (*ut agricolae solent*) *fructibus est*. Itaque idem verbum a glossatore additum videtur *de Or*. II. c. 23. *in qua* (Sulpicii oratione) *nunc interdum* (*ut in herbis rustici solent dicere*) *in summa ubertate inest luxuries quaedam:* ubi displicet Schützii coniectura *dicere de summa ubertate*. Similiter *Fin*. IV. 1, 2. pr. ad vv. *Non — soleo temere contra Stoicos* subauditur *dicere*. De formula illa praetoria v. *D*. IV. t. 2. *Quod metus causa gestum erit*, et *t*. 3. *de dolo malo*. Ipsum edictum praetoris refertur in *D*. II. 14, 7. §. 7. *Ait praetor: Pacta conventa, quae neque dolo malo neque adversus leges, plebiscita, senatus consulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta sint, servabo*. Sed ex h. Cic. l. Cuiacius ad Pauli *Sent*. *L*. I. *t*. 1. in Schulting. *Iuris prud. Anteiust*. p. 219. colligit, in edicto olim praeterea additum fuisse *neque vi*, ut notat Binkes p. 57. n. 65. qui praeterea laudat Schulting. *Enarr*. ad d. tit. *D*. §. 26. Noodt *de pact. et transact*. c. 15. V. ad I. 10, 33. pr. et scriptores laudatos Hauboldo, V. Ill. et S. Rev., in *Instt. I. Rom. priv. lin*. n. 662. *b*) et *c*) cl. supra ad h. l. 60. p. 287. *de dolo malo*. De eo edidit hoc ipso anno Lipsiae Frid. Guil. Vhlig satis tenuem diss. *Quando dolus in contractibus obveniens transitum dominii impediat*, 4. pp. 27. De promissis, vi et metu extortis, v. ad 107. I. 10, 32. ex.

medicamentum — ad aquam intercutem] i. e. *contra hydropem*. Tum Bern. cum Gu. 1. et Gryph. *si eo medicamento sanus factus esset, ne eo medicamento unquam postea* (Anemoec. *ne illo unquam post*) *uteretur, si eo m. sanus factus sit*. Glossemate illo, quod ad *postea* ascriptum videtur, praemisso, Gu. 3. scripsit, *si eo m. s. f. sit, ne illo umquam postea utatur*, sequenti membro

post inciderit in eundem morbum nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit. Cum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quidquam fiat iniuriae: vitae et saluti consulendum. — Quid, si sapiens, rogatus ab 93
eo, qui eum heredem faciat, *cum ei testamento sestertium milies relinquatur, ut ante, quam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet*, id se facturum promiserit, quod aliter heredem eum

---

omisso. Male. — Seq. *iterum* Bern. cum plerisque corrupit in *item*. Huius confusionis causa est scribendi compendium. — Post *qui non concedat* Sch., ut credimus, non consulto reliquit glossema *uti*, ex edd. vett. propagatum, quo Bern. cum rell. MSS. vacuus est.

§. 93. *Quid, si sapiens, rogatus ab eo, qui — non esset?*] Interrogationis signum, volgo statim post *Quid* interpositum, promovimus post *esset* ad exemplum quaestionum §. 89. s. Volgo: *si quis* (Bern. *si qui*) *sapiens rogatus sit — idque se f. promiserit.* Expunxit F. Heus. pron. *quis*, a Gu. 1. 2., et v. *sit*, a. 3. et Gryphio omissum; denique copulam *que*, a Gu. 2. exclusam, quarto *quia*, edd. Lips. 507. 513. *quod* substituentibus. Sch. solum pron. *quis* delevit et, praeterquam quod codd. permutavit, fallit etiam in referenda Heus. lectione, cum copulam *que* ab eo deletam reticuerit. *Heredem facere* 74. pr. et in *Phaedr.* IV. *fab.* 4, 7. i. e. q. *h. scribere.* Ceterum *sestertium* hic esse Nominativum, ipse verbi numerus indicat. Aliter sentire videtur Degen, qui ad *milies* (sic simplici *l* ad analogiam v. *miles* recte Bern. cum al. MSS. et edd. vett.) suppleverit *centena milia.* Imo solenniter subauditur *centies.* Iam vero *sestertium* (centies) *milies* efficit *milies centena milia sestertiûm*, i. e. non, quantum idem putat, minus tres miliones thalerorum, sed 3,333333⅓ thal. vel, ut recte I. M. Heus., Florenorum quinquagies centena milia s. quinque miliones. — Tum Bern. cum volgg. *aliter eum heredem.* Heus. e Gu. 1. 2. 5. et Gryph. transposuit *heredem eum*; sed pron. mihi suspectum est, certe insiticium extr. hoc c., ubi Sch. cum volgg. edidit *saltare eum, cum —, turpe non sit*; sed pron. ibi, ab Heus. multorum librorum auctoritate proscriptum, ignorat Bern. quoque. De *saltandi turpitudine* resp. ad 75. p. 844. Testamentis autem interdum nugatorias et ridiculas conditiones insertas esse, colligas ex Horat. II. S. 3, 84 — 88. Quid, quod in Britannia multa saepe talium ineptiarum et deliramentorum exempla

scripturus ille non esset? faciat, quod promiserit, nec ne? Promisisse, nollem; et, id, arbitror, fuisse gravitatis. Quoniam promisit: si, saltare in foro, turpe ducet; honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit: nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit, ut, vel saltare, cum patriae consulturus sit, turpe non sit.

94 XXV. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus promiseris. Sol Phaëthonti filio (ut redeamus ad fabulas) *factu-*

---

renascuntur? — *Promisisse* (eum), *nollem* est improbantis, ut I. 11, 35. p. 81. Tum Sch. cum volgg. *Sed, quoniam promisit.* Part. *sed*, ab Heus. et Gernh. expuncta, abest a Guu. omnibus, Groning. Goth. Vin. Bern. Cur. Ven. 602. et rell. edd. vett. Quamquam huius particulae compendium post *s* facile obliterari potuit. — *Mentietur*, ψεύσεται, accipio pro *mentitus fuerit*, ἐψευκέναι μελλήσει. Verbi Futurum recte ponitur in re praeterita, sed nondum explorata. Ita non erit necesse cum Hottingero interpretari: *sein Versprechen ableugnen*. Hoc vero esset duplex mendacium. Post *si ex h. nihil ceperit* Bern. cum plerisque al. addit glossema *quam si ceperit*, ut 87. *Piratarum enim melior fides* [*quam senatus*]. — Denique *rei p. magnum tempus* (i. e. ubi maxime r. p. salus agitur inque discrimine vertitur) dici pro *r. p. periculo*, notavimus ad I. 81. ex. II. 1, 4. p. 13. Cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. *de fig. sent. et eloc.* I. 7. p. 27. s.

C. XXV. §. 94. *iis ipsis*] Bern *his ipsis.* Verbis *quibus promiseris* interpositum volgo pron. *illa*, quod Gu. 6. atque ed. Ascens. verbo postponit, nos cum Facc., cui Gernh. assentitur, fauente uno cod. Manutii, delevimus. Cf. I. 10, 32. p. 72. — In seq. *Phaëthontis* exemplo cum disiecta membra poëtae (nescio, qua narium sagacitate) odorati essent Guilielmius et Gruterus: en! princeps F. Heus., adhibita tum addendi tum transponendi licentia, in septenarios coëgit. Hunc praesulem deinceps secuti sunt posteri, si minus tripudiantes, at claudicantes tamen. Me quidem cum monstrosissimi illi versus nimium quantum offenderent: consului eum, cuius solertiae atque eruditioni sapientissimi quique fasces summittunt, Hermannum. Isque plenissime nobis persuasit, in oratoria hac exempli brevitate nullos versus quaerendos esse, sed prosos ipsissimi Ciceronis modos agnoscendos. — Legitur

rum se dixit, *quidquid optasset.* Optavit, *ut in currum patris tolleretur.* Sublatus est. Atque is, an-

---

volgo *facturum se* (e Vinar. excidit pron.) *esse dixit;* sed Gu. 2. transponente *dixit esse* (quod Heus. eiusque sectatores, metri scilicet iuvandi causa, receperunt), Infinitivum abieci. Cf. 93. *id se facturum promiserit.* Ergo *dixit* hic i. e. q. *promisit*, ut in Marciani l. ad 91. ex. cit. et I. 10, 32. p. 74. — Gu. 2. *quidquid petisset.* — Deinde Gu. 4. transponit *in patris currum.* Gu. 3. *ut curru patris*, quod, extrita litera *s*, recepit Heus. cum comitibus suis, comp. Horat. *S.* II. 6, 42. Ovid. *Fast.* II. 735. IV. 562. Volgatam tuentur etiam Bern. Cur. et ed. Ven. 502. Cf. *N. D.* III. 31, 76. *Sol, in currum cum Phaëthontem filium sustulit.*

Sublatus est] Tres Aldini cum Tertii libro *sublatus insanus*, et cum septem Oxon. Gu. 1. 2. 4. Gryph. Ven. 554. Bald. Lambino et Oliv. *atque is* (Bern. *his*) *antequam constitit*, quod recepit Gernh. hoc sensu, *atque vix sublatus erat.* Alii interpretantur: *antequam se colligeret et sic componeret, ut stare posset.* Ed. vett. omnes, Ascens., Car. Lang., Fabrit., Facc. cum octo Aldi libris, Graev. 2. et Vinar. *atque insanus antequam* (cui Liliensis Suffridi, Palat. Gruteri, Gu. 5. et exc. Pith. substituunt *qua*, ψ *quia*) *const.* Al. *insanus atque qua const.* Goth. *Atque is sanus qua const.* Cur. quoque substituit *qua.* Sch. et Deg. cum F. Heus. e Gu. 3. scripserunt: *Atque is ea, qua* (i. e. ibi, ubi) *constitit* (eodem vestigio s. in eo ipso curru, quem tam cupide conscenderat). V. *insanus* v. *sanus* potest glossa horum vv. videri, si corrigatur: *Atque is* (v. *istic*, i. e. ibi. Ita quidem explicaretur, unde nata esset lectio *ea, qua*), *antequam mens* aut (quae lectio etiam literis propius ad codd. scripturam accederet) *sensus constitit* vel *consisteret.* Alii enim exhibent *consistet*, quod facile sic corrumpi potuit. V. ad II. 3, 9. pr. Sensum expressit Ovid. in *Metam.* II. 169. 180. s. 191. 194. 200. Metaphoricum verbi usum exemplis docet Gesner in *Thesaur. L. L.* I. p. 1185, 33. ss. *Timor abstulisse omnem sensum animumque* dicitur *Metam.* XIV. 177. Cf. *Ep. ex Ponto* IV. 12, 48. Lucan. V. 760. Cic. *Divin.* I. 37, 80. ex. Nec tamen invitus ante legerim: *Sublatus est insanus*, vel etiam *Sublatus est. Atque insanus* etc. Vt in *Epistt.* IX. 21. pr. *insanire* dicitur, qui imitatur verborum alicuius fulmina, cum consequi non possit; sic h. l. Phaëthon *insanus* propter cupiditatem insanam atque temerariam, qui nescius affectarit moderamen equorum, quod non viribus istis conveniret et cuius impetrati mox poeniteret. Cf. Ov. *Met.* II. 54. ss. 100. ss. 182. s. *Trist.* I. 1, 79. s. Hermannus quidem, V. Ill., hoc voc. itidem, ut pron. *is*, quod in al. ll. substituitur,

iniurium. — Quid dominus nauis? eripietne suum? Minime: non plus, quam nauigantem in alto eiicere de naui velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumpta nauis est, non domini est nauis,
90 *sed nauigantium. — Quid, si una tabula sit, duo naufragi, iique sapientes? sibine uter rapiat, an alter cedat alteri? Cedat vero, sed ei, cuius magis inter-*

---

vero, inquam, si p o t e r o, *faciam vobis satis;* nec melius *de Or.* II. c. 20. pr. et *Att.* II. 15. sub f. Gernhardo fauere videtur Görenz ad *Fin.* IV. 6, 14. p. 437. huic Futuro vim optativam tribuens. Cf. Lactant. V. 16, 15. pr.

non plus, quam] Male Sch. cum volgg. addit *si*, quam, a Goth. repudiatam, recte sustulerant Heuss., cum sensus sit: *non magis illud faciat, quam nauigantem in mari eiicere velit.* Non contentus hac ellipsi, Degen supplet hunc in modum: *non plus* (fieri potest, ut hoc faciat), *quam* (licet, ut) — *velit.* Improbata Grotii sententia in *I. B. et P.* L. I. c. 4. §. 7. n. 1. L. II. c. 2. §. 6. n. 2. ss. contraque laudato Barbeyracio ad Pufend. *de Off. Hom. et Civ.* L. I. c. 5. §. 28. Binkes in *Analysi* p. 56. n. 62. statuit, ius in tabulae usum competere ei, qui naufragii tempore tabulam primus arripuerit et iure ab hoc illum detrudi, qui iuris usum voluerit impedire.

§. 90. *iique sapientes*] Sic Heus. e Goth. Gu. 3. et (post rasuram) 5. In 1. est *ique*, in 2. et Bern. *eique.* Plerique, ut ψ, Ascens., Bald., Iac. Gronov. Facc. Oliv. *hique.* Gu. 4. *hiique* s i n t *sapientes.* Schütz cum Graev. et Ern. *aeque s.* Sed Stoicis nemo sapiente sapientior. Alia res est in seqq. *Quid, si haec* p a r i a *in utroque?* Görenz ad *Acad.* II. 26, 86. pr. et (ne scilicet tam reconditae sapientiae observatio pereat) iterum ad *Fin.* V. 14, 40. p. 682. a. distingui volt: *Quid? si:* quod non magis probandum, quam si modo ante distingui placuerit: *Quid? dominus nauis eripietne suum?* similiterque in his, quae sequuntur, quaestionibus. V. ad II. 7, 25. pr. Lactant. *Epit.* 56, 5. pr. Liv. V. 51. *Quid haec* t a n d e m *urbis nostrae clades nova?* n u m *ante exorta est, quam* etc.? — Deinde Bern. *sibi* n e u t e r *rapiat*, quod cum Heus. e Gu. 1. libro Tertii et septem Aldi dedit Degen extra interrogationem et supplet *necesse est.* Contra monuerat Gernh., sic exspectari: *sed alter cedat alteri.* Quod tamen aliter se habebit, si quidem placuerit cum Degenio interpretari: *Es wird doch wohl keiner dem andern Platz machen sollen?* quae figura rhetorica satis convenire videtur sequenti responsioni. Poterit etiam tum interrogationis signum

intersit, vel sua vel rei publicae causa, vivere. — *Quid, si haec paria in utroque? Nullum erit certamen; sed, quasi sorte aut micando victus, alteri cedet alter.* — *Quid, si pater fana expilet, cuni-*

---

signum cum Görenzio addi post *neuter rapiat?* quasi responderi cupiat, *alteri licere rapere*: quam interpretationem, quasi ab h. l. sententia alienam, Balduino opposuerat Gernh., qui e MSS. Langii, Fabrit., quinque Ald., Gu. 3. et cum 5. correctore, nec non ex ed. Graev. dedit *sibine uter* (i. e. *alteruter*) *r.?* comp. *Verr.* III. 14, 35. *si uter volet.* In Goth. Vin. Gu. 2. 4. et a prima m. in 5., ed. Magont., Ven. 470. Rom. 471., alia s. l. et a. atque Ern. est *sibi uter;* in pluribus MSS., ψ, ed. Ven. 506. 564. Victor. Manut. Grut. Facc. Pearc. *sibine uterque;* in Ven. 484. 98. Lipss. 500. 7. 13. Lugd. 527. *sibi uter que.*

micando] Genuina haec lectio servatur a libro vallis S. Lamberti, ab antiquo Turnebi in *Adverss.* XX. 13. Graevii 2. Gu. 1. et Nonio c. IV. n. 303. Corrupte Bern. *medicando.* Al. *dimicando.* Eadem est varietas in Sueton. *Aug.* c. 13. ubi Casaubonus docet, frequentem apud veteres micationis usum fuisse in controversiis. V. n. ad 77. ex. Tum male Deg. cum volgg. *alteri cedat alter.* Futurum praeter Gu. 2. et Nonium agnoscit Bern. Intell. *si volet iustus esse,* quod addit Lactantius in *Epit.* 56. ex. ubi magis compendiata, quam in *Divin. Instt.* V. 16, 10. leguntur excerpta e Cic. l. III. *de re publ.* apud quem eodem exemplo usus narratur Carneades in disputatione, Romae contra iustitiam habita. Schütz in *fragg.* p. 78. cum antecessoribus suis (ut Ernesto p. 1153.) *epitomen* maluit exscribere, quam, ut debuerat, ex ipso fonte haurire. Binkes p. 56. hanc scripsit *notam* 63. „Barbeyrac. *ad Pufend.* l. c. §. 17. Ciceroni pro parte assentiri videtur, cum statuat, propriam salutem praeferri tantum legitime posse, si alterius vita societati longe sit utilior. Hanc doctrinam recte, si quid video, oppugnat Garve T. IV. p. 245. s. In ultimo enim vitae discrimine nemo" [sapiens?] „animo tranquillo ponderare potest, cuius vita civitati foret utilior. Pufend. *I. N. et G.* L. II. c. 6. §. 4. sqq. et *de Off. Hom. et Civ.* l. c. §. 23. sqq. et ibi Treuer aliique statuunt, sui conservationem tanti haberi, ut omnis lex propter sui conservationis ardorem cesset. Merito obversantur his Pestel *Fund. Iurisprud. Nat.* §. 291. ed. IV. (qui pereundum potius dicit, quam cum innocui interitu vivere.) Kant *Metaphys. Anf. der Rechtsl. Einl.* p. XLI. sq. Hugo *Lehrb. des Naturr.* §. 123. ed. III. Bauer *Naturr.* §. 40. quorum philosophia mihi verior vi-

culos agat ad aerarium? indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem. Quin etiam defendat patrem, si arguatur. — Non igitur patria praestat omnibus officiis? Imo vero; sed ipsi patriae conducit, pios habere civis in parentis. — Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? Imo vero obse-

---

detur." Verum enim vero contra Garvium (ed. II. p. 225. s.) monuit Hottinger II. p. 266., Ciceronem non singulariter de deliberatione capiendi in ultima necessitate consilii praecipere voluisse; sed, totius generis subtilius explicandi gratia, his exemplis usum esse, quae, posita in una re, transferri in omnes possint eas, in quibus conservatio incolumitatis aliis humanitatis officiis repugnare videatur, ut cum neuter, nisi alterius interitu, salvus esse possit. In naufragio aliove eius modi periculo nostrae vitae magis, quam alterius conservationi, consulere licet per iuris quidem regulam, non, quo tunc utrique ius affirmate datum sit ex alterius incommodis praedandi; sed quod eo facto neutra ex parte violatur ius. Ius enim obmutescit et cessat, cum ipsa naturae necessitate invitabili illa disrumpitur hominum inter homines consortio. Ergo uterque iuris legi peraeque exemptus est. V. Krugii, V. Summi, *Dicaeol.* §. 22. n. 2. et p. 482. *). Sed cum talium causarum diiudicatio ex ipsorum periclitantium arbitrio pendeat, hoc autem virtutis lege teneatur: obtemperandum conscientiae oraculo, ne in mortis quidem stupore conticescenti, sed vetanti, in tam ancipiti discrimine ψυχοστασίαν fatalis librae ullo momento inclinare, imperantique, ut exitum permittere velis divini numinis providentiae: cuius omnipotentia, si ita decretum fuerit, tenax sempiternae rerum futurarum veritatis praeter spem te conservabit. Haec ipsa fiducia in omni Fortunae tempestate est quasi Leucothees κρήδεμνον, et maria et ventos mitigans. Optime hac de consultatione praecepit I. G. Fichte in *Grundlage des Naturrechts* II. p. 85. ss.

Nefas id quidem]. Additum volgo *est*, cui Gu. 3. substituit *esset*, auctore F. Heusingero cum 5. omisimus. Cf. 87. *Turpe imperio*, et Donat. ad Terent. *Ad.* II. 4. 22. — Ad. seq. *Imo vero* ψ addit *maxime*. Sed per se i. valet q. *certe*, *profecto*. V. Tursellin. et Meinet p. 191. s. libri, ad I. §. 2. pr. laudati. — Deinde volgatum ordinem *pios cives habere* mutavimus cum Bern., omnibus Gud., edd. vett., Ascensio et Balduino. Cf. I. 55. pr. II. 50. *familiaritates habere fidas*. — In seqq. Bern. contraxit *si*

crabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet: accusabit; minabitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris. Quaerit etiam, *si sapiens* 91
adulterinos nummos acceperit, imprudens, pro bonis: cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait; Antipater negat, cui potius assentior. *Qui vinum fugiens vendat, sciens, debeatne dicere. Non necesse* putat Diogenes; Antipater *viri boni* existimat. [Haec sunt quasi contro-

---

nil. Gryph. *proficiat.* Goth. *profecerit: accusabit,* i. e. obiurgabit, verborum gravitate acriore utetur in eo increpando et castigando (I. 136. s.). Gernh. comparat *Att.* I. 6. pr. Add. *Mur.* 3, 7. (12. ex.) *cum grave est, vere accusari in amicitia, tum, etiam si falso accuseris, non est negligendum.* Extremorum vv. volgatum ordinem tuetur Nonius in v. *Spectare;* sed mallem e Gu. 3. exc. Bedae atque Eybi *patriae salutem saluti patris anteponet.* V. ad c. 5. ex. Ipsam rem atrocissimam mitis sapientia Tullii euphemismo significat, indicandum patris scelus magistratibus: quo patefacto, aliter fieri non poterit, quam ut ille supplicio afficiatur. Binkes p. 57. n. 64. laudat Marcianum (imo Marcellum) in *D.* IX. 7, 35. Bynkershoek *Obss.* l. VIII. c. 25. §. 10. Huber. *Eunom. Rom.* p. 460. s. Diram hanc officii deligendi necessitatem Raupach argumentum fecit tragoediae sublimis ac magnificae, cui nomen posuit „*die Erdennacht*".

§. 91. *Diogenes a.; Antipater n.*] V. ad 51. pr. Vera est autem Antipatri sententia, quia alias fraudes in infinitum perpetuarentur. Quod si liceat: licebit etiam alias iniurias devolvere in alios, ut furta facere, fidem fallere, peierare, non dissolvere aes alienum, adulterare etc.; si per has malitias nobis antea incommodi quid importatum fuerit. Et solent sane improbi abuti latebra ista. Etenim, cuneum cuneo trudi, dictitantes, pelluntur in omnem turpitudinem. — Deinde Bern. cum volgg. peccat: *venenum fugiens.* Nonius c. II. 337. citat: *Si qui vinum fugiens,* i. e. quod aetati cedit et exolescit, ut explicat Turneb. in *Adv.* XX. 13. Comparatur Senecae *ep.* 12. *Gratissima sunt poma, cum fugiunt.* Verbis, *Non necesse putat D., Ant. v. b. existimat,* quae adiiciuntur, glossatori deberi videntur: *Haec sunt quasi controversa* (Gu. 1. *controversiae*) *iura Stoicorum.* Bern. *Hae — controversia* i. Al. *Hae — controversiae et iura* vel *in iure.* Interprete Tur-

versa iura Stoicorum.] *In mancipio vendendo dicendane vitia, non ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure civili; sed haec, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum.*

---

nebo l. c. sunt causae et consultationes, de quibus Stoici inter se dissentiunt: quae translatio sumpta est a iuris consultis, apud quos *iura controversa* et *dubia* vocantur, de quibus inter iuris consultos est dissensio: ut cum aliud videtur Mucio, aliud Bruto, aliud Manilio. Cf. *Mur.* 13, 28. (56.) ex. *Ius* autem *controversum* iuri certo opponitur. Degen cum I. M. Heus. illam ἐπίκρισιν post ultimam quaestionem in fine capitis — *milo denariûm* transponere mallet; Schütz autem uncis notavit et per se parum commodam et hic prorsus alieno loco positam, arbitro Gernh., qui recte intelligit, quae sequuntur, eodem pertinere nec multum differre ea, quae in fine cap. leguntur.

redhibeatur] i. e. *reddatur.* Mire Degen derivat a *retro.* Quid ni sufficiat simplex *re cum d* ἐφελκυστικῷ? *Redhibere est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerit: et quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio,* ut ait Vlpianus in *D.* XXI. 1, 21. pr. et 23, 1. *Iubent aediles restitui et, quod venditioni accessit, et, si quas accessiones ipse praestiterit: ut uterque, resoluta emptione, nihil amplius consequatur, quam haberet, si venditio facta non esset.* Cf. ib. *l.* 28. Eodem tit. *de aedilic. edict.* recensentur vitia mancipiorum et iumentorum, propter quae redhibitioni vel actioni, quanti minoris, locus sit. Neque tamen omnia ad vivum resecantur (e. g. *l.* ult. pr. *Animi potius, quam corporis, vitium est, si ... mendax aut similibus vitiis teneatur*); sed sufficit, ea vitia indicari, quae alicuius momenti sint, ex *l.* 54. *D.* XVIII. 1. *Res, bona fide vendita, propter minimam causam inempta fieri non debet:* quam legem cum Noodtio *Obss.* II. c. 11. citat Mascov. ad Pufendorf. *de I. N. et G.* V. 3, 2. n. 3. ex. Deinde pro *furacem* edd. recentiores rescripserunt *voracem*, arrepta Pearcii coniectura, qui satis speciose comparavit Vlpianum in *D.* XXI. 1. *l.* 4. §. 2. non, ut Degen ex Hottingeri nota parum intellecta citat, *ex Iureconsultis B(uch* i. e. *lib.* pro *lege ff. de aedilicio edicto!!*) 4. §. 2. *Item aleatores et vinarios non contineri edicto, quosdam respondisse, Pomponius ait: quemadmodum nec gulosos nec impostores aut mendaces aut litigiosos.* Sed constans omnium ll. lectio minime repugnat iis, quae supra h. l. 71. extr. de *edicto aedilium* prolata sunt, modo ea recte interpretere. Confirmatur insuper disertis verbis Marciani in *D.* XXI. 1, 52. *Si furtum domino fecerit, non est necesse, hoc in venditione servi*

Alteri *dicenda* videntur; alteri *non* videntur. — *Si* 92 *quis, aurum vendens, orichalcum se putet vendere: indicetne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mile denariûm?* Perspicuum [iam] est, et quid mihi videatur et quae sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

---

praedicere, nec ex hac causa redhibitio est. Sed, si dixerit, hunc furem non esse, ex illa parte tenebitur, quod dixit promisitve. Cf. Vlpian. ib. *l.* 19. §. 1. Gai. ib. *l.* 31. §. 1. et *Synopsis. Basilic.* XIX. 10. c. 59. Neque obstat *l.* 13. §. 1. et 3. *D.* XIX. *t.* 1.

§. 92. *orichalcum*] De hoc Gernh. laudat Heynium ad Virg. *Aen.* XII. 87. Movit autem eandem hanc quaestionem Carneades in Cic. l. III. *de re publ.* ap. Lactant. V. 16, 7. 17, 32. et *Epitom.* 56, 4. Post *mile* solennis est illa Genitivi forma *denariûm*, ut ap. Gell. *N. A.* VII. 11. ex. *qui spondet mile nummûm?* V. Nonius *de numer. et casib.* p. 495. De ipsa re ambigi posse videtur. Nam qui aurum pro orichalco aut argentum pro plumbo vendit per errorem, hic plerumque non labore suo paravit, sed, dextero Hercule, ut aiunt, invenit: ut omittam milites et latrones, praedam venum dantes, a quibus quidquam emere, nefas est. Videtur autem iniquum, stultum ex fortuna atque casu potius lucrari, quam peritum ex rei intelligentia sua: qui si vendentis errorem redarguerit, pro eo habendum erit, ac si illi donum muneratus fuerit. Licetque huic rei accommodare illud: *Sic vos non vobis mellificatis apes.* Verum tamen aliter in alia rerum conditione statuendum erit et de omni hac quaestione nihil praecipiendum praeter hoc, ut, si venditoris errorem redarguere velles, quoquo alio emptore, tunc etiam ipse emptor illud lucrum repudiare debeas, ut turpe ac fraudis plenissimum. Idem servandum, si viro docto libri cuiusdam, qui adhuc in deperditis fuit, ex antiquitatis ruinis servati, exemplar venum detur pro vilibus chartis. — A Graevio inde volgatur, *Perspicuum iam est;* sed a Bern. Guu. 1. 2. 4. 5. Goth. edd. vett. Ascensio, Gryph. et Facc. transp. *Perspicuum est iam.* Saepe autem part. *iam* intrusa reperitur et non difficilius hic ea caruerim, quam I. 160. *Patefactus est enim locus ipse.* II. c. 16. ex. Aliter verba struuntur I. *de invent.* 37, 66. et *Or.* II. §. 215. *Iam illud perspicuum est.* Praeterea hic non intelligitur *de toto hoc genere, sed de postrema hac quaestione.*

XXIV. Pacta et promissa semperne servanda sint, QVAE NEC VI NEC DOLO MALO (ut praetores solent) FACTA SINT. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem pepigeritque, *ne illo medicamento unquam postea uteretur:* si eo medicamento sanus factus fuerit et annis aliquot

---

C. XXIV. *semperne servanda sint*] Gu. 3. *sunt.* Mallem, omisisset, itemque in seqq. *sit* post *quid faciendum.* Alias subauditur *quaeritur.* Vix enim haec quoque exempla ab Hecatone repetita crediderim. Sed in obliqua hac oratione, ut nunc est, visum est, interrogationis signum, volgo post *facta sint* positum, tollere. Ellipsis *ut praetores * solent*, quibus vv. glossatores * inserunt *edicere* v. *dicere*, a F. Heus. declaratur exemplo e *Bruto* c. 4. *Nec enim ex novis (ut agricolae solent) fructibus est.* Itaque idem verbum a glossatore additum videtur *de Or.* II. c. 23. *in qua* (Sulpicii oratione) *nunc interdum (ut in herbis rustici solent dicere) in summa ubertate inest luxuries quaedam:* ubi displicet Schützii coniectura *dicere de summa ubertate.* Similiter *Fin.* IV. 1, 2. pr. ad vv. *Non — soleo temere contra Stoicos* subauditur *dicere.* De formula illa praetoria v. *D.* IV. t. 2. *Quod metus causa gestum erit*, et *t.* 3. *de dolo malo.* Ipsum edictum praetoris refertur in *D.* II. 14, 7. §. 7. *Ait praetor: Pacta conventa, quae neque dolo malo neque adversus leges, plebiscita, senatus consulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta sint, servabo.* Sed ex h. Cic. l. Cuiacius ad Pauli *Sent. L.* I. *t.* 1. in Schulting. *Iuris prud. Anteiust.* p. 219. colligit, in edicto olim praeterea additum fuisse *neque vi*, ut notat Binkes p. 57. n. 65. qui praeterea laudat Schulting. *Enarr.* ad d. tit. *D.* §. 26. Noodt *de pact. et transact.* c. 15. V. ad I. 10, 33. pr. et scriptores laudatos Hauboldo, V. Ill. et S. Rev., in *Instt. I. Rom. priv. lin.* n. 662. *b*) et *c*) cl. supra ad h. l. 60. p. 287. *de dolo malo.* De eo edidit hoc ipso anno Lipsiae Frid. Guil. Vhlig satis tenuem diss. *Quando dolus in contractibus obveniens transitum dominii impediat*, 4. pp. 27. De promissis, vi et metu extortis, v. ad 107. I. 10, 32. ex.

medicamentum — ad aquam intercutem] i. e. *contra hydropem.* Tum Bern. cum Gu. 1. et Gryph. *si eo medicamento sanus factus esset, ne eo medicamento unquam postea* (Anemoec. *ne illo unquam post*) *uteretur, si eo m. sanus factus sit.* Glossemate illo, quod ad *postea* ascriptum videtur, praemisso, Gu. 3. scripsit, *si eo m. s. f. sit, ne illo umquam postea utatur*, sequenti membro

post inciderit in eundem morbum nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit. Cum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quidquam fiat iniuriae: vitae et
saluti consulendum. — Quid, si sapiens, rogatus ab 93
eo, qui eum heredem faciat, *cum ei testamento sestertium milies relinquatur, ut ante, quam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet*, id se facturum promiserit, quod aliter heredem eum

---

omisso. Male. — Seq. *iterum* Bern. cum plerisque corrupit in *item*. Huius confusionis causa est scribendi compendium. — Post *qui non concedat* Sch., ut credimus, non consulto reliquit glossema *uti*, ex edd. vett. propagatum, quo Bern. cum rell. MSS. vacuus est.

§. 93. *Quid, si sapiens, rogatus ab eo, qui — non esset?*] Interrogationis signum, volgo statim post *Quid* interpositum, promovimus post *esset* ad exemplum quaestionum §. 89. s. Volgo: *si quis* (Bern. *si qui*) *sapiens rogatus sit — idque se f. promiserit.* Expunxit F. Heus. pron. *quis*, a Gu. 1. 2., et v. *sit*, a. 3. et Gryphio omissum; denique copulam *que*, a Gu. 2. exclusam, quarto *quia*, edd. Lipss. 507. 513. *quod* substituentibus. Sch. solum pron. *quis* delevit et, praeterquam quod codd. permutavit, fallit etiam in referenda Heus. lectione, cum copulam *que* ab eo deletam reticuerit. *Heredem facere* 74. pr. et in *Phaedr.* IV. *fab.* 4, 7. i. e. q. *h. scribere*. Ceterum *sestertium* hic esse Nominativum, ipse verbi numerus indicat. Aliter sentire videtur Degen, qui ad *milies* (sic simplici *l* ad analogiam v. *miles* recte Bern. cum al. MSS. et edd. vett.) suppleverit *centena milia*. Imo solenniter subauditur *centies*. Iam vero *sestertium* (centies) *milies* efficit *milies centena milia sestertiûm*, i. e. non, quantum idem putat, minus tres miliones thalerorum, sed 5,333333⅓ thal. vel, ut recte I. M. Heus., Florenorum quinquagies centena milia s. quinque miliones. — Tum Bern. cum volgg. *aliter eum heredem*. Heus. e Gu. 1. 2. 5. et Gryph. transposuit *heredem eum*; sed pron. mihi suspectum est, certe insiticium extr. hoc c., ubi Sch. cum volgg. edidit *saltare eum, cum —, turpe non sit;* sed pron. ibi, ab Heus. multorum librorum auctoritate proscriptum, ignorat Bern. quoque. De *saltandi turpitudine* resp. ad 75. p. 324. Testamentis autem interdum nugatorias et ridiculas conditiones insertas esse, colligas ex Horat. II. *S.* 3, 84 — 88. Quid, quod in Britannia multa saepe talium ineptiarum et deliramentorum exempla

scripturus ille non esset? faciat, quod promiserit, nec ne? Promisisse, nollem; et, id, arbitror, fuisse gravitatis. Quoniam promisit: si, saltare in foro, turpe ducet; honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit: nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit, ut, vel saltare, cum patriae consulturus sit, turpe non sit.

94 XXV. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus promiseris. Sol Phaëthonti filio (ut redeamus ad fabulas) *factu-*

---

renascuntur? — *Promisisse* (eum), *nollem* est improbantis, ut I. 11, 35. p. 81. Tum Sch. cum volgg. *Sed*, *quoniam promisit*. Part. *sed*, ab Heus. et Gernh. expuncta, abest a Guu. omnibus, Groning. Goth. Vin. Bern. Cur. Ven. 602. et rell. edd. vett. Quamquam huius particulae compendium post *s* facile obliterari potuit. — *Mentietur*, ψεύσεται, accipio pro *mentitus fuerit*, ἐψευκέναι μελλήσει. Verbi Futurum recte ponitur in re praeterita, sed nondum explorata. Ita non erit necesse cum Hottingero interpretari: *sein Versprechen ableugnen*. Hoc vero esset duplex mendacium. Post *si ex h. nihil ceperit* Bern. cum plerisque al. addit glossema *quam si ceperit*, ut 87. *Piratarum enim melior fides* [*quam senatus*]. — Denique *rei p. magnum tempus* (i. e. ubi maxime r. p. salus agitur inque discrimine vertitur) dici pro *r. p. periculo*, notavimus ad I. 81. ex. II. 1, 4. p. 13. Cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. *de fig. sent. et eloc.* I. 7. p. 27. s.

C. XXV. §. 94. *iis ipsis*] Bern *his ipsis*. Verbis *quibus promiseris* interpositum volgo pron. *illa*, quod Gu. 6. atque ed. Ascens. verbo postponit, nos cum Facc., cui Gernh. assentitur, fauente uno cod. Manutii, delevimus. Cf. I. 10, 32. p. 72. — In seq. *Phaëthontis* exemplo cum disiecta membra poëtae (nescio, qua narium sagacitate) odorati essent Guilielmius et Gruterus: en! princeps F. Heus., adhibita tum addendi tum transponendi licentia, in septenarios coëgit. Hunc praesulem deinceps secuti sunt posteri, si minus tripudiantes, at claudicantes tamen. Me quidem cum monstrosissimi illi versus nimium quantum offenderent: consului eum, cuius solertiae atque eruditioni sapientissimi quique fasces summittunt, Hermannum. Isque plenissime nobis persuasit, in oratoria hac exempli brevitate nullos versus quaerendos esse, sed prosos ipsissimi Ciceronis modos agnoscendos. — Legitur

um se dixit, *quidquid optasset.* Optavit, *ut in urrum patris tolleretur.* Sublatus est. Atque is, an-

---

'olgo *facturum se* (e Vinar. excidit pron.) *esse dixit*; ed Gu. 2. transponente *dixit esse* (quod Heus. eiusque ectatores, metri scilicet iuvandi causa, receperunt), nfinitivum abieci. Cf. 93. *id se facturum promiserit.* Ergo *lixit* hic i. e. q. *promisit*, ut in Marciani l. ad 91. ex. cit. t I. 10, 32. p. 74. — Gu. 2. *quidquid petisset.* — Deinde Gu. 4. transponit *in patris currum.* Gu. 3. *ut curru atris*, quod, extrita litera *s*, recepit Heus. cum comitibus uis, comp. Horat. *S.* II. 6, 42. Ovid. *Fast.* II. 735. V. 562. Volgatam tuentur etiam Bern. Cur. et ed. Ven. 502. Cf. *N. D.* III. 31, 76. *Sol, in currum cum Phaëhontem filium sustulit.*

Sublatus est] Tres Aldini cum Tertii libro *sublatus nsanus*, et cum septem Oxon. Gu. 1. 2. 4. Gryph. Ven. 554. Bald. Lambino et Oliv. *atque is* (Bern. *his*) *antequam onstitit*, quod recepit Gernh. hoc sensu, *atque vix sublatus rat.* Alii interpretantur: *antequam se colligeret et sic omponeret, ut stare posset.* Ed. vett. omnes, Ascens., Car. Lang., Fabrit., Facc. cum octo Aldi libris, Graev. . et Vinar. *atque insanus antequam* (cui Liliensis Suffridi, Palat. Gruteri, Gu. 5. et exc. Pith. substituunt *ua*, ψ *quia*) *const.* Al. *insanus atque qua const.* Goth. *Atque is sanus qua const.* Cur. quoque substituit *qua.* Sch. et Deg. cum F. Heus. e Gu. 3. scripserunt: *Atque s ea, qua* (i. e. ibi, ubi) *constitit* (eodem vestigio s. in o ipso curru, quem tam cupide conscenderat). V. *insanus r. sanus* potest glossa horum vv. videri, si corrigatur: *Atque is* (v. *istic*, i. e. ibi. Ita quidem explicaretur, unde iata esset lectio *ea, qua*), *antequam mens* aut (quae ectio etiam literis propius ad codd. scripturam accederet) *ensus constitit* vel *consisteret.* Alii enim exhibent *con-istet*, quod facile sic corrumpi potuit. V. ad II. 3, 9. or. Sensum expressit Ovid. in *Metam.* II. 169. 180. s. 191. 194. 200. Metaphoricum verbi usum exemplis docet Gesner in *Thesaur. L. L.* I. p. 1185, 33. ss. *Timor abstulisse mnem sensum animumque* dicitur *Metam.* XIV. 177. Cf. *Ep. ex Ponto* IV. 12, 48. Lucan. V. 760. Cic. *Divin.* I. 57, 80. ex. Nec tamen invitus ante legerim: *Sublatus st insanus*, vel etiam *Sublatus est. Atque insanus* etc. Vt in *Epistt.* IX. 21. pr. *insanire* dicitur, qui imitatur erborum alicuius fulmina, cum consequi non possit: ic h. l. Phaëthon *insanus* propter cupiditatem insanam atque temerariam, qui nescius affectarit moderamen equorum, quod non viribus istis conveniret et cuius imperati mox poeniteret. Cf. Ov. *Met.* II. 54. ss. 100. ss. 182. s. *Trist.* I. 1, 79. s. Hermannus quidem, V. Ill., 103 voc. itidem, ut pron. *is*, quod in al. ll. substituitur,

tequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, in hoc promissum patris non esse ser-

---

corruptum suspicabatur ex adv. *vix*, cum hoc cessisset glossae *antequam*, itaque legendum: *Sublatus est, atque vix constitit, i. f. d.* Sic *vix*, non sequente *et* vel *cum*, legitur in Terent. *Phorm.* IV. 2, 4. in Ov. *Met.* II. 47. et alibi. Praeterea ingeniosam hanc coniecturam confirmare videantur Phoebi verba ib. 59. s. *Non tamen ignifero quisquam consistere in axe Me valet excepto.* Cum tamen Summus Criticus (quae est singularis eius modestia) non pro certo pronunciarit, sed ulterius quaerere iusserit: interim retinuimus pron. *is*, cuius vis haec potest esse: *cuius ferocia sustinuerit Solis agere currus.* Nam part. *atque*, adversative pro *sed* posita (de qua eius vi cf. n. ad 48. ex.), hic simul acuit attentionem. *Antequam constitit*, sup. *cum curru*, interpretor: *antequam cursum absolvisset.* Nam *multum coeli post terga relictum*, antequam a Iove fulmine deiectus est; *occasus* autem *illi fato contingere non fuit.* Ov. *M.* II. 187. ss. *Constitit*, loco, quem petierat, potitus, Tritonia ib. V. 255.

ictu fulminis d.] Tertii liber: *fulmine.* Non felicius, quam Phaëthon, Degenii audacia poëtica currum rexit interpretationis, oppido argutulae, praepositionem in v. compos. *deflagrare* indicare, Phaëthontem praecipitatum esse in Eridanum! P. Varro ap. Quinctil. *Instt.* I. 5, 18. ed. Capperonn. p. 37. *Cum te flagranti deiectum fulmine, Phaeton.* Sic ibi scribitur sine *h*, ut hic quoque, Gu. 3. ed. s. l. et a., Ven. 498. Lugd. 527. et Ovidii codd. in *Metam.* I. 751. praeeuntibus, propter synaeresin, quam versus postulare videbatur, scripsit F. Heus., ne concurrerent duae aspiratae in syllabis deinceps iunctis. Gernhard opponit *Xanthippum*, in quo nullam agnoscimus analogiam. Comparaverim potius φαθί, ἰχθύθεν, ἰρθωθείς, πάντοχιθεν etc. *Phaethontis ambusti* (ut Horatio IV. *C.* 11, 25. dicitur) res aliter atque aliter narrantur ap. Hygin. *fab.* 152. 154. *Astron.* II. 42. Cf. Apollon. *Rhod.* IV. 597. ss. Euripideae tragoediae fragmentum illustre, necdum editum, ab Hermanno, Eq. Splend., emendatum, ante hanc editionem (ut auguror) lucem aspiciet. Idem V. S. fabulae originem solerter indagavit in Diss. *de mythologia Gr. antiquiss.* p. 22. Nimirum secundum Hesiodum in Θ. 985. s. „Ἠώς, *Aura* (a. v. ἄειν), ex Κεφάλῳ, *Capitone*, φαέθοντα, *Fulsium*, peperit. Is vero auroram significat, quod radii ex capite orituri solis in auris rubescunt: quorum fulgore quod interdum omnia conflagrare videntur, fabula orta est de curru solis imperite recto."

Quanto melius fuerat] De hac enallage v. I. 9, 28. ex. cll. *Epistt.* VII. 14, 4. *Att.* XIV. 10. *Melius fuit, periisse, illo interfecto, (quod utinam [sic recte Gronov.*

atum! Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno? Cui cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti, [filii,] cum is patri suspectus esset de noverca: quo impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon 95
cum devovisset Dianae, *quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno:* immolavit Iphigeniam, qua nihil erat in eo quidem anno natum pulchrius.

---

pro *nunquam*] *accidisset!*) *quam haec videre.* De sententiae veritate Seneca *de Benef.* IV. 36. *Demens est, qui fidem praestat errori.* — Seq. v. *exegit* F. Heus. interpretatur *accepit*, *impetravit*, comp. II. *Or.* c. 29. m. aliisque exemplis, quae magis spectant ad appellationem debitorum, qua creditor contrahit pecunias. Itaque, ubi *exigere* dicitur pro *solutum accipere*, antecedens ponitur pro consequente. — Tum Sch. retinuit volgatum: *Hippolyti filii sui;* sed pronomen, a F. Heus. ad fidem Goth. Gu. 1. 2. 5. expunctum, abest a Bern. quoque. Cum vero a Gu. 3. et 4. transponatur *filii sui Hippolyti:* fortasse leg. *filii H.*, ut I. 10, 32. p. 71.: nisi etiam v. *filii* glossa est. Nam loco ibid. ascripto, III. *N. D.* 31., simpliciter est *Theseus Hippolytum perdidit.* Sed forsitan ibi similis latet glossa in seqq., ubi post *a Neptuno* duo Creuzeri codd. omittunt *patre.* Huius voti meminit Plato *de Leg.* III. p. 687. E. Hippolyti *noverca* fuit *Phaedra*, illustrata ab Euripidis aemulo Racineo, Gallo, cognomine fabula, quam Fr. Schiller, Nostratium sidus, suis versibus expressam, immortalitati commendavit. Vtriusque poëtae tragici fabulam intelligenter comparavit Aug. Guil. Schlegel, ipse poëta ingeniosissimus. Eubulus ap. Henr. Stephanum in *Comicorum Gr. sententiis:* „Ἴσως Φαίδραν ἐρεῖ κακῶς τις, quippe quae privignum ipsa sollicitarit incesto lenocinio. Cf. Ovid. *Heroid.* IV. ibique Meziriac. p. 383. — Verbis *quo impetrato* interpositum volgo *optato* iure expulit Sch., ut placuerat I. M. Heusingero. Abest enim ab Vrsini antiquissimo, duobus Aldi codd. et ed. Ven. 502. Cf. I. p. 72. pr. — *In luctu esse* dicitur in *Epistt.* IX. 6, 7. pr., ut alibi *in maerore*, *in dolore*, *in miseriis*, *in squalore*, *in lacrimis* etc. *esse*, et h. l. 85. *in maxima et gratia futurus sit et gloria:* ubi Gu. 1. praepositionem *in* omittit: de qua ellipsi v. Henrici Stephani *Pseudo-Cicero* p. CCIII. ss.

§. 95. *in eo q. anno*] Sch. et Deg. neglexerunt praepositionem, a Gernh. e Gu. 1. 2. 4. restitutam. Comparavit iam F. Heusinger *Epistt.* XV. 16, 7. pr. *N. D.* II. 40, 102. Nec vero in Gu. 3. sic legitur, ut Gernh. refert,

Promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum, fuit. Ergo et promissa non facienda non nunquam neque semper deposita red-

---

sed modo ante in Gu. 5. est *in illo anno.* Cicero hic sequitur Euripidem in *Iphig. Taur.* 17. ss. Cf. eiusdem Ἰφιγ. ἡ ἐν Αὐλίδι. Aeschyl. *Agam.* 199. ss. ubi 241. Iphigenia describitur πρέπουσα ὡς ἐν γραφαῖς. Cf. ib. 1546. ss. et 1577. Sophocl. *Electr.* 530. ss. Idem 563 — 576. Hyginus *fab.* 98. (ubi cf. Munker n. 12. p. 185.) Schol. ad Eurip. *Orest.* 659. iram Dianae, quae coëgerit Agamemnonem, Calchantis vatis consilio immolare Iphigeniam, filiam natu maximam et iam nubilem, cum tempestas classem Achivorum in Aulide moraretur, ab alia causa repetunt, nimirum, quod in venando cervam Dianae violarit superbiusque in Dianam sit locutus. Variat etiam fabula ap. Dictyn Cretensem l. I. sub fin. Cf. Ptol. Heph. l. V. ap. Phot. p. 483. Schol. Lycophr. 183. Antonin. Liberal. *Metamorph.* 27. Nonni *narratio III. ad Gregor. Naz. orat. in laudem Basilii M.* in Ill. Creuzeri *Meletem. e discipl. antiq.* P. I. Ovid. *Met.* XII. 27 — 34. Alludit etiam Virg. *Aen.* II. 116. s. et Iuvenal. XII. 118. ss. Timantis picturam immolandae Iphigeniae laudat Plin. 35. c. 10. Cicero in *Or.* c. 22 Denique Ἰφιγένει' ἐπ' Εὐρίπῳ σφαχθεῖσα τῆλε πάτρας (cuius meminit etiam Pindar. *Pyth.* XI. 35.) conspicitur in sarcophagis Etruscis, de quibus v. Vhden, Vir Perill., „*Ueber die Todtenkisten der alten Etrusker*", Berol. 1818.

tam taetrum facinus] F. Heus. cum Nonio in v. *Facinus* et in v. *Taetrum* omisit *tam*, addicente cod. ψ. Sed recte vindicat Gernh. propter seq. v. *fuit*: quo iudicium hoc ad superius exemplum refertur. Similiter Horatius II. *S.* 3, 199 — 223. Agamemnonem reprehendit tamquam furiosum, quod, vitrea fama captus, ob titulos inanes, scilicet exitus ut classi felix faustusque daretur, filiae sanguine placarit divos. Superstitionem notat Lucretius I. 85 — 102. cui virgo dicitur *Iphianassa.* Videtur autem hoc exemplum esse ex genere promissorum eorum, *quae plus tibi noceant, quam illi prosint, cui promiseris:* de quibus v. I. 10, 32. p. 72. ss. Propter impietatem autem adiunctam pertinet quodam modo, itidem, ut seqq., in lib. I. de contentione et comparatione, duobus propositis honestis, utrum honestius. — *Neque semper deposita reddenda.* Noster praecepit iam I. 10, 31. pr. Aliter vero, quam Cicero, de *fide*, i. e. de dictorum conventorumque constantia et veritate, in plerisque causis, quae quidem per se non turpes sunt et nefariae, iudicaret Kant, qui, neglecta legis voluntate, in eius litera haerens, summum ius mutat in summam iniuriam, cum alibi, tum in quaestione

lenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit; officium, non reddere. — Quid, si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae? reddasne depositum? Non, credo: facias enim contra rem publicam, quae debet esse carissima. Sic multa, quae honesta [naturâ] videntur [esse], temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quae videntur esse utilitates contra iustitiam simulatione prudentiae, satis arbitror dictum.

„*Ueber ein vermeintes Recht aus Menschenliebe zu lügen*", quae reperitur in eiusdem „*Vermischt. Schriften*" T. III. p. 359. ss. — *Insanienti* quidem *gladium* etiam extorquere atque eripere, rectum est: quid ni igitur, si repetat, retinere? V. Seneca *de Benef.* IV. 10. pr. Ipsum exemplum debetur Platoni l. I. *de re publ.* p. 574. Frcf. (331. C. Steph. c. 6. p. in.) Et ad haec et ad seqq. cf. Ambros. *Off.* L. I. c. ult. Tryphoninus in *Digestt.* XVI. 3, 31., motis quaestionibus magis ambiguis, expedit ita, ut *bonam fidem* dirigat *totius rei aequitate, quae ex omnibus personis, quae negotio isto continguntur, impletur.* Binkes p. 57. n. 67. laudat Pufendorf. *I. N. et G.* l. V. c. 4. §. 7. *de Off. H. et C.* l. I. c. 15. §. 7. Barbeyrac. ad Pufend. l. c. Noodt *Probab.* L. III. c. 8. Leibnitii *Theodic.* P. II. §. 121.

facias enim] Bern. cum ψ, Guu. Beda Eyboque et edd. vett. *facies e.* Sed i. e. q. *feceris.* Qui dubitet, an id nemo facere velit, urbane utitur Coniunctivo vel potius Optativo. — In seqq. *stare* cum Abl. *conventis* constructum, i. e. q. *manere, constantem esse in aliqua re; non mutari et nutare; non eam retractare*, sed *servare*, ut I. 10, 32. *promissis standum.* VII. *Att.* 15. p. in. *Fam.* XVI. 12, 6. *conditionibus suis.* Cf. infra 110. et Nonius in v. *Stare.* — Mox Bern. pro more suo: *Ac de his quidem.* Male vero Sch. probat Pearcii coniecturam *et simulatione prudentiae*, ut pendeat a praepos. *de*, quam vero in distinctione iteratam oportuit. Sed v. ad 12, 49. Paullo ante *naturâ* varie transp., *esse* etiam excluditur a duobus MSS. Cf. 103.

96 Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus: in eisdem versabimur, cum docebimus, ea, quae videntur esse utilia neque sunt, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam volt imitari malitia, itemque de iustitia, quae semper est utilis, disputatum est. Reliquae sunt duae partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et praestantia cernitur, altera in conformatione et moderatione continentiae et temperantiae.

97 XXVI. Vtile videbatur Vlixi, ut quidem tragici

---

§. 96. *in eisdem versabimur*] Bern. cum Gu. 1. atque Anemoec. *versemur*: deinde cum Gu. 3. duodecim Aldinis et Gryph. *quae videantur esse utilia* et cum omnibus Guu., edd. vett. et Gryph. *neque sint.* Indicativus recte se habet in periphrasi, qua exprimitur *utilitatis species.* — Adiect. *inimica* cum Genitivo struitur, ut 117. ex. et *veritatis amici* I. 63. ex. Gottleber laudat Ernestum ad Callimach. *H. in Del.* 70. ὄρος ἱερὸν Αὔγης. — De *prudentiae* imitatrice *malitia* v. ad II. 3, 10. p. 23. *N. D.* III. 30, 75. pr. — *Conformatio et moderatio continentiae et temperantiae* est c. et m., *quae proficiscitur, quae fluit ex continentia, et temperantia, quam adhibet et in qua cernitur continentia et t.*, vel, ut recte F. M. Heus., „*continentia et temperantia, conformans et moderans animi motus non minus, quam ipsas actiones. Hic enim effectus est continentiae et temperantiae.*" Similiter periphrasis fit hac dicendi forma *Or.* I. c. 3. pr. *omnis scientiae pervestigatione comprehendere*, i. e. scientia, quae rerum pervestigatione collecta est eaque continetur. Ib. 10, 41. pr. *in omnis sermonis disputatione* (i. e. in omni disputatione, quae sermone perficitur) *copiosissime posse versari.* Tacit. *dial. de or.* XXIX. 5. *Colligunt discipulos — ambitione salutationum et illecebris adulationis.*

C. XXVI. §. 97. *ut quidem poëtae tragici*] *Quidem* servat Goth. et Bern. cum ed. Graev. et recentt. accommodatissime ad seq. oppositionem: *nam apud Homerum* etc. Cf. *Acad.* II. 4, 10. *ut quidem nunc se causa habet, etsi* etc. Gernh. e rell. dedit *ut quidam.* Deinde vocem *poëtae*, quae a Goth. Gu. 3. et Anemoec. voci *tragici* rectius postponitur, in Gu. 2. autem a glossatore legitur, cum 4. expunxi, suspectam iam et F. Heusingero et Gernhardo. Sic in *Or.* c. 55. ante m. *comicorum senarii.*

rodiderunt (nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Vlixe nulla suspicio est) sed insimulant eum tragoediae, simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium. „At utile“ (ut aliquis fortasse dixerit) „regnare et Ithacae vivere otiose cum parentibus, cum

---

Citatur Sophoclis Ὀδυσσεὺς μαινόμενος. V. Brunck ad fragm. Plinio XXXV. c. 11. sect. XL. §. 25. ex. memorantur Parrhasii tabulae, *Vlysses, simulata vesania, bovem cum equo iungens et palliati cogitantes,* sed ed. Paris. 1516. auppeditat *et Palamedes.* Res, quam tragicus quidam, ut invidiae illius, qua Vlixes Palamedem persequebatur, causam aperiret, commentus esse videtur, nota est ex Hygin. *fab.* 95. Serv. ad Virg. *Aen.* 81. Schol. ad Sophocl. *Philoct.* 1025. Schol. Lycophron. 818. atque Eudocia p. 321. Male autem Deg. cum Heuss. parenthesin ab his iam verbis *ut quidem* etc. incipit; peius etiam continuare mallet usque post vv. *subterfugere voluisse.* Sic iam olim placuit Nuntiato Morando in calce ed. Neap. 777. At vero sic plena non esset sententia neque absoluta: *Vtile videbatur Vlixi — non honestum consilium.* Huius enim, qualenam fuerit, consilii expositio per parenthesin esset anticipata contra morem scriptoris. Recte Gernh. ad h. l. et in *Excursu* p. 448 s. monuit, superiora post parenthesin repeti, particula *sed* ad revocandam inchoatam sententiam proposita, nempe propterea, quod *Homero* opponuntur *tragici.* Itaque particula vim suam adversativam servat pariter ac II. 73. p. 141. *Fin.* V. 23, 64. Inchoatae autem ante parenthesin locutioni non aptatur sequentium verborum constructio: neque enim convenit *voluisse* in fine. Sed ea verba, quibus superiora repetenda post parenthesin erant proprie sic: *sed, ut tragoediae eum insimulant, utile ei videbatur, simulatione insaniae, militiam subterfugere,* haec, mutata constructione applicantur ad ipsam parenthesin. Similis est l. *Tusc.* V. 29. pr. §. 82. *a te impetrarim libenter, ut, — (— —) — id velim audire:* ubi exspectabatur *id explices.* Improbabiliter igitur ibi Sch. cum aliis delevit part. *ut.* Comparat hoc exemplum Gernh. ad *Cat. Mai.* 3, 7. pr. qui tamen locus alius modi est. Ibi enim (id quod, si recte memini, iam supra notatum est) e codd. videtur legendum: *interfui querelis meorum aequalium (—), quas* [non *quae*] — *nostri fere aequales deplorare solebant.*

dixerit] De hoc Optativo v. ad 76. ex. cl. 100. Vlixis *parentes,* Euryclea, absentis filii maerore consumpta, et Laërtes, cum de ipso filio, tum de nepote, Telemacho,

uxore, cum filio. Vllum tu decus in quotidianis laboribus et periculis cum hac tranquillitate conferendum putas?" Ego vero istam contemnendam et abiiciendam: quoniam, quae honesta non sit, ne
98 utilem quidem arbitror. Quid enim auditurum putas fuisse Vlixem, si in illa simulatione perseverasset, qui, cum maximas res gesserit in bello, tamen hoc audiat ab Aiace?

Cuius ipse princeps iuris iurandi fuit,

Quod

---

patrem per terras, per maria quaerente, sollicitus, in solitudine et squalore vitam degens, atque *uxor* Penelope, a procis sollicitata, post Homerum cui non dicti? De *Ithaca* v. in Erschii et Gruberi Encyclopaedia Exc. Spohn, cuius copiosa commentatio iam in speciminibus edita est. Deinde volgo transponitur *periculis et laboribus*, ut I. 62. pr. *Arch.* 10, 23. ex. 12, 30. pr. *Verr.* V. 70, 181. Receptum ab Heus. et seqq. edd. ordinem firmat Bern. cum Goth. Guu. (quorum 1. *et peric.* omittit) decem Aldinis et edd. Ascens. Gryph. Bald. Pearc. comparatioque loci *p. Arch.*, laudati ad I. 65, ex. 66. ex. *Verr.* I. 17, 51. Liv. XXXIX. 40. *patientia laboris periculique.* — Extr. §. ante *arbitror* inculcatum v. *esse*, quod Gu. 5. postponit, expunxi, ut 73. p. 321. Sic 99. *falsam iudicavit.*

§. 98. *perseverasset*] Bern. *perseveravisset.* Frustra. V. ad 87. p. 346. Deinde Sch. cum volgg. *haec audiat.* Heus. e Gu. 1. 2. 3. 4. *hoc*, quod cum Ascens. praefert Gernh., quippe quod conspiret cum opposito pron. *Quid.* Significatur unum illud simulationis crimen. Sed non audiendus Degen, ellipsium glossarumque faber, qui ad hunc quoque Coniunctivum, cuius causalis ratio est, supplet suum *necesse est!* Ipsi versus, comp. Ovid. *Met.* XIII. 35. ss., probabiliter existimantur deprompti ex Pacuviano *Armorum iudicio*, cui etiam ascripserim versum illum, §. 43. ex. a nobis erutum. Cf. n. ad 44. pr. p. 257. Turnebus *Adv.* VIII. 3. prima vv. sic profert: *Cuiusque princeps.* Bern. *Cui ipse.* Per synizesin *cuius* una syllaba pronunciari, docuit Hermannus, Eq. Splend., in *Elem. metr.* I. 10, 29. Sic vs. 4. *Istius* est disyllabum. — Sed quo tandem iure Vlixes huius *iuris iurandi princeps* dicatur, nondum expeditum videmus. Absurde enim interpretantur, quasi fidem, antequam dedisset, iam fefellerit, ignari, alludi ad illud ius iurandum, quod, auctore Vlixe, Tyndarus adegerat Helenae procos, sese ulturos, si qui violasset futuri mariti matrimonium

('Ελένη

Quod ómnes scitis, sólus neglexit fidem.
Furere ássimulavit; né coiret, ínstitit.
Quod ni Palamedis pérspicax prudéntia
Istiús percepset málitiosam astútiam:
Fidé sacratae iús perpetuo fálleret.

Ἑλένῃ καὶ τῷ γήμαι προκριθέντι Ἑλένην ἀμύνειν, ἀδικουμένοις,). Hygin. *fab.* 78. Apollodor. III. 10, 9. ubi Heyne citat Schol. ad Sophocl. *Ai.* 1132. et ad Homer. *Il.* B 339. quo Scholiasta teste tractaverat haec Stesichorus in *Helena.* Quamquam ab ipso Tyndaro excogitatum esse hoc consilium, tradit Eurip. in *Iphig. Aul.* 51 — 85. 391 — 396. et Pausanias in *Lacon.* III. 20, 9. Hoc ipsum ius iurandum respicit etiam Horatius I. *C.* 15, 6. ss. Sed Vlixes *primus* omnium iuraverat: nam inter Helenae procos primo loco enumeratur ab Apollodoro l. c. sect. 8. pr.

V. 3. *Furere assimulavit*] Subauditur pron. reciprocum, ut *Mur.* 3, 7. (12.) *qui, gravissime et acerbissime ferre, dixit.* *Sall.* 23, 65. *intercessorem fore, professus est.* *Fin.* V. 19, 55. ex. *Att.* II. 1. paullo ab in. *laetatus sum,* (me) — *librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse.* Sueton. *Aug.* 17. ad f. *Caesarionem, quem ex Caesare patre Cleopatra concepisse praedicabat.* Pomponius in *Digestt.* XLIX. 15, 5. §. 3. *iuraverat, Carthaginem reversurum.* Cf. Matthiae, V. D., ad *or. p. Rosc. Am.* 22, 61. *conficere, huc ea spe venisse:* et *de Anacoluthis* in F. A. Wolfii *Analect. liter.* P. III. p. 2. — *Institit,* np. *in dolos,* omnia tentavit, coepit effugia quaerere, *ne coiret,* i. e. ne ad bellum Troianum iret cum coniurata Graecia. Verbum *coire,* ut a. l., sic alio atque alio modo corruptum est *Leg.* I. 23, 60. *cum animus ... societatem caritatis coierit cum suis.* — Vs. 5. Bern. et Cur. cum al. *percepisset.* Ven. 502. *praecepisset.* Archaismi exempla Turneb. *Adv.* VIII. 3. pr. notavit haec: *recepso* pro *recepero* in Catull. XLIV. 19. *capsis* pro *ceperis* in *Or.* c. 45. (cf. Schelleri *Lex.* s. v. p. 1469.), *clepsit rapsitve* pro *clepserit* et *rapuerit* II. *Leg.* 9, 22. ubi nunc e codd. editur *cleperit rapsitque.* Sed cf. Liv. XXII. 10. ubi et *faxit* reperitur, ut alibi, et *illexe* ap. Cic. *N. D.* III. 68. c. 27. pr. — Tum volgatam *audaciam* bene Gernh. e Wakefieldi ad Lucret. I. 234. coniectura, confirmata ab Gu. 1., mutavit in *astutiam,* comp. V. 1. pr. Plaut. *Cas.* V. 2, 6., ut Vlixes dicatur cavisse mala fraude pericula.

V. 6. *Fide sacratae*] Sic Fabrit. e plerisque suis. A F. Heus. comparatur e Senecae *Agam.* 79. *Iura pudorque et coniugii sacrata fides.* Idem reperisse Gernhardo videtur in duobus Aldus. At vero hic emendavit

99 Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctibus (id quod fecit) dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum. Sed omittamus et fabulas et externa: ad rem factam nostraque veniamus. M. Atilius Regulus, cum, consul iterum, in Africa ex insidiis

---

quidem ita; sed fatetur tamen: „Veteres libros omnes aliter. Vnum *fides sacrata.* Vnum *fid' sacratum.* Decem et Tertii *fide sacrata.*" Sic et alii plerique. Bern. *ei de sacrata.* Quidam libri Car. Langii *fides sacratae:* quam quidem Genitivi formam a Pacuvio usurpatam crediderim. V. Gellius *N. A.* IX. 14. Victor. Bald. Graev. Ern. habent *fide sacratum,* ut vet. codex Nannii *Miscell.* IX. 11. Turnebus *Adv.* VI. 21. comparat illud Virg. *Aen.* II. 157. *Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura:* ut ius hic *sacratum* dixerit, quod sacramenti militaris religione teneri videretur. Nam iure iurando tenebatur, i. e. *fide.* Quamquam locum illum aliter exposuit Heyne. Sed hic ante dixit *iuris iurandi fidem* et ap. Non. in v. *Sagmina* Naevius: *Ius sacratum Iovis iurandum sagmine:* de quo v. ad 104. p. 380. Quod si h. l. sic legatur: tamen *fide* erit Genitivus, quem priscis tribuit Charisius l. I. pro *fidei,* ut in Ovid. *Met.* III. 341. VI. 506. VII. 728. 738. V. Heyne ad Virg. *G.* I. 208. — Quo minus *falleret* cum Degenio accipias pro *fefellisset,* prohibet adv. continuativum *perpetuo.* Sensus est: *Etiamnum abesset a castris*

§. 99. (*id quod fecit*)] Hinc perpetuum eius epithetum: πολύτλας, πολύτλητος, πολυτλήμων. Cf. I. 113. pr. *Deserere* proprie dicitur miles, *seriem derelinquens;* hic autem, qui exercitui se non addit. — *Barbari* hic dicuntur Phryges, ut *Divin.* II. 39, 82. et alibi, cum opponuntur *Graecis.* V. Fr. Roth „*Ueber den Sinn und Gebrauch des Wortes Barbar,*" 1814. 4. — Deinceps Sch. revocavit Bern. et rell. lectionem *rem factam nostramque.* Cur. cum Gu. 3. *ad rem nostram factaque.* Recte Ern. ex antiquissimo Vrsini et e Duisb. cod. cum Graev. et Facc. *nostraque,* quae opponuntur *externis,* ut in *Cat. Mai.* c. 22. ex.; *res facta* autem *fabulis,* ut II. *Divin.* 32, 68. pr. *commenticiae rei.* — Tum in Bern. scribitur *Attilius* duplici t, ut in edd. Ern. Gernh. Sch. Sed *Atilius* exstat in antiquis monumentis. V. Grotefendi *Lat. Gramm.* II. §. 191. *Consul* fuit primum a. V. 486. iterum 497. *Captus* est autem (ab hostibus) *ex insidiis* (prorumpentibus) *proconsul:* nam de prorogato ei imperio testatur Valer. M. IV. 4, 6. pr. e Liv. *Epit.* 18. Sic *proconsulem* passim dici *consulem,* praesertim si ante fuerit consul, docuit Car. Dav. Ilgen,

ptus esset, duce Xanthippo Lacedaemonio, impe-
tore autem patre Hannibalis, Hamilcare, iuratus
issus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis
ptivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem.
cum Romam venisset: utilitatis speciem videbat;
d eam, ut res declarat, falsam iudicavit: quae erat
lis: manere in patria; esse domi suae cum uxore,
ım liberis; quam calamitatem accepisset in bello,
ommunem fortunae bellicae iudicantem, tenere con-

S. Rev., ad Or. p. Arch. c. 5. in *Opuscc. philoll.* vol. . p. 104. s. Eodem modo, qui *propraetor* esset, *prae-rem* dici, monuimus ad II. 60. p. 97. ex. Errat autem icero, quod hunc *Hamilcarem*, similitudine nominum :ceptus, *patrem* facit *Hannibalis*, qui secundum bellum ınicum cum Romanis gessit. Huius enim *Hamilcar, areas*, pater *primo Poenico bello*, *sed temporibus extremis, lmodum adolescentulus in Sicilia coepit praeesse exercitu*; :opter celebritatem autem huic superioris Hamilcaris ;nobilioris res gestae ascriptae sunt: ut ex Aemilio robo XXII. 1, 2. docuit Freinshem. in *Supplem. Liv.* l. VI. extr. Ad totum h. l. cf. Flor. II. 2.

domi suae] Haec solennis est forma, quam tuentur :iam Cur. et Ven. 502. V. Schelleri *Lex.* in v. p. 3100. x. Bern. cum plerisque peccat *domui suae.* Facilius ferrem omuis. V. Gell. *N. A.* IV. 16. cuius verbis, perperam ıtellectis, fortasse abutebatur Heus., cum *domui* recipe- ɔt. — *Vxor* Reguli *Marcia* et *geminum parvorum natorum ignus* memoratur a Silio VI. 403. ss. — *Calamitatem com- unem fortunae bellicae*, i. e. omnium, qui *fortunam belli Brut.* 35, 135. ex.) experiuntur, dicebant eam, quae mnibus in bello accidere possit, ut imperatorum clades, t amissionem exercitus et castrorum, ut captivitatem aut ıortem. Hinc saepe in talium offensionum excusationibus t consolationibus *communis Mars, qui saepe spolian- ɔm iam et exsultantem evertit et perculit ab abiecto, belli- ue casus*, v. *omnis belli Mars communis et semper ıcerti proeliorum exitus* metuendi memorantur, ut *Mil.* 21, 6. *Sext.* 5, 12. *Epistt.* VI. 4, 4. *Or.* III. §. 167. ad f. *Phil.* X. 10, 20. pr. *Verr.* V. 50. pr. §. 130. s. (al. 131. s.) ıbi acerbe adiicitur: *In illa calamitate* (a piratis propter *Verris*, illo tempore cum adulteris in litore perpotantis, ıequitiam accepta) *non Martem fuisse communem, ed Venerem possumus dicere.* Nostri quidem saeculi vir- ;inibus defloratis (o tempora inversique mores!) κοινὴ

sularis dignitatis gradum. Quis haec neget esse utilia? quem censes? Magnitudo animi et Fortitudo negat.

100 XXVII. Num locupletiores quaeris auctores? Harum enim virtutum proprium est, nihil extimescere; omnia humana despicere; nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit; mandata exposuit; sententiam ne diceret, recusavit: *quam diu iure iu-*

ναυάγιον ταῖς πόλεσι παραμύθιον. Qui perit in bello, Plutarcho in *C. Graccho* c. 5. dicitur πάθόν τι τῶν κοινῶν: ut in Caes. *B. Civ.* II. 6. *quibus in pugna vitae periculum accideret, non ita multo se reliquorum civium fatum antecedere existimarent: quibus, urbe capta, eadem esset belli fortuna patienda.* Sallust. *histor.* I. in Lepid. or. paullo ab in. *tot exercituum clade, — quos fortuna belli consumpserat.* Cf. ad I. 12, 38. p. 96. — Statim Bern. cum Gu. 1. 2. et Gryph. *Quis haec negat —?* Deinde Scheller reprobat plurimorum ll. corruptelam *quae censes* (intell. *utilia esse,* sic), idque rectius, quam lectionem praefert Ascensii, Gryphii, Lamb. et Oliveti, *quid censes?* Bern. quoque tuetur *quem censes?* np. *haec, negare, esse utilia.* Hoc communicationis vel παραδόξου schemate Ciceroni sententias illuminari solere, observavit F. Heus. cum Quinctil. *Instt.* II. 2, 22. Cf. h. l. 80. ex. *si quaeris.* Cum toto h. l. comp. plane geminus *Fin.* II. 20, 65. *Dicet pro me ipsa Virtus nec dubitabit illi vestro beato M. Regulum anteponere* etc.

C. XXVII. §. 100. *Num*] Bern. cum al. *Nam* peccat. *Auctores* dicuntur *testes*, quorum *auctoritas* ad alios vim quandam habet. Cf. 105. m. *Att.* VIII. 2. sub f. *Quasi — locupletior mihi sit quaerendus auctor, quam Socrates.* Tum ordinem volgatum *Harum enim est v. p.* mutavimus cum Gu. 3. 4. In 5. transponitur *H. e. v. est proprium.* 1. *est* non habet, nisi a correctore. Alia ratio est l. *Fin.* I. 2, 4. pr. *His igitur, est difficilius, satisfacere:* quamquam ibi quoque mallem *difficilius est.* V. ad 77. p. 550. §. 62. p. 296. — De *omnium rerum humanarum despicientia* v. ad I. 61. p. 141. — Ad seqq. observat Scheller, *ne diceret* esse pro *dicere;* sic *quin, quo minus* loco Infinitivi post *recusare* reperiri; itemque *quin* post *dubito,* si sit nostrum *Bedenken tragen:* additis exemplis, quae vide in *Lex.* s. v. *Dub.* 2) p. 3125. Similiter post *impediendi* verba *ne* et *quo minus* sequi; hinc post *recusare* etiam alibi *quin, ne, quo minus,* ubi non cum Infinitivo commutari

rando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam, („o stultum hominem,“ dixerit quispiam, „et repugnantem utilitati suae!“) reddi captivos, negavit, esse utile: *illos enim adolescentis esse et bonos duces; se iam confectum senectute.* Cuius cum valuisset auctoritas: captivi retenti sunt.

---

ossit. Exempla repetuntur in *Lex.* s. v. *Recuso* 1) c) p. 147. Idem volt *ius iurandum hostium* dictum pro *iure iurando, hostibns dato.* I. 13, 39. ex. dixit *fidem, hosti datam.* Malim tamen pro *ab hostibus adacto,* i. e. *quo hostes se* (eum) *obstrinxissent.* V. ad 36. ex. *p. Caecina* c. 33. ex. *legis multa.* Sic Eurip. *Iph. Aul.* 391. ὤμοσαν τὸν Τυνδάρειον ὅρκον, i. e. ius iurandum, quod Tyndarus ab iis exegerat et quibus conceperat verbis. Ordinem vv. *non esse se senatorem* tuetur Bern. Cf. *Or.* I. c. 24. *deceptum esse me, minime vellem.* Captivitate autem amittebatur ordo, civitas, libertas, caput. Cf. *Or.* I. c. 40. Pomponius in *Digestt.* XLIX. 15, 5. §. 3. *in Atilio Regulo, quem Carthaginenses Romanis miserunt, responsum est, non esse postliminio reversum: quia iuraverat, „Carthaginem reversurum,“ et non habuerat animum Romae remanendi.* Captivorum, de quibus redimendis senatus consulebatur (v. h. l. 114.), legatis Manlius Torquatus ap. Liv. XXII. 60. respondet: *Liberi atque incolumes desiderate patriam: imo desiderate, dum patria est, dum cives eius estis. Sero nunc desideratis, deminuti capite, abalienati iure civium, servi Carthaginiensium facti.* De ipso *Regulo* v. Eutrop. II. 14, 3. s. Polyb. fragm. IX. Silius VI. 399. s. 412. s. 432 — 451. maxime huc confer 458. ss. Ibid. a 473. Ciceronis verbis similior est, quam ap. Horat. in III. C. 5, 18 — 40. Reguli, *dissentientis conditionibus foedis,* oratio, qua, cum ei ab ipsis Carthaginiensibus comitibus sententiae dicendae data venia esset, ostendit, damnosum esse, captivis istis ignauis et flagitiosis redimendis impendi pretium. Cf. Dio ap. Fulv. Vrsinum et Zonaras: quibus auctoribus utitur Freinshem. in *Supplem. Liv.* XVIII. a c. 57. Accidit ea res a V. 502. Ergo, nisi interdum dormitare diceretur Homerus, miraremur, quid nuper in mentem venisset florilego cuidam editori *syntagmatis locorum parallelorum ex antiqq. poëtt. Latt.* p. 192. a. scribenti, ad hunc ipsum Regulum scriptum esse Martialis *epigramma* V. 10. Obest igitur interdum (nescio, quo pacto) ipsa doctrina.

confectum senectute] senem decrepitum, prorsus annorum gravitate debilitatum, iam quasi silicernium, busti

Ipse Carthaginem rediit neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci; sed ius iurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi, senex captivus, periurus

---

cadaver extremum. — De partt. *neque* (*eum caritas patriae retinuit*) *nec* (*suorum*) v. ad c. 29. pr. De re (I. 13, 39.) comp. tenerrima eademque magnifica ὑποτύπωσις in Hor. *C.* III, 5, 41 — 56. Inter Nostrates Henr. Iosephus a Collino hanc *Reguli* constantiam illustravit tragoedia. De *reditu ad supplicia* cf. *Sext.* 60, 127. *Cat. Mai.* 20, (12.) 75. Paeanius in *Eutrop. Metaphrasi* II. 14. ex. πολυτρόποις ἰδέῃ κολάσεσι, ἃς ἄλλοι ἄλλως ἐκδεδώκασιν. Ex nostro h. l. sua duxit Valer. M. I. 1, 14. Idem IX. 2. *extern.* 1. cum Cic. *in Pis.* §. 43. Seneca *ep.* 67. m. *de provid.* 3. *de tranq.* 15. et Aurel. Victore *de vir. ill.* c. 40. *in perpetuam vigiliam suspensis luminibus, palpebris resectis* (Tubero ap. A. Gell. VI. 4. *sursum ac deorsum diductis insutisque*) *machinae, in qua undique praeacuti stimuli eminebant, inclusum* tradit; Seneca *ep.* 71. m. *fidei poenas etiam hostibus servatae pendentem* (98. sub f.) *cruce*; Flor. II. 2. *ultimo sive carceris sive crucis supplicio*; Cic. *Fin.* II, 20, 65. V. 27, 82. *vigiliis et fame.* III. *N. D.* 22, 80. *Tusc.* V. 5, 14. *cum dolore et cruciatu.* Teste Polyaeno Poeni, καθείρξαντες αὐτὸν εἰς γαλεάγραν αἰκίσαντές τε χρόνῳ μακρῷ καὶ βασανίσαντες, ἔκτειναν. Cf. Augustin. *Civ. D.* I. 14. 15. 24. II, 23. III. 18. et 20. ex. Drakenb. ad Silium VI. 539. ss. ibidemque Ruperti T. I. p. 893. ss. Visconti *Iconograph. Rom.* T. I. p. 31. ubi etiam viri caput in nummis Livineii Reguli repraesentatum exhibetur. Sed, ut in Diodor. Sic. fragm. lib. XXIV., edito a Valesio, scriptum est, Atilii uxor, νομίσασα, δι' ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τοῦ ζῆν, ἔπεισε τοὺς υἱοὺς, κακουχεῖν τοὺς αἰχμαλώτους. Hanc igitur saevitiam excusaturi, rerum Rom. scriptores atrocissima quaeque famae de Carthaginiensium crudelitate credidisse hisque ad exornandam herois sui tragoediam usi esse videntur Viris DD., etiam ex Polybii ea de re silentio pervolgatae famae fidem labefactantibus cum Palmerio in *Exercitt. ad Appian. Pun.* p. 147. 151. ss. (ed. Schweigh. III. p. 392. s.). Ad huius enim sententiam praeter Clericum ad Liv. XVIII, Wyttenbach. ad Cic. *N. D.* III. in Creuz. ed. p. 795. atque alios accedit Görenz ad *Fin.* II. p. 219. b. cui prodigiosa illa poenarum genera expressas in sese fictionis notas gerere videntur. Sed prae ceteris v. Roos *de suppliciis, quibus M. Attilius Regulus dicitur interfectus,* (Giessae 790. 4.) A. Fikenscheri

onsularis, remansisset. — „At stulte, qui non modo 101
non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit.“ — Quo modo stulte? etiamne, si rei publicae conducebat? Potest autem, quod inutile rei publicae sit, id cuiquam civi esse utile?

---

histor. *antiquae Commentatt.* III, *Num M. Attilius Regulus Romanorum dux a Carthaginiensibus affectus sit supplicio,* Erlangae 796. 97. 4.) et Ge. Alex. Ruperti ad Sil. VI. 539. ss. cuius argumentis multum tribuit Mitscherlich ad Horat. *C.* III. 5, 49. Fatemur, illa ad ostentationem scenae, gaudentis miraculis, aptiora, quam ad fidem, videri posse; tribuimusque aliquid invidiae, qua Romani Poenos perosi hostibus tam capitalibus, quaecumque criminandi materiam dare viderentur, in infamiam trahebant: nihilo minus tamen salvum sit Degenio iudicium suum, de ipsis istorum VV. DD. dubitationibus addubitanti. Recordamur enim, Carthaginienses adeo suis imperatoribus, qui in communi incertoque periculo belli offendissent, culpam Fortunae assignasse eosque cruci suffixisse: id quod e. c. Hannoni accidit. V. Diodor. I. p. 418. II. 697. Liv. XXII. extr. Valer. M. II. 7. *extern.* 1. Aurel. Vict. *de vir. ill.* c. 38. ex. Quid mirum igitur, si Carthaginienses Regulo, qui antea victor superbissimus, ipsa Carthagine obsessa, pacem petentes durissimis suis deditionis legibus ad extremam desperationem compulisset, eo minus pepercerint, quod ipsi Poeni cum Regulo legati Romam missi, reque infecta, Carthaginem reversi, ut credibile est, non deessent urbis inimicae iras exacerbare? Certe ap. Silium VI. 492. minitantur ei, cum et pacem dissuasisset et captivorum permutationem, idque, ut testatur Tubero ap. Gell. VI. 4., argumento in Poenos criminosissimo, *venenum sibi Carthaginienses dedisse eius modi, quod mortem in diem proferret — — —, quoad fieret permutatio.* Quid, quod, teste Polyaeno; πλεύσας ὡς τοὺς Καρχηδονίους, ἀνήγγειλεν αὐτοῖς τό τε αὐτοῦ (scr. αὑτοῦ) στρατήγημα καὶ τὴν Ῥωμαίων γνώμην? Accedit, quod Tuditanus ap. Gell. refert, *nobilissimos Poenorum captivos liberis Reguli a senatu deditos et ab iis in armario muricibus praefixo destitutos eademque insomnia cruciatos interiisse.* E Polybii silentio quid certi potest colligi, cum scriptori, quibus ille cruciatibus excarnificatus a tortoribus esset, referre horrescenti, facile excidere potuerit stilus? Ceterorum autem discrepantiae in tam antiqua re omnem huic fidem abrogare non magis possunt, quam ei, quae §. 113. narratur.

§. 101. *Potest autem — esse utile?*] Sic cum Gernh. e Gu. 1. 2. 3. mutavimus ordinem volgatum *utile esse* partim propter chiasmum, si alterum membrum spectetur,

XXVIII. Pervertunt homines ea, quae sunt fundamenta Naturae, cum utilitatem ab honestate seiungunt. Omnes enim expetimus utilitatem ad eamque rapimur nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire: propterea illa et prima et

---

partim, quia verbum substantivum cum asseveratione praeponitur. Citat hunc l. Nonius in v. *Conducere*. Quod vero Regulus sortem suam acerbissimis hostibus committere, quam suam salutem iactura utilitatis publicae redimere, maluit: hoc ille sacrificium debebat patriae eo magis, quod prius, fortuna secunda elatus, repudiatis Poenorum precibus, quibus pacem, nisi iniquissimis conditionibus, concedere noluerat, causa fuisset, cur multis deinde annis bellum maneret ingenti cum civitatis utriusque detrimento. Sed crimen istud, quod immoderatius victoriis suis abusus esset, aliis virtutibus et vero admirabili constantia delevit, calamitate sic perlata fortunatior, quam si evitare imminentem potuisset; iudice Freinshemio in. *Supplem*. *Liv*. XVIII. 65. s.

C. XXVIII. *fundamenta Naturae*] i. e. originariam Naturae rationem, qua utilitas sic cum honestate cohaeret, ut seiungi nequeant. Huic igitur ipsius Naturae harmoniae animus noster aptandus, ne, quae ipsa Natura connexuit, distrahentes fatorumque ordinem moralem perturbantes, pro bonis et salutaribus expetamus mala et poenas. V. ad c. 8. pr. cl. Bardilio in Hauffii *Philologia* III. p. 58. s. Verissimum est omnino decretum, hominem, rationis participem, non posse, nisi in rationis usu iisque, quae rationi consentanea sunt, utilia reperire; sed, ut iam in *Epicrisi* p. 184. monitum est, hac utilitatis ratione neutiquam dirigenda officia sunt. *Omnes* sane *expetimus utilitatem ad eamque rapimur*; neque vero propter se ipsam; sed ad voluptates vel (ut vocabuli Cyrenaici atque Epicurei invidiam vitemus) ad gaudia perfruenda; at *facere aliter tamen possumus* libertatique nos asserere, unum quoddam in primis necessarium agnoscentes. *Quis est, qui utilia fugiat?* idem, qui voluptates et gaudia, vir bonus, officii sui memor, qui maluerit Virtutis nutui obedire, quam animo suo, quamvis utilitatum cupido appetentissimoque, indulgere. — In seqq. e Bedae exc. ante *prima et summa* addidimus *et*, quae copulae geminatio placuit iam Gernhardo, etsi non sic edidit. Cf. p. *Arch*. 6, 8. quae

summa habemus; *utilitatis* nomen non tam splendidum, quam necessarium, ducimus. „Quid est igi- 102
tur," dixerit quis, „in iure iurando? Num iratum timemus Iovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum', non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negoti, nihil exhibere al-

---

summa sunt (i. e. honestatis praecepta), *ex quo fonte hauriam, sentio.* Pron. *illa* hic refertur ad *laudem, decus, honestatem.* — Denique *splendidum* dicitur nomen, quod ad virtutis *splendorem*, dignitatem, admirabilitatem spectat. V. n. ad 4, 20. p. 215. Cf. *Fin.* I. 18, 61. ex.

§. 102. *dixerit quis*] V. ad 97. *Fin.* V. 27, 80. pr. Interrogatio haec est: *Quae est igitur tanta vis et reverentia iuris iurandi?* Seneca *Ep.* 24. m. *Memento — videre, quid in quaque re sit: scies, nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem.* Post vv. *qui deum nihil habere ipsum negoti* additum volgo v. *dicunt*, cui Gu. 4. substituit *tradunt*, cum Pearcio eiecit Sch. Sic haec pendent a seq. v. *volunt.* Gernhardo autem duae philosophorum partes per duplex *eorum, qui* sic distingui videntur, ut, utriusque sententiam plenius dici, non mirum sit. Cf. tamen I. 2, 6. p. 13. s. Respicitur ad Epicuri κυρίαν δόξαν ap. Diog. Laërt. X. 139. Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει· ὥστε οὔτε ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεται. Cf. ib. 77. Plutarch. *adv. Colot.* T. II. p. 1125. et in *Pyrrho* c. 20. m. Sext. Empir. *Hypot.* III. 24, 219. Nemesius *de Nat. Hom.* c. 44. p. 521. Pseudo-Origen, *Philosophumen.* c. 2. Euseb. *de vita Constantini* 1, 27. Seneca *de morte Claud.* c. 12. IV. *de Benef.* 4. 19. pr. Memoriter referens mutavit Eustath. in *Il.* Ω p. 1500. ed. Bas. Sed in Maximi Tyr. *Diss.* XXIX. (X. ed. Davis.) §. 9. τὸ ἄφθαρτον facile corrumpi potuit in τὸ ἀθάνατον. Gottleber laudat Valckenarium ad Xenoph. *Mem. Socr.* (II. 1, 9.) p. 242. Sententiam expressit Cicero *N. D.* I. 17, 45. 20, 56. pr. 31, 85. *Divin.* II. 17, 40. ex. *Leg.* I. 7, 21. ex. Lucret. I. 57 — 62. V. 83. 88. Auson. *Epigr.* 116. Lactant. III. 17, 36. s. *de ira dei* 4, 1. Tertullian. *Apologet.* c. 47. V. Krugii, V. S., *Geschichte d. Philos. a. Z.* §. 112. Tennemann l. eod. III. p. 374. 379. 412. s. 423. ss. Ill. Creuzer ad I. *N. D.* 17. p. 77. cum Ruhnkenio in *Opuscc.* p. 252. ex *Origen. c. Cels.* IV. p. 179. colligit, itidem Antiphontem Sophistam providentiam sustulisse eo loco, ex quo haec sunt ap. Suidam in Ἀδέητος (I. p. 49. Kust.) Ἀντιφῶν ἐν ά Ἀληθείας· „Διὰ τοῦτο οὐδενὸς δεῖται οὔτε προσδέχεται οὐδενός τι, ἀλλ' ἄπειρος καὶ ἀδέητος." Igitur Epicureis diis, qui *nihil agunt, nihil moliuntur* (I. *N. D.* 1, 2. 19, 51.) oppo-

teri, sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, *nunquam nec irasci deum nec nocere.* Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quae tantam utilitatem praeverteret. An, ne turpiter faceret? Primum, *minima de malis.* Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Attium,

---

nuntur *semper agentes aliquid et molientes* ib. 27, 77. Vtrumque verbum iunxit Cicero etiam *p. Mur.* 38, 82. (149. ex.) *id quod, mihi crede, et agunt et moliuntur.* Hic maxime intelliguntur Stoici, qui humanarum rerum procurationem tribuebant deo. *N. D.* I. 2, 4. Cf., quos Binkes p. 34. n. 4. laudavit, Lipsii *Physiol. Stoic.* L. I. *Diss.* 21. et Van Wesele Scholten *de philosophiae Ciceronianae loco, qui est de divina natura*, p. 52. Sed iidem Stoici, deos nec laedere posse nec laedi, intelligebant. V. ad II. 3, 12. pr. I. M. Heus. citat Lactant. *de ira d.* 2, 8. 5, 1. s.

Iupiter] Bern. scribit *Iuppiter*. Recte quidem, si i. sit q. *Iuvans pater*, interprete Görenzio ad *Fin.* II. 4, 14. pr. cum Cicerone *N. D.* II. 25, 64. Sed iure de hac originatione dubitat Ill. Creuzer l. c. Nam *Iupiter* est *ζεῦ πάτερ*, lit. ζ mutata in i consonam. Cf. *ζυγόν, iugum; μείζων, maior.* — In seqq. *utilitatem pervertere* (nam leg. volgo *perverteret*) Hottinger interpretatur: *einen so auffallenden Vortheil in einem Lichte zeigen, das ihn verwerflich macht;* Gernh. *efficere, ut nulla utilitas sit;* Deg. *vim eius debilitare* vel *efficere, ut usus eius desit*, comp. princ. h. cap. et L. 2, 5. p. 11. ex. Pearcio, cum in suis libris *praeveniret* reperisset, corrigenti *praeverteret*, astipulatur ψ cum uno cod. reg. Angl. ed. Graev. et Oliv. *Praevertere* dicitur pro *superare, praeponderare.* Et hic perinde est ac si dictum esset, *ut religio tantae utilitati praeverteret* vel *praevertenda esset, plus valeret prae tanta utilitate*, vel, *ut Regulus iuris iurandi religionem tantae utilitati praeverteret*, ut loquitur Gellius IV. 3. Vsurpatur autem id verbum ex improborum mente, religionem praepostero ac perverso ordine utilitati anteponi, opinantium. Iam etiam seqq. facilius suppleri poterunt sic: *An* (*religio praevertit utilitatem*), *ne* etc. quam cum Degenio: *An* (*eam ob causam servandum fuit ius iurandum*), *ne* etc. Negligenter vero Sch. repetiit Ernestinae ed. sphalma: *Denique* (pro *Deinde*) *illud etiam apud Attium.* Bern. *Actium.* Versus ex *Atreo* repetitur 106.

Fregistin fidem?
Neque dedi neque do infideli cuiquam,

quamquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur." Addunt etiam, „quem ad modum nos di- 103
camus, videri quaedam utilia, quae non sint: sic se dicere, videri quaedam honesta, quae non sint: ut

---

Fregistin fidem?] Bern. *Fregistine —?* Apostrophum, quem ante literam consonam recte deleverat Gernh., denuo addunt Deg. et Sch. *Ne*, pro *an non* posita, ut c. 17. pr. (ubi cf. n.), affirmantis est in hac interrogatione, quam recte F. Heus. ascribit Thyestae, Atrei perfidiam accusanti. Sic enim idem loquitur ap. Senecam in *Thyest.* scen. ult. *Hoc foedus? haec est gratia? haec fratris fides? Sic odia ponis?* et, interiectis illis, quae ad I. 97. p. 216. protulimus, Atreus respondet: *Sceleri modus debetur, ubi facias scelus, non ubi reponas.* Postremo, *Credo, castis nunc fidem reddi toris*, ait, dolore exsultans fratris, qui ipse summa perfidia usus fuisset, cum regnum adulterio cum fratris coniuge quaereret. V. *N. D.* III. 27, 68. In hanc sententiam hic quoque Atreus respondet, *se perfidiam perfidia remuneratum esse, qui nullam infideli fidem debuerit.* Quoniam vero *fide*, quasi quodam vinculo, quis astringi v. obligari dicitur: idcirco *frangere fidem* dicitur pro *laedere, violare, mutare fidem, facere contra fidem.* Sic *rumpere fidem* Liv. IX. 40. sub f. XXIV. 29. XXVIII. 32. *Fidem fallere* supra h. l. 98. ex. I. 13, 39. ex. Ovid. *Am.* III. 3, 1. et ap. Liv. V. 51. ex. IX. 11. ex. XXIX. 24. pr. i. e. q. *fidem eludere.* — *Dedi fidem* valet *fidem spopondi.* Cf. Liv. I. 58. sub f. VIII. 18. XXI. 25. p. m. XXII. 6. ex. 22. p. m. XXXII. 30. m. XXXVII. 10. p. in. XL. 46. sub f. *Neque do* hic dictum videtur pro *neque dare soleo omnino* v. *neque dandam existimo.* — Extr. §. non, ut Sch. notat, ed. Lips. 1500., sed utraque Lips. et 507. et 513. habet *luculenter.* Idem in *Lex. Cic.* „*Luculente*" ex h. l. non recte explicavit „*perspicue*". Neque cum Gernh. ad 14, 60. hoc sensu acceperim in *Bruto* c. 19. m. sed pro *splendide*, quod nihilo minus fieri potest *minus polite.* Eidem V. D. hac significatione, ut sit *praeclare, excellenter*, dici videtur *luculenter.* Verum tamen sic item *ad Att.* XIV. 21. p. in. *rescripsit ad eas* (literas) — *sane luculente.*

§. 103. *honesta, quae non sint:*] Bern. cum quinque Gnu. et Gryph. *sunt.* Deinde peccat, ut *haec*

hoc ipsum videtur honestum, conservandi iuris iurandi causa ad cruciatum revertisse, sed fit non honestum, quia, quod per vim esset actum, ratum esse non debuit." Addunt etiam, „quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non videretur."

104 XXIX. Haec fere contra Regulum. Sed prima videamus. „Non fuit Iupiter metuendus, ne iratus noceret: qui neque irasci solet nec nocere." Haec

---

videtur, superscripto pron. *ipsum*. Vt supra 100. ex. 113. pr.: sic *conservare ius iurandum* dicitur, qui diligenter et religiose servat, ap. Aemil. Prob., quem F. Heus. citavit, XXIII. in *Hann.* 2, 6. pr. et *conservata religione* XVI. in *Ages.* 2, 5. Perfecti Infinitivus *revertisse*, in quo haesit Degen, ponitur, quia hic non de futura, sed de facta re iudicium fertur. Deinde legebatur *quod per vim hostium esset* (Vinar. *esset hostium*) *actum*. Cum Palat. 1. et Gu. 4. sustulimus glossam *hostium*: quam non adiectam videmus 110. pr. Cf. I. 10, 32. ex. Teste Polyaeno, senatus Regulum hortabatur, μένειν καὶ τὴν ἐν ταῖς ἀνάγκαις ὅρκων ἀνώμοτον ἡγεῖσθαι. Quin etiam ipse Pontifex, ut est in Paeanii *metaphrasi Eutrop.* II. 14, 6. οὐκ εἶναι τὸ πρᾶγμα ἐπιορκίαν, ἐκ τῶν ἱερῶν ἐψηφίσατο νόμων, i. e. *ex legibus sacratis*, de quibus infra h. l. 111. — Ante extr. vv. *si antea non videretur* in Bern. *etiam* non legitur, nisi in margine additum. Nescio autem, quo consilio F. Heus., cuius lateri fidus comes adhaeret Degen, e Gu. 1. et 2. scripserit *ante*, cum tamen hic non tam tempus spectetur, quam mutata rerum conditio. Gu. 3. pro *antea* substituit *a natura*, ut eo minus errasse videamur, cum 95. glossam *natura* uncis notaremus, quae et per se intelligitur et, cum opponatur *temporibus*, cum vi praemitti debuisset. Et sane Vin. transponit, *quae natura honesta esse videntur*; ed. Rom. Ven. *quae natura h. videntur esse*; Gu. 4. *quae natura videntur honesta esse*; 3. *quae h. videntur esse natura*; exc. Bedae atque Eybi, *quae honesta videntur natura*, excluso v. *esse*. Quae ipsa inconstantia interpolationem prodit. Cf. I. c. 10. pr.

C. XXIX. §. 104. *Haec fere contra Regulum*] np. *dixerit quis*: quod ex superioribus facillime intelligitur. Deinceps ↓ *Num fuit I. metuendus* — ? ut 102. pr. Tum quidem non spreverim Graevii coniecturam *irasci soleat*: cuius rationem parum perspexit Gernh., monens, haec ipsa adversarii verba esse. Quis negat? Sed *qui* pro *cum is* modum causalem asciscit. Cf. *Epist.* VII. 4. ad Tre-

quidem ratio non magis contra Reguli, quam contra omne ius iurandum, valet. Sed in iure iurando non, qui metus, sed, quae vis sit, debet intelligi. Est enim ius iurandum *affirmatio religiosa.* Quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est. Iam enim non ad iram deo-

---

batium, Epicureum, §. 4. *Quo modo autem tibi placebit,* IOVEM LAPIDEM *iurare, cum scias, Iovem iratum esse nemini posse?* Nunc vero cum Indicativo positum pron. *qui* accipimus pro *is enim.* Deinde Sch., ut volgo, *neque nocere.* Heus. e Gu. 1. 2. 3. 4. et ed. Gryph. receperat *nec n.* idque tuetur Bern. Sic *neque — nec* pro *uti non —, ita nec* vel pro *non magis —, quam* se excipiunt 100. p. 372. II. 56. p. 109. *Fin.* IV. 26, 73. m. *neque magnum bonum — nec magnopere expetendum.* Horat. *C.* III. 5, 27. ss. Vt h. l. *Haec q. ratio — contra omne ius iurandum valet:* sic in *Laelio* 16, 12. ex. (60. pr.) *hoc quidem praeceptum ... ad tollendam amicitiam valet,* i. e. eam vim habet, ut, si verum sit, tollatur amicitia.

affirmate] Hoc tuetur et Bern. et priscus cod. Nannii. In ψ scriptum est *affirmante,* ex quo coniicias leg. *affirmanter. Quod — promiseris* est Futurum exactum in exemplis, de quibus praecipiatur, solenne, ut I. c. 11. pr. et ib. §. 36. p. 83. — *id tenendum,* i. e. *servandum,* ut *Phil.* XII. c. 11. ex. *tenere fidem* et *p. Balb.* c. 15. *Quod* (foedus) *eum magis fide illius populi —, quam aliquo publico vinculo religionis teneretur.* Ad sententiam Gronov. comparat, Aristot. *Rhetor. ad Alexandrum* c. 18. Ὅρκος ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. Cf. supra h. l. 44. pr. Sentit autem Noster, ut sapientem decet. Etenim, qui deum, ipsum veritatis auctorem, testem adhibet, is fatetur, se cum maxime memorem esse arctissimi cuiusque ad astringendam fidem vinculi. Hic, si nihilo minus peierando fefellerit, ipse de se desperaverit et unquam in Virtutis regnum atque ad veri, pulchri, boni fructum redeundi spe, certe, quantum in ipso est, se privaverit. Qui enim sanctissima quaeque ludibrio habuerit eaque servire voluerit suae malitiae, in huius voluntatem ne efficacissimum quidem conservandae religionis momentum ullam retinuisse videtur vim, dei reverentia, legis per omnium conscientiam moralem promulgatae latoris eiusdemque iustissimi iudicis, quem καρδιογνώστην fallere nemo potest. V. Krug, V. S., in *Aretolog.* §. 60. n. 2. ex. et *Euseb.* n. ad §. 21. p. 131. s. I. Chr. Frid. Meisteri liber singularis, L. B. praemio ornatus et a Borussorum regimine publice commendatus, „*Ueber den Eid nach reinen Vernunftbegriffen*"

rum, quae nulla est, sed ad iustitiam et ad fidem pertinet. Nam praeclare Ennius:

O Fides alma, apta pinnis, et ius iurandum Iovis!

(Zulich. 810.), praecipue p. 23. ss. 31. 39. 80. 93. s. cuius sententia intelligenter examinatur et castigatur a duobus censoribus in C. Christi. Frid. Krausii *Tagblatt des Menschheitlebens* (Dresd. ap. Arnold. 811.) n. 11. n. 15. p. 59. s. et n. 16. p. 65. s. — *Iram deorum nullam esse*, hic Cicero fatetur ut philosophus. Nam ἀνθρωποπαθῶς loquitur ut orator *pro Rosc. C.* c. 16. et I. *in Catil.* peror. extr. propter reverentiam communis opinionis, ad quam legem accommodat *Leg.* II. 8, 21. 9, 22. ut bene monuerunt I. M. Heus. et Gernh.

apta pinnis] i. e. *cui aptae* (affixae) *sunt pinnae.* Sic Virgil. *Aen.* XI. 202. cum Ennio ap. Macrob. VI. 1. *caelum* et IV. 482. *axem* dixit *stellis aptum.* Hic igitur, interprete Mureto *Var. Lect.* XIV. 3. et Turnebo in *Adv.* VI. 18. *Fides* significatur „*pinnata et pennigera.* Nam et Appuleius *verba*, quae Homerus solenni et prope perpetua adiectione πτερόεντα appellat, *pinnis apta* dixit II. *Apolog.* [p. 326, 26. Elm. II. p. 86. ex. ed. Bip.] *si verba ita, ut poëtae aiunt, pinnis apta vulgo volarent.* — Ex Naevio affertur ap. Festum libro XVII. [in v. *Sagmina*] *Ius sacratum* *I o v i s i u r a n d u m* *sagmine*, i. e. *ius iurandum Iovis, sacratum* et sanctum confirmatumque sagmine et verbenis. Nam illa ceremonia sanctius reddebatur ius iurandum, quod Iovis erat.“ Quo ex loco forsitan tueatur quis receptam lectionem in Appuleio *de deo Socr.* p. 45, 8. Elmenh. (ed. Bip. T. II. p. 228. s.) *Vtrumque idoneum non est, per quod adiures; neue per ista iuretur, cum sit summi deorum hic honor proprius. Nam et* *i u s i u r a n d u m* *I o v i s i u r a n d u m dicitur, ut ait Ennius.* Sed si Appuleius eundem, quem hic Cicero laudat, versum (in *Fragm.* ap. Columnam p. 302.) respexit: recte F. Hens. vocem *iurandum* post *Iovis* ab inepto Grammatico, notationem *iuris iurandi* sectante, repetitam iudicat. Est igitur *ius iurandum Iovis* i. q. *ius i. per Iovem*, qui credebatur vindex periurii atque hinc dicitur *Iupiter fidius*, Gr. Ζεὺς ὅρκιος et πίστιος. V. Dionys. *A. R.* IV. 7. Gronov. comparat Sil. Ital. I. 9. *Iuratum Iovi foedus.* Binkes p. 58. n. 72. laudat Scipionis Gentilis *lib. sing. Origin. Opp.* T. II. p. 413. Putantur autem Fidei tribui alae, non, quod avolarit ab hominibus ad Divos; sed, quod ubique praesto sit. Recteque cum Ern. sentit Gernh., Ciceronem, adhibito

Qui ius igitur iurandum violat, is *Fidem* violat, *quam in Capitolio vicinam Iovis Optimi Maximi* (ut in Catonis oratione est) *maiores nostri esse voluerunt.* „At enim ne iratus quidem Iupiter plus Re- 105

Ennii versu, docere voluisse, *ius iurandum* nihil aliud esse, quam *fidem.* Huius peculiare numen, iubente ita sive religione sive rei publicae gubernandae sapientia, primus consecraverat Numa. Πρῶτον δέ φασι — Πίστεως ἱερὸν ἱδρύσασθαι καὶ τὴν μὲν Πίστιν ὅρκον ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις μέγιστον· ᾧ χρώμενοι μέχρι νῦν διατελοῦσιν, ut scribit Plutarch. in vita c. 16. pr. (p. 70.) Dionys. lib. II. p. 134. Clem. Alex. *Strom.* V. p. 234. Cyrill. *in Iulian.* l. VI. p. 194. A. In Livii l. I. 21. pr. a VV. DD. corrigitur : *Deorum assidua insidens cura, cum interesse rebus humanis coeleste numen videretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac ius iurandum proxime legum ac poenarum metum civitatem regerent.* Legi etiam poterit *proxime a — metu :* nisi servanda librorum lectio *proximo — metu,* ut dicatur non pro *secundo*, sed contra pro *proximo superiore — metu,* i. e., ut non multo plus valeret legum ac poenarum metus. Sed in Appuleii *Apol.* ante m. p. 297, 15. Elmenh. (II. 40. Bip.) in vv. *nimis patiens vir es et oppido proxima humanitate* pro *proxime* leg. coniicimus *prolixa.* Postea *Fides in Capitolio* dedicata a M. Aemilio Scauro memoratur *N. D.* II. 23, 61. pr. ubi Creuzer, V. Perill., p. 297. s. laudat Iablonskii *Spicileg. animadd. de cultu virtutum sacro ap. gentes profanas,* Traiect. ad Viadr. 1752. et Raschii *Lexic. rei numar. vett.* II. 1. p. 107. Cf. ib. 1011. ss. Add. Cic. *N. D,* III. 36, 88. *Leg.* II. 11, 28. pr. Acro ad Horat. *C.* I. 35, 21. *Aedem Fidei in Capitolio* memorat Plin. XXXV. c. 10. sect. 36. §. 19. extr. V. Nardini *Rom. vet.* VII. 4. in Graev. *Thesaur.* T. III. p. 1373. E. — De *Iove Optimo Maximo,* qui a sede sua Capitolio (Tacit. Hist. III. 72. pr.) dicitur *Capitolinus,* v. Ill. Böttigeri *Kunstmythologie* p. 77. ss. Vtrumque numen et Iovis et Fidei invocat Regulus ap. Sil. VI. 467. s. *Iustitiae rectique dator, qui cuncta gubernas, Nec levior mihi Diva Fides !*

in Catonis oratione] Censorii. — *Maiores nostri .... voluerunt* est solennis formula loquendi de priscis legibus, institutis, religionibus aut opinionibus, antiqui exempli reverentia retinendis. Cf. 111. m. *Agrar.* II. c. 32. pr. §. 125. *Catil.* IV. 4, 8. (14.) ex. *Phil.* II. c. 2. pr. *Cui legatio ipsa morti esset, eius monumentum exstare voluerunt. — Non igitur exempla maiorum quaerenda; sed consilium est eorum, a quo ipsa exempla nata sunt, explicandum.* Exemplum e II. *Acad.* 47, 146. ad 108. pr. proferemus.

gulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus." Certe: si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non modo summum malum, sed ne malum quidem esse,

---

§. 105. *non modo*] Bern. cum plerisque al. adiicit *non*; et sic, sequentibus partt. *ne quidem*, plene dicitur in viginti quattuor locis, citatis ab Augusto Matthiae *de Anacoluthis ap. Cic.* in Fr. A. Wolfii *Analectis liter.* III. p. 4. n. 4. ubi corrig. *Verr.* III. 97 (pro 95), 225. His adde *Rosc. A.* 19, 54. ex. 47, 137. ex. *Verr.* II. 23, 57. 72, 178. III. 6, 14. *Rab. perd.* 4, 16. (ed. Beck.) *Att.* X. 4. sect. 1. p. 502. a. m. Sch. *Horum . . . non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem.* Item, si in altero membro opponitur *sed vix*, ut *p. Coel.* c. 6. p. in. Interdum utrique membro praeponitur *non*, ut *Verr.* V. 10, 26., aut aliae negationes, *ne* IV. *Catil.* 9, 19. *nec* XV. *Att. ep.* 27. ex. *Leg.* II. c. 6. pr. §. 13. ex. Liv. VI. 20. pr. *nunquam* I. *Catil.* 10, 25. (36.) ex. et in constructione ἀντιστρόφως progredientis a minori ad maius, ubi negatio pertinet etiam ad posterius membrum, in quo est *non modo* II. *Divin.* 55, 118. ex. vel priori membro inseritur, ut *in Caecil.* 12, 40. ex. *Acad.* II. 2, 6.; item *nemo* II. *Or.* c. 1. ex. *Catil.* II. 4, 8. *nullum* III. *Verr.* 13, 33. ex. *Pis.* §. 1. *Fam.* I. *ep.* 9 (volgo 8), 11. 10 (9), 10. IV. 13, 9. *N. D.* I. 36, 101. ex. in fr. or. *pro Scauro* p. 11. pr. ed. Frf. (41. ed. Sch.) *Venio nunc ad testes, in quibus, docebo, non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium*; aut negatio alio vocabulo privativo compensatur, ut I. *Or.* c. 19. post m. *non modo eos illius expertes esse prudentiae —, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse.* Hic igitur prius membrum, quamvis neget, tamen aequiparandum affirmativo, quale est hoc *in Caecil.* §. 34. *Facile omnes intelligent, vobis inter vos non modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem adhuc esse divisam.* *Att.* IX. *ep.* 10. p. in. *Lael.* 18, 7. (65.) ex. Aemil. Prob. XI. *Iphicr.* 1, 1. ex. Liv. V. 47. Sic recte dici posse, praecipitato iudicio negat Bauer ad Sanct. *Min.* IV. 7. T. II. p. 299. s. Cf. ibid. p. 293 — 305. Pro *ne — quidem* post negativum membrum, plene expressum, sequitur *omnino nihil* I. *N. D.* 41, 115. ex. itidem, ut pro *non modo* ponitur *non dico* II. *Agrar.* 33, 130. (ed. Beck.) vel *mitto* in *or. p. Quinct.* 22, 71. Saepe autem posterioris membri negatio, totius sententiae communis, ad prius quoque membrum pertinet ita, ut, ibi eam iterari, opus non sit: et quidem *omnino non* II. *Acad.* 19, 62. pr. *omnino nullam* III. *Verr.* 78, 182. *Parad.* V. 1, 2. ex. et simpliciter *non* III. *Or.* (si recte memini) *Neque eum oratorem tantum, sed hominem non putat*; vel *nemo* XII. *Fam.* 29. pr. Hinc utrumque membrum negatur et per *non modo —, sed ne —* qui-

sse, maxima auctoritate philosophi affirmant. Quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio, an gravissimum, Regulum, nolite, quaeso, vituperare. Quem enim locupletiorem quaerimus, quam

---

uidem (i. e. *adeo non* —, *ut multo minus*), quae idem aleant ex idiomate Gr. οὐχ' οἷον — ἀλλ' οὐδὲ, h. l. 77. p. 330. *Or.* I. c. 10. *Verr. l.* I. 6, 15. ex. 35, 90. III. 2, 4. ex. 5, 24. ex. 19, 48. 46, 109. 58, 134. 91, 212. ex. IV. 45, 9. (bis.) V. 51, 133. ex. Ern. al. 132. *Cat.* II. 9, 20. 32.) ex. 10, 21. (33.) *Phil.* II. c. 11. m. V. c. 9. ex. XIII. 20, 48. ex. *Fam.* I. 9. (vel potius 10.), §. 32. (ad quam *epist.* cf. Manutius, Heynio ad Tibull. I. 1, 25. laudatus.) *Tusc.* V. 33, 93. ex. *N. D.* III. 25, 64. *Divin.* II. 9, 23. ex. *Cat. Mai.* 11, 1. ex. Pseudo-Cic. *antequam iret in exs.* §. 17. Propter hanc negationis vim in priori etiam membro pronomina adhibentur interrogativa, e. g. ap. Liv. XXXII. 10. ex. Item, cum in altero membro sequitur *vix*, quod idem sit ac *paene, ferme, propemodum non*, e. g. p. *Coel.* c. 17. *Haec genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur*: quo exemplo refellitur Spalding in Wolfii et Buttmanni *Museo antiq. stud.* I. 1. p. 75., autumans, nunquam apud Ciceronem in tali descensu ad minora legi *non solum*. At v. *Or.* I. c. 46. sub f. Ibid. II. 62. Schütz cum Ern. *Obscoenitas non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum*; sed Gernh. ad *Off.* I. 104. p. 118. ex. illam alteram *non* omisit; fortasse aliarum editionum fide. *Pis.* c. 10. sub fin. Cf. Drakenb. ad Liv. XXV. 26, 10. Vechneri *Hellenolex.* I. 2, 5. p. 143. ss. Ern. in *Clavi* s. v. *non*. Meiner p. 517. s. 319. s. libri, ad I. 71. p. 166. citati.

maxima auctoritate philosophi] i. e. Stoici. Cf. II. 3, 10. pr. Hi quidem affirmabant, *dolere non modo summum malum* (nollem h. l. *malum* propter Gu. 2. negligentiam a Degenio expunctum cum F. Heus., a quo, cum in altero membro Substantivum non cum aliquo Adiectivo iunctum sit, recte dissentit Gernhard; Schütz autem eius lectionem protulit sic, quasi ille *malum* reposuerit, cum volgo deesset); *sed ne malum quidem esse*, np. obiective, si ordinem mundi moralem, divinitus constitutum, cogites; licet subiective summum malum esse videatur. De virili hoc decreto, Stoicae ἀπαθείας fundamento, v. *Tusc.* II. inde a c. 5, 14. Hinc iidem philosophi *dolorem laudare* dicuntur *Fin.* V. 10, 32. pr. Cf. supra ad II. 38. p. 75. s. — Seqq. sic reddidit Valer. M. I. 1, 14. pr. *in his, quae ad custodiam religionis attinent, nescio, an omnes M. Atilius Regulus praecesserit.* — Testis *locuples* dicitur idem, qui t. *gravis*, i. e. fide dignus, cui credere par est, cuius

principem populi Romani, qui, retinendi offici causa, cruciatum subierit voluntarium? Nam quod aiunt, *minima de malis*, id est, ut turpiter potius, quam calamitose — an est ullum maius malum turpitudine? Quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis: quanta illa depravatio et foeditas animi
106 debet videri? Itaque, nervosius qui ista disserunt, *solum* audent *malum* dicere *id*, *quod turpe sit*; qui autem remissius, hi tamen non dubitant *summum malum* dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi neque do infideli cuiquam,

---

auctoritas plurimum valere debeat, vel Nonio interprete c. VI. 78., *firmus et certus*. Cf. h. l. c. 2, 10. pr. 100. pr. et Schütz in *Lex. Cic.* III, I. p. 321. s. v. n. 3. — Pron. *qui* Degen, ut expediat rationem inde apti Coniunctivi *subierit*, positum volt pro *talem, ut ille*; equidem malim pro *cum is retinendi offici causa*, i. e. conservandi officii causa, a quo nunquam antea recessisset. Cf. ad II. 42. p. 82. — *Nam quod aiunt* (np. *proverbialiter*), *minima de malis*, intell. *eligenda esse*. Resp. ad 102. et c. 1, 3. Sententia reperitur ap. Aristot. *Eth. Nic.* II. c. 9. sect. 2. ex. τὰ ἐλάχιστα ληπτέον τῶν κακῶν et l. V. c. 3. ex. Ad seq. membrum subauditur *agas vitam*. — In seq. comparatione Bern. cum plerisque ll. substituit Coniunctivum: *Quae si — habeat*. Iam vero ante v. *animi* purificavimus scriptorem a glossa *turpificati*, quae mirifice eum sparcificarat. Debetur haec elegantia *pulchellificata* monacho cuidam *scientifico*, cuius aures tintinarent cantilenis de *animo* vel *corde iustificato* et *sanctificato*. Itaque librorum omnium auctoritatem cedere iussimus iudicio Görenzii, V. Clar., ad III. *Fin.* 2, 7. p. 317. observantis, amare scribas efficacia Adiectiva addere; hoc autem, vel numeri causa, plane superfluum esse. Sane perierat omnis concinnitas membrorumque aequabilitas.

§. 106. *nervosius*] i. e. *rigidius*, *severius*. Eadem metaphora, ab arcu ducta, opponuntur, *qui autem remissius* (*disserunt*), i. e. Academici et Peripatetici. — In versu, qui 102. iam affuit, Sch. post *neque do* invitus reliquit glossam *fidem*, quam repudiat et Bern. Ceterum similis est excusatio illa Timoleontis, Milarchum tyrannum calumnia quadam circumvenientis, qui multos, dolis circumventos, neglecta iuris iurandi fide, trucidasset. Is, igitur, tyranno spondente, se iudicium Syracusis subiturum, modo ne

dcirco recte a poëta, quia, cum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quae infideli data sit: videant, ne quaeratur latebra periurio. Est ius etiam belli- 107
um fidesque iuris iurandi saepe cum hoste servanda. Quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet, fieri oportere, id servandum est: quod aliter; id si non feceris, nullum periurium est. Vt, si praedonibus

---

Timoleon accusaret, iuravit, se non accusaturum; sed, um iste Syracusas venisset, protractum in concionem non ccusavit ille quidem (sicut pactus fuerat); sed eum, ndicta causa, celerrime interfici iussit. Τὸν γὰρ πολλοὺς ἐξαπατήσαντα, inquit, δίκαιον ἂν εἴη, καὶ αὐτὸν ἅπαξ ἐξαπατηθῆναι. Polyaen. *Strateg.* V. c. 12. n. 3. ed. Maasvic. — Statim post Bern. *Sed si hoc sibi sument* (pro *sumant*; scil. *defendendum* v. *ut hanc tueantur sententiam*), *nullam* (i. e. ritam) *esse fidem* — *videant* (i. e. caueant), *ne quaeratur latebra*, h. e. praetextus. Sic *pro Tullio* ed. Sch. XVI, II. p. 9. *latebram tollere* dicitur lex, quae *audaciam improborum sustulit, cum spem defensionis nullam reliquerit.*

§. 107. *Est autem ius etiam bellicum*] Sic cum volgg. Sch., cui suffragatur et Bern. et comparatio loci gemini e I. c. 11. pr. ubi tamen transitus fit. Recte igitur hic particulam *autem*, pro qua Goth. et Gu. 3. substituit *enim*, cum 1. 2. 6. expunxerunt Heus. et Gernh. Accedit Görenz, ad *Fin.* I. 18, 61. p. 85. observans, ante *etiam* passim inculcatam reperiri *autem*. — Ad seqq. *quod aliter* cogitatione repete, *quam ita, ut mens conciperet, fieri oportere, iuratum est*. Considerato sententiarum nexu atque illo, quod additur, exemplo (cui comparanda exceptio, qua usus fidem, iure iurando datam, mutat Nicomachus ap. Curtium VI. 7, 4. 6. 7.), Mascovio in n. 4. ad Pufendorfii *I. N. et G.* IV. 2, 15. certe praeferes Facciolati interpretationem: „In bello qui metu coactus paciscitur aliquid cum hoste, idque iureiurando confirmat, mens concipit fieri oportere, quia hostis ius habet incutiendi metum; ideoque servare pactum debet. Si mens concipiat fieri non oportere, ut cum ad vitam redimendam fides praedonibus datur, qui nullum ius habent, locus fidei esse non potest." — Statim Bern. cum quinque Guu., Goth., Graevii codice et edd. vett. *id si non fecerit*, ut intelligatur *aliquis*. Sed obstant seqq. *ne si iuratus quidem id non feceris.* De harum positu particularum v. ad 43. p. 255. s. Ordini volgato *nullum est periurium* praetuli eum, quem praestant Aldi libri, Gu. 3. 4. atque etiam 5. (cui Gernh. contrariam

pactum pro capite pretium non attuleris: nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non est perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides debet nec

---

lectionem tribuit); edd. vett. itemque Bald. Gryph., Anemoec. et Facciolati, ut statim sequitur *nulla fraus est.* Cf. etiam 108. pr. Placebat autem Stoicis, esse sapientis, i. e. viri boni, aliquando mentiri, sed sine assensione, i. e. non eo consilio, ut cuiquam fallendo faceret iniuriam: id quod refert Stobaeus *Ecl. Eth.* II. p. 230. τῷ μέντοι ψεύδει ποτὲ συγχρήσασθαι νομίζουσιν αὐτὸν κατὰ πολλοὺς τρόπους ἄνευ συγκαταθέσεως. V. Tennemanni *Geschichte d. Philos.* IV. p. 240. s. Arthur Schopenhauer in l. „*die Welt*" p. 490. disputat, cum, iniustam vim vi repelli, haud iniustum existimetur; maiore etiam cum iure eam eludi per astum et dolum quibusquibus mendaciis, fraudibus atque insidiis. A Gernh. citatur L. P. Cranachii *Disp. philol. philosophica de iure iurando vi metuve extorto* ad h. l. Viteberg. 1745. Binkes p. 59. ad h. l. scripsit *n.* 73. „Ciceroni contrarius est Grotius *I. B. et P.* L. II. c. 13. §. 14. et 15. qui statuit, fidem non tantum cum publico hoste servandam, sed etiam cum latrone. A Grotio dissentiunt Pufend. *I. N. et G.* L. IV. c. 2. §. 8. Barbeyr. ibid. et Otto ad Pufend. *de O. H. et C.* L. I. c. 11. §. 6." Nos quidem ad I. 10, 32. ex principiis, e quibus omne in hac consultatione iudicium pendeat, distinguenda censuimus.

perduellium numero definitus] Bern. cum al. plerisque praeponit *ex*: cui locutioni fortasse comparari possit I. *Or.* c. 23. *ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis*: cl. ib. c. 20. *Artem esse* ...., *quae* ... *penitus perspectis* ... *rebus contineretur.* Sed *definiri* hic cum nudo Ablativo i. e. q. *contineri, includi.* Cf. *Or.* III. §. 109. *causam aut controversiam* — *tribus, lite aut deliberatione aut laudatione, definiunt,* i. e. circumscribunt, contineri volunt. *Hostis* voc. in Exc. XIII. ad I. 12, 37. p. 547. cum cognato verbo *hostire* (nam *hostiare*, quod non recte adiunxi, aliud quid significat) ab etymo *fendare* derivavi. Quod ne cui mirum videatur, adiicimus *F* nihil aliud esse praeter Digamma. Nam ab ἵω, unde ὑιός, est *fio* et *filius*, ab ὕδω *fudo, fundo.* Cognata sunt etiam ἔω et φάω, *for*, unde *hariolus*, ἠμί, ἦ et φημί, φῆ, item αὔω, αὐάζω, φαύζω, *faveo* et *foveo*, ἕως, ἧος, φῶς, nec non ἀσκώλια et φασκώλιον, ut egregie docuit Cel. Riemer in Lex. Graeco; nec minus *fendere* et *hendere*, servatum in *prehendere*: pro quo quin ubique rectius scribamus *praehendere*, non magis impedit aut quantitas

us iurandum esse commune. Non enim, falsum 108
iurare, periurare est; sed, quod EX ANIMI TVI SENTENTIA iuraris (sicut verbis concipitur more nostro), id non facere, periurium est. Scite [enim] Euripides:

---

primae syllabae, quam in *praeeunte*, aut contractio *praendere* (Gall. *prendre*), *prandium*, quam in v. *praeminere* pro *praeeminere*, aut in *praebere* pro *praehibere*, quod legitur in Plaut. *Pseud.* I. 1, 134. Inde iam venit Anglo-Sax. *hentan*, Suec. *haenta*, *haenda*, Angl. *hend* (i. e. capere et tenere), Germ. *Hand* (manus), *Hund* (canis venatica, quae *praehendit* feras,: unde usitatissimum harum canium nomen *Pack-an!*), Angl. et Suec. *hank* (vinculum, vimen), Island. *hank* et *haunk* (catena). — In extr. Bern. peccat *ne fides*: quod propterea notamus, quod, si recte in Heus. ed. enotatum est, Gu. 4. et edd. vett. habent *non f.* Cum sententia Hertius n. 3. ad Pufendorf. *I. N. et G.* IV. 2, 3. comparat Bruti illud in oratione ad populum de Caesaris caede ap. Appian. Ἐμφ. II. Εἰ δ' ἐπιθυμήσει τις ἄλλος τυραννίδος· οὐδὲν πιστὸν ἔτι Ῥωμαίοις πρὸς τυράννους οὐδ' εὔορκον.

§. 108. *periurare*] Hanc verbi formam pro *peierare* tuentur etiam Bern. Cur. et Ven. 502. — *Ex animi tui sententia* hic i. e. q. 107. *ita, ut mens conciperet, fieri oportere*, vel *iurata mente*, ut Regulus ap. Sil. VI. 469. Explicat Ovid. *Heroid.* XXI. 135. ss. et Quinctil. VIII. 5, 1. Cf. n. ad *Off.* I. 13, 40. p. 100. Statim post indicavimus parenthesin. Nempe *conceptis verbis* (ut loquitur Plaut. in *Pseud.* I. 3, 119.) i. e. iis, quae solenniter ab eo, qui exigeret ius iurandum, praeiri solebant, iurabatur ita: *ex animi mei sententia*. Cf. *Acad.* II. 47, 146. ubi haec distinguuntur: *maiores primum iurare ex sui animi sententia quemque voluerunt; deinde ita teneri* (periurii), *si sciens falleret*. II. *Or.* c. 64. ex., quae, nescio, qua audacia refinxerit Sch. ex Gellio IV. 20. qui tamen ne favet quidem tali corruptelae, festinantius factae. V. Lipsius *Var. Lect.* I. c. 1. Liv. XLIII. 17. ex. (non, ut Gernh. citat, 15.) Petron. c. CIX. 2. pr. 3. pr. ubi Burmannus citavit inscriptionem, prolatam a Fabretto c. 10. p. 673. *Ex mei animi sententia, ut ego inimicus ero, quos C. Caesari Germanico inimicos esse cognovero.* Gronov. *Obss.* c. 14. p. 685. ad Liv. XXII. 53, 10. Brisson. *de formulis* VIII. 9. p. (689.) 711. laudatus Gesnero in *Thes.* IV. (non, ut Heus. citat, III.) p. 394, 12.

Scite enim] Bern. *Scit enim.* Placet autem, quod Gu. 3. Coniunctionem omittit. Cf. 42. Ingeniosa quidem, sed minus vera a Schützio facta distinctio est, „hoc non

Iuravi lingua; mentem iniuratam gero.

Regulus vero non debuit conditiones pactionesque bellicas et hostilis perturbare periurio. Cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur: adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia.

---

eo pertinere, quod ipsam illam sententiam (Cicero) laudet, sed quod Euripides uno versiculo scite expresserit iuramenti non ex animi sententia pronunciati vim et naturam." Videtur igitur Vir Illustris accepisse ex mente Orestis in Sophocl. *Electra* 47. Ἄγγελλε δ' ὅρκῳ προστιθείς. 61. Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν, aut quo sensu Mediolanenses, cum periurii arguerentur, responderunt: *Iuravimus quidem, sed iuramentum attendere non promisimus*; quasi ius iurandum alio iure iurando sanciendum esset et sic porro: ut refert Radevicus *de gestis Friderici I.* l. II. c. 25. Et sane *Euripidis* sententiam exagitavit etiam Aristoph. in *Ran.* 101. s. 797. (775. s.) 1579. (1520. s.) et Cephisodorus, Isocratis discipulus, ap. Athen. L. III. p. 122. (c. 35. pr.) eam impie (πονηρῶς) dictis recte annumerare videtur Gottlebero, laudanti Valckenarium ad *Hippol.* p. 231. At vero, ut rectius exposuerat Pufendorf *de I. N. et G.* IV. 2, 14. *Hippolytus* nutrici iuraverat, se, quidquid ex illa auditurus esset, taciturum; sed, cum illa de adulterio et incestu cum noverca Phaedra proposuisset, abnuit, se fidem in tanto flagitio dedisse nec ulla religione, ut id tegat, posse constringi. 608. οὐκ ἔτ', ἀκούσας δεῖν' ὅπως σιγήσομαι, et 616. Br. 612. Valck. (quem versum citat Basilius quoque *de ratione studiorum* c. 9.) ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος, ad quae Scholiasta, Gernhardo laudatus: οὐ γὰρ γνοὺς, περὶ τίνος ἐστὶν, ὤμοσε· οὐ καθολικῶς δὲ τὸ τοιοῦτον, ἀλλὰ νῦν, ἐπειδὴ ἡ γραῦς, πρὶν εἰπεῖν τὸ πάθος αὐτῷ καὶ πρὶν εἰς ἔννοιαν ἐλθεῖν αὐτὸν τοῦ ῥηθησομένου, ὅρκον ᾔτησεν τῆς σιωπῆς καὶ τῆς διανοίας. Propterea etiam additur, Regulum quidem non fuisse in ea causa, ut hac excusatione uti deberet. Sed etiam Hippolytus Euripideus illius iurandi reverentia iuris rem tacet. Ceterum mallem legi, *Iuravit lingua.* Lit. *t* ante *l* facile obliterari potuit.

iusto e. et legitimo hoste] i. e. eo, qui bellum gereret, legitime denunciatum et indictum. I. 11, 36. pr. Nimirum, cum fetiales officio suo satisfecissent, tum demum bellum, quod palam cum hoste gerebatur pro patria, *iustum piumque* vocatum est. Coll. II. *Catil.* 1, 1. (2.) Liv. IX. 1. loco, ad I. 11, 34. ex. ascripto; Lucan. II. 540. v. Brisson. *de formulis* IV. p. 344. — Statim Bern., neglecto compendio, peccat *et tum. ius fetiale.* De hoc v. Liv. I. 24. et 32. XXX. 43. Diodor. Sic. VIII. et XXXII. praedicans, Romanos praecipue id agere, ut iusta bella, observatis solennitatibus, suscipiant. Gust. Sam. Theod. Baum-

Quod ni ita esset, numquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset.

XXX. At vero T. Veturius et Sp. Postumius, 109
cum iterum consules essent, quia, cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant,

---

garten. Crusius *de Sacerdotibus Rom. epiblemat.* (Lips. 803. 4.) P. I. §. 4. p. 18 — 22. P. II. §. 5. p. 40 — 43. ubi e Dione L. et LXXI. ostenditur, diu haec iura observata fuisse, etsi simulata tantum, cum e. g. non ad ipsos hostes, sed in agrum prope urbem, *hostilem* inde vocatum, procedere solerent fetiales. E citatis ad l. 11, 36. pr. maxime huc pertinet l. Dionysii II. 72. ubi in fetialium memoratur fuisse officio τὰ περὶ τὰς συνθήκας ὅσια φυλάττειν· εἰρήνην τε ποιεῖσθαι, καὶ γεγενημένην, ἐὰν μὴ κατὰ τοὺς δόξῃ πεπρᾶχθαι νόμους, ἀκυροῦν καὶ τὰς τῶν στρατηγῶν παρανομίας, ὅσαι περί τε ὅρκους καὶ σπονδὰς ἐπιτελοῦνται, διαγινώσκοντες, ἀφοσιοῦσθαι (expiare): ut in Plutarchi *Camillo* c. 18. ubi iubent, τῶν πεπραγμένων ἄγος τὴν σύγκλητον εἰς ἕνα τὸν αἴτιον (in unum piaculi auctorem) τρέψασαν, ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἀφοσιώσασθαι. — Extr. cap. Bern. peccat *victos h. dedisset;* sed supra lineam correctum est.

C. XXX. §. 109. *T. Veturius*] *Calvinus*, quod cognomen additur a Gu. 6., sed corruptum *L. Veturius Calnitius*; 3. *T. Vetiurius.* Vtriusque lectio alia refertur in Schütziana. In Gu. 1. 2. Bern. ed. Gryph. est *Ti. Veturius.* Sed v. *Cat. Mai.* 12, 8. pr. (41.) ubi *Caudino proelio Sp. Postumius, T. Veturius, consules* (iterum a. V. 432.), *superati* dicuntur. At vero negligentius et ibi locutus videtur Cicero et hic, *male pugnatum.* Etenim angustiis ad *Caudium*, oppidum in Samnio inter Calatiam et Beneventum, inclusi, dederant se, non tentato proelio. Nec vero cum Orosio III. 15. ad annum 426. referri potest ignominia *ad Furculas Caudinas* accepta. V. Liv. IX. 1. ss. Lucan. II. 138. Contumeliam *exercitus sub iugum missi* (Liv. IX. 4. et 6. pr. Valer. M. V. 1. *extern.* 5. VII. 2. *extern.* 17. vel penult. Eutrop. X. 9, 4.) ultus Papirius non, ut Deg. scribit, duobus annis post, sed proximo iam anno, Samnitibus et duci C. Pontio captis iugum reposuit (ib. II. 4, 5. s. Liv. c. 15. post m. Flor. I. 16. ad f.); de quo more I. M. Heus. consuli iubet Dionys. Hal. *A. R.* III. c. 21. et Drakenb. ad Liv. III. 28. ex. Cf. Flor. I. 11. ex. Irritae pacis, quippe non foedere (quod neque iniussu populi, *qui iniussu suo nullo pacto posse religione obligari* dicitur *p. Balbo* 15, 34. ex., nec sine fetialibus caerimoniaque solenni fieri poterat), sed per sponsionem factae (teste Liv. IX. c. 5.), sponsores

dediti sunt his: iniussu enim populi senatusque fecerant. Eodemque tempore Ti. Numicius, Q. Maelius, qui tum tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus: qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus aucto-

---

dediti, sed a Samnitibus non recepti sunt. A. Gell. XVII, c. ult. med. Aurel. Vict. *vir. ill.* 28. Valer. M. VI. 1, 9. pr. Augustin. *Civ. D.* III. c. 17. Liv. c. 10. s. a quo *tribuni plebis* nominantur *L. Livius et Q. Maelius* c. 8, 13. ubi intpp. monent, illos tribunatum inisse post pacem Caudinam; cum superiore anno fortasse inter tribunos militum fuissent. Ipsos enim tribunos plebis nullum diem abesse Roma licebat, teste A. Gellio III. 2. V. Pigh. ad a. 433. I. p. 351. A Bern. scribitur *Ti. Minutius* cum Gu. 1. 2. ed. Gryph., tum *Q. emilius* cum Gu. 1. 3. 5. Vinar. et edd. vett. Inserta copula Gu. 4. *et Q. Emilius;* plures MSS. *T. Minucius et Q. Aemilius.* Goth. *Tiberius Numitius et Q. Emilius.* — In prox. *pax Samnitium* dicitur eo modo, quo c. 22. pr. *Pyrrhi bello.*

Quod idem] De his pronn. iunctis v. n. ad 34. p. 239. c. 21. ex. Subauditur autem *fecit*, ut mox *Honestius hic, quam Q. Pompeius*, ubi Deg. supplet *se gessit.* Sed v. de ellipsi hac ad c. 11. pr. cl. I. 11, 33. *Att.* XV. 17. post in. Sch. p. 266. ab in. *Clodium nihil arbitror malitiose* (acturum); *quamquam ... Scelesta quidem egerit.* Non, ut Manutius scribit, CLXXXIII, sed CLXXXIV post Veturium et Postumium annis *C. Mancinus Hostilius*, se in senatus fore potestate, professus est a. V. 617. Sed ne hunc quidem prioris anni consulem acceperunt Numantini, dicentes, *publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine.* Vid. *Or.* I. 40, 181. II. c. 32. pr. *Caecin.* c. 34. pr. §. 98. ex. Liv. *epit.* LV. s. Flor. II, 18, 6. Vellei. P. II. 1, 4. s. 90, 3. Eutrop. IV. 8, 1, s. cl. X. 9, 4. Valer. M. I. 6, 7. ex. II. 7, 1, ad f. Aurel. Vict. *vir. ill.* 59. Oros. V. 5. s. 7. pr. Augustin. III. 21. ind. Obsequens *de prodig.* c. 83. ex. Appian. l. VI. *de reb. Hisp.* c. 80, 83. p. 501. (515.) Zonar. *Annal.* T. II. Et huius et eorum, qui pacem Caudinam fecerant, deditionis mentionem iniicit Plutarch. in *Ti. Graccho* c. 7. Fuit enim foederis Numantini violatio causa turbarum a Ti. Graccho motarum. V. ad II. c. 12. p. 84. s. Teste Plinio XXXIV. c. 5. sect. 10. *statuam Mancinus eodem habitu sibi statuit, quo deditus est.*

ritate foedus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam P. Furius, S. Atilius ex senatus consulto ferebant: qua accepta, est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompeius, quo, cum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. Hic ea, quae videbatur utilitas, plus valuit, quam honestas; apud superiores utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est. „At non de- 110
buit ratum esse, quod erat actum per vim.“ Quasi

L. Furius et S. Atilius] Sic Sch. cum volgg. Sed copulam, ab Heus. proscriptam, ignorat Bern. quoque. Eam a scribis inculcari, in prima ad h. §. nota videre licet. Praeterea, auctore Oudendorpio ad Iul. Obsequent. *de prod.* c. 84. p. 82. praenomen correximus. Nam non *L.*, sed *P. Furius Philus*, *Sex. Atilius Serranus* COSS. fuerunt a. proximi 617. *Att.* XII. *ep.* 5. sect. 4. De *Furii* praenomine *P.* cum Valerio M. III. 7, 5. consentit Cassiodorus. V. Sigon. ad h. a. et Ern. in Schützii *Ind. histor.* p. 204. Errat Pighius, qui in *Annal.* II. p. 478. et 500. ex nostro h. l., cum, oculis, an libri (nescio cuius) sphalmate deceptus, pro *Sex.* legisset *Ser.*, colligit, huius anni tribunos plebis fuisse *L. Furium, C. f., Gn. n., Brocchum et Servium Atilium, A. f., C. n., Serranum*, a quibus ex S. C. rogatio illa lata sit. Corruit igitur etiam coniectura de iisdem praetoribus a. 622. et seq. T. III. p. 14. 19. Cum huius foederis sponsoribus reliquis ad populum provocasse videtur *Q. Pompeius Nepos s. Rufus*, qui a. 613. in turpissimo foedere Numantino, quod ab eo consule anno priore, re male gesta, ictum fuerat (teste Liv. LIV. pr. Eutrop. IV. 8, 1.), infitiando *callide improbus* fuisse iudicatur II. *Fin.* 17, 54. et in Appiani l. VI. *de reb. Hisp.* c. 79. p. 509. s. Et hunc quidem supplicem gratia impunitum habuit, quod iam iudicata ea causa esset, teste eod. c. 83. et Velleio II. 1, 4. Cf. ib. 90, 5. Oros. V. 5. Quamquam Freinshemio in *Supplem. Liv.* LIV. c. 34. videtur iam tum rogatio de Q. Pompeio, A. F., Numantinis dedendo, ad populum lata, cum primum facti foederis convinceretur. Ceterum *lex* hic est *privilegium*.

§. 110. *At — actum per vim*] De hac exceptione praeter n. ad 103. comp. Senec. *Controv.* IV. 26. (non 27.) ed. Bip. p. 289. Martial. XI. 59, 5 — 10. De ironia partt. *quasi vero* v. n. ad 39. p. 248. Est etiam elegans

vero forti viro vis possit adhiberi. „Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim de captivis dissuasurus esset?" Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non enim suo iudicio stetit; sed suscepit causam, ut esset iudicium senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto redditi essent. Ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriae non utile putavit, idcirco sibi honestum et sentire illa et pati credidit. Nam quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum: imo vero — esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non honestum: nec, quia utile, honestum; sed,

---

lusus verborum *viro vis*, ut ap. Virg. *Aen.* VI. 553. *Vis ut nulla virûm — valeat.* II. 494. *Fit via vi.* X. 864. *Aperit si nulla viam vis.* Ad sententiam cf. *Parad.* V. 1. praecipue §. 5. et 6. *Soli — hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus.* Seneca *de constant. sap.* c. 3. et 6. Iuvabit comparasse, quo modo hunc semper in proposito susceptoque consilio permanentem vividis coloribus descripserit Horat. III, 3. ab in. Nexus cum seqq. hic est: *Cur igitur* (si nulla vi cogi potuit) —? Deinceps relativo membro, *Quod maximum in eo est*, per inversionem cum vi postpositum demonstrativum *id* valet *illud ipsum*, ut *Tusc.* IV. 29, 63. ex. — *Suo iudicio stetit*, i. e. in eo acquievit, ut *p. Flacco* §. 65. ex. *Att.* VIII. 4. pr. *Tuo potius stabam iudicio, quam meo*, i. e. id secutus, eo usus sum. XII. 21. sub f. *meoque iudicio malto stare malo, quam omnium reliquorum.* II. *Tusc.* 26, 63. ad f. *Cluent.* §. 96. *his rebus iudicatis standum;* et 132. ad f. Sic ἐμμένειν ταῖς δίκαις est *iudicia fixa et rata habere* in Plat. *Critone* c. 12. pr. — In seqq. ordinem volgatum, *Poenis redditi essent*, elegantius mutat Gu. 4. *redditi Poenis essent;* sed probabilius cum ψ glossam exclusisse videmur. Ad hanc *de captivis reddendis* deliberationem alluditur III. *Or.* §. 109.

Nam quod aiunt —; imo vero] M. Heus. subaudit *aiant.* Degen potius post protasin: *stare non potest, locum non habet.* Facilius suppleveris: *non recte aiunt.* Ita quidem loquebatur Noster 105. *Nam quod aiunt, minima de malis —; an est ullum maius malum —?* Sed vel sic in opposito membro post *imo vero* cum H. Wolfio supplendum erit *dicendum.* — Post vv. *nec, quia utile, honestum* cum Bern. Gu. 1. 2. 3. et a prima m. 5. exclusimus *est.* Gernh. id tuetur, cum absit ab altero membro, *sed — utile.*

quia honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius.

XXXI. Sed ex tota hac laude Reguli unum 111
illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuit. Nam, quod rediit, nobis nunc mirabile videtur; illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad astringendam fidem iure iurando maiores arctius esse volue-

---

At enim sufficit, quod sententiam ducit *Est enim*. Denique, laudato Grotio, qui in *I. B. et P.* l. III. c. 23. §. 6. Regulum et laudabiliter et illud, quod debebat, fecisse iudicat, itemque Garvio ad h. l. p. 257. (p. 236. ed. II.) ss. Binkes p. 60. n. 81. cum Buddeo in *Spec. iuris prud. hist.* §. 60. in Reguli facto haec duo distinguit, primum, quod fidem datam servarit, deinde, quod liberationem ex captivitate repudiarit; atque illud non dubitanter laudat, hoc ita demum, si plane e re publica fuerit, ut Regulum potius Poenis traderent, quam pacem cum iis facerent, Romani: adde, aut captivos permutarent. Rachelio autem ad c. 27. pr. (ed. Neap. p. 158. b.) Regulus de senatu et re publica optime, res publica et senatus de Regulo pessime meritus esse videtur. Verum tamen paruerunt ipsius Reguli, quem quovis pretio servare maluerant, auctoritati crediderumtque crimini de hausto veneno. Cf. n. ad 100. ex.

C. XXXI. §. 111. *quod — censuit*] Sic Heus. e plerisque iisque optimis libris; sic Bern. quoque. Sch. cum Ern. retinuit *censuerit*. At sequitur eodem modo Indicativus. In proxx. notio primaria *laus* et cum pron. *ista* et cum GG. *non hominis, sed temporum* iungenda, ut II. 76. p. 148. I. §. 41. p. 105. Laudat vero Noster maiorum probitatem plus, quam veritas patitur. V. quae ad 103. ascripsimus e Polyaeno et Eutropio. Ceteroquin *ius iurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque, id moribus legibusque multis ostenditur*, ut ait A. Gellius VII. 18. pr. Dionys. l. II. extremo regi Numae institutum illud assignat. Polyb. l. VI. commemorat, tantum apud Romanos iuris iurandi religionem valuisse, ut ea laude facile gentibus omnibus antecellerent. *Maximum remedium expediendarum litium in usum venire iuris iurandi religionem*, ait Caius in *Digestt.* XII. 2, 1. His ad ult. *Leg.* XII *Tabb.* in ed. V. apud Eustath. Vignon a. 597. p. 59. et in Rosini *Antiqq. Rom.* l. VIII. P. I. c. 6. ex.

runt. Id indicant leges sacratae, indicant foede-

---

pitatis add. Terent. *Hec.* V. 1, 23. s. Euripides in *Hippol.* 1048. ἔγνωκε dicit πίστιν οὐ σημηρὰν θεῶν. Cf. Hierocles *in Pythagorae aurea carmina*, cuius verba ascripsit Graevius.

Id indicant leges sacratae] Sic I. M. Heusingerum maluisse legi, testatur Schütz. At vero ille in volgata, *Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratae*, non nisi vv, *in XII tabulis*, pro quibus ψ substituit *tabularum*, glossam suspicabatur. Etiam verbum in anaphora repetitum proscripsimus cum Gu. 2. *Id indicant sacrae leges in duod. tab.* E mera coniectura II. *Leg.* 7, 18. editur *in veteribus XII sacratisque legibus.* Libri omnes pro *XII* tuentur *in iis*, *in his*, *his.* Recteque monuit Görenz, leges *sacratas* plus quam XL annos ante istas XII tabularum scriptas esse. Itaque coniicimus *in veteribus illis* (quod, neglecto compendio, facile corrumpi potuit) *sacratisque legibus*, ut *que* adiungat explicationem. Hic etiam *leges sacratae* perverse postponerentur, quamquam excusante Gernhardo, quod latius pateat *XII tabularum* vis. *De Legibus sacratis* praeter Frid. Platneri libellum Lips. 751. 8. cf. Niebuhrii, V. Perill., *Röm. Geschichte* T. I. p. 342, et 378 — 427. Interprete Reizio, „*leges sacratae* dictae vel, quod earum non nullae agebant de iure iurando idque imponebant, vel, quod in eas populus iurasset, ut ap. Dionys. Halic. VIII. 89." Iuris prudentiae alumnus Binkes p. 59. n. 76. cum Ernesto in *Claui*, laudatis Perizonii *Animadvv. hist.* c. 10. p. 418. (427. ed. Altenb.) monet, *sacratas leges* sensu latiori dici ex eo, *quod caput eius, qui contra fecit, consecratur.* Eodem modo Hottinger, Degen et Gernh., qui cum Ern. citat *p. Balb.* 14, 33. At vero nihil minus huic loco convenit. Etenim Cicero hanc pronunciat legem, *Periuri poena divina exitium, humana dedecus* (esto), II. *Leg.* 9, 22. in *constitutione religionum*, de qua ipse X. 23. fatetur: *non multum discrepat ista a legibus Numae nostrisque moribus.* Idem 7, 17. ex. dixit *leges de religione.* V. omnino locum ad 105. e Paeanii *metaphrasi* Eutropi ascriptum. Sic et clarigatio fetialium fiebat ἐκ τῶν ἱερῶν νόμων, teste Dionysio Hal. II. 72. et eodem c. 73. pontifices φυλάττουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν παρὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους. Itaque *leges sacratae* sunt, e quibus cognitio est penes pontifices (ἱερονόμους). His enim mandata erat religionum et rerum sacrarum custodia: quarum eos interpretes etiam eatenus fuisse, quatenus responderint, *quanto aut quo scelere aliquis esset pollutus*, testis adhibetur Pseudo-Cic. *de harusp. resp.* c. 10. ad f. Sed locus ille sic se habet: *qui sunt ludi minus diligenter facti? quando aut quo scelere polluti? Respondebis*, ... *pro pontificum collegio, nihil cuiusquam aut neglegentia contemptum aut scelere esse pollutum.* Magis idoneus

ra, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de iure iurando, iudicabant. L. Manlio, A. F., cum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, *quod Titum filium ab homini-* 112

---

ad probandum, pontificibus de periurio cognoscendi et iudicandi legitimam fuisse potestatem, ab Exc. Rostio in libello, ad 77. pr. laudato, p. 15. s. adhibetur Plauti locus in *Rud.* V. 3., ubi leno Gripum servum, a quo vs. 19. s. *periurissimus* audisset, 21. per ironiam interrogat, *tun' meo pontifex periurio es?* minime vero ipsum herum Daemonem, ut hunc temerariae sedulitatis commonefaciat. Non enim hic periurii crimine presserat lenonem: imo ne allocutus quidem fuerat; sed modo servum suum interrogavit 20. *Gripe, quod tu istum talentum poscis?* ubi caue *quod?* accipias pro *ob quod?* Nam si vel maxime talis ellipsis admitteretur: certe dicendum fuit *quid —?* Sed *quod?* iungendum cum Substantivo, est *ex quanam caussa debitum?* unde 22., eandem illam interrogationem, variatis verbis, repetit: *Qua pro re argentum promisit hic tibi?*

foedera] publico vinculo religionis tenebantur, ut ait orator *p. Balbo* 15, 34. 35. Post in Bern. est *motiones*; sed superscriptum *notiones*, quod cum al. tuetur Cur. et Ven. 502. *Notio* proprie dicitur de morum magisterio. Errat Degen, si *notiones* et *notationes*, ut volgo legitur, eodem sensu dici putat. V. Schütz ad *or. p. Sext.* c. 25. et de severitate hac censoria h. l. 115. pr.

§. 112. *cum dictator fuisset*] *claui figendi causa creatus* ordine XXI. a. V. 390., *perinde ac rei gerendae ac non solvendae religionis gratia creatus esset, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo iuventutem agitavit: tandemque, omnibus in eum tribunis plebis coortis, — dictatura abiit. Neque eo minus principio insequentis anni — dies Manlio dicitur a M. Pomponio, tr. pl.*, ut scribit Liv. VII. c. 3. ss. De *Dictatoribus P. R.* v. Io. Iensii Diss. in *Ferculo litterario* L. B. 1717. 8. p. 89 — 130. Henr. Verheyek in *Praef.* ad Eutrop. L. B. 1762. 8. p. 32 — 54. Mich. Conr. Curtii Pr. II. *de Dictatura R.* Marb. 783. 4. et Perill. Niebuhrii *Röm. Geschichte* T. I. p. 360 — 363. II. p. 119. — Post *Titum filium* eradicavimus glossema, *qui postea est Torquatus appellatus*, iam F. Heusingero suspectum, cum cognomen viri extremo demum cap. commemoretur. Praeterea Aldus, cuius quatuor libri cum Tertii illo volgatam tuen-

bus relegasset et ruri habitare iussisset. Quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhi-

---

tur, vv. sic ordinavit: *qui Torquatus postea est appellatus.* Quinque eiusdem cum Gu. 5. transponunt: *Torquatus est appellatus*; tres cum Gu. 3. 4. *Torquatus appellatus est.* — Statim post *relegare ab hominibus* κατ' ἐξοχὴν dicitur pro *a communione hominum elegantiorum et vita urbana.* Livius c. 4. Pomponii crimen illud sic expressit: *Quod filium iuvenem — extorrem, urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu aequalium prohibitum, in opus servile* (v. Cuiac. *Obss.* l. X. c. 33.), *prope in carcerem atque in ergastulum dederit* etc. Valer. M. V. 4, 3. *quod filium, optimae indolis iuvenem, rustico opere gravatum, publicis usibus subtraheret.* Hoc vulgo duri patris censebatur. Vid. P. Faber *Semestr.* l. II. c. 5. Locus classicus est *p. Rosc. Am.* 15, 42. ss. 16, 46. ex. ubi item *relegare* et *amandare* dicitur pro *contumeliae ac supplicii gratia in praedia rustica colenda ac tuenda mittere*, quae magis explicantur 18, 49. et 27, 75. ubi, qui *in rusticis moribus, in victu arido, in horrida incultaque vita* aetatem transegerit, 28, 76. dicitur *nunquam inter homines fuisse.* Cf. Horat. S. II. 6, 92. Ceterum a patre L. Manlio filium *inter initia iuventae* (idem dixit Seneca *de benef.* III. 37, 3. *ad tempus*), *quia brutus ac hebes et domesticis et rei publicae usibus inutilis videbatur, rus relegatum*, cum Livio refert Valer. M. VI. 9, 1.

adolescens filius] Sic *Divin.* I. 36. c. 18. ex. *filiam adolescentem.* Liv. XXVIII. 40, 7. *homines adolescentes.* — Post pron. relativum, ad antecedentia spectans, nomen ipsum, quo illud spectabat, addi, egregie, ut solet, docuit Aug. Matthiae in Wolfii *Analect. liter.* III. p. 17. et Graecis exemplis in Gramm. Gr. mai. §. 476. p. 657. Cf. Liv. XXVII. 7, 6. et XXXII. 37, 6. cum Drakenb. nota. Tacit. *Ann.* IV. 4. A. Gellius XII. 1. a. m. *nituntur, ut fetus quoque ipsi, in corpore suo concepti, aboriantur: —. Quod cum sit publica detestatione communique odio dignum,* (nempe) *in ipsis hominem primordiis — interfectum ire.* Sic etiam accipi potest locus *Off.* II. 29. ex. et complures alii loci ibi citati; itemque *Verr.* IV. c. 56. pr. quod exemplum, nescio, cur Cel. Matthiae ad *Fin.* I. 20, 67. in *Miscellan. philol.* II. 1i p. 109. ab hac ratione segregarit. Contra idem non satis apposite comparasse videtur clar. Moser ad II. *N. D.* 37, 93. ex. p. 356. quem locum per ellipsin, quam per pleonasmum, explicare malim hoc modo: *Hoc qui existimet fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae literarum vel aureae vel qualeslibet aliquo coniiciantur, posse ex his, in terram excussis, annales Enni ut deinceps legi possint, effici: quod* (ut efficiatur), *nescio, an ne in una*

eri patri: accurrisse Romam et cum primo luci omponi domum venisse dicitur. Cui cum esset unciatum: qui illum iratum allaturum ad se aliuid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, emotisque arbitris, ad se adolescentem iussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit

---

quidem versu *tantum possit valere fortuna*: nisi dixeris, duas locutiones confusas esse in unam, cum exspectaretur, *quod nescio an ne in uno quidem versu effici possit fortuna*. Similiter pron. *id* deinde explicatur a Q. Claudio Quadrigario ap. A. Gellium IX. 13. *Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio, summo genere nato, tantum flagitium civitati accidere* etc. ut h. l. *Quod cum audivisset* ἐπεξηγήσει *negotium exhiberi patri*, i. e. molestias et periculum ei creari, patrem male haberi, vexari, eius caput in discrimen iudicii adduci. De hac dictione v. ad 102. p. 375. — Tum legebatur *cum prima luce*. Sed „apud Nonium in v. *Lux* locus e *M. Tul. de offic. lib.* III., quo Nonius ostenderat, veteres *lucem* masculino genere dixisse, librariorum culpa excidit. Suspicatur itaque Mercerus, hoc Ciceronis loco Tiburticensem grammaticum in suis exemplaribus legisse *et primo luci*." Verba sunt F. Heusingeri, cui, in antiquissimis codicibus scriptum fuisse *et cum primo luci*, ex hoc etiam fit probabile, quod Anemoecius edidit *et cum primo lucis*. Cf. Westerhov. et Ric. Bentlei. ad Terent. *Ad.* V. 3, 55. Praepositionem *cum* tuentur Bern. Cur. Ven. 502. et alii.

qui — arbitraretur, surrexit] Sic Bern. cum optimis MSS. Pron. relativum vim habet causalem, ut 58. p. 282. s. *Fam.* I. *ep.* 9. (vel 10.) §. 31. (al. 40. pr. Bened.) *Fin.* V. 20, 55. m. ubi Görenz e MSS. edidit: *ad incunabula accedunt, qui* (i. e. quippe qui), *in pueritia facillime se, arbitrentur, Naturae voluntatem posse cognoscere*. Sch. autem tacito revocavit ibi volgatum *quod*, ut hic quoque volgo legitur. Et sane quam ingeniose explicat Zumpt, V. D., in utilissima Gramm. Lat. ed. alter. p. 179. ut per attractionem sic dicatur pro, *quod ille iratus allaturus esset ad se aliquid contra patrem, ut arbitrabatur*: quem ad modum in loco illo interpolato I. 13, 40. p. 100. quae optime expediuntur: *quod nescio quid oblitus esset, ut dicebat*. I. *Fin.* 7, 24. pr. *Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent*, i. e. *quod p. praetor in p. cepisset, ut arguebant*. Sallust. *Cat.* 49. *ementiundo, quae se — audisse dicerent*, i. e. *quae audissent, ut dicebant*. Posset haec ratio quodam modo accommodari loco *in Verr.* V. c. 39. *Dicebant, quos ex sua quisque naui missos sciret esse*. Verum tamen v. sci-

iuravitque, *se illum statim interfecturum, nisi ius iurandum dedisset, se patrem missum esse facturum.* Iuravit, hoc coactus terrore, Pomponius; rem ad populum detulit; docuit, cur sibi causa desistere necesse esset; Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis ius iurandum valebat! Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem, ab

---

ret omnino obliquae orationis pars est. H. quoque l. v. *arbitraretur* non abundat neque in enunciati primarii locum substitutum est, sensu autem secundarium, ut in illis locis; sed per se primarium est. Ista enim Pomponii opinio causa fuit, ut secretum colloquium ab eo impetraret adolescens.

iuravitque, se illum st. interfecturum] Pron. *se*, in Gu. 4. a correctore, supra versum scriptum, abest a Gu. 3. Ven. 498. Lipss. 507. 513. quibus aliquid tribuere videtur F. Heus. Vid. de hac ellipsi ad 98. vs. 3. Hic tamen ex ea aliquid ambiguitatis exsisteret, ut c. 32. pr. Tum Bern. *nisi ius iurandum sibi dedisset*, ut ed. Sch. cum Ernesto. Sed, Gu. quarto transponente *nisi sibi ius i. d.*, recte F. Heus. cum Gu. 1. libro Tertii et ed. Gryph. pron. expunxerat. Ceterum T. Manlii aemulus exstitit P. Scipio, primus ille Africanus appellatus, qui, cum reliquiae prostrati Cannensi clade exercitus deserendae Italiae consilium agitarent, tribunus mil., admodum iuvenis, stricto super capita gladio, mortem uni cuique minitando iurare omnes, nunquam se relicturos patriam, coëgit pietatemque non solum ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit, teste Livio XXII. 53. ex. et Valer. M. V. 6, 7. — Deinde Bern. cum al. multis transponit *hoc terrore coactus.* — In seqq. solenni formula *missum facere* dicitur accusator, qui *non reum peragit.* Aurel. Victor. *vir. ill.* 28. explicat *dimittere* (Seneca l. c. *remittere*) *accusationem.* Similiter ap. Liv. IV. 42. ad f. tribunus pl. „*C. Sempronium nihil moror*"; itemque iudex, qui absolvit, certe poenam remittit, ib. VIII. 35. Facete id Cicero ad causam philosophorum, contra quos disputat, transtulit, e. g. *de fato* c. 4. pr. *Posidonium ... cum bona venia dimittamus.*

T. Manlius] Bern. *Ti. Manlius* solenni scribarum errore. — *Anio* v. *Anien* (hodie *Teverone*) *per Tiburtinorum fines decurrit, in Tiberim fluit*, ut est ap. Vibium Seq. c. 7. p. 3. ubi cff. Oberlini et Claudii notae p. 52. ss. Dempsteri *Etrur. regal.* II. c. 15. Cluver. *Ital. antiq.* II. p. 711.

b eo provocatus, occiderat, torque detracto ognomen invenit, cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati, magnus vir in primis et,

. 711. Post unus Aldi liber atque ed. Gryph. *torque detracta*. Femineo genere in eiusdem rei narratione usus est t A. Gellius IX. 13. pr. et Q. Claudius Quadrigarius, uius e *primo annalium* ibi laudantur verba: *torquem detraxit eamque sanguinolentam sibi in collum imponit.* Cf. Ovid. *Fast.* I. 601. Sed F. Heus. id tribuit monachis, ratificantibus D. Hieronymo, ementita et Ciceronis et Virgilii auctoritate abuso *Oper.* T. V. f. 492. *Detrahere* utem proprie dicitur victor deiecti perduellis *spolia.* V. adem de re a. V. 392. in ponte Anienis ad tertium ab rbe lapidem gesta *Fin.* I. 10, 35. II. 22, 73. *Tusc.* IV. 2, 49. ex. Flor. I. 13, 20. et in *epit. Liv.* VII. atque pse Liv. c. 10. quo eodem teste VI. c. 42. Q. Claudius d certamen ad a. 386. retulit, quo in Albano agro cum Gallis dictatore M. Furio Camillo signa collata. Errorem nde ortum putamus, quod Claudius eius anni magistrum q. *Q.* (ap. Liv. *T.*) *Quinctium Pennum* (Cincinnatum Capitolinum) confudit cum *Q.* (ap. Liv. VII. 9. *T.*) *Quinctio Penno* (Barbat. Capitol. Crispo), quo dictatore a. 392. circa Anienem bellatum. Plut. *Camillo* 41. pr. cl. Dionys. *pit.* l. 13, 15. ss. Plura turbat et confundit Aurel. Victor. *vir. ill.* 28. Falsum est etiam, quod a Valerio M. III. 2, 6. pr. dicitur Manlius interemisse *ultro provocatum hostium ducem*, et ab Eutropo II. 2, 3. *nobilissimus de senatoribus*, inde scilicet, quod Q. Claudio dictus esset *summo genere natus.* Cf. Oros. IV. 6.

cognomen invenit] i. e. *data hac occasione, Torquatus appellatus est.* Haec significatio obtinet etiam in Taciti *Germ.* 2, 7. quem l. egregie explicat Adelung in *Wörterbuch*, ubi agit de Germanorum nomine p. 1472., cuius verba repetiit I. M. Schmid, V. Clar., in *Magazin für allgem. Sprache* I. 4. p. 119. ss. Item *invenisse nomen* dicitur, qui nomen traxit *ab alicuius rei similitudine*, ut I. *Divin.* 17, 30. ubi in parenthesi, a qua delenda, vellem, abstinuisset Ill. Schütz, corrigendum videtur *id est incurvum et leniter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit.* Similiter ib. . 16. c. 10. pr. *nomen reperit.* V. Nizolii *Thes. Cic.* s. v. *Nomen.* Comparari potest etiam I. 13, 40. p. 99. *culpam invenerat.* — Torquati *tertio consulatu* a. V. 413. *pugnatum esse haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat*, scribit Liv. VIII. 8. ex. Cf. X. 28. ad f. Cic. *Fin.* I. 7, 23. ad f. Valer. M. VI. 4, 1. p. m. Aurelio Vict. *vir. ill.* 26. 28. *Veseris* est fluvius, qui pro eodem cum *Sabatho* (hodie *fiume della Madalena* v. *Fornello*) habetur, ad quem *Veseris* oppidum fuerit positum. Vid.

qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.

113 XXXII. Sed, ut laudandus Regulus in conservando iure iurando, sic decem illi, quos post Can-

Cam. Peregrinus *de Campania Felice* Diss. II. c. 25. et Oberlinus ad Vibium Seq. p. 189. De hoc proelio, quo primus se devovit Decius pater, v. ad 4, 16. p. 207.

perindulgens] Sic vetus lib. Nannii, Bern. et Nonius IV. 246. et 218. ed. Gothofr. p. 526. 590. ed. Mercer. in v. *Indulgere* et *Severum*. Volgo *nuper indulgens*. Expectari poterat, Titum propter vexationem patri iratum esse, sed singulari fuit pietate. *Perindulgenti in patrem* concinne opponitur *acerbe severus in filium*, quem, quod, provocatus a Geminio Metio, duce Tusculanorum, ad dimicandum adversus edictum patris, III. consulis, Latino bello descenderat, victorem securi percuti iussit, ipsi naturae patrioque amori praeferens ius maiestatis atque imperii. Liv. VIII. 7. Flor. I. 14. Valer. M. II. 7, 6. Diodor. Sic. l. XVI. Plutarch. in *Fab. Max.* c. 9. Cf., quos citat Pigh. in *Annal.* I. p. 309., Orosium, Eusebium, D. Augustinum. Hinc *Manliana imperia* proverbialiter dicta sunt, teste Liv. l. c. et c. 34. 35. et Gellio IX. c. 13. ex. atque ipse *saevus securi* in Virgil. *Aen.* VI. 825. et *in liberos atque in sanguinem suum crudelis* ap. Cic. *Fin.* I. 10, 34. s. II. 19, 60. ubi Görenz ad vv. *utrum tandem censes, Torquate, imperiosum illum ... tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse —?* hanc aspersit notulam: „T. *Manlium*, quippe qui severum imperium suum vel in filium exercuerit. cf. supra I. 7, 24." [imo 23.] „et 10, 35. Hinc idem Senecae III. *Benef.* 37, 3. *pater imperiosus* dicitur." Ohe, interpres in doctrinis mirifice! Inspice denuo locum, idque, si a te impetrare poteris, paullo attentius, ut animadvertas, non eundem, sed patrem ipsius *Lucium* significari, cui iam cognomen *Imperiosi* itidem, ut *Capitolini*, fuit hereditarium: quae res vel mediocriter doctis notissima est. Itaque scribendum erat maiuscula litera *Imperiosum illum*. Ceterum secundum Sallustium in *Cat.* c. 52. sub f. non *T.*, sed *A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit.* Quibus obstat historiae fides. Idem tradit Dionys. *A. R.* l. VIII. Pseudo-Plutarchus in mendacissimo libello Παραλλήλων Ἑλλ. καὶ Ῥωμ. c. 26. ex Aristide Milesio refert, bello *Samnitico* in filium animadversum. Ad hanc disciplinae militaris severitatem spectat *l.* 3. §. 15. *Digestt.* XLVIIII. *t.* 16. *In bello, qui rem a duce prohibitam fecit aut mandata non servavit, capite punitur: etiam si res bene gesserit.*

C. XXXII. §. 113. *post Cannensem pugnam*] Bern.

nensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis captivis impetrassent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis: *ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, a senatu re non impetrata; unum, qui paullo post egressum redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse.* Reditu enim in castra

---

mente adhuc circa *Anienem* versans, foede peccat: *post aniensem pugnam iuratus*, tum cum Pal. 2, *ad senatum in castra r. ea, quorum erant titi* (Pal. 2. *tui*) *Poeni*. Pron. *se* ante vv. *in castra redituros* omisit etiam Degen, auctore F. Heus. cum Gu. 2. 3. 4. 5. Goth. Vin., vetusto Langii, Palat. 1. 2. edd. vett. Ascensio et Faco. Probamus tamen Gernhardum, id retinentem. Hic enim ex illa ellipsi ambiguitas quaedam videtur nasci, ut 112. p. 398. pr. *Quorum erant potiti* i. e. ac *quorum erant potentes* (i. e. expugnatores) *facti*. An tu animum induces cum lepidissimo Degenio ad Genitivum supplere praepos. *ini*? — Deinde volgatum *impetravissent*, praeeunte Gu. 5., contraximus in *impetrassent*. V. ad 87. p. 346. ex. — *Si non redierunt*: sic dubitanter loquitur scriptor, quia ea de re non constat inter auctores. V. ad I. 12, 40. et *Excurs.* XIV. p. 348. s. Cum autem elliptice dicatur *de quibus non omnes uno modo*, sp. *tradiderunt*, *memoriae prodiderunt*: facillime carere poteris glossemate *scribit*, quod, et Bern. codice et aliis optimis libris invitis, reliquit Deg. post vv. *Nam Polybius, bonus auctor in primis*, aliis substituentibus *scripsit*, *ait*, *dicit*, quae alii alio loco infarciunt. Respicitur *Polybii* l. VI. *histor.* c. 56. Eodem modo c. 26. pr. *Homerus* dicebatur *optimus auctor*, i. e. fide dignissimus. — Aliam Degen post *unum* retinuit glossam *ex decem*, quam item, facessere iubente Gu. 3., recte proscripsit Ill. Schütz.

post, quam egressus erat e castris] Sic volgo legebatur. E Bern. itemque e Gu. 2. 5. exciderunt duo hi versus *novem — paullo post, quam*. Auctore F. Heus. nec dissentiente Gernhardo, exclusimus *quam* cum Gu. 1.; *erat* cum 2. 5. Bern. Tertii libro, quatuor aliis Aldi atque ed. Mogunt.; *e castris* cum Gothano. Gu. quartus cum septem Manutii transp. *erat egressus*. Gu. 3. substituit *egressus esset*. Denique ex Heus. coniectura correximus *egressum*. Quamquam ne pluralem quidem numerum repudiarim. — Statim Bern. *redisset* distraxit in *rediit, sed*. — In seqq.

qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.

113 XXXII. Sed, ut laudandus Regulus in conservando iure iurando, sic decem illi, quos post Can-

---

Cam. Peregrinus *de Campania Felice* Diss. II. c. 25. et Oberlinus ad Vibium Seq. p. 189. De hoc proelio, quo primus se devovit Decius pater, v. ad 4, 16. p. 207.

perindulgens] Sic vetus lib. Nannii, Bern. et Nonius IV. 246. et 218. ed. Gothofr. p. 526. 590. ed. Mercer. in v. *Indulgere* et *Severum*. Volgo *nuper indulgens*. Expectari poterat, Titum propter vexationem patri iratum esse, sed singulari fuit pietate. *Perindulgenti in patrem* concinne opponitur *acerbe severus in filium*, quem, quod, provocatus a Geminio Metio, duce Tusculanorum, ad dimicandum adversus edictum patris, III. consulis, Latino bello descenderat, victorem securi percuti iussit, ipsi naturae patrioque amori praeferens ius maiestatis atque imperii. Liv. VIII. 7. Flor. I. 14. Valer. M. II. 7, 6. Diodor. Sic. l. XVI. Plutarch. in *Fab. Max.* c. 9. Cf., quos citat Pigh. in *Annal.* I. p. 309., Orosium, Eusebium, D. Augustinum. Hinc *Manliana imperia* proverbialiter dicta sunt, teste Liv. l. c. et c. 34. 35. et Gellio IX. c. 13. ex. atque ipse *saevus securi* in Virgil. *Aen.* VI. 825. et *in liberos atque in sanguinem suum crudelis* ap. Cic. Fin. I. 10, 34. s. II. 19, 60. ubi Görenz ad vv. *utrum tandem censes, Torquate, imperiosum illum ... tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse —?* hanc aspersit notulam: „*T. Manlium*, quippe qui severum imperium suum vel in filium exercuerit. cf. supra I. 7, 24." [imo 23.] „et 10, 35. Hinc idem Senecae III. *Benef.* 37, 3. *pater imperiosus* dicitur." Ohe, interpres in doctrinis mirifice! Inspice denuo locum, idque, si a te impetrare poteris, paullo attentius, ut animadvertas, non eundem, sed patrem ipsius *Lucium* significari, cui iam cognomen *Imperiosi* itidem, ut *Capitolini*, fuit hereditarium: quae res vel mediocriter doctis notissima est. Itaque scribendum erat maiuscula litera *Imperiosum illum*. Ceterum secundum Sallustium in *Cat.* c. 52. sub f. non *T.*, sed *A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit.* Quibus obstat historiae fides. Idem tradit Dionys. *A. R.* l. VIII. Pseudo-Plutarchus in mendacissimo libello Παραλλήλων Ἑλλ. καὶ Ῥωμ. c. 26. ex Aristide Milesio refert, bello *Samnitico* in filium animadversum. Ad hanc disciplinae militaris severitatem spectat *l.* 3. §. 15. *Digestt.* XLVIIII. *t.* 16. *In bello, qui rem a duce prohibitam fecit aut mandata non servavit, capite punitur: etiam si res bene gesserit.*

C. XXXII. §. 113. *post Cannensem pugnam*] Bern.

nensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis captivis impetrassent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis: *ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, a senatu re non impetrata; unum, qui paullo post egressum redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse.* Reditu enim in castra

---

nente adhuc circa *Anienem* vegans, foede peccat: *post Aniensem pugnam iuratus*, tum cum Pal. 2. *ad senatum in castra r. ea, quorum erant titi* (Pal. 2. *tui*) *Poeni*. Pron. *se* ante vv. *in castra redituros* omisit etiam Degen, auctore ·. Heus. cum Gu. 2. 3. 4. 5. Goth. Vin., vetusto Langii, Palat. 1. 2. edd. vett. Ascensio et Faco. Probamus tamen Bernhardum, id retinentem. Hic enim ex illa ellipsi ambiguitas quaedam videtur nasci, ut 112. p. 398. pr. *Quorum erant potiti* i. e. ac *quorum erant potentes* (i. e. expugnatores) *facti*. An tu animum induces cum lepidissimo Degenio ad Genitivum supplere praepos. *ivi*? — Deinde vulgatum *impetravissent*, praeeunte Gu. 5., contraximus in *impetrassent*. V. ad 87. p. 346. ex. — *Si non redierunt*: sic dubitanter loquitur scriptor, quia ea de re non constat inter auctores. V. ad I, 12, 40. et *Excurs.* XIV. p. 348. s. Cum autem elliptice dicatur *de quibus non omnes uno modo*, sc. *tradiderunt*, *memoriae prodiderunt*: facillime carere poteris glossemate *scribit*, quod, et Bern. codice et aliis optimis libris invitis, reliquit Deg. post vv. *Nam Polybius*, *bonus auctor in primis*, aliis substituentibus *scripsit*, *ait*, *dicit*, quae alii alio loco infarciunt. Respicitur *Polybii* L. VI. *histor.* c. 56. Eodem modo c. 26. pr. *Homerus* dicatur *optimus auctor*, i. e. fide dignissimus. — Aliam Degen post *unum* retinuit glossam *ex decem*, quam item, facessere iubente Gu. 5., recte proscripsit Ill. Schütz.

post, quam egressus erat e castris] Sic volgo legebatur. E Bern. itemque e Gu. 2. 5. exciderunt duo hi versus *novem — paullo post, quam*. Auctore F. Heus. nec dissentiente Gernhardo, exclusimus *quam* cum Gu. 1.; *erat* cum 2. 5. Bern. Tertii libro, quatuor aliis Aldi atque ed. Magont.; *e castris* cum Gothano. Gu. quartus cum septem Manutii transp. *erat egressus*. Gu. 3. substituit *egressus esset*. Denique ex Heus. coniectura correximus *egressum*. Quamquam ne pluralem quidem numerum repudiarim. — Statim Bern. *redisset* distraxit in *rediit, sed*. — In seqq.

liberatum se esse iure iurando, interpretabatur: non recte; fraus enim astringit, non dissolvit periurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator et callidus vinctus ad Hannibalem duceretur. Sed
114 illud maximum. Octo hominum milia tenebat Hannibal, non, quos in acie cepisset aut qui periculo mortis diffugissent, sed, qui relicti in castris fuissent a Paullo et a Varrone consulibus. Eos senatus non

---

Degen cum al. scripsit *adstringit.* Bern. cum quibusdam peccat *distringit.* Ridicule Sch. cum F. Heus. metaphoram a *scopis* ductam putat. Imo vero similiter dixit Lucretius IV. 5. s. *arctis Relligionum animos nodis exsolvere.* Degen autem cum Ern. v. *periurium* suspectum habere videtur malletque e superioribus intelligi *ius iurandum,* quod rectius *astringi, non dissolvi* dicatur, quam *periurium.* Facilius corrigi posset *deiurium,* ut ap. Gell. VII. 18. *deiurio vincti.* Sed ipsa *fraude* mutatur in *periurium.* Sententia haec est: fraudis fabrum scientem se scelere contaminare, quia sciens fallat adeoque ex animi sui sententia peieret. Cf. n. ad I. 40. p. 100. s. Insuper cavillatoria iuris iurandi interpretatio detrahit reverentiae summi numinis ob interpositam dei obtestationem, quem nemo astu deceperit. V. Pufendorf *de I. N. et G.* IV. 2, 12. ibique Mascovii n. 1. — Extr. §. Sch. mallet aut cum Ern., deleta copula, legere *veterator callidus* aut transponere, ut *Verr.* III. c. 14. pr. *etiam callidus et veterator esse volt.* Quasi vero ordo non potuerit recte inverti. Copula autem hic quoque retineri potest, cum pronomini *ille* reliqua adiecta sint appositionis instar.

§. 114. *milia*] Hanc orthographiam cum Gun., edd. vett. praeter illam s. l. et a. et cum Bald. sequitur Gernhard. Schütz autem et hic et 62. pr. scripsit *millia.* V. ad 93. pr. — Mox in Bern. v. *relicti*, omissum, supra versum rescriptum legitur peccaturque *a Paulo et ab arrone,* ut in Gu. primo. Gernh. et Sch. cum Ern. praepositionem non iterarunt. Retinuimus autem cum F. Heus., quia *bina* fuerunt *castra, maiora,* in quae decem milia, et *minora,* in quae septem milia hominum perfugerant, *e quibus* noctu *in maiora ad sexcentos evaserant atque inde protenus, alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes pervenerant,* teste Livio XXII. c. 44. pr. 45. 49. 50. Plutarch. in *Fab.*

ensuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori. *Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scribit idem, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset.* Sic honestatis comparatione ea, quae videntur utilia, vincuntur. Acilius autem, qui Graece 115
scripsit historiam, *plures* ait *fuisse, qui in castra*

Iax. c. 16. ex. De captivis redimendis decem illi iurati lomam missi sunt; sed a senatu non impetrarunt. Liv. . 60. Polyb. I. l. Macrob. I. *Sat.* 11. post m. *Ad Cannas ... victis Romanis, octo milia servorum empta militaverant; cumque minoris captivi redimi possent, maluit se res publica servis in tanta tempestate committere.* Silius It. X. 651 — 55. App. *Hannib.* 28. Eandem severitatem senatus iam paullo ante adhibuerat, teste Plutarcho in *Fabio M.* c. 7. ad f., quem castigaverat, ὡς οὐ πρέποντας οὐδὲ λυσιτελεῖς ἄνδρας, ὑπὸ δειλίας πολεμίων ἄγραν γενομένους, ἀνακομιζόμενον. Cautum enim voluit *exemplo trahenti perniciem veniens in aevum*, ut *mens provida Reguli* ap. Horat. III. C. 5, 14. s. ubi bene elegantissimus interpres Mitscherlich: „ne turpem deditionem Romanus miles spe redemptionis honestae morti praeferret, ne militi spes alia nisi in armis esset, cauere voluit, hoc dedecus a P. R. prohibere voluit.“ Nam *mors civibus Romanis semper fuit servitute potior*, ut ait orator in *Phil.* X. §. 19. Cf. ad I. *Off.* 81. ex. — *Cum id parva pecunia* (ternis minis in singulos, ut refert Polyb.) *fieri posset.* Ven. 502. cum rell. edd. vett. mutat *potuisset*, refragantibus Cur. Bern. etc. — In seqq. Sch. revocavit lectionem olim volgatam *scripsit idem.* Sed Bern. quoque tuetur *scribit* usurpaturque praesens de scriptoribus, quorum libri adhuc exstant. Cf. II. 2, 8. ex. 5, 16. ex. 76. pr. *Fat.* 5, 10. pr. Heindorf ad I. *N. D.* 29, 79.

§. 115. *Acilius — notatos*] Bern. peccat *Facilius.* Probabiliter agnoscitur *C. Acilius*, senator, qui vixit aetate Catonis Censorii (a. V. 598.), memoratus Plutarcho in *Cat.* c. 22. s. f. (p. 349. ex.) A. Gellio VII. 14, 9. et Macrobio *Sat.* I. 5. ex. Nam citatur a Plutarcho in *Romulo* c. 21. sub f. Γάϊος δὲ Ἀκίλιος ἱστορεῖ, et a Dionysio l. III. Γάϊον Ἀκύλιον ποιησάμενος βεβαιωτήν. Eius *annales ex Graeco in Latinum sermonem vertit* (Q.) *Claudius* (Quadrigarius), teste Livio XXV. 39, 12. XXXV. 14. Ceterum haec alieno loco inserta videntur VV. DD. Sch. et Deg. applaudunt F. Heusingero, hariolanti, haec excidisse supra

revertissent eadem fraude, ut iure iurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. Sit iam huius loci finis. Perspicuum est enim, ea, quae timido animo, humili, demisso fractoque fiant (quale fuisset Reguli factum, si aut de

---

ex media §. 118. inque suum locum ita reponenda esse: *De quibus non omnes uno modo. Acilius* (expuncta part. *autem* cum Gu. 5. a prima m.), *qui — notatos. Polybius autem, bonus auctor* etc. Sed recte iam Gernh. monuerat, praepostere dici *plures revertisse eadem fraude*, antequam *unius fraus* illa commemorata esset. Quamquam F. Heus. vv. *eadem fraude* accipere potuit pro *communi* v. *coniuncta fraude*, *cuius participes essent pariter omnes.* Gernh. autem suspicatur, hunc epilogum ibidem in margine fuisse adiectum atque inde post ea, quae e Polybio erant repetita, in textum irrepsisse. Sed leviuscula est eiusdem V. D. argutula interrogatiuncula: „Cum Polybium commemorasset, Graecum scriptorem, cur *Acilium* monet *Graece* scripsisse, quasi Polybius Latine scripserit?" — Quasi vero Polybius homo Romanus fuerit, itidem ut Acilius. Facilior quidem huius epilogi esset excusatio, si non praecessissent illa: *Sic honestatis comparatione — vincuntur.* Sed ne sic quidem sollicitamus, memores illius epilogi I. 92. Ceterum a. V. 539. censores lustrum condiderunt M. Atilius Regulus, illius, qui iuris iurandi conservandi gratia Carthaginem redierat, filius, et M. Valerius Philus. V. Valer. M. II. 9, 8. Intt. h. l. iungunt *omnibus ignominiis notatos.* Interpolator autem I. §. 40. intellexit *omnes censores*, sc. proximorum quoque lustrorum. Censores autem periurium dedecore notabant (121. ex.). De censoria potestate et census ratione praeter n. I. p. 98. sq. v. Dionys. Hal. *epitom. lib. XX.* p. 156. ed. Mediol. 816. Ferratii *L. II. Epist.* 8. p. 102 — 105. Iac. Perizonii Diss. *de Censoribus P. R.* L. B. 697. 4. Gundlingiana P. XVI. p. 1 — 125. Curtii Pr. II *de Censura R.* Marburg. 793. 95. 4. Niebuhrii *Röm. Gesch.* II. p. 100. 176 — 187.

Sit iam] Bern. *Sit etiam.* Gu. 5. *Sed iam huius loci sit finis.* Sch. cum Pal. 1. mavolt: *Sed iam h. l. f. sit.* Sic ed. Anemoecii, qui *iam* omittit. Cf. *Sext.* c. 65. pr. Mutatione tamen opus non videtur. — Statim post Gernh. et Sch. non habent pron. *ea*, a F. Heus. e XII Manutii codd., Guu., ed. Gryph., Ven. 554., Pearcii et Nonio in v. *Demissam* restitutum. Bern. quoque agnoscit pronomen: quod nisi addideris, ut prospectet ad seqq.; exsistet ambiguitas, quasi membrum subiectum, *quae timido animo — fiant*, accipiendum sit pro interrogatione obliqua. —

captivis, quod sibi opus esse videretur, non, quod rei publicae, censuisset, aut domi remanere voluisset), non esse utilia, quia sunt flagitiosa, foeda, turpia.

XXXIII. Restat quarta pars, quae **decore**, 116
moderatione, **modestia**, **continentia**, **temperantia** continetur. Potest igitur quidquam esse utile, quod sit huic talium Virtutum choro contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati *omne bonum in volu-*

Deinde Bern. cum al. plerisque substituit, *quod ipsi opus esse videretur.* Eadem pronn. permutantur II. *Fin.* 30, 97. ex. *Refert tamen, quod sibi videtur esse morienti magna laus.* Pronomen reciprocum ad Subiectum primarium (h. l. *Regulum*) spectat. *Opus esse* i. valet, q. *expedire.* Cf. ad 49. pr. — Extr. §. Bern. cum al. plerisque *et turpia.* Sed elegantior articulus est, de quo v. ad I. 1, 2. p. 7.

C. XXXIII. §. 116. *quarta pars*] De pluribus huius nominibus v. ad I. 93. p. 209. s. — In prox. Bern. cum Gu. 1. 2. ed. vett., Ascens. Bald. et Facc. transponit *quicquam utile esse.* Cf. ad c. 27. ex. et §. 83. p. 341. — *Chorus virtutum* item dicitur in *Tusc.* V. 5, 13. m. — Deinde cum F. Heus., laudante Vechneri *Hellenolexiam* II. 10. p. 547., monet Gernh., *ab Aristippo* dici, *qui ab eo profecti sint.* De huius modi Graecismo, οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς v. ἀπὸ τοῦ Περιπάτου, cum Schaefero, V. S., in *Meletem. crit.* p. 27. s. Celeb. Passovius in praestantissimo Lexico Gr. docuit, ἀπὸ adhiberi, si quem dicas *studiis, arti, dogmatis, doctoribus quibusdam deditum esse.* Cf. Görenz ad IV. *Fin.* 3, 7. pr. *Zeno et ab eo qui sunt.* Mihi tamen *factionis* aut *studiorum* notio derivata videtur. Quippe discipuli fere magistrorum suorum sunt ζηλωταί. Primitiva significatio ad *ortum* et *primordia* spectare videtur. Commode igitur a Schützio in *Lex. Cic.* p. 6. s. v. *A* n. 12. refertur ad *auctores* sive *principes* sectarum vel scholarum. Cf. *Leg.* I. 6, 14. Sic etiam Cel. Riemer in *Lex. Gr.* s. v. Ἀπό 3) *a*) explicat phrasin οἱ ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας — Πλάτωνος etc. et Schaefer in *Melet.* p. 93. n. 35. observat, dici etiam οἱ ἐκ τοῦ Περιπάτου καὶ τῆς Στοᾶς καὶ τοῦ Ἐπικούρου per zeugma quoddam pro καὶ τῶν Κήπων. Hic tamen rationem illam non agnoscimus, quippe cum addatur *philosophi nominati*: quae sic plane superflua fiunt: unde F. Heus., si codex aliquis addiceret, vel utrumque vel certe posterius

ptate posuerunt, *virtutemque*, censuerunt, *ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis*. Quibus obsoletis, floret Epicurus, eiusdem fere adiutor au-

---

voc. esset eiecturus. Sed bene agitur, quod nullus addicit. Sensus hic est: *philosophi, qui Cyrenaicorum ab Aristippo atque Annicariorum nomen reperorunt*. Erat enim Aristippus *Cyrenis* in Africa natus. *Voluptatem finem esse voluit*. III. *Or*. c. 27. p. in. *Acad*. II. 42, 131. pr. Krugii *Gesch. d. Philos*, *a*. Z. §. 71. *a*. Cyrenaicus erat etiam Theodorus ille ἄθεος, cui placebat κλέψειν τε καὶ μοιχεύσειν καὶ ἱεροσυλήσειν ἐν καιρῷ· μηδὲν γὰρ εἶναι τούτων αἰσχρὸν φύσει. Diog. L. II. 99. pr. Cf. Krug. l. l. §. 71. *b*. n. *f*). Hoc ipsum decretum, *nihil natura esse iustum honestumque aut turpe*, etiam Aristippo tribuit Diogenes II. 93. pr. Quod idem cum §. 16. ex. Archelao et IX. 61. etiam Pyrrhoni, haud dubie longe alio sensu, tribuatur: non idcirco cum b. Platnero in *Philos. Aphorism*. T. II. p. 408. Aristippum excusarim contra testimonia Ciceronis *Fin*. II. 6, 18. ss. 11, 34. s. 13, 39. ss. et Athenaei *Deipnos*. XII. p. 544. ss.— *Annicoris* transitum facit a Cyrenaica philosophia ad Epicuream. Nam, voluptatem amplexatus, non tamen aspernabatur dignitatatem. V. Krug l. l. §. 71. *b*. n. *i*) et *k*). I. M. Heus. laudat Strabon. XVII. p. 837. Casaub. [c. 3. p. 498. ed. stereot.] et Clement. Alex. l. II. *Strom*. p. 498. Oxon. In Goth. scribitur *Annicerei*. Gr. dicuntur Ἀννικέρειοι. V. n. ad 11, 49. p. 268.

efficiens — voluptatis] ποιητικὸν τῶν ἡδονῶν, ut Epicurus loquitur ap. Diog. L. X. 142. *i*. pr. De hac constructione v. ad 3, 12. pr. *Fin*. II. 7, 21. pr. *Part*. 29, 103. *continentia causarum*. De sententia cf. *Fin*. I. 13, 42. Diog. L. II. 91, 93. ex. 138. pr. Seneca *de vita beata* c. 9. pr. — Tum *auctor sentententiae* dicitur, qui eam commendat, βεβαιωτής, ut c. 27. pr. An vero Gernh. recte comparit *p. Balb*. c. 2. (1. ex. Sch.) dubito. Ibi enim *auctor* dicitur, *qui periculum iudicii praestat*: de qua significatione v. Schütz in *Lex. Cic*. s. v. p. 160. s. et Matthiae ad *or. p. Mur*. 2, 3. ex. De casu regente, Genitivis interposito, v. ad II. 7, 23. p. 47. *Epicurus* autem paullo verecundior fuit in voluptatis fonte aperiendo eiusque natura explicanda. Distinxit enim ἡδονὴν ἐν κινήσει (*in motu voluptatem*), i. e. *qua sensus dulciter ac iucunde movetur*, eamque Cyrenaicis, i. e. luxuriosis (ἀσώτοις) relinquebat, et ἡδονὴν ἐν στάσει v. καταστηματικήν (*voluptatem stantem v. stabilem*), i. e. *non dolere sine iucundo motu*, praeter quod nihil desiderabat. Vid. *Fin*. II. c. 7. s. §. 21. ss. 10, 30. ss. 23, 75. et l. a Gernh. l. Plutarch. *Sympos*. I. *problem*. 1. Cf. Krugii l. l. §. 114. ss. Epicurum autem porcorumque huius ex hortis gregem, quoties occurrit, insectatur Cicero iniquius ille

storque sententiae. Cum his — viris equisque (ut dicitur), si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. Nam si non modo utilitas, 117
sed *vita omnis beata corporis firma constitutione eiusque constitutionis spe explorata* (ut a Me-

---

quidem, si Κηπολόγου illius sententiam non traxeris in invidiam, sed laudabili tamen studio, quod nimis dociles Romanos ad hanc virtuti inimicam sententiam, quae auctoritatem afferret peccandi, accipiendam videret, ut bene monuit Lilie *commentat.* I. p. 25. Cf. *Fin.* II. 14, 44. Itaque *cum his* sibi *decertandum* censebat *viris equisque*: i. e. *obiecto eis virorum equorumque impetu.* In Bern. corruptum est *veri sequisque*, cui corrector, infelici coniectura hariolatus, superscripsit *pedissequis.* Eadem locutio usurpatur proprie in re militari *Phil.* VIII. c. 7. m. Sallust. *ad Caes. de re p. ord. or.* II. post m. Liv. V. 57. post m. Flor. II. 7. m.; proverbialiter autem et metaphorice a Cic. *ad Q. fratr.* II. *ep.* 15. *a.* sect. 1. Similiter sensu proprio *Off.* II. 24, 84. p. 161. *Armis et castris tentata res est.* XII. *Epist.* 25, 9. *ventis remis;* Virgil. *Aen.* III. 565. *remis ventisque;* Silius I. 568. *remis velisque impellite puppim.* Tropice Cic. *Tusc.* III. 11, 25. ex. *res omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda,* ut Plaut. *Asin.* I. 3, 6. *remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge.* Ceterum post vv. *sententia est* claudicare videtur haec clausula *decertandum est.* Facile equidem carerem verbo *est*, si ab ullo cod. abesset, atque etiam ipso v. *decertandum.* Solet enim in huius modi proverbialibus locutionibus aliquid reticeri, ut in hac ipsa *ad Fam.* IX. *ep.* 7, 2.

§. 117. *vita — continetur*] Theodor. Canter *VV. LL. Lib. II.* c. 6. in Gruter. *Lamp.* T. III. p. 745. comparat *Tusc.* II. 6, 17. Fin. II. 28, 92. „Huius Metrodori sic meminit Clemens Alexandr. *lib.* II. *Stromatum:* ὅ τε Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων, Ἀγαθὸν, φησί, ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἐλπισμα; Huius dogmatis meminit et Plutarchus in libro Ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, hoc modo inquiens: ὅθεν αὐτοί μοι δοκοῦσιν, τούτων αἰσθόμενοι τῶν ἀτοπιῶν, εἰς τὴν ἀπόνοιαν „[ἀπονίαν?]" καὶ τὴν εὐστάθειαν ὑποφεύγειν τῆς σαρκός, ὡς ἐν τῷ ταύτην ἐπινοεῖν περί τινας ἐσομένην καὶ γεγενημένην τοῦ ἡδέως ζῆν ὄντος. Τὸ γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα τὴν ἀκροτάτην χαρὰν καὶ βεβαιοτάτην ἔχει τοῖς ἐπιλογίζεσθαι δυναμένοις.

trodoro scriptum est) *continetur:* certe haec utilitas, et quidem summa (sic enim censent), cum honestate pugnabit. Nam ubi primum Prudentiae locus dabitur? an, ut conquirat undique suavitates? Quam miser Virtutis famulatus, servientis Voluptati! Quod autem munus Prudentiae? an legere intelligenter voluptates? Fac, nihil isto esse iucundius: quid cogitari potest turpius? Iam, qui *dolorem summum malum* dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est *dolorum laborumque contemptio?*

Idem in libro, qui inscribitur Ὑγιεινὰ παραγγέλματα. [sq. p. 135. C. extr.] Huc etiam respexisse videtur Gellius IX. 5." Cf. Cic. *Tusc.* V. 9, 27. *N. D.* I. 19, 51. ex. Krugii, V. S., *Geschichte d. Phil. a. Z.* §. 118. n. *a*), et quae Sch. in *Ind. hist.* p. 277. ex Ern. *Clavi* exscripsit. Degen autem, theologiae Doctor, non verecundatur sese profiteri Metrodori collegam sapientiae, cuius, protracti ex hara, impudentia, ut ait Cicero *N. D.* I. 40, 113., non dubitabat *omnia, quae ad beatam vitam pertinerent, ventre metiri.* — Iam, ut recte vidit Gernh., exigitur Metrodori Degenii sententia deinceps ad singulas honestatis partes et primum quidem ad ea virtutis munera, quae ad ipsum in quoque referuntur.

servientis Voluptati] His Nonius in v. *Famulatur* praeponit *et*, quam F. Heus. explicat *et quidem*, hoc sensu: „miseram omnino Virtutis esse conditionem, si constituatur famula; miseriorem etiam, si Voluptati, dominae foedissimae, servire cogatur." At vero tum certe vv. sic collocari oportuit: *et Voluptati servientis.* Ceterum respexit hic philosophus illam *tabulam, quam*, aemulatus ut videtur, Cebetem Thebanum, *Cleanthes verbis depingere solebat* inque ea famulatum Virtutum, *quas ratio rerum omnium dominas, Epicurei voluptatum satellites et ministras esse voluissent.* Vid. *Fin.* II. 21, 69. cl. ib. 12, 37. Seneca *de benef.* IV. 2. pr. Idem *de vita beata* c. 11. *Virtutis* apud illos officium dicit esse, *voluptates praegustare.* Cf. ib. c. 14. pr. Augustin. *de civ. Dei.* V. 20. Sic quidem *sapientem fore, qui intelligat, quid suavissimum sit*, monetur *Fin.* II. 8, 24. et ib. 16, 52. *sapientia* dicitur ab illis *expeti, quod ita callida sit, ut optime possit architectari voluptates*, (I. 13, 42. ex.) *tamquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis.* Ad totum hunc l. cf. I. *Off.* 2, 5. ex.

Quamvis enim multis locis dicat Epicurus, sicut dicit, satis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat; sed, quid consentaneum sit ei dicere, qui bona — voluptate terminaverit, mala dolore. Vt, si illum audiam de continentia et temperantia: dicit ille quidem multa multis locis; sed aqua haeret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam

---

multis locis] Sch. cum volgg. his interposuit *in, quam*, ab Heus. recte deletam, cum al. ll. repudiat Bern. quoque: et sic sequitur *dicit ille quidem multa multis locis*: de qua παρηχήσει v. ad I. 55. p. 127. s. Statim Bern. cum duobus codd. Langii unoque Ox. scribit *sicut id dicit.* Pronomen, pro quo reliqui omnes substituunt *hic*, F. Heus. cum Gu. 5. proscripsit; sed sine librorum auctoritate scripsit *sicuti dicit*, laudato Tursellino in *Sicut* atque I. M. Heusingero, patruo, ad Corn. Nep. XVIII. 1, 6. ubi tamen legitur *revera sicut sunt.* Cf. Liv. XLV. 7. pr. Görenz ad I. *Leg.* 6, 27. p. 21. *Sit ista res magna, sicut est*, et Matthiae ad *or. p. Rosc. Am.* 8, 22. ad f. *quamvis ille felix sit, sicut est.* Eodem modo cum part. *ut* in asseveratione idem verbum iteratur in *Bruto* c. 19. *Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior.* II. *Fin.* 7, 18. ex. *Epicurum satis fortiter de dolore dicentem* audi ib. 7, 17. s. *in Pison.* §. 42. ex. *Tusc.* V. 26, 73. s. 31, 88. et in Senecae *Ep.* 67. ex. Sed eius inconstantiam notat Cicero *Tusc.* V. 9, 26. ss. Nam, ut bene monet 10, 28. pr., *his capiuntur imperiti et propter huius modi sententias istorum hominum est multitudo*; §. 31. et *F.* II. 25, 80. s. 26, 84. 22, 70. pr. *Quasi ego id curem, quid ille aut aiat aut neget. Illud quaero, quid ei, qui in voluptate summum bonum putat, consentaneum sit dicere*: ubi *id* et *illud* eodem modo ad totam, quae subiicitur, sententiam prospectat, quo hic ad *quid dicat.* Sed male ibi Goerenz et Schütz optimorum librorum lectioni *ponat* praetulerunt *putat*, parum commode comparatis exemplis, ubi dicitur *aliquo in numero putare.* Debebat certe poni Coniunctivus, ut et omnibus illis, quos citavimus, locis et h. l., *qui bona voluptate terminaverit, mala dolore*, i. e, qui praeter voluptatem nullum bonum, praeter dolorem agnoverit malum nullum vel, *qui finem voluptatem esse dixerit*, ut est *Tusc.* V. 9, 26. Sic *Fin.* V. §. 27. c. 10. pr. *terminatio rerum expetendarum*, et III. 14, 46. *omne bonum convenientia atque opportunitate finitur.* IV. 6, 15. m. *completur .. ex eo genere vitae, quod virtute finitur.* V. 26, 73. et *Pis.* §. 43. ex. Epicurus dicitur *omne malum dolore definire, bonum voluptate.* Coniunctivi

laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? Est enim temperantia libidinum inimica; libidines
118 autem consectatrices voluptatis. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. P r u d e n t i a m introducunt, *scientiam, suppeditantem voluptates, dolores de-*

(ut ad illum revertamur) eadem prorsus ratio in seqq. *qui potest ... is, q u i* (tamen, i. e. *cum* v. *quamquam ii*) *p o n a t —?* *Or.* III. 3, 11. ad f. *Verr.* II. 45, 110. ex. 65, 157. m. III. 58, 134. (ubi Sch. profecto veritus esset cum Manutio et Ern. inculcare *non*, si animadvertisset ad interrogationis, ibi statuendae, figuram.) Ib. 62, 146. ad f. 96, 221. pr. IV. 2, 3. ex. V. 40, 104. (al. 105, ad f.) 42, 107. (108.) *Q u i .. hospitem suum .. in reos r e t u l e r i t, ... capite d a m n a r i t, ab eo* (intell. *nihilo minus*) *nunc hospitiorum iura ... quaeramus?* III. *Cat.* 5, 10. (14. pr.) IX. *Phil.* c. 4. *Eum, q u i semper vestrum consensum gravissimum i u d i c a s s e t, de sententia deiecistis.* Hinc post relativum membrum sequitur *tamen* I. *Or.* 18, 82. pr. 32, 145. pr. *Divin. in Caes.* 13, 41. pr. Mire igitur et hic et paullo ante ad vv. *q u i dolorem summum malum d i c a t, apud eum* Degen, ut Subiunctivi constructionem expediret, supplevit *talem.* — Denique, quae hic de *temperantia*, eadem *ad Att.* V. 20. sect. 2. p. in. praedicantur de *continentia, quae virtus voluptati resistere videtur.* Similiterque, ut Cicero hic et *Leg.* I. 19, 50. s. *Fin.* II. 18, 56. s. 19, 60 ss., contra voluptarios disputat Socrates in Platonis *Phaedone* c. 13. p. 68. D. et seq., cui illorum ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη videtur ἄτοπος: quippe qui δέει ἢ δειλίᾳ ἀνδρεῖοι nec non ἀκολασίᾳ τινὶ σώφρονες sint, libidinibus et voluptatibus non nullis imperantes, ut aliis pareant, et pericula quaedam oppetentes, ut alia fugiant.

§. 118. *quoquo modo*] Nonius in v. *Tergiversari* peccat *quo modo possunt.* Cf. supra ad 87. p. 346. Sensus est: *effugia quaerunt* (στροφὰς στρέφοντες) *difficulter illi quidem, sed tamen, quam optime possunt:* sp. *ut ne has virtutes omnino repudiare videantur,* et quidem *prudentiam* I. *Fin.* 13, 43 — 14, 46. *fortitudinem* ib. 15, 49. (cf. Diog. L. X. 120. ad f. τὴν ἀνδρείαν γίγνεσθαι λογισμῷ τοῦ συμφέροντος) et *temperantiam* 14, 47. s. Degen post Gesnerum in *Thesaur.* IV. p. 760. metaphoram repetit ab iis, qui, *terga vertentes, adhuc tamen pugnant nec se victos fateri volunt.* Malim ab illis, qui *subinde terga dant ante tubam, memores, galeatum sero duelli poenitere; ergo qui cunctanter accedunt ad certamen neque audent se palam fateri adversarios idque evitare cupiunt.* Cf. *Tusc.* III. 18, 41. pr. — Tum volgo, neglecto chiasmo, legebatur *depellentem dolores.* Restituimus e Gu. 1. inver-

pellentem. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt *rationem negligendae mortis perpetiendique doloris.* Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt: dicunt enim, *voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri.* Iustitia

---

sitionem oppositorum, vel, ut Quinctiliano IX. 3, 81. dicitur, *contrapositum* (ἀντίθετον) vel *contentionem.* Cf. I. 4, 11. p. 25. Heindorf ad I. *N. D.* 13, 32. pr. et Moser ib. ad III. 33, 81. p. 664. s. Goerenz ad *Fin.* V. 29, 88. p. 643. a. Ibid. I. 12, 40., ubi Epicureus dicit, *dolorem in longinquitate levem, in gravitate brevem esse, ut eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur,* Bas. et Vien. *allevationem diuturnitas:* unde Görenz suspicabatur, „veram auctoris manum esse, *diuturnitas allevationem.*" Quod cum absurdum esse didicisset: p. 698. ab in. homo suavis correxit: „*diuturnitas allevationem,* leg. *diuturnitatem allevatio.*" Ergo sic restitat in priore vestigio. Scribi posset ibi *allevatio diuturnitatem,* nisi obstaret geminus locus in *Tusc.* V. 3, 89. *magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate.* — In prox. Bern. post *aliquo* addit *quo* et cum Graevii 1. Gu. 1. et aliis exhibet *perpetiendi doloris,* abiecta *que,* quam Gu. 2. compensat scribendo *et perpetiendi d.* Hanc etiam copulam facile patiar equidem abesse. Cf. II. 88. ex. De partt. *illi quidem, sed* v. ad II. 6, 21. ex.

voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri] Male Bern. *doloris detrectationem fieri.* De constructione cf. n. ad 117. Expressit Cicero Epicuri κυρίαν δόξαν III. ap. Gellium II. 6. post m. et Diog. L. X. 139. ex. ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις, h. e. *non crescere voluptatem, dolore detracto* (*Tusc.* III. 20, 46. ex.); *summam voluptatem esse nihil dolere; privatione doloris terminari summam voluptatem: ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit* (*Fin.* I. 11, 37. ss.); *cum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse; indolentiam* (ἀπονίαν) *esse maximam voluptatem, qua fieri nulla maior possit:* ib. II. 3, 10. s. 9, 28. s. 10, 29. ex. 23, 75. ex. Cf. κυρία δόξα XVIII. ap. Diog. X. 144. Dolor autem detrahitur cupiditatum et naturalium et necessariarum expletione, ut famis et sitis sedatione, qua continetur summa edendi et bibendi voluptas. V. κυρ. δόξ. XXXI. ib. §. 149. cl. 137. s. Hinc τὸ τῶν ἀγαθῶν π ̈ρας εὐσυμπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον, *naturam divitias, quibus contenta esset, parabiles habere,* statuebant ib. 133. et κυρ. δ. XV. §. 144. Cic. *Fin.* I. 13, 45. ex. Tennemanni *Geschichte d. Philos.* III.

vacillat vel iacet potius omnesque eae virtutes, quae in communitate cernuntur et in societate generis humani. Neque enim bonitas nec liberalitas nec comitas esse potest, non plus, quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem re-

---

p. 360. s. Fere idem statuisse Hieronymus Rhodius Peripateticus traditur *Fin.* II. 13, 41. Cf. n. ad h. l. 3, 12. pr.

Iustitia vacillat] Nam *ne hanc quidem per se ipsam* dicunt *optabilem, sed quia iucunditatis vel plurimum afferat.* I. *Fin.* 16, 50 — 53. Cf. n. ad h. l. 39. p. 248. II. 42. p. 82. s. *Iacere* eam secundum hanc formulam, evincitur *Fin.* II. 16, 53 — 17, 55. 18, 57. ss. *Leg.* I. 14, 40. s. eandemque omnium virtutum causam atque sententiam esse, ib. 18, 48. ss. Seneca *Ep.* 81. *Iustitia non est, ut volgo credunt, ad alios pertinens. — Virtutum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad praemium. Recte facti, fecisse, merces est.* Cic. II. *Acad.* 46, 140. *Multarunt, et maxime communitas cum hominum genere, caritas, amicitia, iustitia, reliquae virtutes, quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita.* Quo modo Epicurei (quorum crambem recoxit ipso philosopho Gargettio ingeniosior Rochefoucauld in *réflexions* §. 101.) disputarint de *amicitia*, v. *Fin.* I. 20, 66 — 70. ubi Görenz p. 97. felici coniectura emendavit Epicuri vv. apud Diog. L. X. 148. κυρ. δόξ. XXIX. s. ipse tamen huius emendationis immemor p. 244. b. ubi II. 24, 78 — 27, 85., ex hac quidem ratione amicitiae locum nullum esse ostenditur. Cf. ib. 35, 127. *N. D.* I. 44, 122. *Lael.* 8, 2. ss. (26. s.) 9, 7. s. (31. s.) 13, 3. ss. (46. s.) 14, 8, s. (51.) 21, 12. ss. (79. s.). A Gellius XVII. 5. Diog. L. VII. 124. δι' αὑτὸν αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνοντι (Stoici). In l. III. *de Fin.* 21, 70, *nec iustitia nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsae per se expetuntur*, misere Görenz tuetur codd. plurimorum, non tamen omnium, striblíginem *nec iustitiae nec amicitiae*, quae (mirabile dictu!) pro dandi casu accipit. Bern. h. l. peccat *si ... expectantur* (sed lit. *c* erasa est), *si voluptatem.* Detraximus adiectam volgo glossam *utilitatemve.* Particulam Gu. 2. ante correctorem mutaverat in *ne;* 3. melius certe substituit *que;* 4. *sed haec* ad *utilitatem voluptatemve.* Quamquam haec coniunguntur *Fin.* II. 26, 83. *si fructibus* (i. e. voluptatibus) *et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus* et al.; sed ne ea quidem, quae h. l. 3, 12. ab in. leguntur, excusare poterunt hanc adiectionem, quippe cui adversetur ea, quae deinceps sequitur contrariorum comparatio;

ferantur. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum iudico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tamquam cum homine pecudem, copulassent. Non recipit istam coniunctio- 119

---

§. 119. *ut utilitatem nullam — sic omnem voluptatem*] De hoc particularum usu v. ad II. 5, 16. p. 34, *Calliphonem* hic et *Fin.* V. 8, 21. dixit Cicero ea analogia, qua *p. leg. M.* 12, 33. pr. *Colophonem;* sed *Calliphontem* II. *Fin.* 11, 35. ad quem l., nescio, qua fiducia Görenz in *Tusc.* V. 31, 87., ubi MS. Gudii exhibet *Callphonii*, Genitivum non cum F. Heus. ad h. l. *Calliphonis*, sed *Calliphonti* scribi maluerit. De eius sententia cf. Clemens Alex. *Stromat.* II. p. 415. Κατὰ δὲ τοὺς περὶ Καλλιφῶντα ἕνεκα μὲν τῆς ἡδονῆς παρεισῆλθεν ἡ ἀρετή, χρόνῳ δὲ ὕστερον, τὸ περὶ αὐτὴν κάλλος κατιδοῦσα, ἰσότιμον ἑαυτὴν τῇ ἀρχῇ, τοῦτ᾽ ἔστι τῇ ἡδονῇ, παρέσχεν. Cic. *Tusc.* V. 30, 85. *Fin.* II. 6, 19. 11, 34. IV. 18, 50. pr. V. 25, 73. ex. *Acad.* II. 42, 131. 45, 139. ubi eandem sententiam defensitasse dicitur Carneades; idem vero alium quendam finem induxisse, non, quo probaret, sed, quo opponeret Stoicis, *Tusc.* V. 30, 84. 31, 88. pr. V. Krugii, V. S., *Geschichte d. Philos. a. Z.* §. 137. cum n. *g*) et *h*). Ab hoc igitur Cicero descivit hic et *Fin.* II. 11, 35. 12, 38. pr. 13, 42. pr. V. 7, 20. 8, 72. pr. Dicuntur Callipho et Dinomachus *honestatem cum voluptate, tamquam hominem cum belua, copulasse*, quia ex parte certe faciunt cum iis, *qui simpliciter pecudis et hominis idem bonum esse censent* (I. *Acad.* 2, 6. ex.) et *pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt.* (*Lael.* 9, 7. §. 32. pr.) Nam *voluptas passeribus omnibus nota esse* et *beluarum hoc quidem extremum* dicitur *Fin.* II. 6, 18. 23, 75. *Lael.* 6, 1. §. 20. Cf. I. *Off.* c. 30. pr. *Acad.* fragm. (ed. Sch. XIII. p. 167.) ap. Augustin. *lib. III. contra Acad.* c. 7. *Clamat Zeno, — voluptatem illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem et hominem et sapientem trudere, nefas esse.* Ibid. paullo post Epicurus a Zenone *bestia* nominari dicitur. Quippe ipse Epicurus utebatur bestiis, tamquam speculis naturae. *Fin.* I. 9, 30. II. 10, 31. s. Diog. L. X. 137. Mirifice h. l. argutatur Degen, de tali fere monstro somnians, quale Horatius in *A. P.* ab in. verbis depinxit. Ceterum pro volgato *copulavissent* e Gu. 4. recepimus formam contractam *copulassent*, ut 113. Sic 121. *revocasset.*

: nem honestas, aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum, qui simplex esse debet, ex dissimillimis rebus misceri et temperari potest. Sed de hoc (magna enim

---

non recipit istam coniunctionem] οὐκ ἐνδέχεται. Fortius asseverandi gratia adiunguntur, coacervantur, separantur verba idem significantia : qua dictionis alacritate exprimitur persuadendi studium, quod hic assensioni, alibi voluntati expugnandae quasi arietes admovet : quam vim iam in ipso orationis articulo notavit auctor *ad Herenn.* IV. c. 19. §. 27. ex. Cf. Quinctil. IX. 3, 45. et exempla *in Catil.* I. 5, 10. (16.) ex. 6, 15. ex. (24.) *nihil agis, nihil assequeris.* *De prov. consul.* §. 23. ex. *Epist.* XIII. 29, 2. ex. et 15. pr. *N. D.* II. 29, 74. *non decet, non datum est, non potestis.* Ex animo indignabundo, qui, quo maxime verbo sensa sua exprimat, invenire non potest, proficiscuntur haec *pro Sext.* c. 1. *qui omnia, divina et humana, violarint, vexarint, perturbarint, everterint*; et *p. Scauro or.* I. extr. *Poposcit, imperavit, eripuit, coëgit.* Perturbatius talia effunduntur, quam in gradatione ceterum simillima *ad Q. fratr. ep.* 2. sect. 6. ex. *cura, elabora, perfice.* Quae figura si usurpatur levissima in re, egregiam habet vim risum excitandi propter gravitatis affectationem, ut in Aristoph. *Nub.* 704. s. ubi v. Ill. Hermannus. — In prox. volgo legitur *finis bonorum et malorum.* Sic Bern. quoque. Gu. 3. *malorumque.* Auctore Mureto in *VV. LL.* XIV. 3. ex. Sch. glossam proscripsit. Aliter se res habet, ubi plurium numero dicuntur *fines*, ut I. 2, 5. p. 11. s. Deinde Deg. cum Cur. et ed. Ven. 502. tuetur volgatum *ex dissimilibus.* F. Heus. e libro Tertii, quinque Aldinis, Gu. 2. et ed. Gryph. cum Pearcio recte praetulerat *ex dissimillimis* (i. e. *tam dissimilibus, ut numquam coalescere possint*). Eandem lectionem servavit Bern. Sententia haec est : *in fine bonorum constituendo repudianda est omnis ἑτερογνωμία.* V. Seneca *Ep.* 74. ed. Bip. Vol. III. p. 150. s. Bardili in Hauffii *Philologia* II, p. 17. s. Similiter Immanuelis Kantii in *Krit. der prakt. Vernunft* ed. II. p. 198. ss. notionem et formulam *summi boni*, e *dignitate* et *felicitate*, dissimillimis elementis, conglutinati, ut absurdam notat severissimus philosophus Krug in *Philos. fundament.* §. 84. n. 5. et iure. Πρῶτον ψεῦδος in eo latet, quod ille naturam animi humani eamque immortalem cogitarat in aeternum felicitatis indigam eiusque appetentem. Quasi vero vita beata non solo libertatis usu rationisque αὐταρκείᾳ contineatur ac non ab omnibus huius impedimentis et a naturae vinculis mors liberet eos, quos servitutis pertaesum est.

alia

enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad proposi-
tum. Quem ad modum igitur, si quando ea, quae 120
videtur utilitas, honestati repugnat, diiudicanda
res sit, satis est supra disputatum. Sin autem spe-

---

alio loco pluribus] *de Fin.* II. II., maxime II. 11, 34. ubi Cicero, cum docuisset, *a primis naturalibus fluere necesse esse omnem rationem bonorum et malorum*, commemoratis e. g. finibus *Academicorum et Peripateticorum* atque *Calliphontis*, sic pergit: *His omnibus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum. Aristippo simplex voluptas; Stoicis consentire Naturae*: quem locum „repetita cura" tractanti Goerenzio *consequentes* pro *conformes* accipiendum videtur, „sic ut praecedentes in eo inter se consentiant, ut *virtuti* aliquid iungant, quod ad externam vitae felicitatem referatur. At Aristippus, et Stoici, sibi *repugnantes*, cum alter in sola voluptate, alteri in sola virtute summum bonum ponant" etc. Vix credibile, sic caecutire potuisse interpretem, qui sese fateatur locum „repetita cura" tractasse, cum statim §. 35. sequantur haec: „*Pyrrho, Aristo, Herillus iam diu abiecti. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas — esset extremum.* Quis non videt, idem valere de *Zenonis sententia*, item *simplice*, sed *posita in decoro tota, id est honestate*? comp. V. 7, 18. ss. ubi admirabere aliud eiusdem interpretis artificium, priori illi aequiparandum. Nam in vv. *Voluptatis alii primum appetitum putant et primam depulsionem doloris; alii censent primum ascitum non dolere et primum declinatum dolorem. Ab his alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur* a Goerenzio „*ab his* refertur ad *primum ascitum et declinatum*; et v. *alii*, hi quasi secundarii [??] asseclae, qui sequuntur, intelliguntur." Non vidit igitur et auritus et argutus soni magister, construendum esse: *Alii* (philosophi) *proficiscuntur ab his* (i. e. omnia referunt ad haec), *quae* etc. Nimirum *solum bonum* Stoici dicebant, *facere omnia eorum, quae secundum Naturam sunt,* [*etiam si ea non assequare,*] *adipiscendi causa.* Sic enim videtur mihi ibi §. 19. lacuna supplenda ex ultimis eius capitis verbis, ne Stoicorum finis cum fine confundatur Carneadis.

§. 120. *quae videtur*] Sic, praeeunte Pearcio et Heumanno, ab Heus. inde editur e Goth. Gu. 2. 3. 5. 7 et ed. Ascensii. Gu. 4. *quae videatur*. Bern. cum rell. *quae videretur*: ne suspicemur legendum esse *Quem ad modum i., si q. ea, quae videretur u., h. repugnaret, diiudicanda res esset.* De eius modi corruptelis v. ad II. c. 3. pr. *Esset* facile mutari potuit in *sit*, prima syllaba et hausta a praecedente v. *res*. Haec coniectura eo minus audax videri debet, cum *Fin.* III. 11, 39. pr. Goerenz pro vel-

ciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur: nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. Nam ut tribuamus aliquid voluptati; condimenti fortasse non nihil, utilitatis certe nihil habebit.

---

gero sit e quatuor MSS. reposuerit *esset.* Ceterum ut *tribuamus aliquid voluptati* formula est vix ac ne vix quidem concedentis aut remittentis indulgentisque, quod tamen nollet, sed improbat et, ut aliter se haberet, optat. Cf. I. 105. s. Idem valet de praecepto, quod ib. 122. p. 258. datur iuvenibus ad honestatem propensioribus. Quod si enim quamvis modico et raro voluptatum usu non prohibentur operam dare honestati: certe tamen plus minus impediri dicendi sunt. Nam *p. Coelio* c. 17. ex. 18. pr. rhetorica illa forensis, populariter loquens, est paullo hebetior: quod interdum necesse esse, ipse orator philosophus fatetur *Fin.* II. 6, 17. ex. Aliam explicandi ita, ut Cicero sibi constare videretur, viam ingressus est Augustus Guil. Ernesti *de voluptate honestati non repugnante secundum Ciceronem* Pr., quo *Memoriam Graef. recol. indicit* Lips. 797. 4. p. 8. ss. distinguens, *voluptatem* Ciceroni duplici sensu dici, aliam, quae prorsus infra dignitatem naturae humanae subsideret omnique virtuti eidemque sapientiae et honestati repugnaret; aliam, quae in mores hominum non modo ferendos, sed approbandos etiam ita caderet, ut, veluti condimenta a cibis exquisitioribus, ita nec ipsa e vitae beatae oblectamentis honestis abesse debere videretur. E priore genere esse foedam istam voluptatem, qua quidem homines beluarum ritu tantum modo sensu moventur ac reguntur vel potius abripiuntur: de qua voluptate Cicero 119. contra Epicureos disputet. Nec vero corporis tantum voluptatem hanc prorsus esse reiiciendam (I. 106. pr.), verum etiam animi et, quae in illum cadit, levitatis atque intemperantiae. I. 69. pr. 102. s. Nimirum turpiorem etiam esse voluptatem animi, cuius imperio utendum sit, quam corporis, quod servitio illius Natura destinaverit: ut, quod ne in corpore quidem fieri debeat, id multo minus animo indulgeri liceat. De altero genere voluptatis ipsum Ciceronem nimis etiam detraxisse videri posse, nisi, contra quos disputet, respiciatur, ut h. l. „Idem tamen," inquit, „eamdem voluptatem, si non commendat, certe non improbat, nec repugnare honestati, quae quidem sit viribus humanis consentanea, profitetur," comp. 3, 18. pr. ubi tamen eorum, *quae secundum Naturam sunt,* cum *virtute* comparatio minime arguit, visum esse Ciceroni, fieri posse, ut voluptas cum Natura, h. e. cum honestate, coniungeretur: id quod patet ex iis, quae p. 450. et ad l. I. *Excursu* VII. extr. disseruimus. Voluptas neque ibi ad communionem honestatis admittitur, neque §. 24. I. 102.

Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem 121
sententia magnum; sed perinde erit, ut acceperis. Quamquam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tamquam hospites erunt recipiendi; sed, ut, si ipse venissem Athenas (quod quidem esset factum, nisi e medio cursu clara me voce Patria revocasset),

---

pr. ubi potius deprimitur. Non enim, si *appetitus* cum *ratione*, etiam *voluptas* cum *honestate* in concordiam redigi poterit. Multo minus ea commendatur I. c. 8. pr. ubi potius *iniustitiae* causae aperiuntur disputaturque ex volgari hominum, scabie ista affectorum, opinione.

§. 121. *a patre*] Efficaciter sic dicitur pro *a me*. Cf. ad I. c. 2. pr. ibique l. l. e XV. *ad Att.* 13. Elegantia ἀνεπιφθόνως *sed perinde erit, ut acceperis*, sensus hic est: *sed magnum vel parvum erit munus illud, prouti acceperis; tanti intererit plurimum, qualis sit usus.* Cf. *Or.* III. c. 56. pr. *Brut.* c. 20. post m. *haec perinde accidunt, ut eorum, qui assunt, mentes ... actione tractantur.* Sallust. *Iug.* c. 4. ad fin. Meiner p. 361. libri ad I. §. 2. pr. citati. Erfurdt ap. Gernh. comparat Terent. *Heaut.* I. 2, 21. s. — Particulam *quamquam* Degen accipit pro *sed* v. *tamen* positam. At opponitur seq. *sed*, ante quam semicolo distinximus, cum volgo plene interpungeretur. De hac partt. responsione cf. 39. p. 248. s. *Cat. Mai.* 7, 9. (24.) 19, 10. (69. pr.) *Acad.* II. 23, 74. ubi cf. Görenz p. 137. b. Meiner l. l. p. 415. In v. *hospites* non eam, quam intt. volunt, quaerimus modestiam; sed hos libros sic dici putamus propterea, quod iis ad Cratippi auditorem profecta vox patris absentis sit. Neque *commentarios* h. l. cum Degenio intelligimus compendia, a Cratippo in usum lectionum scripta; sed potius dictata, a discipulo e praeceptoris ore excepta, ὑπομνήματα. V. *Epist.* XVI. 21. ex.

e medio cursu clara me voce] Sic e Gu. 3. transposui, ut verba struuntur *in Verr.* III. §. 132. m. *haec te vox non perculit?* Bern. et Cur. cum volgg.: *me e medio cursu.* Ascens. et Facc. pro *e* substituunt *de* ad similitudinem loci in *Epistt.* X. 1. pr. ubi pro volgato *de meo cursu* omnino e Gu. 2. unoque Manutii libro restituendum *de medio cursu*, frustra obloquente Benedicto. H. autem l. tuemur *e*, compp. *Top.* ab initio. Ad rem quod attinet, scribit Noster a. d. VI. Kal. Mai. a. V. 709. *ad Att.* XIV. 13. post med. *Sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire: nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, cum consilium cepi legari ab Caesare:* ib. ep. 16. (V. Non. Mai.) *Cupio ... excurrere in Graeciam. Magni interest Ciceronis vel mea potius vel (me, Hercule!) utriusque.*

aliquando me quoque audires, sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his

---

me intervenire discenti etc. XVI. 3. (Id. Quinctil.) sect. 2. *In discessu ... consolantur haec. Aut proderimus aliquid Ciceroni aut, quantum prodesse possit, indicabimus.* Fuerat enim ille Athenis paullo dissolutior. V. n. ad h. l. 5, 6. ex. ell. *Att.* XIII. 1. pr. et Schützii *Indice histor.* p. 129. Volgo autem existimabant, virum consularem iter facere propter periculum caedis: quam suspicionem ipse confirmat *ad Att.* XIV. *ep.* 13. 18. ex. XVI. 2. p. 297. ed. Sch. Nam conceptam spem redeundi in statum pristinae libertatis eripuerat Antonii consulis dissimulata paucis post Caesaris caedem diebus improbitas aemulatioque Caesarianae potentiae, teste Appiano Ἐμφ. II. 133. Plutarch. in *Anton.* c. 14. s. *Bruto* 19. ss. *Caesare* 48. Sueton. in eod. 84. s. Flor. IV. 2. pr. Cic. *ad Att.* XIV. 10. s. qui ibidem *ep.* 7. scribit de futuro itinere in Graeciam; libri XVI. *epistolam* 6. ex itinere. Sed cum a. d. VIII. Id. Sextil. auster eum ad Leucopetram, promontorium agri Rhegini, unde, ut transmitteret, conscenderat, stadia fere CCC provectum reiecisset, ibi ventum exspectanti Rhegini quidam, Roma recentes, nunciarunt, *fore, ut Antonius cederet, res conveniret; se desiderari; subaccusari.* Quae cum Noster audisset; sine ulla dubitatione abiecit consilium profectionis, ut scribit a. d. XIV. Kal. Sept. *ep.* 7. et *Fam.* XII. 25, 9. s. *ventis remis in patriam omni festinatione properavi postridieque* (Kalendas Sept.) *in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret*, nimirum *Philippicam* I. ubi v. in primis de profectione illa et reditu c. 1 — 5. Cf. *ad Brut.* I. *epist.* 15. p. 227. ed. Sch. et Plutarchus in *Cicer.* c. 42. s. Mox autem, cum, obsepta ab Antonianorum militum turba curia, boni cives in senatum venire et rem publicam capessere non auderent (*Fam.* X. 2. XII. 2, 7. 10.), Cicero, iratus temporibus, rus, desperata libertate et communi concordia, se abdidit. V. h. l. §. 1. ex. *Aldi Prolegomena* ad hos ll. Schützii *Ind. histor.* p. 185. (ubi falsa sunt citata e *Fam.* VII. 17. XVI. 6.) et eiusdem in *Philipp. Prolegg.* p. 3 — 7. 14. Necesse est igitur, scriptos hos libros esse circiter inde a d. VIII. Kal. Nov., absolutos autem iam aliquot diebus ante V. Id. Decembr., quo die se, reversum, Romam venisse scribit *ad Fam.* XI. 5, 2. cum Antonius, cuius legiones ad Octavianum defecerant, urbem reliquisset.

sic, quoniam] Bern. *sicut quoniam.* Sed correctum est *sic.* Deinde Bern. Gu. 1. 2. 3. 3. transponunt *profecta vox est mea*, ut cum Grut. Gron. et Ernesto volgatur. Gu. 4. *profecta est vox mea.* Malui reducere ordinem olim vol-

temporis, quantum poteris: poteris autem, quantum voles. Cum vero intellexero, te hoc scientiae genere gaudere: tum et praesens tecum prope diem, ut spero, et, dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, esse te quidem mihi carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.

---

gatum servatumque a Graevio. V. Ovid. *Met.* II. 51. Vellei. P. II. 66, 2. Ad seqq. cf. h. l. 2, 5. ex. I. 1, 2. pr.

ut spero] Cum filio, qui mox ad bellum secutus est Brutum, teste Plutarcho in huius vita c. 24. 26. et in *Cic.* 45., coram loquendi spes frustrata est patrem, qui anno proximo ab Antonio periit vel potius morte ad meritam immortalitatem transiit a. d. VII. Id. Dec. senex, cui ad LXIV annos deessent dies XXVII. Eius vindex exstitit M. filius COS. a. V. 723. cum Augusto. V. Plutarch. in *Cic.* ad finem.

monumentis] Exter ed. Bip. et Sch. cum Ern. scripserunt *monimentis.* Bern. cum rell. *monumentis.* Notae Tironianae utrumque distinguunt. Secuti h. l. sumus analogiam in v. *documentum.* V. Grotefendi *Lat. Grammat.* T. II. §. 165. in nota et §. 199. ed. III. Interprete I. M. Heusingero, sic dicuntur libri, paterni amoris testes. De forma *laetabere* v. ad I. 1, 2. p. 5. cll. *in Verr.* I. II. §. 137. *fatebere*, *Att.* II, *ep.* 7. §. 2. *suspicabere.*

EXCVRSVS I. AD L. II. C. V. §. 18.

Locus de *tripartita ratione virtutis* a Peripatetico quodam interpolatus.

Cum virtus hic in tria capita dividatur, quam scriptor in superiore libro semel atque iterum divisisset in quatuor (quae divisio repetitur III. 96. 118.), cumque in capite primo, quo Noster sapientiam omnem et prudentiam inesse voluerit, hic ea sola philosophiae pars collocetur, quae logica et physica tractat: tota haec sectio Facciolato, Chapmanno et I. M. Heusingero videbatur insiticia. Rem impediit magis, quam expediit, praeeunte Garvio ad h. l. p. 86. s., Gernhard, cuius vestigia pro more suo legit Binkes in *Analysi* p. 35. et Degen in altera quidem editione. Subtilius de h. l. disputavit clar. Dr. A. Goering Progr., quo *Rationes, cur locus, qui legitur ap. Cic. de Off. L. II. C. V. spurius dictus sit, examinentur*, Lubecae MDCCCXVIII. 4. pp. 18. Parum tamen perspexit Facciolati sententiam, qui ab eo insimulatur (p. 11.) totius *philosophiae* divisionem omniumque, quibus ea contineatur, partium enumerationem in hoc loco quaesivisse. Docte autem p. 12. ss. ostendit, esse hanc divisionem ab Aristotelica desumptam philosophia. Ex huius enim philosophi disciplina eaque morali in perfecta mentis agitatione et ratione omnis virtus posita esse dicitur *Eth. ad Nicom.* I. c. 7. sect. 4. ss. (cl. c. 8. sect. 7. 8.) II. c. 6. sect. 3. 5. VI. c. 1. sect. 1 — 4. c. 2. sect. 2 — 5. c. 12. sect. 7. s. Cum autem haec mentis agitatio duplicis sit generis, quorum alterum referatur ad cognoscendum, alterum ad agendum: duplex exoritur virtus, *intellectualis* altera, altera *moralis* (ἀρετὴ διανοητικὴ et ἠθική): ib. I. c. 13. ex. II. 1. pr. VI. c. 1. sect. 5. Sic etiam Academici veteres *animi bona*, id est virtutem, *in naturam et mores dividebant*. I. *Acad.* 5, 20. pr. Prior illa, quae sapienti, cuius vita in rerum cognitione maxime collocata sit, optime convenit, hic ea significatur virtutis parte, *quae est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens.* Iam, quae sequuntur vv., *ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit*, refellunt Goeringium p. 11. s., ad-

ibitis argutiis quibusdam, negantem, scriptorem hic, ubi aciderit in locum, in quo de ratione, qua quis erga alios n rebus agendis utatur, disserendum est, reliqua omnia, uae sunt cognitionis nostrae, sive ad rerum naturam inestigandam sive ad animi vim perquirendam referuntur, lla ex parte tangere, nisi forte, quod ad vitam regendam d moresque formandos vim aliquam habeant et quod e erum intelligentia atque veri perspicientia vitam regendi liosque tractandi ratio pendeat. Vt Tacitus *dial. de or.* o, 3. ex.: sic ipse Cicero alibi iisdem fere verbis res hysicas, in universa veri cognitione primarias, significare olet: e. g. *Tusc.* V. 4, 10. 24, 69. Loquitur ille quilem I. *Off.* c. 4. s. de mentis humanae usu viriumque nisu ad officia servanda virtutemque colendam: sed in ioc ipso genere primus describitur is, qui tum ad rerum naturam et ad animi indolem perquirendam necessarius est et accommodatus (v. *Excurss.* VIII. *IX. pr. ad L.* I.); tum (ut Goeringio placet) ad deliberandum, quo modo ea, quae vera cognoverit, et ad se ipsum emendandum moderandumque transferre et ad alios regendos gubernandosque convertere possit. Quod posterius optimo cuique ita prosperrime succedit, ut quisque aliorum amore, quem sibi conciliaverit, maxime adiuvatur. Proinde virtuti *morali* secundum diversum, e quo res aspicitur, locum, duas partes ipse Aristoteles subiecit. Altera ad interiorem animi habitum pertinet excolendum ad facultatemque honeste agendi adiuvandam. Haec permultas singulas virtutes, in quibus vim suam exserat, comprehendit; quarum sunt illae, quas Cicero l. I. 5, 17. et inde a c. 7. persecutus est, cardinales tres, *quae versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam. Eth. ad Nicom.* l. II. — V. X. c. 8. sect. 3. Sed, quamquam has praecipue explicat Aristoteles: non tamen omnes virtutes numero quaterno circumscribit; sed in iis nominandis usum volgarem potius sequitur, ut in distinguendis variis earum nominibus ingenii acumen exerceat: ut monuit Clodius, V. S., *de virtutibus cardinalibus* I. p. 5. Altera pars (ἡ πολιτική, ib. l. X. c. ult. sect. 7. ss. cl. l. VI. c. 8. pr.) ad externam rationem et conditionem refertur persequiturque ea, quae sunt societatis vel latioris vel arctioris quaeque et domesticas et publicas res amplectuntur. Quae huius sunt generis, ea a nobis, nisi eorum, quibuscum congregamur, studia nobis conciliavimus, bene coli non possunt. Hasce partes Cicero perspicuis verbis distinguere videtur Goeringio, ut, unde eas sumpserit, dubitari non possit. Quae de *appetitionibus perturbationibusque* dicuntur, moralem virtutis partem et quidem eam, quae in ipsa animi indole virtuti accommodanda cernitur, ita describunt, ut e gravissimo huius partis argumento, quod in perturbationibus sedandis cernitur, nomen sit ductum. Est enim hic de animi motibus philosophiae locus Peripateticis et Stoicis communis. Quamquam, qui erant ab Aristotele, cupidi-

tates non exstirpandas et eradicandas, sed reprimendas et cohibendas esse dicebant eoque ipso a Stoicis dissentiebant: tamen maximam disciplinae moralis vim et gravitatem in animi commotionibus moderandis esse positam et intelligebant et docebant. Dicebat Aristoteles, τὸν σοφὸν μὴ εἶναι μὲν ἀπαθῆ, μετριοπαθῆ δέ, ut ait Diog. L. V. 31. Quo fit, ut Aristotelici multa tradant de iis, quae apud Graecos dicuntur μεσότης (v. ad I. *Off.* 89. p. 201. cl. Aristot. *Eth. Nic.* II. c. 2. c. 6. sect. 2. 3. ss. c. 7. 9. VI. 3.), πάθη, ἕξεις, ἐπιθυμία. Addit Clar. Goering, Ciceronem, si, quae dicit, e meris purisque Stoicae disciplinae fontibus hausisset, lenius illud *cohibendi* vocabulum non scripturum, sed fortius aliquod et gravius, quo Stoici, quibus animi motus magis exstinguendi, quam *coërcendi*, esse viderentur, uti solebant, horum decretis aptius electurum fuisse. Tertia autem pars, quam Cicero vel is, qui in eius nomen irrepsit, tria virtuti assignans munera, fecit, ad ea praecepta refertur, quae a rebus politicis oeconomicisque repetuntur. Haec ab Aristotele, philosophiae partes describente, a reliquis segregantur et in libris *politicis*, quorum primus de societate et de re domestica, in quibus civilis societas nitatur, agit, copiosius explicantur. Ad officia, quae inde ducuntur, ita colenda, ut quam plurimum aliis prosimus, nihil videtur aptius et accommodatius, quam, si quis eorum, quibuscum congregatur, amorem et studium sibi paraverit: ut habeat adiutores, quibus confidere possit. **P r i m a** igitur propositae divisionis pars ad veri cognitionem, in qua reliqua omnia nituntur, refertur. **S e c u n d a** pars, quod in animi motibus coërcendis ad animum nostrum formandum moresque emendandos, longe plurimum situm est, ad hoc ipsum opus peragendum virtutis actionem deducit ideoque ab ipsa perturbationum moderatione, quae gravissima est, nomen traxit idque rei, verbis exprimendae, aptissimum. **T e r t i a** pars, quoniam et nobismet ipsis et aliis prodesse non possumus nec quidquam perficere, quod utile sit et laudabile, nisi aliis scienter utamur eorumque ope et amore fruamur, in hoc virtutis munere, quod ad id, quod propositum est, assequendum maxime necessarium videtur, describendo continetur. Observamus praeterea, similiter in *Partit.* 22, 76. ss. describi *virtutis vim duplicem*, *prudentiam* et *temperantiam*, ita, ut, quae hic tertia adiungitur pars (πολιτική), ibi insit in *prudentia*, quae *in suis rebus* ***d o m e s t i c a***, *in publicis* ***c i v i l i s*** *appellari solet*. Nimirum Aristoteles τοῦ λόγον ἔχοντος μέρους τῆς ψυχῆς, s. τοῦ νοητικοῦ, cuius functio est ἡ θεωρητικὴ διάνοια (*Eth. Nic.* VI. c. 2. sect. 3. et extr.), iterum distinguit τὸ μὲν ἐπιστημονικόν, τὸ δὲ λογιστικόν· ut τοῦ ἐπιστημονικοῦ virtus sit *sapientia* (σοφία), posita in *cognoscendo*, *perspicientia* autem (σύνεσις) et *prudentia* (φρόνησις) τοῦ λογιστικοῦ, posita in *deliberando*: τὸ γὰρ βουλεύεσθαι καὶ λογίζεσθαι ταὐτόν, Ib. c. 1. sect. 7. ss. c. 7. sect. 5. c. 12. sect. 4. Sed ne mirum videatur, quod Cicero hac in re divisionem, ab

Aristotelica disputandi ratione desumptam, proposuerit, Goering, ut doceat, Ciceronem non eum esse, qui quolibet in loco sibi consentiat partesque, quas susceperit, ubique tueatur constanterque persequatur, provocat ad illa Ciceronis verba I. 2, 6. ex. profitentis, se non eum esse, qui Stoicorum vestigiis sine ulla dissensione insistat. Verum enim vero *potissimum* ibi non, ut *praecipue*, *maxime*, *in primis*, Stoicos reliquis modo praefert, sed alios omnino excludit. Goeringio quidem videtur hic rem, qua de agitur, intuendi et exponendi locus, quem Cicero ingressus sit, ei ad id, quo voluerit pervenire, consequendum, mirifice fauere eique, de modis et adiumentis, quibus alios homines nobis benevolos reddamus, disserturo, multo magis idoneus esse, quam Stoicorum eiusdem rei aspiciendae et explicandae ratio multo tenuior illa et ieiunior. Ego vero, si quidem Cicero in omni rei perscrutandae genere et in singulis officiorum tradendorum modis a germana et severa Stoicorum disciplina aberravit aliorumque philosophorum principia et placita Stoicis immiscuit, hoc non ipsius, in variis multasque in partes diffusis disputationibus alias aliunde petere sententias et, quae e variis locis contulerit, ad unam speciem fingendam haud satis subtiliter iungere soliti, inconstantiae imputarim. Panaetium hoc etiam libro II. Noster sequitur: ut apparet e §§. 16. 51. 76. pr. 86. 88. Non magnum momentum faciunt eius modi restrictiones, ut §. 60. Vide, quantopere illum laudat III. §. 10. 34. Cf. ad I. 2, 6. p. 16. in primisque l. ibi cit. *Fin.* IV. 28, 79. qui ita pergit: *semperque habuit in ore Platonem*, *Aristotelem*, *Theophrastum* (II. *Off.* §. 56. 64.), *Dicaearchum* (ib. §. 16. ex.); *ut ipsius scripta declarant.* Facilius igitur crederemus, ipsum Panaetium abusum scholae Peripateticae esse principiis, ut consuleret rerum explicatarum coniunctioni doceretque, *virtutis esse, iis, quibuscum congregamur, uti moderate et scienter;* cum utriusque partis nexus non satis perspicuus esset propterea, quod abstinuisset ista *rerum mediarum* distinctione, a qua partitio officii pendet, ut ostendimus *Exc.* VI. ad L. I. p. 321. s. Hinc illa manare potuit inconstantia, quae artis formae repugnat. Eatenus quidem valere videantur ea, quae Goering p. 8. s. disputat. „Ciceronem," inquit, „utilitatis rationem explicaturum, sermonis decursus eo deduxit, ut, cum homines hominibus plurimum prodesse significasset, ad ea, quae in officiorum ex hac utilitatis parte servandorum genere gravissima essent et explicatione maxime digna, transiret describenda. Dum in eo est, ut hoc onus suscipiat, quasi subsistit mentemque a rei aditu et limine ad principia et fundamenta, in quibus cum reliqua omnia; tum, quae de utilium rerum usu dicenda sunt, nituntur, denuo intuenda reflectit. Accedit, quod aliquis possit mirari, quid sit, cur, qui de honestate et virtute praecipere velit universa, ad singularem quandam rem, quae

in utilitatis ratione posita sit et ad auxilia adiumentaque, quibus hominum studia animosque nobis conciliemus, spectet, pluribus describendam descendat. Quod ne quis mirum habeat, quae obiici possint, Cicero ita occupat, ut singularis cuiusdam et honestatis partibus non satis finitimae rei, quam explicandam aggreditur, originem et cum reliquis nexum ex ipso fonte, qui uberrimus est, deducat et derivet." At vero haec occupatio et excusatio a Ciceronis mente alienissima est. Nititur enim falsa *officii* notione, ex recentiorum, maxime Nostratium, usu loquendi ducta: quem errorem castigavimus iam *Introd.* in h. l. p. 5. sub f. et *Excursu IV. ad L. I.* Insuper respicit auctor hoc ipso l. II. c. 10. §. 35. ex. Stoicam virtutis divisionem; etiam si ibi v. *fortes* pro insiticio habueris. Itaque verba illa controversa, quae ad sequentis disputationis, in singulari re explicanda versaturae, amplissima principia repetenda memoriam revocent, inserta sunt ab interpolatore; non, ut Goeringio videtur, ab ipso Cicerone suo loco posita ad rem, quae tractari debeat, muniendam firmandamque, cum adversentur iis, quae quis fortasse obiiciat, esse quidem disputationem, de rationibus, quibus ad utilitatem nostram augendam hominum studia nobis benevola reddamus, institutam, ab honestatis partibus longe alienam. Facciolatus huius segmenti auctorem agnovit interpolatorem illum ipsum, qui §. 141. libri primi formavit. Quae suspicio nobis quidem eo probabilior videtur: quod tota illa sectio pariter pura puta Aristotelica est. Etenim vv. *In omni autem actione suscipienda animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus: ut neue maior neue minor cura et opera suscipiatur, quam causa postulat*, conversa sunt ex *Eth. ad Nicom.* VI. c. 1. sect. 3. Καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπιμελείαις, περὶ ὅσας ἐστὶν ἐπιστήμη, τοῦτο ἀληθὲς μὲν εἰπεῖν, ὅτι οὔτε πλείω οὔτε ἐλάττω δεῖ πονεῖν οὐδὲ ῥαθυμεῖν, ἀλλὰ τὰ μέσα καὶ ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος. Seqq. sunt ex II. 7. sect. 5. Περὶ δὲ τὰ χρήματα … μεσότης μὲν (ἐστὶ) μεγαλοπρέπεια …, ὑπερβολὴ δὲ ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία, ἔλλειψις δὲ μικροπρέπεια, et ex IV. c. 2. ubi μεγαλοπρέπεια §. 2. definitur ἐν μεγέθει πρέπουσα δαπάνη. Poterat autem Peripateticum ad interpolandum invitare illud, quod Cicero ibi, cum fere eadem dixisset, quae Aristoteles IV. c. 2. sect. 5. ex. Μεγαλοπρεποῦς δὲ, καὶ οἶκον κατασκευάσασθαι πρεπόντως τῷ πλούτῳ, addiderat praeceptum de *mediocritate ad omnem usum cultumque vitae transferenda.* Inerant quidem ibi, ut II. 60. ex., quaedam, quae ab Aristotele manarunt; sed illa ipsa huius philosophiae gnaro reliqua in memoriam revocare poterant. Adde, quod ibi de *appetitibus* (ὁρμαῖς) recoquuntur, quae iam §. 101. s., ibique suo loco, tradita fuerant. Denique in utroque loco idem stilus agnoscitur, haud dissimilis ille quidem Ciceroniani, sed ex fucata imitatione: ut ostendimus I.

. 284. ubi ipse sorex se prodidit, μεγαλοπρέπειαν significans iisdem verbis, quibus ipse Cicero ἐλευθεροπρέπειαν expresserat. fortasse utramque annotationem ascripserat in exemplari suo M. filius, Cratippi discipulus.

EXCVRSVS II.

DISSERVNTVR QVAEDAM DE HEREDITATE CVPIDITATVM, AD CIC. DE OFF. II. C. 8.

Sic inscribitur libellus quidam, quo TZSCHVCKIO ET HEIMBACHIO GRATVLATVR AFRA, *Misenae litt. Schulzianis* 1789. 4. impressus nobisque ab Exc. Spohnii amicitia communicatus: quo docetur, solere bona malaque propagari et velut per manus tradi: nisi quod mala, ut fere fit, suo quodam ingenio luxuriosius serpant altiusque agant radices atque etiam aegrius exstirpentur. Disputationis summa haec est. Fert ita humani ingenii natura, ut non cupiamus, quae aut fieri omnino non posse aut certe non esse in potestate nostra, nobis persuasum est. Ἀδικοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, ὅταν οἴωνται, δυνατὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα πραχθῆναι, καὶ ἑαυτοῖς δυνατόν. Aristot. *Rhet.* I. 12. et II. 6. οὐδεὶς ἀξιοῖ τὰ φαινόμενα ἀδύνατα. Atque ex hoc rerum genere, facile credimus, esse ea, quorum nondum exstant exempla. Iustinus II. 2. ex. *in Scythis plus*, ait, *proficere vitiorum ignorationem, quam in Graecis cognitionem virtutis.* Contra, ubi quis primum rem ausus est cum successu, tum vero cupiditas, non secus ac si lumen lumini admoveas, accenditur: succurritque illud, quod eidem Caesari, *a quo*, Cicero, *cupiditatem ad multos improbos venisse hereditatem*, pronunciat, tribuitur: *Sulla potuit; ego non possim?* Ex quo apparet, infinitum referre, nec quidquam aeque cauendum esse, quam ne facinorum exempla prodantur nova et adhuc inaudita. Id enim si acciderit, plus iam damni datum, quam sarciri facile possit, hoc ipso, quod, fieri posse talia, non iam cuiquam obscurum sit. Consequens est, ut, *quod exemplo fit, id etiam iure fieri putent, sed aliquid, atque adeo multa, addant et afferant de suo.* IV. *Epist.* 3, 3. *Lael.* 12, 6. (41.) Cf. Vellei. II. c. 3. ex. Ita fit, ut, si semel a recta via deflexum fuerit, res proclivius in perniciem labatur, donec sisti non possit eoque perveniatur, ut homines nec vitia sua nec remedia pati possint aut certe haec ipso morbo non nunquam sint duriora. Horum omnium, vix ulla est civitas, quae plura et maiora documenta praebeat, quam Romana inde a Sullae maxime aetate, qua non iam paullatim subsidere, sed praecipites ire res coeperunt. Hic enim, quem Lucanus I. 326. *scelerum magistrum* vere appellat, non ipse solum gravissime afflixit rem publicam; sed etiam infinitam cupiditatum vim transfudit in alios.

Solvit enim primum disciplinam militarem effecitque largiendo, ut non iam patriae, sed ducibus suis se militare, crederent exercitus. Sallust. *Cat.* 11. Plutarch. in *Sulla* (c. 12. ex.) p. 459. ed. Franc. Sed ipse se superavit, cum proscriptionis exemplum primus invenit, quo nihil pestilentius ad omnem posteritatem excogitari potuit nec maius certamen iniici turbarum civilium, cum talem cupiditati escam obiectam meminissent. Ib. (c. 31.) p. 472. Vellei. II. 22. ex. Nec vero mirum videri debet, Caesarem, Sullae audacia adeo feliciter procedente in spem opprimendae libertatis esse erectum. (V. III. *Off.* c. 21. pr.) Eius in infinitum aucta erat cupiditas. Nec deerant cupiditatis administri, quod peropportunam et rebus domesticis aere alieno labefactatis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. *Epist.* VI. 6. Nec alia causa fuit, nisi vis cupiditatis, ad alios propagatae, cur, Pompeio et Caesare sublatis, tamen libertas recuperari non posset. Vt enim, Sulla ex vero coniectante (ap. Sueton. in *Caes.* c. 1.), Caesari multi Marii, ita Antonio, Lepido et Octaviano multi inerant Caesares. Idem existimandum videtur de luxuriae (I. 140.) eiusque perpetuae comitis, avaritiae, apud Romanos incrementis. (V. infra II. 75. ss.) Quapropter non negligenda sunt prima et quamvis tenuia peccandi initia. His enim semper fit gradus ad maiora. Quem ad modum enim, quod universam urbem hausit incendium, exigua initio flamma fuit: ita omnia mala exempla a parvis initiis profecta sunt. Si tamen humana cura caveri nequiverit, quin atrocius peccaretur admitteretur que, quod trahi in exemplum possit, perniciosum ad posteritatem futurum; tum vero severius agendum ac ne falsae quidem severitatis infamia declinanda; quando quidem severitatis, quae legum auctoritate regatur et aequitate, quantum licet, temperetur, verissima laus est. (*Catil.* II. 5, 10. s. Cf. n. ad I. *Off.* 88. p. 149. s.) Illud enim, quantum potest, *providendum, ne quid tale unquam posthac non modo confici, sed ne cogitari quidem possit.* IV. *Catil.* 9, 19. ex.

EXCVRSVS III. AD L. III. C. III. §. 13.

Ὁμολογία, συμφωνία, *convenientia.*

Gernhard ad h. l. et Franc. Dor. Gerlach p. 11. commentationis, supra in *Introd. in L. II.* p. 5. citatae, fidem habuerunt Diogeni Laërtio, quo teste VII. 87. πρῶτος ὁ Ζήνων ἐν τῷ Περὶ ἀνθρώπου φύσεως τέλος εἶπε τὸ Ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν· ἄγει γὰρ πρὸς ταύτην ἡμᾶς ἡ φύσις. At Zenonis quidem finis simpliciter erat τὸ Ὁμολογουμένως ζῆν, τοῦτο δ' ἐστὶ καθ' ἕνα

λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν, ὡς τῶν μαχομένων ζώων κακοδαιμονούντων. Huic fini convenit *virtutis* definitio ap. Stobaeum *Ecl. Eth.* I. p. 104. διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος αὑτῇ, ap. Cic. *Tusc.* IV. 15, 45. *affectio animi constans conveniensque.* Cleanthes demum formulae illi inseruit τῇ φύσει, ut docuit Tiedemann in *System d. Stoi. Phil.* III. 79. Tennemann in *Geschichte der Phil.* IV. p. 77. ss. Krug in *G. d. Ph. a. Z.* p. 146. n. c. et in *Aretolog.* §. 6. n. 2. p. 22. ss. Schopenhauer in l. „*Die Welt als Wille und Vorstellung*" p. 33. s. e Stobaeo *Ecl. Eth.* II. p. 132. ss., quo eodem teste Chrysippus substituit ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. *Hunc ipsum Zenonis aiunt finem esse,* teste Cicerone *Fin.* IV. 6, 14. ex.; sed non ipsis verbis, ut Goerenzio visum est; imo sensu: quem explicavimus *Exc.* VIII. ad L. I. p. 327. Cf. I. Lipsii *Manuduct.* II. 17. Simillima, sed nulla tenus ambigua minimeque sophistarum calumniis obnoxia Posidonii est formula ap. Clement. Alex. *Strom.* II. p. 416. B. ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν καὶ συγκατασκευάζοντα αὐτὸν κατὰ τὸ δυνατόν, κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς, *vivere contemplantem rerum omnium veritatem et ordinem, et se ipsum, quantum fieri possit, ad id comparantem, minime ductum ab irrationali parte animi:* in qua formula Posidonii, cui Diogenes l. c. negligentia potius, quam errore, illam primam Zenonis tribuit, v. συγκατασκευάζειν ἑαυτόν significat reliquorum illam ὁμολογίαν, observante Iano Bake ad *Posidonii vitam et doctrinae reliquias* p. 190. Sic igitur Ethicam Physiologiae atque religioni superstruxerunt. Omnes tamen a Zenone inde idem sensisse videntur, ut iudicat etiam Goerenz ad *Fin.* III. 7, 26. p. 345. b. Ceterum Chrysippus praeter communem Naturam, i. e. universam legem, toti mundo et partibus eius insertam a ratione divina (cf. ad III. *Off.* 5, 23. p. 221.), propriam quoque et humanam naturam, sive rectam, cui convenienter vivere oporteret, rationem, praecipuam actionum rectricem constituebat. Nam, ut ait Diogenes L. VII. 89. φύσιν sequi iubebat τήν τε κοινὴν καὶ ἰδίως τὴν ἀνθρωπίνην. Cleanthes autem τὴν κοινὴν μόνην. Videtur igitur, aliter tantum locutus, idem intelligere, *naturam, non singulorum propriam, sed omnium hominum communem,* quippe universo Naturae ordini congruam: ut significavimus ad I. 110. p. 237. Cf. *Fin.* III. 22, 73. ubi *convenienter Naturae vivere* ponitur in eo, ut *conveniat natura hominis cum universa.* Proxime ad hunc accedere videtur Panaetius: quamquam negativum potius, quam affirmativum, finem proposuit, τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμάς: ut refert Clemens Alex. *Strom.* II. p. 416. B. Vterque igitur voluit, hominem, qui haberet constitutionis suae sensum, uti rationis privilegio, quod Arrian. in *diss. Epict.* II. 16, 28. dixit τὰ ἴδια τηρεῖν. Eodem autem modo Chrysippus, quorum animantium principatus in ratione positus esset, his κατὰ λόγον ζῆν ὀρθῶς secundum Naturam esse, docet ap. Diog. L. VII. 86. ex. Cf. quae ad eum l. e Simplicio compara-

vit Ignatius Rossius p. 125. s. 131. Cicero *Fin.* V. 9, 26. *secundum naturam vivere* ita interpretatur, *vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente.* Huic similis est illa definitio ib. IV. 16, 15. *omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum Naturam sunt, fruentem vivere.* Sed additur, *hoc summum bonum in sapientem solum cadere.* Tantumdem valere videtur *Leg.* I, 21, 56. *Naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae Natura postulet, consequatur.* His autem explicationibus Stoici cauere voluerunt, ne quis Cleanthess formulae, nimis indefinitae, amphiboliam calumniaretur neue Epicurus eandem sibi vindicaret, sententiae suae congruenter interpretando, quippe cum tam naturales sint perturbationes partesque animi eae, quae ira et cupiditate tanguntur, quam rationalis pars, in quam virtus cadit. Etenim homo, inter utrumque naturae creatae ordinem, alterum idealem, alterum materialem, constitutus exque utroque conflatus, quatenus aliquid per se est, generalem sequitur *egoismi Naturae* legem, qua, quidquid exstitit, se ipsum tuetur, omniaque externa conservationi suae ut inserviant, nititur. Idemque cum et ea, quae sensibus blandiuntur, et contraria noverit: huius constitutionis suae sensu atque intelligentia ductus appetere potest, quae placent. Primaria vero et propria hominis natura continetur ratione et mente, i. e. facultate praeter naturam rerum, sensibus obiectam, cognoscendi etiam aliam quandam, idealem, subliniorem, divinam. Gaudet igitur facultate et intelligendi, quae divino numine digna patrare possit, et eligendi, quae sibi placent. Ipse vero omni quidem impetu ad ea, quae naturae suae inferiori arrident, concupiscenda fertur; sed mature a ratione iam perfectiore educationis beneficio eo ducitur, ut, quae natura sua laude sint digna, prae ceteris expetat, reliqua vero non nisi ita legat, si ad sui conservationem necessaria videantur et salutaria. Proinde continuo nisu modo ad sublimia, modo ad despicienda fertur; et modo a ratione ad hanc partem revocatur, modo a cupiditatibus trahitur ad illam. Facultatem autem distinguendi atque eligendi ea, quae digna sunt divina hominis origine et natura, *liberi rationis usus* nomine insigniverunt disciplinae moralis magistri: cuius homo compos ea, quae mala sunt, respuit eligitque bona, quae Deo placeant. In ratione autem cum hominis principatus positus sit: hoc erit in officio, ut, quidquid cogitet ac velit, id legibus supremis rationis consentaneum sit. Fit autem ex dominio illo rationis, ut in omnibus hominis et cogitationibus et consiliis et appetitionibus et factis rationis quaedam imago conspiciatur. Quae si in quibus unquam rationis formam exuerint, irrationali naturae suae obedientibus: hi animalium loco numerandi, non hominum; quidam vero ne animalium quidem, sed mortem suam antecesserunt. Stoici *naturae* vocabulum deserere noluerunt: diligentius tamen duxerunt inter-

pretandum, ratione habita τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς. Qua de re Ianus Bake l. c. p. 223. laudavit Posidonii fragmentum, servatum a Galeno *de placitt. Hippocr. et Plat.* l. V. p. 291, 32. "Ὅτι δὲ καὶ τὴν περὶ ἀγαθῶν τε καὶ τοῦ τέλους (intell. ὀρθῶς δόξαν) ἐζεῦχθαι τῇ περὶ τῶν παθῶν συμβέβηκε), ἀρκεῖ μοι τὰ Ποσειδωνίου παραγράψαι, τόνδε τὸν τρόπον ἔχοντα· „Τὸ δὴ τῶν παθῶν αἴτιον, τουτέστι [pessime Bake coniicit ταὐτό ἐστι] τῆς τε ἀνομολογίας καὶ τοῦ κακοδαίμονος βίου, τὸ μὴ κατὰ πᾶν ἕπεσθαι τῷ ἐν αὐτῷ [corrig. αὑτῷ] δαίμονι συγγενεῖ τε ὄντι καὶ τὴν ὁμοίαν φύσιν ἔχοντι τῷ τὸν ὅλον κόσμον διοικοῦντι [v. n. ad III. *Off.* 5, 23. ex.], τῷ δὲ χείρονι καὶ ζῳώδει ποτὲ συνεκκλίνοντας φέρεσθαι. Οἱ δὲ τοῦτο παριδόντες οὔτε ἐν τούτοις περὶ τῆς εὐδαιμονίας καὶ ὁμολογίας ὀρθοδοξοῦσιν. Οὐ γὰρ βλέπουσιν, ὅτι πρῶτόν ἐστιν ἐν αὐτῇ τό Κατὰ μηδὲν ἄγεσθαι ὑπὸ τοῦ ἀλόγου τε καὶ κακοδαίμονος καὶ ἀθέου τῆς ψυχῆς.“ Ex his iam apparet, τῇ ὁμολογίᾳ, qui finis bonorum est, opponi τὴν ἀνομολογίαν: unde ab Antonino III. 9. *malum* ponitur in eo, quod est ἀνακόλουθον τῇ φύσει καὶ τῇ τοῦ λογικοῦ ζῴου κατασκευῇ. Proposita igitur definitione, quam plenam p. 427. e Clement. *Strom.* exhibuimus, Posidonius ap. Galen. 291, 44. sic pergit: "Ἃ δὲ παρέντες, ἔνιοι τό Ὁμολογουμένως ζῆν συστέλλουσιν εἰς τό Πᾶν τὸ ἐνδεχόμενον ποιεῖν ἕνεκα τῶν πρώτων κατὰ φύσιν, ὅμοιον αὐτῷ [corrig. αὐτὸ] ποιοῦντες τῷ σκόπον ἐκτίθεσθαι τὴν ἡδονὴν ἢ τὴν ἀοχλησίαν ἢ ἄλλο τι τοιοῦτο. Ἔστι δὲ μάχην ἐμφαῖνον κατ' αὐτὴν τὴν ἐκφοράν, καλὸν δὲ καὶ εὐδαιμονικὸν οὐδέν· παρέπεται γὰρ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον τῷ τέλει, τέλος δ' οὐκ ἔστιν. *) Ἀλλὰ καὶ τούτου διαληφθέντος ὀρθῶς, ἔξεστι μὲν αὐτῷ χρῆσθαι πρὸς τὸ ἀνακόπτειν τὰς ἀπορίας, ἃς οἱ σοφισταὶ προτείνουσι, μὴ μέντοι γε τῷ (i. e. *illa definitio valet adversus sophistarum obiectiones, non item haec Chrysippi:*) Κατ' ἐμπειρίαν τῶν κατὰ τὴν ὅλην φύσιν συμβαινόντων ζῆν, ὅπερ ἰσοδυναμεῖ τῷ Ὁμολογουμένως εἰπεῖν ζῆν, ἡνίκα μὴ τοῦτο μικροπρεπῶς συντείνειν εἰς τὸ τῶν διαφόρων τυγχάνειν, in quibus extremis Bake p. 225. συντείνειν in συστέλλειν mutandum coniecit, sententiam extricans huius modi: „*Vivere secundum usum earum rerum, quae natura eveniunt, idem valet, quod vivere convenienter naturae, nisi quis illud sedulo et illiberaliter contrahat ad res differentes: resque indifferentes, valetudinem, voluptatem, cetera segreget*“. Ea vero interpretatio verba, sensu cassa, magis etiam absurditate obscurat. Scribendum: ἡνίκα μὴ τοῦτο μικροπρεπῶς συντείνῃ vel συντείνει εἰς

---

*) V. *Epicris. L.* III. p. 184. ex. cl. n. ad I. 2, 6. p. 13. s. et de σκοποῦ notione ib. ad 2, 5. p. 12. cl. *Fin.* III. 6, 22. et Stob. *Ecl. Eth.* II. p. 172. Διαφέρειν δὲ τέλος καὶ σκοπὸν ἡγοῦνται· σκοπὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἐκκείμενον σῶμα, οὗ τυχεῖν ἐφίεσθαι τοὺς τῆς εὐδαιμονίας σκοπουμένους.

τί τῶν ἀδιαφόρων τυγχάνειν, *nisi illud, nulla honestatis decorisque ratione habita, spectet v. referatur ad prima illa secundum naturam obtinenda:* nam τὰ ἀδιάφορα et τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν hic eadem sunt. Latuit Virum D., expendi hic Carneadis finem, honestatis expertem, de quo egimus ad III. 119. p. 413. 415. Ita quidem magis etiam conveniunt illa, quae ipse Bake annotavit p. 224. „Facile intelligitur, quare dicat, *idem esse, ac si quis scopum ponat voluptatem et* „[aut]" *animi tranquillitatem.* Quippe de voluptate quaestio erat, *in primis naturalibus voluptas inesset necne*, Cic. *Fin.* II. 11. [§. 33. s.] Negare illud Stoicos, non omnes, sed *plerosque*, ait idem *Fin.* III. 5. [§. 17. pr.], forte Posidonium excipiens." Quod tamen minime praestiterim. Potuit enim Posidonius, ex Carneadis mente loquens, ipsius verbis uti atque ex sua formula, comparationis causa, adiicere ἀδιάφορα. Eodem pertinet aliud fragmentum, quo Posidonius docuit, quantopere in quaestione de rebus expetendis et fugiendis adiuvemur, inventa perturbationum causa, ap. Galen. 291, 53. Ταύτην τε δὴ τὴν ἀτοπίαν διέλυσεν ἡ αἰτία τῶν παθῶν ὁραθεῖσα [corrig. εὑρεθεῖσα] καὶ τὰς ἀρχὰς ἔδειξε τῆς ἐν ταῖς ὀρεκτοῖς καὶ φευκτοῖς διαστροφῆς, καὶ τοὺς τρόπους τῆς ἀσκήσεως διεῖλε καὶ τὰ διαπορούμενα περὶ τῆς ἐκ πάθους ὁρμῆς ἐξέφηνεν. Hic virgula tantum distinguebatur. At ad seq. v. φησὶν intelligitur Subiectum Posidonius. Οὐ σμικρά γε οὐδὲ τὰ τυχόντα φησὶν ἡμᾶς ἀπολαβεῖν ἀγαθά, τῆς αἰτίας τῶν παθῶν εὑρεθείσης· εἰς γὰρ τὸ μαθεῖν ἀκριβῶς, οἷόν τι τὸ ὁμολογουμένως ζῆν ἐστιν, ἐκ τῆς τῶν παθῶν αἰτίας εὑρεθείσης ὠφελήθημεν. Ὁ μὲν γὰρ κατὰ πάθος, οὐχ ὁμολογουμένως ζῇ τῇ φύσει· ἕπεται γὰρ ὁ μὲν τῷ ἀλόγῳ καὶ ἐμπλήκτῳ τῆς ψυχῆς, ὁ δὲ τὸ [corrig. τῷ] λογικῷ τε καὶ τῷ θείῳ. Καὶ τὰς ἀρχὰς δὲ τοῖς [corrig. τῆς] ἐν ταῖς αἱρετοῖς [ὀρεκτοῖς?] τε καὶ φευκτοῖς διαστροφῆς ἐδίδαξεν ἡ αἰτία τῶν παθῶν εὑρεθεῖσα. Τὰ γὰρ οἰκεῖα ταῖς ἀλόγοις δυνάμεσι τῆς ψυχῆς ἐξαπατώμενοί τινες ὡς ἁπλῶς οἰκεῖα δοξάζουσιν, οὐκ εἰδότες, ὡς τὸ μὲν ἥδεσθαι καὶ τὸ κρατεῖν τῶν πέλας τοῦ ζωώδους τῆς ψυχῆς ἐστιν ὀρεκτά, σοφία δὲ καὶ πᾶν, ὅσον ἀγαθόν τε καὶ καλὸν ἅμα, τοῦ λογικοῦ τε καὶ θείου: ad quem l. docte observavit Bake p. 226. τὸ κρατεῖν τῶν πέλας Socraticum esse, a Xenophonte expressum, cui dicantur αἱ παρεστῶσαι ἡδοναί et αἱ ἐγγυτάτω ἡδ. *Cyrop.* I. 6, 9. pr. II. 2, 24. VIII. 1, 32. *M. S.* II. 1, 20. pr. IV. 5, 10. ex. Eodem sensu h. l. praecesserat τὰ τυχόντα ἀπολαβεῖν ἀγαθά, *vilissimis quibusque bonis perfrui, quaeque appetitui obiiciantur.* Ergo „*Naturae convenienter vivit,* qui id, quo nihil maius et melius est in natura, cum universa, tum humana, constanter sequitur; reliqua omnis naturae desideria non exstinguit quidem, sed non curat, quoties rationis, quae sola dominatur, imperiis adversantur. Τὸ τέλος non datum est homini nascenti (ut Epicurus opinatur), sed, ex quo adolevit ratio, propositum nobis, quod per totam vitam sequamur." Vt Ferguson in

egregio libro, quo historiam societatis civilis exponit" em Krug, V. S., in *Metaphys.* §. 149. n. 1. ex.] *turalem* esse negat vitam hominum agrestium, quos vulgo *statu naturae* collocamus: ita Stoici negabant, fieri ıse, ut Naturae consentiamus ante rationis maturitatem:" ıe verissima atque elegantissima explicatio debetur Lilio *comment.* I. p. 45. Idcirco *virtus* in *Tusc.* V. , 39. *absoluta ratio*, IV. *Fin.* 13, 35. *rationis perfectio* in *Acad.* I. 5, 20. ex. *perfectio naturae* definitur; eadem, τὸ ἀγαθόν, a Diogene Babylonio τὸ τέλειον κατὰ φύσιν λογι-ῶς λογικοῦ. Sic enim ap. Diog. L. VII. 94. legendum, ctore Ign. Rossio. Comp. Seneca *Ep.* ult. *Quid est cundum Naturam? Quod contingit et protenus nato, ı dico bonum, sed initium boni* etc. et paullo post: *ominis bonum non est in homine, nisi cum in illo ratio perta est*, etc. et 76. ante med. *Homini suum bonum ratio . Si hanc perfecit: laudabilis est et finem naturae suae igit. Haec ratio perfecta virtus vocatur eademque hotum est. Id itaque unum bonum est in homine, quod unum minis est.* Idem autumat *animalibus pro ratione impetum, ninibus pro impetu rationem esse*, et *Ep.* 121. sub. f. *omne imal primum constitutioni suae conciliari: hominis autem stitutionem rationalem esse et ideo conciliari hominem i non tamquam animali, sed tamquam rationali. Ea im parte sibi carum esse hominem, qua homo sit. — icuique aetati suam constitutionem esse; aliam infanti, am puero, aliam seni. Omnes enim constitutioni conciliari, qua sint.* Cf. *Excurs. VII. ad L. I.* cl. *Acad.* II. 42, 2. ex. Denique disputatum contra Stoicos est, ut λόγως φύσει λογικῇ vivendum sit, mores tamen non nisi gula gubernari posse, convenientiam actionis cum natura ionali iudicante, sine qua omne Stoicorum praeceptum ıne et argumento cassum existimari debeat. Verum tan regulae instar est ipsa *convenientia*, cuius notio nsferenda est in vitam eaque tamquam forma pura vontatis habet eandem legis practicae generalitatem, quam perativus ille categoricus in Kantii *Grundlegung zur etaphys. der Sitten* p. 52. ss. et *Kritik der prakt. Vernft* p. 54. ss. *Actio honesta susceptione prima, non rfectione, recta* iudicatur *Fin.* III. 9, 32. ex. Cf. I. psii *Manuduct. ad Philos. Stoic.* II. 13 — 19. et 22. Ioh. ıdolphi Thorbecke *Responsio* (praemio ornata) *ad quaeonem ... propositam: Principium philosophiae moralis et ficiorum exponatur e Ciceronis operibus philosophicis; ita ut gularum sententiarum pondus et argumentandi ratio diiudiur* (L. B. 817. 4.) c. III. p. 32. ss.

EXCVRSVS IV. AD L. III. C. XIV. §. 59.

Literarum obligatio.

Inter quatuor species obligationum, quae ex contractu sunt, a Iustiniano *Instt.* III. 14. §. 2. ex. memorantur eae, *quae contrahuntur literis;* et ib. *tit.* 22. est *de literarum obligationibus.* Cf. Gai. *Instt. epit.* II. 9. pr. et §. 13. atque Theophil. III. 21. pr. Literarum obligationem, de qua priores scriptores plurimos indicavit Vir, cuius nomen in his literis splendet, ut Phoebus in coelo, S. Rev. et Ill. Haubold in *Instt. iur. R. priv. lineam. L.* III. *sect.* 2. c. 1. *Tit.* IV. ab in. et §. 734. p. 312. ss., antiquo iure civili contineri nullo alio instrumento, nisi *tabulis* v. *codice accepti et expensi*, eiusque formam esse positam in *scriptura* v. *perscriptione*, evicit Fr. Car. de Savigny, Vir Perill., cum illo viro singulari hoc regnum fida societate partitus, cuius elegantissima commentatione „*Ueber den Literalcontract*" ornantur „*Abhandlungen der histor. philol. Klasse d. K. Preuſs. Akad. der Wissenschaften aus d. I.* 1816." p. 293. ss. V. Seneca *de benef.* II. 23. III. 15. A. Gellius XIV. 2. Iustinian. *I.* III. *t.* 22. ab in. *Olim scriptura fiebat obligatio, quae nominibus fieri dicebatur.* Porro *nomen* v. *nomina facere* i. esse q. *nomen* v. *nomina referre in tabulas* v. *codicem*, *expensum ferre*, patet in Horat. *Ep.* II. 1, 105. *Scriptos nominibus rectis expendere nummos*. Debitor autem, qui creditum solvit, dicitur *nomen dissolvere*, *fidem* v. *nomen expedire* (Sueton. *illustr. Gramm.* c. 11. ex.) v. *exsolvere* (Cic. *ad Att.* XVI. 6.) s. *explicare* (ib. XIII. 29.), cum expungitur nomen, ne quid debeat. In Gaii *Instt.* e cod. Veron. *fol.* XXXIII. *b.* 11. s. l. III. §. 137. *in nominibus alius expensum ferendo obligare, alius obligari* dicitur. *Sed absenti expensum ferri potest:* ut docetur ib. §. 138. Ergo literarum obligatio non desiderat debitoris accepti lationem. In *tabulis* v. *codicibus* (*Conto-Current*) omnes negotiationes rationesque pecuniariae perscribebantur ita, ut omnes emptiones venditiones, sive revera factae sive dicis causa fictae, referrentur ob pretium aut datum aut acceptum. *Digestt.* II. *t.* 14. *de pact.* l. 47. ex. Solebant autem debitorum nomina et ceteras rationes primum in *adversariis* perscribere: quibus fere comparari potest libellus, qui nostris mercatoribus dicitur *die Kladde*, Gall. *le brouillon.* Horum, negligenter fere scriptorum lituris passim admissis, auctoritas apud omnes levis et infirma erat. Sed ex adversariis, quae menstrua erant, in codicem referebatur ratio accepti atque expensi omnesque, nomine quovis in ordinem relato, menstruas paene rationes in tabulas transferebant et digerebant, quae sancte servabantur, quippe perpetuae existimationis fidem et religionem amplectentes. Codicem interdum in iudicium protulerunt, tabulas recitarunt.

Verum tamen, suum codicem testis loco recitare, arrogantiae esse habebatur. Locus classicus hac de re est *p. Rosc. Com.* c. 2. et 3. Valebat etiam contra tabb. privatas exceptio non debitae pecuniae, Vnde interdum alias cautiones adiungere solebant, ne falleretur fides. Vid. A. Gell. XIV. 2. Seneca *de benef.* II. 23. III. 15. *Ille per tabulas plurium* (ap. mensariorum) *nomina, interpositis parariis, facit.* Cf. Cic. *ad Att.* IV. 18. sect. 2. Horat. *S.* II. 3, 69. s. Iuvenal. XIII. 136. ss. Argentariorum autem tabulae, ut videtur, statim diligenter in ordinem conficiebantur. Nam *mensae scriptura* v. *mensae rationes* publicam habebant fidem atque auctoritatem: quo iure etiamnum fere mercatores et negotiatores nostri utuntur. V. n. ad II. 84. p. 162. Gronovii *Obss.* IV. 24. Brisson. *de formul.* VI. 110. Salmasius *de fenore trapezitico* et *Lud. Harscher von Almendingen über Urkundenedition und Argentarien* in Grolmani repertorio (cf. supra ad II. c. 23. ex.) T. I. p. 281. ss. cl. ibid. T. II. p. 178 — 182. 213 — 221. Propterea argentarii ab aliis, ut negotia facilius explicarentur et testatio salva esset, adhibebantur tamquam pararii, librarii, actuarii vel tabelliones. Per eos quippe credebantur pecuniae eorumque scriptura fiebant literarum obligationes (Plaut. *Asin.* II. 4, 31. ss.). Ideoque actus sui rationes diligenter conficere debebant, quibus ultro citro dandi accipiendi, credendi obligandi causâ, negotiatio contineretur. *Digestt.* II. t. 13. *de edendo* l. 9. §. 2. l. 10. §. 1. XLVII. t. 2. l. 27, 1. Lindenbruch. ad Terent. *Adelph.* II. 4, 13. Sic ap. Horat. in *S.* II. 3, 75. *Perillius* vel potius *Perillus*, creditor, dicitur *dictare*, qui iubet *scribere* v. *nomen facere* argentarium v. feneratorem, a quo, i. e. cuius de mensa, ipse mutuum daturus est alicui, futuro debitori: quem locum Heindorf, a Scholiastis seductus, obscurasse videtur, non dilucidasse. Hinc perspicitur, cur, cum nomina haec iam non essent in usu nullaeque iam a reliquis patribus familias tabulae conficerentur, tamen haec consuetudo in argentariorum negotiis adhuc retineretur. Paulus in *Digestt.* II. 14, 9. pr. *Expensi latione* in quibusdam negotiis, quae infra indicabimus, obligationem fieri solitam, ex qua certa pecunia peti posset, perinde ac si aut data aut stipulata esset, declaratur *p. Rosc. Com.* c. 5. Sed in primis perspicuus est locus in *Partitt.* 37, 130. ubi ad *ius privatum* referuntur *tabulae, pactum conventum, stipulatio.* Cf. Pompon. in *D.* XXXIII. t. 1. *de ann. leg.* l. 1. Huc pertinet *de tabulis et perscriptionibus controversia* ap. Cic. I. *de or.* c. 58. ex. Creditori non licuisse scribere, nisi quod debitor sibi expensum ferri iussisset, innuitur *p. Rosc. C.* c. 1. *Epistt.* VII. 23, 1. Rite ex una parte usu veniebat accepti latio, ex altera expensi latio, non tamen ita, ut ex his ipsis non satis perspiceretur, tolleretur̃ne an nova fieret obligatio ex debito: quae Savignii sententia nititur fortasse loco Gaii in *Dig.* II. *t.* 13. *l.* 10. §. 3. Sed oppo-

nimus auctoritatem Asconii ad II. *Act. in Verr. l.* I. c. 49. ed. Sch. p. 537. s. testantis, *fuisse in tabulis pecunias certis nominibus inscriptas.* Idem colligas ex *or. p. Flacco* c. 19. pr. Plaut. *Curc.* III. 39. s. Poterat autem non modo ut *novatio* alicuius obligationis haec scriptura accommodari omnibus rebus rationibusque contractis, verum etiam statim ab initio literarum obligatio tamquam fundamentum futurae eiusque novae obligationis adhiberi ad quodvis negotium *conficiendum*, in quo esset certi condictio, perinde, quasi debitori a creditore numerata esset pecunia. V. e. c. *ad Att.* IV, *ep.* 18. sect. 2. Locus classicus est in Gaii *Instt. L.* III. §. 128. cod. Ver. f. X. *b.* 20. *Literis obligatio fit veluti in no*(mini)*bus transcripticiis.* §. 129. (A re in personam tran(*scriptio fit veluti si id, quod ex emptionis causa aut conductionis aut societatis mihi debeas, id expensum tibi tulero.* §. 131. *Alia causa est eorum nominum, quae arcaria vocantur. in his enim re*(rum), *non literarum, obligatio consistit: quippe non aliter valent, quam si numerata sit pecunia; numeratio autem pecuniae* (cod. *pcie*, in quo compendio, non erat, quod Savigny offenderet; nam *e* pro *ae* frequentissimum est) *iure naturali facit obligationem. qua de causa recte dicemus, arcaria nomina nullam facere obligationem, sed obligationis factae testimonium praebere.* §. 133. *Transcripticiis vero nominibus an obligentur peregrini, merito quaeritur, quia quodammodo iuris civilis est talis obligatio.* Ergo literarum obligatio antiquo iure civili fiebat expensam ferendo pecuniam, non numeratam ex area, sed quasi numeratam, i. e. debitam ex quacumque alia causa, e. g. empti, ut h. l., cui comp. gemina exempla *p. Caes.* c. 6. et in Plauti *Asin.* II. 4, 30. 34. *Scripturae* proprietatem ab aliis instrumentis diserte distinxit Gaius l. c. §. 134. *Praeterea literarum obligatio fieri videtur chirographis et syngraphis, id est, si quis debere se aut daturum se scribat; ita scilicet, si eo nomine stipulatio non fiat. quod genus obligationis proprium peregrinorum est:* in quibus exponendis errorem Savignii animadvertisse videmur: quem corrigentibus nobis veniam dari volumus. Confundit nimirum V. Summus in comment. laud. p. 305. *chirographa* et *syngraphas.* At vero vv. *si quis debere se scribat* referri debent ad sola *chirographa*; ad *syngraphas* autem haec, *daturum se.* Nam diserte duplicem Graecae illius obligationis formam agnoscit Asconius *ad L. I. in Verr.* c. 36. et perspicuis verbis distinxit. Scilicet in *chirographis*, quae a solo creditore servabantur, tantumdem huic cautum esse a debitore, quantum ei creditum esset. Exemplum habetur in *Digestt.* XII. 1, 40. pr. *In syngraphis autem, etiam contra fidem veritatis pactiones pecuniarum venire solebant*, ita, ut debitor plus, quam accepisset, atque etiam si nihil deberet, daturum se scriberet. Exemplum habetur ap. Appuleium *de Magia* p. 80. ed. Bip. Propter hanc iniquiorem debitoris conditionem *syngraphas*,

signatae utriusque manu, utrique parti servandae tradebantur: ne scilicet creditor syngrapham falso corrumpere posset neue ante diem petere pecuniam. Atque etiam, ne debitores a feneratoribus circumscriberentur, teste Cic. *ad Att.* V. *ep.* 21. sect. 8. *e syngrapha ius dici lex Gabinia* (fenebris) *vetabat* v. plane, ut nostri Regis Serenissimi FRIDERICI AVGVSTI sapientia atque aequitas vetuit ius dici e cambiis aliisque chirographis quarentigiatis, quibus se Christiani homines Iudaeis debitores scripsissent, nisi id publice interposita magistratus v. iudicis auctoritate et fide factum esset. Solebant enim feneratores Iudaici, ludificatis legibus, improbum atque prohibitum lucrum captare nefariis machinationibus, cum in cambiis aut chirographis multo maiores pecunias, quam mutuo dedissent, sibi perscribendas curarent, ipsi nomina invalida, merces, utensilia, ornamenta minimi pretii in pecuniae numeratae loco darent eaque pretio immodico, summas perscriptas maiores postea se suppleturos pollicerentur, sed nunquam solverent, in prorogandis mutuis nova chirographa, usuris ad sortem computatis, adiectis proxeneticis, a debitoribus extorquerent multisque aliis modis eorum angustiis abuterentur, quos adversa fortuna carnificinae ipsorum tradidisset, atque deinde, his instrumentis prolatis, sine ulla revera factae numerationis probatione processu executivo extorquerent, quae omnino non aut saltem non eo modo, quo scripta erant, iis iure deberentur. Vid. Car. Fürchteg. Meissneri, V. Cons., *Quaestt. in legem Sax. nov. ad usurariam pravitatem Iudaeorum in cambiis aliisque chirographis nec non cessionum documentis, quae a Christianis praebentur Iudaeis, magis circumscribendam, Calendis Aug. a. MDCCCXI. latam.* Lips. 821. 4. Haec tetigimus propterea, quod comparatio, ut aiunt, illustrat. Nam fere eadem *syngrapharum* fuit ratio.

LECTIONES MS. BERNENSIS.

Hic codex satis antiquus, de quo v. n. ad III. 3, 13. ex., videtur partim, alio dictante, scriptus esse aut certe ex aliquo libro sic scripto fluxisse. Nam passim scriba non oculis, sed auribus, quas pronunciatio fefellisset, vitia arripuit. Sic ubique scribit *his* pro *iis* vel, ut II. p. 129., pro *is*, item I. 89. 108. p. 251. *hisdem*, §. 91. *hisdemque*; p. 252. *erculis*; III. p. 193. *honus* pro *onus*. Contra I. p. 14. *phyrronis*, *erilli*; p. 95. v. 4. *era*; II. p. 48. *utere his* pro *ut heris*; p. 87. §. 45. *his simul*; p. 146. *annis sunt*; I. 7, 21. ex. *quis ibi* pro *qui sibi*; 27, 56. pr. *adesse* pro *ad se*; §. 111. pr. *sic quicquam*; p. 244. *clytemestram* — *anthiopam*; II. c. 7. ex. *leutricae*; §. 86. *tirius*; III. §. 4. *affricanus*; p. 194. *quamtum coniti*. Saepius *Possidonius*. In multis conspirat cum *Gud.* *oo.* (i. e. omnibus), *Goth.* ed. s. l. et a. *Lipss.* et *Gryphii*; separatim cum *Gu.* 1. I. 31, 114. p. 244. III. 52, 144. pr., *Gu.* 2. I. 22, 76. p. 178. II. 6, 21. p. 44., cum eod. et 5. III. p. 401. n. 2. pr., *Gu.* 4. et a I. 24, 82. p. 188. n. 2. pr.; in singularibus vitiis cum *Palat.* 2., ut III. c. 32. pr.; in vera lectione cum optimo *cod. Balduini* I. 9, 28. p. 64. cum ed. Anemoecii I. c. 12. pr.; in alia memorabili varietate cum *Parcensi* C. Langii I. 22, 75. ex. p. 174. s., cum *Tertii* libro, Aldinorum antiquissimo I. 45, 159., cum *V. L.* *ap.* *H. Wolf.* I. 20, 67. p. 157., cum *Ven.* 554. I. 37, 133. Firmat lectionem, e coniectura receptam II. 3, 13., a prima manu. Exhibuimus putida diligentia, ut elegantioribus lectoribus videbitur, sed compendiose, etiam striblígines eas, quae ad coniecturam quamvis inanem ducere possint aut depravationum, modo solennium, modo satis mirarum, exempla sint. Lectiones receptas uno asterico * notavimus, adhuc restituendas duobus **, futiles uncis [ ]; reliquas nude, aut coniectura addita, proposuimus. Subiecta verbis lit. *d.* significat, deesse illa in codice, cuius lectt. Cel. Bremio acceptas ferimus.

De Officiis Liber primus.

[*Ad Marcum filium* d.]

C. I. §. 1. p. 4. [*et ad discendum* cum al.] — §. 2. p. 5. [*utrique s. et p. volumus esse*] — * *efficies profecto* — P. 6. [*hoc arroganter*] — P. 7. *ornate* * — §. 3. * *illis fere* — *V. e. maior est in i. d.* — §. 4. [*genus forense*] — [*quae a Platone* desunt.] — P. 10. [*et socrate*].

C. II. *ordiri maxime volui* — * *in eoque et colendo* — *negligendo* — §. 6. *velint esse* — [*ab his, qui solam, aut b his*] — P. 14. [*dilectum*] — P. 15. * *Sequimur* —.

C. III. p. 18. [*confirmari p.*] ** *S. g. huiusm. exempla.* *sunt* non adest, nisi supra versum scriptum. — P. 19. *et quae sint*] — §. 8. [*quoniam Graeci* k. Fortasse *quod* lossatori debetur. Sed 19, 65. p. 152. confunduntur *quod* t *quoniam.* Cf. I. p. 27. n. 2. — P. 21. [καθῆκον d.] — *l officium perfectum* — §. 9. [*Nam aut honestumne*] — P. 2. *Tum autem aut inquirunt* — [*iocunditatemque.* Sic cribitur ubique, ut c. 17. ex. *iocundissima.*] — [*conducat ic necne*] — §. 10. p. 24. * *quinque partis* [Superscriptum *artibus*].

C. IV. §. 11. p. 25. *declinet ea* — [*videantur, omniaque quae sint ad videndum n., inquirat*] — P. 26. *Commune autem* * — [*procreata sint*] — P. 27. [*paulum annmodum.* Sic ubique scribitur *paulo* et p. 281. *ammittenda.*] — [*praegressus*] — §. 12. p. 29. [*parare et quae s. ad*] — §. 13. p. 30. *ad beate v.*] — P. 31. [*bene informatus a natura*] — §. 14. p. 32. [*conservandam*].

C. V. §. 17. p. 40. *est adhibenda* —. C. VI. p. 41. [*turpe dicimus*] — §. 19. p. 43. [*fit intermissione*] — P. 44.* *versabitur.*

C. VII. §. 20. p. 46. *Cuius partes duae: iustitia* ** — [*et splendor est*] — [*beneficientia*] — §. 21. *vetere* * — P. 49. [*e quo si quis ibi appetet*] — §. 23. [*Fundamentum autem est*] — P. 53. [*ab his quibus*].

C. VIII. §. 25. *in his* — P. 57. [*vituperanda est*] — §. 26. * *inciderunt* — P. 59. * *servare sanctam s.* — P. 60. [*divina et humana*] — §. 27. p. 61. *sunt ea* —.

C. IX. §. 28. p. 63. *pro nihilo putent* * — [*alterum iustitiae genus*] — * *in inferenda* — P. 64. * *ne ad rempublicam quidem* — §. 29. p. 66. *nec facere* — * *genere iniustitiae* — [*Quando igitur.* Eadem e compendio confusio §. 120.].

C. X. §. 31. *reddere depositum etiam ne furioso.* Duo postrema vv. deleta sunt ab alia manu. — * *fit iustum* — P. 70. *posui principio* — §. 32. *ypposito filio.* Sic transponunt etiam Gu. 1. 2. 3. 5. et Gryph. Nescio, an nomen glossatori debeatur. V. ad III. 94. p. 561. — P. 72. [*his quibus promiseris*] — *tibi ea noceant* — §. 33. p. 76. [*Indutiae factae*] — P. 77. [*verum est fabium*] — *habeo praeter auditum* — [*locutum ne*] — * *appetenter* — P. 78. *in omni est re fugienda* cum Gu. 1. 2. Sed 5. *est fugienda.* An *est* insiticium?

C. XI. §. 35. [*hi qui non*] — P. 83. [*cum his quos — tum hi qui — ut hi*] — §. 36. p. 85. *popilius* * — P. 86. *si eum patitur* cum Gu. 2. In 4. est *patiatur.* — *eum obliget* — §. 37. *est epistola* —.

C. XII. *etiam illud,* ut §. 83. pr. — *rei tristitiam mitigatam* * — P. 88. [*aut status dies*] — P. 89. [*eo quocum*] — P. 90. [*efficit iam*] — §. 38. p. 94. vs. 1. ** *lederitis.* Irrepserat sphalma typogr. — P. 95. v. 5. * *accipe* —.

C. XIII. §. 40. Tota haec sectio d. * — §. 41. p. 105. [*tum, cum maxime*] — ** *De i. satis dictum*, non adiectio *est*.

C. XIV. §. 42. *ac de liberalitate* * — P. 106. [*his ipsis*] — P. 107. *aliena*. Sed videtur fuisse *alienam*, ante erasam *m*. §. 43. [*ut nihil magis officio* d. A correctore superscriptum est *nihil, nisi ut*]. — *L. Sillae C. Caesaris*. Tale asyndeton est II. 69. — §. 44. [*locus erat*] — §. 45. [*dilectus*].

C. XV. §. 46. [*sed cum his*] — [*hac ipsa*. Lit. *h* erasa est.] — *bonum virum* — §. 47. [*benivolentia*. Sic ubique.] — *diligamur* —. §. 48. p. 116. [*an imitari*] — [*afferunt*] — §. 49. *vel morbo in omnes*. Legi posset: *sine iudicio, velut morbo, in omnes, vel* etc. Sic concinne respondebit *quasi vento*. V. ad III. p. 249. n. 2.

C. XVI. §. 50. [*naturae principia*] — P. 122. [*sunt autem*] — §. 51. p. 125. v. 5. [*ipsi ut luceat*] — *praecipit* — *commodari possit* — §. 52. * *si qui velit* — [*his utilia*].

C. XVII. §. 53. [*ab illa infinita* d.: *propior*; sed *r* deleta est.] — §. 54. p. 129. * *libidinem* — [*domus, cui sunt communia*] — P. 130. *et benivolentia* d. *homines caritate* — §. 56. [*adesse allicit*] — P. 133. [*eadem voluntates, in iis*] — [*Pytagoras vult*] — §. 58. *tribuendum sit officii* — P. 137. [*spectat nos*. Superscriptum *in*] — [*propinqui* non legitur nisi superscriptum.] — [*his maxime*].

C. XVIII. §. 59. p. 139. [*ducendoque*. Superscr. *discendoque*] — §. 60. p. 140. ** *exercitatione*. Corrigatur sphalma typogr. — [*ab his rebus*] — §. 61. *Intelligendum autem est* — P. 144. [*marthathone*] — [*thermophylis, leutris stercocles*].

C. XIX. §. 62. *non modo enim* * — [*probe* legitur *modo* superscriptum. Definitio fuit: ἀρετῆς ἐνθουσιασμὸς ὑπὲρ τῶν καλῶν καὶ δικαίων ἀγωνιζόμενος. Plutarch. in *Caton. Min.* c. 26. ex.] — §. 63. *Non, inquit, solum* cum Gu. 2. 4. Delendum v. *inquit* **. V. ad III. 42. — * *ab iustitia* — * *simplicis* — §. 64. p. 151. [*enim est*] — §. 65. *altissimo animo et gloriae cupidus est* — P. 152. [*quoniam vix*].

C. XX. §. 66. p. 153. [*aut expetere oportere* d.] — (*cum vitae tum m. r.*] — §. 67. [*omnis amplitudo*] — [*in posteriore est*] — P. 164. *viros in priore* * — P. 155. * *est enim* — [*et si solum*] — P. 156. * *ab omni* — P. 157. *hoc robusti animi est*, ut Facc. ed. cum H. Wolfio in *V. L.* — §. 68. p. 159. [*Gavenda etiam est*] — §. 69. *V. autem omni est* * — P. 166. [*cum cupiditate*] — P. 161. [*voluptate animi*] — *tranquillitas animi* *.

C. XXI. §. 70. *cum his quos* — *contemnenda sententia est* * — P. 164. [*gerendas* d.] — §. 71. [*et his* — *at his* — *his non modo non*] — §. 72. [*Sed his*] — *nihil minus* — P. 169. *humanarum, quam saepe dico, et* — §. 73. p. 170. * *maiorque cum efficiendi* —.

C. XXII. §. 74. *quaesiverunt* cum al. ** — *extiterunt*, ut ubique. — §. 75. p. 174. *at illo verum est esse adjutum* — §. 76. [*dilatatum* d.] — P. 176. [*lygurgi l. et disciplina*] — P. 177. *enim sunt f. a., nisi est* — P. 178.

exscindenda — P. 179. [*sed attingit etiam*] — §. 77. *urea laudi* — P. 181. [*nonne* d.] — * *periculum in r. p.*—
C. XXIII. §. 79. *in exsequendis* — §. 80. p. 186. [*fortis ro animi*] — [*deici*] — 81. [*et aliquando*].
C. XXIV. §. 82. [*crudeliter.* Glossator superscripsit *fiat*] — [*Idque magni viri*] — P. 189. [*qui humanis rebus*] — [*callida et quietis et cogitationis splend.* Supra versum ascriptum it *consiliis*] — §. 83. *illud etiam*, ut c. 12. pr. — *esse nihil otest* cum Gu. 1. 2. Alii aliter transponunt. An *esse* lossa accessit? V. Schelleri Lex. in v. *Possum* p. 8180. x. — P. 190. [*partim his*] — §. 84. *sed etiam vitam* cum uu. oo. et Goth. An part. insiticia? Cf. V. L. infra ad I. 2, 7. p. 18. — *arginusis* * — P. 192. *mediocris*, superscripta glossa *fuit.* — P. 194. [*Non enim rumores ponebat*] — *etsi optimum.*
C. XXV. §. 85. *ne, dum.* Scrib. *neue* **. V. ad III. 2, 6. . 194. — * *eorum utilitatem* — *sed etiam pestifera* cum uu. An part. insiticia? Cf. V. L. ad §. 84. — P. 197. *que mvis*] — §. 87. [*omnino est ambitio*] — §. 88. p. 200. *punit*] — §. 89. [*in* d. ante *puniendo*] — P. 202. [*hi qui*].
C. XXVI. §. 90. [*ad voluptatem;* sed correctum est *ad oluntatem*] — [*magnopere fastidium arrogantiamque fug.*] — §. 92. [*res esse maxime a. ab his*] — P. 207. [*bene parata*] — P. 208. [*beneficentiae pareat*] — [*et fideliter vera ominum*].
C. XXVII. §. 93. p. 210. [*prepon dicitur decorum*] — . 96. p. 214. *decorum velint esse* *.
C. XXVIII. §. 97. *possumus existimare* cum Guu. et dd. vett. — §. 99. p. 219. *vis perspicitur* cum Gu. 3. 4. Goth. — §. 100. *hanc primum* * — [*sequamurque et id*] — . 101. [*faciendum fugiendumque*].
C. XXIX. §. 102. p. 222. [*animi perturbatione*] — §. 03. [*fortuito*] — P. 225. [*ingenium et f. e. d. Vt e. puris*] — [*honestatis actionibus*] — §. 104. *multorum facete ut ea.* Superadditum *dicta sunt.* — P. 226. [*F. igitur est*] — [*fit t si remisso animo homine libero d.*] — [*turpitudini adhietur verb. o.*].
C. XXX. §. 105. *inquirit* — 106. *considerare volemus* — §. 107. *Intelligendum etiam est* — P. 231. *communis est* um Guu. et Magont. — *existunt maiores etiam* * — §. 108. *n L. Crasso in* — P. 232. [*ironiam*] — ** *nominarunt* cum Gu. 2. 4. — P. 233. *periclem* — *praeripere.* Cf. Plat. *Polit.* . c. 8. p. 354. A. τὰ τῶν πολεμίων κλέψαι βουλεύματα, ubi v. ll. Ast p. 344. — P. 234. *eius vita.* — (Deinde e Pal. 1. t ed. Pen. 498. scribendum *furere simulavit* **. V. ad III. 18. v. 3.) — §. 109. [*Syllam*] — [*Callicratidam*] — *classis* * — P. 235. [*alium quemque quamvis*] — [*et in patre et ilio* cum Gu. 5. Prior etiam praepos. d. in Goth.] — P. 236. [*ne Xenocratem*].
C. XXXI. §. 110. [*nostrae naturae* d.] — P. 237 *naturae epugnare* cum al. — *nequeas.* — *Minerva, ut aiunt* cum Gu. 1. 2. 4. 5. — §. 112. *alius debeat* — *in eadem causa* l., ut in uno Guil. alteroque Ox. — * *alia ceteri* — P. 239.

[*Catoni eum incredulem*] — P. 240. *aspiciendas* * — §. 113. p. 241. [*esse se*] — P. 242. [*veniret*] — * *milies* — §. 114. [*quisque igitur n. ingenium*. Vltimae v. superscriptum est *suum*] — P. 244. *melanippam* * — [*nam saepe*] — P. 245. [*sapiens vir*] — *in hic potissimum* —.

C. XXXII. §. 115. [*his personis*] — P. 247. [*nobilitatem, h., divitias*] — §. 116. [*hi student pl. eorum in*] — P. 249. [*hi qui*] — §. 117. p. 250. *quid optimum* cum H. Wolfio et Pearcio. — §. 118. [*namque herculem dicit*, cui superscriptum *Socrates*] — *eligendum* — P. 252. *non idem* — * *parentium* — *ea* c. ante *maxime exoptant*.

C. XXXIII. §. 119. [*genus* non adest, nisi supra versum ascriptum.] — *excellente* cum al. — [*rei ornata*. Gu. 1. *utriusque rei ornatu*] — *spatium etiam* cum al. — [*ex eo quo q. natus est*] — *rei* d. — * *perpetuitate vitae* — [*in nullo*] — §. 120. [*quando*. Correct. *quoniam*] — [*in diligendo g*. Ab al. m. corr. *del.*] — P. 254. *suae* d. — P. 256. [*diluere* cum al.] — §. 121. *filius Africani* cum Gu. 1. 2. 3. 5. et ed. Magont. **. V. ad II. p. 47. 406. s. — P. 257. [*nefas et vitium*].

C. XXXIV. §. 122. [*vellent*; sed correctum *velent*] — [*eiusmodi quidem ... nolint interesse*] — §. 123. [*langor*] — *etiam libidinum*. Gu. 3. 4. 5. et Beda part. *etiam* repudiant **. — [*accessit*] — *dedecus concipit*, quo chiasmo et Guu. et Beda atque Eyb. — §. 124. * *de civium* — P. 260. *solemus et sentire* h. c. *et dicere* cum Goth. et Gu. 1. 2. 3. 5. — §. 125. * *atque incolae* — *de alio inquirere* — * *esse in aliena* —.

C. XXXV. §. 126. *factis dictis* * — P. 262. [*his quibuscum*] — P. 263. [*habiturae atque formam eas*] — §. 127. *actio aperta* — §. 128. p. 265. [*ea, quae turpia n. sint, verbis f. dicamus*] — *quae turpia sunt* ** — P. 266. [*accubatio*] — *teneat* — §. 129. p. 267. [*ut his haec*] — P. 268. R. *igitur est*—.

C. XXXVI. §. 130. *sunt saepe* cum Guu. — *ineptiis non vacant et in utroque* — ** *A. praeterea munditia est* cum Gu. 1. 2. 3. 4. et ed. Gryph. — P. 269. ** *ratio habenda* — §. 131. *cavendum autem est*.

C. XXXVII. §. 132. [*sequantur etiam*] — [*haut scio*. Sic ubique.] — [*sunt nonnulli*] — [*quamquam quoniam verb.*] — §. 133. *quod fuit in Catulis* cum Ven. 554. — P. 273. *in illo ipso* cum Guu. et edd. vett. oo. — §. 134. *Sit ergo* * — P. 274. [*cum reliqui sint robusti in sermone*] — §. 135. [*neque enim isdem de r.*] — [*destinendi modus*].

C. XXXVIII. §. 136. [*Sed quoniam in omni*] — P. 276. *sermonem conferemus* * — *id agendum e., ut ea* * — §. 137. [*ut severitas*] — P. 278. *esse susceptum* cum Guu. et H. Wolf. — * *pellere* — *ea nec constanter f. p. neque* (*) *his qui adsunt* — *de se ipso* *. Sed correct. *ipsum* —.

C. XXXIX. §. 138. *commoditatis dignitatisque* cum Guu. Gryph. Bald. H. Wolf. et Pearcio. At cf. p. 281. s. — [*in palatino*] — P. 281. *etiam et calamitatem*. §. 139. *O. enim*

st — cuiusque generis multitudo, adh. e. est — P. 282. * dedecori s. d. sit cum Goth. transponente domino saepe. ia. Corruptelae locum dederunt seqq. Indicativi. — [antiqua et quam] — §. 140. Sunt post imitati non legitur, nisi superadditum. Abesse velim. — * omnem usum — §. 141. ** De huius §. νοϑείᾳ v. Exc. I. ad L. II. p. 424. s.) — . 284. [moderanda].

C. XL. §. 142. et de opoitunitate (sic ubique) temp. —. [Hac autem scientia continentur] — * non hana — P. 86. rerum earum — §. 143. ** et harum similibus cum ui. 2. 3. 4. 5. Goth. Vrsini et Fabric. codd. — P. 288. loquitur: e qua stribligine Sch. coniecturae suae auctoritatem quaerere poterit.] — §. 144. p. 289. [convivio digna] — '. 290. ut si qui cum causam sit — at hoc quidem — §. 45. * si qui in — apparet n. m. ammonitionem et p. desierat cum Gu. 1. 2. — P. 291. ab his est — ut infidelius (correct. in fidibus) aut tibils. Praepos. in posteriore loco elet etiam Pearce cum Gu. 1. 2. 3. 4. et Gryph. ** V. n. ad . 155. ex. — [a sciente eum animadv. Cf. V. L. infra ad I. 10, 36.]

C. XLI. §. 146. [animadversoresque cum al.] — obtutu uperci1. cum Gu. 1. 2. 3. 5. et edd. vett. — P. 292. * quidque — * vitemus ipsi — §. 147. [de qua causa quisque entiat] — [et hi qui] — P. 294. et ab aliis — §. 148. * gentur — [de his nichil. Sic ubique, ut al. michi.] — arbitrentur; sed correct. arbitretur, item in Gu. 5. E 1. et). plurium numerus defendi certe possit. Vid. V. L. infra id II. 11, 39. ex.] — §. 149. [merentes aliquo] — [his qui] — [dilectum].

C. XLII. §. 150. [hi quaestus] — P. 296. inliberales — omnium] — * in illis — P. 297. [est quicquam t.] — nec quicquam i. habere potest. Al. pro enim substituunt vero. Vtraque part. glossatori deberi videtur ** — §. 151. p. 299. [eae sunt his] — P. 300. ** impertiens, non admodum v., superscripto est, quod delendum. Sic etiam paullo post cum Gu. 4. legerim nihil agri cultura melius **. — se in agros — * contulit — [nihil homine, nihil libero].

C. XLIII. §. 152. [sed ab his] — P. 301. haec cum Gu. 3. 4. Lugd. 527. — §. 153. ut omnium cum al. — [quamvis omnia] — P. 303. et humanarum —.

C. XLIV. §. 155. [lysias] — P. 307. * atque doctrina — §. 156. est praetermissus ab his. Gu. 4. locus est ullus pr. — prudentiam intelligentiamque cum Gu. 4. Goth. Vin. edd. vett. — [ob eamque etiam c.] — §. 157. apium; sed correct. apum — P. 310. [remota comitate].

C. XLV. §. 159. p. 312. ne res publ. quidem — [haec commodius] — §. 160. p. 313. sequetur cum Gu. 1. et ed. s. l. et a. — P. enim locus est cum Gu. 1. (qui substituit autem, 4. enim excludente) 2. 3. 5. — difficile sit cum Gun. — §. 161. [duobus d.]

M. Tullii Ciceronis de Officiis liber primus explicit. Incipit secundus.

C. I. §. 1. *tum ex utilibus* .... *utile* d. — §. 2. [*in ipsam*] — P. 11. [*essem c. nisi his*] — §. 3. *commodiorum q. e. rerum* * — §. 4. [*molestias* d.] — P. 13. [*temporis*].

C. II. §. 5. [*erant satis* cum Gu. 2. 3. 4.] — [*quid enim est* cum al., ut *est* paene suspectum fiat] — [*qui expectant*] — * *praeter studium* — P. 15. *eae res* cum Gu. 3. — §. 6. [*requies curarum*] — [*inquirunt*] — §. 7. [*hi quorum*] — * *quid sequatur* — P. 18. [*sed etiam vivendi*] — * *contra alia dicimus* — §. 8. *probabilia mihi* cum Gu. 2. 4. 5. — P. 19. [*disputantur a nobis*] — [*posset*] — P. 20. [*his simillimo*].

C. III. §. 9. * *pertinerent* — P. 21. [*in quo verbo lapsa*] — [*secernens constitueret* cum Gu. 1. 3.] p. 22. *esse honestum* cum 1. 2. 3. 4. — §. 11. * *inanima*. Superscr. *inanimata* — * *generis eiusdem* — [*quarum opera* cum al.] — *ad usum hominum* * — P. 25. * *ponunt* — §. 12. *earumque item r.* — P. 27. * *accessisset* — P. 28. [*reliquorumque; sed que* erasa est. Tota vox d. in Gu. 1.] — § 13. *ex terra* cum Gu. 1. 2. 4. — * *argentum, aurum;* sed correct. *aurum, arg.*

C. IV. §. 14. *hominum opere* * — [*his quae sint inanimae*] — P. 31. [*capere potuissemus. quid denique* — §. 15. [*quid enim aegris*] — [*tantum destitit* cum al.].

C. V. §. 16. p. 36. * *sunt;* sed correct. *sint* — §. 17. p. 37. *quae in tractatione*. Copula *que* non adest, nisi supra versum ascripta. — [*virorum praestantia*] — §. 18. p. 38. [*phatos nominant*] — [*his quibus congregemur*. Non leg. *cum*, nisi superscriptum].

C. VI. §. 19. [*eamque*] — §. 20. p. 42. *et singularis* cum Gu. 1. 2. 3. 4. ut in *Bruto* c. 85. — P. 43. * *fortasse* cum Guu. Goth. Vin. ed. vett. etc. — §. 21. p. 44. [*ad ea confugere* cum Gu. 2.] — §. 22. *his de rebus* — P. 45. [*promissionisque*].

C. VII. §. 23. p. 47. *civitas apparet cuius maxime portui*. Eodem fere modo h. l. in Gulielmii MSS. corruptus est. — P. 47. * *valet* — *talem interitum* — *M. enim est* — P. 48. * *fidelis vel* — §. 24. [*Sed his*] — * *potuit esse* — *sint demersae* cum Guu. quatuor. — §. 25. p. 51. [*traciis districto*] — [*telum occultarentur*, erasa lit. *n*. Eodem modo transponunt Guu. oo.] — [*stigmatum*] — * *fefellit*, superscripta glossa *timor*.

C. VIII. §. 28. *ac perditis* cum Gu. 1. 3. 4. 5. ed. Magont. Gryph. — P. 57: [*Transalpinis bellis*] — * *uno quicquam sol* — §. 29. p. 59. [*L. sylla*] — P. 60. * *modo urbis* — [*hique ipsi*] — [*iuste imperanti*] — P. 61. *facillime possimus* c. Gu. 1. 2. 3. 4. — §. 31. [Interpungitur post *civium*.] — *cum* (ut in Gu. 3.) *ad cetera tum amicitias*, altera praepos. *ad* modo superaddita.

C. IX. §. 32. p. 65. *capitur beneficiis* c. Guu. 'Goth. Magont. ed. s. l. et a. Ven. 498. Lugd. 527. — * *voluntate benefica* — [*autem* d.] — P. 66. [*ex his quas*] — §. 33. [*Nam et his*] — *bonis viris* cum Heus. et MSS. in nota laudatis; sed *viris bonis* est in MSS. quibusdam ap. Verburg. et in edd. Gryph. et Bald. — [P. 67. *sit* d.] — §. 34. *nihil valet* c. Gu. 1. 2. 4. 5. et edd. vett. — P. 68. * *callidior hoc* —.

C. X. §. 35. p. 70. * *viros bonos* — [*prudentes esse d.*] — *cum loquamur* cum Gu. 1. 4. edd. vett. — §. 36. [*ab his*] — [*suam cum animadverterunt.* Gu. 4. pron. abiecit, nescio an inde, quod corruptum esset in *eum.* Quamquam I. c. 40. ex. peccatur similiter.] — P. 71. * *perspicere virtutes* — [*hi qui*] — §. 37. [*admiratione autem afficiuntur*] — P. 72. [*his vitiis*].

C. XI. §. 38. p. 76. [*benivolentia*] — §. 39. [*quidem* d.] — * *habeat* — * *possit* — P. 77. [*habebunt, iniusti habebuntur et*]. Videtur autem, etiam si a *solitario homine in agro vitam agens* non distinguatur, tamen nomen collective positum recte cum verbo plurali iungi. V. Ast ad Plat. *Plit.* c. 16. p. 370. Cf. V. L. supra ad I. §. 148. ex. — §. 40. [*Atque his*] — P. 78. [*ni aequabiliter*] — [*bargullis illyricus*] — P. 80. * *et in* —.

C. XII. §. 41. [*in otio multitudo*] — P. 81. [*ab his qui*] — [*cum infirmis p. i. per tinebat*] — §. 42. * *est quaesitum* — * *erant eo* — [*cum ipsa per sese*] — P. 83. * *verum etiam* — §. 43. P. 85. [*a bonis*] — [*nomen optinent*].

C. XIII. [*veram iustiae gl.* cum al.] — * *in libro* — §. 44. *quales sumus* * — P. 87. [*hi qui*] — §. 45. *Prima est igitur* * — §. 46. *opera sunt* cum Gu. 1. 2. 5. ** — *eae res* c. Gu. 2. 3. Beda, ed. Magont. Lugd. 527. Gryph. — *persequimur. gratiores* * — *parentes in suos* * — P. 91. *fore se similis* —.

C. XIV. §. 48. [*non est quidem* cum edd. vett.] — [*dictum est, quanto pere*] — * *animos comitas* — P. 94. [*antonii ad*] — [*appellando sermone deliniant* cum al.] — [*excitat gloriam*, volgato glossemate.] — P. 95. [*mixta modesta.* Gu. 3. *cum modestia.*] — §. 49. *quae c. desiderent* c. Gu. 1. 2. 3. — * *est admiratio* — *et ex defensione.* Exc. Pith. etiam statim ante *et ex accusatione* — *tamen etiam* — §. 50. [*rei p. causa ut duo luculli aut patrocinii*, volgata lacuna] — P. 97. *pro M. Albucio.* Corrector delevit *pro* — P. 98. [*etiam manilio L.* cum al.] — [*ut non saepe*] — §. 51. *item est habendum* cum Gu. 2. et Nonio ll. cc. **. Gu. 1. 3. Beda atque Eyb. *est* post *fugiendum* omittunt. — [*aliquando et nefarium* cum al.]

C. XV. §. 52. *beneficientia ac de liberalitate* — §. 53. [*bene faciendum a. h. dein c. beneficientiae partiores*] — *in epistola* — [*rationis.* Correct. *ratio*] — P. 103. [*et praebitorem putent quia sordidum*, volgata lacuna.] — *dixit esse* * — §. 54. p. 105. *ceperunt alienis manus.* Sic I. 14, 42.

ex. *alienn* absolute dicuntur et in Plat. *Polit.* I. 16. p. 344. B. τάλλότρια ἀφαιρεῖσθαι. — §. 55. * *res est f.*

C. XVI. [*prodigi dicuntur* cum Gryph.] — §. 56. [*collocationem* c. Gu. 1. 2.] — [*apparitione*] — P. 108. *aristotecles.* Lit. *c* deleta. — [*deliniendam. at hi*] — *cogerentur mina* cum Gu. 1. 2. 4. — * *neque necessitati* — *multitudinis ad*, omisso v. *sit* et cum al. et cum Gryph. qui transponit *tempus exiguumque*, ut Aldus, qui adiicit *sit*, quod alii ante, alii post *tempus* transponunt, aliis substituentibus *est* vel *duratura sit* vel *durat* vel *permaneat:* quae turbae excusabunt fortasse coniecturam *capiatur*, i. e. *percipiatur.* — §. 57. * *quae fiant* — *iam bonis s.* — P. 57. [*lucullus* cum Lugd. 527. et Gryph.] — *pompei* *.

C. XVII. §. 58. *suspicio est* * — P. 115. * *in caritate*, excluso G. *annonae* — P. 116. *qui gladiatoribus* — §. 59. *quae habentur* cum ed. s. l. et a. Lips. 507. 513. — P. 118. [*modo* d., sed superscriptum leg.] — §. 60. *quamquam enim quod* — P. 120. [*in his libris quos*] — P. 121. [*et tum ipsum et*].

C. XVIII. §. 63. p. 123. [*quorum memoriam.* Tum certe scr. *prodant.*] — *ut his* cum al. — * *est utilis.* Sch. cum Ern. *utilis est* — *longe* d. ut in al. — §. 64. *aequum facilem.* Idem ἀεὐθετον in Gu. 1. 2. 3. 4. — P. 125. *de suo iure* cum Guu. Beda Eyboque. — *ratio est* * — *delabi* cum al. — P. 126. [*nimirum est*] — *domus* * — [*hospitibus illustribus*] — P. 127. [*his qui*].

C. XIX. §. 66. p. 130. [*in tota dignitate* cum al.] — §. 67. p. 131. *omnes non possint.* Hanc volgatam lectionem non recte indicaveram. Cf. *Cat. Mai.* 5, 1. — *iudicibus magistratibus.* Quis primus inseruerit *et*, quam Beda et Gryph. in *aut* mutant, nescio. — §. 68. p. 132. *animadvertant* cum al. — * *debent* — * *id, quod violatum.*

C. XX. §. 69. p. 134. — *aut postulari aut* — P. 135. * *aut clientes* — §. 70. *putant.* Ald. 561. et H. Wolf. *cum quid factum sit ... putans.* Placet Participium, si deleatur *cum*, ut I. 144. p. 290. — §. 71. [*omni genere*] — P. 138. *danda ne* — *F. enim est ... famae iustitia.*

C. XXI. §. 72. [*de his quae*] — P. 139. *D. opera est* * — P. 140. [*octavii et rei publicae salutaris*, reliquis in medio omissis.] — §. 73. p. 141. [*oratio est ad* cum al.] — P. 142. *tenerentur* cum al. — §. 74. [*sinque necessitas*] — P. 144. *malo enim alii quam* — §. 75. *reservavisset* cum Gu. 4. et Graevio. — [*si* ante *quando* d., ut volgo.] — P. 146. [*repetendis*] — *lata lex est* *.

C. XXII. §. 76. [*laus sapientiae* cum al. Sed v. *l. l. in Verr.* c. 21. et *Cornelian.* I. fragm. ed. Schütz. XVI, II. p. 28. e Quinctil. IX. 4. et Priscian. X.] — *in aerarium tantum pecuniae* — P. 149. *domum suam intulit praeter m. n. s.* cum al. — *collega fuit in cessura.* Idem positus in Guu. — §. 77. *taetrius est* — P. 150. * *egressa* — *principibus et r. p. g.* cum rell. Copulam, quae explicativa foret, praeter Graev. cod. et Palat. damnat Beda. —

aculum * — [*esse perituram*] — P. 151. *sed etiam omni*s — [*hi qui*] — §. 78. p. 152. *pellantur suis sedibus* cum 1. 2. 4. 5. edd. vett. — *ii* ante *labefactant* d. ut in Goth. au. edd. vett. ** V. ad I. 56. ex. — §. 79. [*cui data t, etiam* cum Guu. et edd. vett.] — [*prae sese fert* cum u. 2. 4. 5.] — [*hi quibus*] — [*adeptum est*].

C. XXIII. 80. [*At propter* cum al.] — [*hagim* ut rell. d de spiritu leni ex dialecto Laconica v. Exc. Reisigii *e constructione antistrophica trium carminum melicorum Ariophanis syntagma crit.* p. 14. a.] — * *exque eo* — P. 195. *aiorum quae a L. profectae* — §. 81. *improviso pressisset* m al.] — *qui locupletissimi fuerant eius civitatis* cum Gu. 2. 3. — P. 157. [*iniquissimum esse arbitrabatur* cum Gu. 2. 3. 4. et Gryph.] — *movere* cum al. — §. 82. *proficisci velle* — P. 158. *qui cum exposuisset* cum al. — §. 83. *re p. nostra* cum Gu. 1. 2. — P. 153. *subiavere* cum uu. Goth. edd. vett. — *habitent* *.

C. XXIV. §. 84. [*non sic fuerit*] — [*hoc totum ma*m cum al.] — §. 85. [*hi qui*] — §. 87. [*his rebus*] — ** *isdem etiam* cum Gu. 1. 2. 3. 5. Gryph. Invertit Gu. *etiam eisdem.* Vid. I. p. 266. II. 4, 14. ex. *Planc.* c. 3. p. in.

C. XXV. §. 88. [*et externa cum corporis et ipsa inter se orporis* d. sed in margine adiiciuntur; item seqq. *valere .. hoc modo*] — [*viribus* est modo in margine.] — §. 89. *Quid tertium ? Male pascere* d.] — §. 90. p. 169. [*vellem*.] — [*ad ianuae medium* cum al.] — [*in scola* cum uu. et ed. Magont.].

M. Tullii Ciceronis de Officiis liber secundus explicit feliciter.

Incipit liber tertius.

C. I. §. 1. p. 187. [*idem vere liceret*] — §. 2. *nec hoc tium* * — §. 3. p. 189. *vixerimus* cum al. — *quo debeat qui,* raso pron. *is.* — §. 4. *monimenta.*

C. II. §. 5. p. 191. [*nec verior*] — §. 6. p. 194. — *ut ne cum* ∧ *suppedita.* Correct. *suppeditata*] — §. 7. [*atiene esset an* cum Goth. et Pearcio] — *nec exsolvit id* — §. 8. *illos libros* cum Gu. 1. 2. 4. ed. Magont. Rom. — §. 9. p. 198. *tripertita* cum Gryph. — §. 10. [*qui inchoavere eam partem* pro *in Coa Venere*] — P. 199. *praetermisisset et non perfecisset* —.

C. III. §. 12. [*ut hi qui*] — *qui solum b.* V. Nonius in v. *Species.* — P. 202. *eius modi ... videretur* d. sed reposita fuerant in margine; ibi parte earum praesecta, relictus est hic vv. ordo *debuisse eiusmodi*, ut in Gu. 2. 4. octo Aldinis, ed. Gryph. et Pearc.

INDEX EDITIONVM.

Notatur simul, quae edd. rariores Dresdae in bibliotheca Regia (* D.) aut Lipsiae in senatoria (* L. in b. s.) reperiantur. Rarissima et exquisitissima quaeque indicavit accuratius Frid. Adolphus Ebert, scientia et doctrina facile princeps huius memoriae bibliothecariorum et bibliographorum idemque amicus noster familiarissimus, in thesauro, qui inscribitur: *Allgemeines bibliogr. Lexicon* T. I. p. 551. ss. Cf. Harlesii *Introduct. in notitiam litteraturae Rom.* P. II. p. 124. ss. *Brevior notitia litt. R.* p. 153. ss. et *Supplementa* P. I. p. 230 — 40. 212. ss. P. III. p. 113. s. 127.

1. Ed. princeps Officiorum et Paradoxorum. In calce: „*Marci tulii Ciceronis paradoxa finit.*" Subscriptio: „*Presens Marci tulii clarissimum opus Iohannes Fust Moguntinus civis non atramento, plumali canna neque aerea, sed arte quadam perpulcra Petri manu pueri mei feliciter effeci finitum anno* MDCCCCLXV." fol. min. schedae 88 cum 28 vss. litt. goth. Alia exx. satis splendide in membranis (quale nuper Parisiis 1450 nummis Franconicis v. quadrantibus imperialium venditum est), alia chartis e l. MS. non melioris notae exarata, pleraque inter se lectionis aliqua varietate dissident aliisque levioribus rebus et signis: quorum potiora indicavit Eb. n. 4535. Cf. Chevillierius *de orig. typogr. Parisiensis* p. 17. Henr. Reinold in not. ad Io. Merceri *Conciliatorem*, Duisb. 712. 8. p. 21. Lectt. enotavit F. Heusinger. * D. praeter unum membranac., quale est Berolini in b. Seideliana (*Catal.* p. 184. n. 489.), servantur duo exx. chartac., quale in b. scholae Portensis et Lubecae. Ed. altera habet subscriptionem: *Presens — opus I. Fust — perpulcra manu Petri de gernshem pueri mei feliciter effeci finitum. Anno.* MDCCCLVI *quarta die mensis Februarii.*" Ead. forma. V. Heus. in *Praefat.* p. XXVI. ss. Ebert n. 4536. Huius ex. in membranis, a Ioh. Nath. Petzoldo 180 imperialibus acquisitum, hic L. a. 1816. me ipso teste publice venditum est 183 imper., aliud a. 1819. Parisiis 1190 Francon. * Tale est in b. Zwiccaviensi.

2. Ed. s. l. et a. 4. litt. goth. sched. 60 cum 34 vss. In fronte incipit: „*Uamq. te marce fili amniu iam audiete*" etc. Ad calcem leg. „*Explicit liber. tullij de officiis* || *Laus deo optimo ceterisq; celitibꝫ*". Excusa est ex alio cod. MS. vitiosissimo. Cf. Panzeri *Annal. typogr.* I. 529. 597. IV. 396. 492. * L. in b. s. n. 21, 3237. ex. emptum a bibl. Goekingae a. 773. in cuius catalogo ascriptum erat: „*A.* 1467. *editum Colon. ab Vlr. Zell.*"

3. Off.

3. Off. Parad. de amic. de senect. in 4. mai. sch. 103 m 32 vss. In fronte: „*M. T. Ciceronis ad M. Tullium ceronem filium in officiorum libros prefatio incipit. Foelici-* ʟ.“ Finiuntur f. 62. b. Inter *Catonem Maiorem* et *Versus II Sapientum* f. 101. sub. finem leg.: „*Hoc Conradus opus eeynheym ordine miro || Arnoldusque simul pannarts una aede lendi || Gente theotonica : romae expediere sodales. || Anno pi. M. CCCC. lXIX. die vero. XXIII m. Ianuarii. Romae*“ c. * L. in b. s. fol. 61, 3051. Exx. tantum 275 excusa nt; sed iterata est haec ed. a. 471. ex qua Heus. lectt. oposuit.

4. — — *Paris. ap. Fichetum* ante a. 471. V. Maittairii *inal. typogr.* III. 296. Ed. ib. *ap. Vdalr. Gering* in f. circa 470 — 72. e Panzeri *A. T.* III. p. 273. et IIII. p. 135. s. emorat Harles in *brev. not. lit. Rom. ordini temp. accommo-ita* (Lips. 803.) p. 54. quem plures alias edd. rariores re-nsentem vide, sis, ib. p. 53. ss.

5. — — *Ven.* 470. *per Valdarferum*. V. Gerberti *Iter lemannicum* etc. p. 241.

6. — — *Ven. per Vindelin. de Spira*, 13. *Aug.* 470. 4. h. 130 cum 30 vss. In sched. 151. 152. adiiciuntur *versus II sapientum.* * L. in b. acad. Paullina. Adhibuit Heu-nger. — Iterum prodierunt ib. 4. *Iul.* 472. f. Ed. nitida rara.

7. — *off. par. Lael. et Cato m. Versus XII Sap. Ven.* ro. f. * L. in b. Paullina.

8. — *off. par. de am. de sen. somn. Scip., nec non de sentia mundi. Neap.* 24. *Dec.* 474. f. 483. f.

9. — *de off. par. de am. de sen. de s. Scip. nec non de ssentia mundi: ac. XII: Sapietū Epitaphiis —. Ven. p. hilippum. quondam petri veneti M. CCCC. lXXX. die VIII.* aii. f. *L. in b. s. n. 62, 3061. V. Lunze in *Monumentt. ypogrr. tridecade*, Lips. 801. 8. n. 18.

10. — *de off. de sen. de am. et par.* — *i opera Le. athel et Vlderici scinczēteller Mediol. M. CCCC. LXXX. 'II. Idus Aug.* f. sch. 74. * L. in b. s. n. 63, 3062. V. unze in *Mon. typ. decade*, Lips. 799. 8. n. 9., qui, si ationem grammaticam habuisset Accus. casus *Idus*, pro-ecto non dubitasset de anno 480. V. Ebert n. 4555.

11. *M. T. C. consulisq. R. ac oratorum maximi ad M. Γ. C. filium suum officiorum liber.* Ad calcem: *M. T. C. de ff. l. Tertius z ultimus: Feliciter finit.* 4. * L. in b. s. n. 2. Videtur intra a. 480 — 490. impressus Daventriae ap. ich. Paffroed. Eadem ed. videtur significari a Cel. Eberto ι. 4538.

12. — *off. par. senectus, s. Scip.* Ad calcem: *Romae . Eucharium Archirion dioecesis Herbipol.* 481. 4. Harles n *Brev. not.* p. 154. pro *archirio d. H.* exhibet „*Argirion* h. e. *Silber*)“, qui alias *Frank.*

13. — *de off. c. comm. Petri Marsi, de sen. c. not. Omniboni Leoniceni, de am. et parad. c. not. Philetici, Ven. p. Bapt. de Tortis* 482. f. 486. 488. f. Aliquanto serior vi-

detur. *Omniboni Leoniceni Vicentini Rhet. praestantissimi in M. T. C. Off. Libros examinata interpretatio*, f. Nam in praefixa scheda *Raphaël Regius Antonio Moreto Salutem p. dicit*: in qua epist., se superflua quaedam Omniboni expositionibus ademisse, fatetur. Acc. *Cato m.* c. comm. *Mat. Philethici*, *Parad.* c. comm., *Lael.* c. comm. *Omn. Leoniceni.* * L. in b. Paullina *M* n. 147.

14. *Petri Marsi interpretatio in off. Cic.* etc. Subiuncta sunt *Paradoxa* c. subscriptione: *Impr. Ven. p. Bern. Benalium*, s. a. f. * D. et L. in b. s. — Ex ed. *Ven.* 484. *d. XII. Oct. p. Bern. de Novaria et Bern. cellerium de Luere* f. (* in b. acad. Erlang.) lectt. excerpsit I. M. Heusinger. — *Ven.* 486. f. (* L. in b. Paull.) *Ven. p. Bern. de Choris de Cremona* 492. f. (* ib. et D.) *Ven.* 496. f. * L. in b. Paull.

15. *M. T. C. Off.* sine comm. prodierunt 494. *p. Martinum* (Landsbergium) *Herbipolensem*. Ab eodem impressa est ed. in f. s. l. et a., quae Lipsiensium edd. prima videtur Seidlero, V. Ill., ap. Gernhardum, qui in *Praef.* XIII. non accuratius, quam passim lectt., enotavit inscriptionem. Ea vero haec est: *Marci Tullii Ciceronis Consulis romani ac oratorum maximi. Ad Marcum Ciceronem filium suum. Officiorum Liber incipit.* Eundem plane tit. prae se fert ed. * L. in b. Paull. *M* n. 152. fol. sched. LXIIII cum 24 vss. litt. goth., in prima autem pag. vss. 22 praeter inscriptionem: *Maci* [sic] *Tullii Ciceronis Off. Liber primus ad M. filium.* In ipso tit. scrib. *Mraci Tullii* etc. Lectt. editionis Lips. 500. excerpsit I. M. Heusinger, F. autem Heus. ex ed. ll. de off. *a baccalaureo Martino Herbipol. in Liptzk iam denuo impressorum* a. 507. f. Postea 510. f. Prior eiusd. ed. a. 504. f. describitur in Harlesii *Introd.* II. p. 128. et in *Supplem. ad brev. not.* P. I. p. 254.

16. *Cic. de off. c. comm. P. Marsi eiusq. recognitione. Insunt praeterea Parad. de am. de sen. c. interpp. suis Ven. p. Barth. de Zanis de Portesio*, 498. f. * D. et L. in b. Paullina. Lectt. excerpserunt partim Scheller in *Obss.*, partim F. Heusinger.

17. *OPERA. M. T. CIC. De Am. De Sen. De Somno* [sic] *Scip. Parad.* sine pp. et cust. Post hos ll. „*Finis libri. M. T. Ciceronis De off.*, ... *Paradoxa, De somnio Scip.*, *qui peroptime emendatus*, *Impressum Ven. per Ioann. et Gregorium de Gregoriis*". Tertia abhinc pag. „*M. T. CICERONIS RHETORICORVM.*" Post hos IV ll. in secundo plagulae *L* folio: „*Artis Rheto.*" (i. e. *de invent. ll. II.*) Ad calcem: „*Impr. Veneciis p. I. et gr. de gregoriis fratres. A. Dom. M. CCCCC. II. Die sexto m. Apr.*" 4 min. vel 8. mai. Multis haec ed. scripta compendiis; Graeca Latinis litt. in ll. *de off.*; nec vero *Parad.* inscriptiones. Lectt., parce a Degenio notatas, repetiimus.

18. — *de off.*, *de am.*, *de sen. et paradoxis. Haec omnia Bened. Brugnolus diligentiss. castigavit et gr. verba addidit. Ven.* 502. f. (* L. in b. s.), antea 493. f. — *c. recogn. comm. P. Marsi et Fr. Maturantii* etc. *Ven. .. sumptu mireq.*

lilig. Ioannis de Tridino alias Tacuini. A. M. D. VI. d. XX. Febr. f. litt. goth. * L. in b. et Paull. et s. Lectt. enotavit I. M. Heusinger.

19. *M. T. C. de off.* etc. *c. comm. Iod. Badii Ascensii* etc. s. l. et a. 4. * L. in b. s. — *Paris.* 507. f. (* ib.) — *c. explan. I. B. Ascensii et comm. Fr. Maturantii et P. Marsi*, ib. 509. f. (* L. in b. Paull.) vel 4. et 514. — *stud. Nic. Cappusoti, ap. Iac. de la Place.* 511. 4. (* L. in b. s.) *Lugd.* 512. 4. * L. in b. Paullina. — Gernhard notavit lectt. ex *Opp. Cic. philoss. Lutet. Paris. ap. Iod. B. Ascensium* a. 521. f.

20. — — *c. Ascensii comm. Lugd.* 510. f. *c. Marsi, Fr. Maturantii, B. Ascensii comm.* ib. 514. 4. 516. f.

21. — *off. ll. III.* etc. 8. sch. 125 sign. et 2 non sign. Bandini perhibet excusos *Flor. p. Ph. Iuntam circa a.* 510. Aliis ex Aldina expressi videntur. Tria exx. habentur in membranis. V. Ebert n. 4562. qui arbiter peritissimus p. 1063. n. 1. ipse pro *Lugd.* ed. habet.

22. — — *Argentor.* 510. (e qua I. M. Heus. lectt. notavit.) 512. 516. 4. * L. in b. s.

23. — *off. liber vigili diligentia Iacobi Thannerſs Liptzen. civis* a. 513. f. e qua lectt. contulit F. Heusinger. Prodierat iam 510. f. iterum 515. 516. f. (* L. in b. s. cum n. mss.) — Ib. 516. 4. * in ead. b.

24. — *off. ll. III. Cato m. Lael. S. Scip. Par.* Θεόδωρου περὶ γήρως ἑρμηνεία. ὄνειρος σκιπίωνος. *Ven. ap. Ald.* s. a. 8. (* L. in b. s.) — ib. 517. 8. (* D. et L. in b. Paull.) — *cura I. Bapt. Egnatii.* rec. Flor. in offic. Ph. Iuntae a. eod. 8. — *in aed. Ald.* 519. 8. * L. in b. P. — V. Ebert n. 4561.

25. — *ll. de off., de am.* etc. *B. Brugnoli studio emaculati* c. interpr. super off. *P. Marsi, Fr. Maturantii* et *Iod. Bad. Ascensii in senect.* etc. *Ven. p. Io. Tacuin.* 517. f. * in b. Regia Berol.

26. *Off. M. T. Cic., solertissima cura Herasmi Roterdami, ex multis exx. exactissime castigata, appositis ad singula capp. argumentis commodissimis* etc. *De am. de sen. et par.* 8. s. l. et a. In tergo tit. effigies Iohannis Euang. ligno incisa. — Ead. *Bas.* 519. 4. — *rursus accur. recognita p. Erasm. Roterod. Una cum aliis. Bas. in aed. Frobenii m. Aug. a. MDXX.* 4. praemissis Erasmi annott. (* D. et L. in b. s.) Cf. Erasmi *Epistt.* XXVIII. 17. — Denuo *Paris.* 523. 4. et *p. Conr. Goclenium, Bas.* 527. 4. — Acc. *de sen. et somn. Scip. int. Th. Gaza*, ib. 528. 4. * L. in b. P.

27. — *de Off. Lael. Cat. et par. ex rec. B. Brugnoli, c. P. Marsi, Fr. Maturantii, I. B. Ascensii, M. Philetici comm., Nic. Cappusoti tabula et Erasmi R. adnn. excus. op. Iacobi Myt, Lugd.* 527. 4. Lectt. enotavit F. Heusinger.

28. — — *ex rec. Des. Erasmi et Conr. Goclenii c. scholiis Ph. Melanchthonis, Col.* 533. 8. 537. 8. (* L. et in b. s. et in Paull., ubi additus est *commentarius* MS. *Udalr. Stendleri.*) — it. *Barth. Latomi* ib. 534. 4. et (*c. n. Erasmi*) *Paris. ap. Sim. Colinaeum* 538. 8. — *Acc. gr. Th. Gazae in lib. de sen. et somn. traductio. Lugd. p. Seb. Gryph.* 536.

8. (* D.) 568. 8. 578. *Ven.* 579. Ab I. F. Heusingero adhibita est *Gryphiana* ed. Cic. *opp. philoss. Lugd.* 540. 8. (* L. in b. s.) Itemque

29. *Cic. opp. omnium* edd. tum *Hervagiana Bas.* 534. f. (* D. et L. in b. s.) tum *Victoriana* 537. f. (* in iisd. bb.) V. Ebert n. 4254. 55. De *Hervagianae*, itidem, ut *Victorianae*, e MSS. et, edd. vett. emendatae, praestantia cf. etiam Creuzeri *Ind. apparatus crit.* ad ed. *Cic. de N. D.* p. XVII.

30. — *de off. op. Wolfgangi Anemoecii* (*Windhein*) 535. — *Colon.* (ap. Io. Gymnicum?) 537. 8. — *p. Nic. Fabrum* 539. (* in b. Wolfenbüttelana.) — *Ex officina Baltas. Lasii*, cuius ed. inscriptio plena haec est: *M. T. C. offitior. ll.* III *ap. et dilig. W. Anemoecii, ex vetustissimo cod. plus quam in centum locis castigati atque restituti; adiectis etiam de amic. de sen. atque paradoxis, una cum dialogo Anemoecii, in quo reddit rationem, cur illos locos mutaverit. Omnia vigilanti cura recognita, una c. annott. Des. Erasmi Rot., Ph. Melanchthonis, passim etiam Conr. Goclenii scholiis appositis. Bas.* MDXLI." (* in b. acad. Helmstad. e quo exemplari F. Heus. lectt. enotavit.) — *p. Brylingerum Bas.* 544. Ib. 565. 8. — Anemoecii ed. maximae est auctoritatis, cum praestantissimus ille codex Augustanus, cuius ad fidem emendata est, flammis perierit. V. Conr. Heusingeri *Praefat.* ad patrui et patris sui ed. p. XXXI — XXXVI.

31. — — *cum Marsi, Matarantii, Ascensii et Philetici not. ex rec. Iulii Feretti Ravennatis, Ven.* 540. f.

32. — *off. ll. tres, Cato m. Lael. Par. stoicor. VI. Somn. Scip. ex l. Sexto de rep. Ven. ap. Aldi filios* 541. 8. (ex rec. P. Manutii, additis in extr. opere VV. LL. e MSS. et edd. vett. nec non coniecturis. V. Ebert n. 4258. * D. et exempl. membranac. in museo Britt.) — Ib. 545. 46. 48. 52. 55. 59. 61. 8. (ex qua Heuss. lectionem notarunt) 64. 8. (* D.) 67. 70. 92. 8.

33. — — *Lugd.* 547. 12.

34. *M. T. C. librorum de off. enarrationes Viti Amerpachii correctae ac multis in locis auctae, Bas. p. Io. Oporin.* 8. c. textu Cic. et praefat. scripta 548. Antea prodierant *Argent. ap. Cratonem Mylium* 538. 8. Sed ille in nova ed. et correctionem et additiones Amerbachii neglexerat.

35. — *de Off. ll. III c. comm. V. Amerbachii, not. Erasmi R., Ph. Melanchthonis et disquisitt. Calcagnini. Acc. de sen. de am. et somn. Scip. c. n. Erasmi R. et Barth. Latomi, ed. p. Petr. Balduinum. Paris. Th. Richard.* 554. 4. 556. 4. — Ead. c. iisd. et *Fr. Maturantii* comm. et *Xysti Betuleii chronologia in Cic. de Off. am. et sen. Omnia iam recens sedulo castigata et copios. rer. atque verbb. indice locupletata. Lugd. ap. Theob. Pagan.* MDLVI. 4. vel fol. min. Hanc ed., in cuius fine adiectae sunt *Annotationes P. Balduini in Cic. de Off.*, comparavit Gernhard multaque, quae post ab Heuss. e suis libris restituta sunt, occupata vidit a Balduino, qui in praefixa epistola affirmat, se ex uno antiquitatis admirandae cod. MS. et collatione aliquot

exx., manu non imperite descriptorum, multa restituisse.— Auctiore dote prodierunt *M. T. C. de Off. ll. tres c. n. Erasmi, Xysti Betuleii, V. Amerbachii, Fr. Maturantii et disqq. Coelii Calc. nec non collectionibus ex diversis authorib. per Leodegarium a Quercu* (h. e. Turnebum) *Paris. ap. Th. Richard.* 562. 4. Ante prodierant Xysti Betuleii *comm. in Cic. off. de am. et sen. Bas.* 544. 4. (* D.) et Coelii Calcagnini *disquisitiones* in Calcagnini *opp. Bas.* 544. f. p. 253. ss. Cf. ib. *Epistt.* XV. 6. p. 206. Sed iam ante separatim editis oppositae sunt Ant. Maioragii *decisiones, quib. Cicero a Calcagnini criminatt. liberatur, Lugd.* 544. 8. quarum dedicatio habet subscriptionem *VIII. Id. Iul. M. D. XLIII.* Vtrumque pariter reprehendit Marius Nizolius in *defensionib. aliquot Cic. locorum* idemque Maioragii *libris duob. reprehensionum*, Mediol. 549. 4. excusis iisque galeatis, respondit *libris IV Antibarbari philosophici*, Parmae 553. 4., postea recusis c. G. W. Leibnitii *praefat.* Frcf. 674. 4. Cf. Freytag in *Adparatu literario* etc. Lips. 752. 8. T. I. p. 259.

36. *M. T. C. Off. ll. tres summa cura nuper emendati, commentantib. P. Marso, Fr. Maturantio et Ascensio. Dial. de am. c. comm. P. Marsi, Omniboni et Ascensii. Dial. de Sen. comm. eod. P. Marso, M. Philetico et Ascensio. Parad. omnia c. comm. Omniboni, Fr. Mat. et Ascensii. Ann. aliquot DD. hominum in omnia Cic. suprascripta opp. Marii Nizolii, Brixell. defensiones ll. aliquot Cic. contra Disqq. Calcagnini* etc. *Ven. ap. Franc. Bindon.* CIƆIƆ LIIII. f. (comparata ab I. M. Heusingero.) Recus. *Ven.* 563. f. c. *not. Erasmi et Melanchthonis* et ib. 568. f. Sed iam a. 548. prodierat *Cic. de off. c. comm. Marsi et Ascensii* p. *Ald.* f.

37. — *de off. ll. III, de am. de sen. par. s. Scip. c. annott. quorund. VV. DD. et Prolegomenis Ioach. Camerarii, Lips.* 554. 8. (* L. in b. s.) — Ib. 567. 77. 89. 97. 8. — F. Heus. adhibuit *Camerarianam* Cic. *opp. omn.* ed. *Bas.* 540. f. in qua Victorii textus (cf. n. 29.) e MSS. et edd. prioribus recognitus habetur.* D. et L. in b. s. Ebert n. 4257.

38. — — *c. Wolfg. Anemoecii et I. Sturmii adnott. Colon.* 558.

39. — *de off. ll. III* etc. *ex castigatione Io. Boulierii. Lugd.* 560. 8. *c. VV. DD. annott. Acc. gr. Th. Gazae in l. de sen. et s. Scip. traductio* ib. 562. 8. — item *Fragg. poëmat., in quib. continentur Aratea, Q. fratr. de petit. cons. lib. ex Dion. Lambini emendatione, Londini* 577. 8.

40. — *de off. de sen. de am. Par. somn. Scip. ex emend. et c. annott. Car. Langii,* Antw. 563. 8. (* L. in b. s.) quam F. Heus. adhibuit, et 567. 8. Multae egregiae, ex antiquis iisque praestantissimis MSS., in primis e Parcensi atque alio quodam cod., ductae, emendationes debentur C. Langio, cuius annott. recusae sunt una cum A. Schotti *obss. humanis* Hannov. 615. 4.

41. — — *c. Hi. Wolfii comm. Acc. Ge. Hamaxurgi oratt. duae ... et Chstph. Cornari epitome libri primi officiorum. Bas.* 563. 4. (* D.) 569. f. (quam consuluit F. Heus.)

*D. et L. in P. 579. f. 84. f. * L in b. s. — Eiusd. *quaest. in ll. tres Cic. de Off. Bas.* 579. 8.

42. *M. T. C. off.* etc. c. *annott. Suffridi Petri* a. 568. 8 qui complurib. usus est libris MSS.

43. — *Off. ll. III, Cato* etc. *Additae sunt in extr. operis VV. LL. et e ll. MSS. et ex ingenio c. annott. D. Lambini Ven.* 570. 8. — *ap. Petr. Santandrean.* 580. 8. F. Heus. adhibuit ipsius *Lambini editionem* Cic., de qua e multis codd. MSS. emendata *Lutet.* 566. f. (* D.) v. Harles in *Introd.* II. p. 55. s. in *brev. not.* p. 152. s. et Ebert n. 4262.

44. — — *c. nn. Guil. Canteri, Corn. Valerii* etc. 576. 8.

45. — — *c. annott. Victorini Strigelii* Viteberg. 579. 8. * D. 588. 8.

46. — — *c. n. P. Manutii et Fulvii Vrsini. Antwerp.* 579. 8. *ex officin. Plantin. ap. Fr. Raphaleng.* 605. 8. Vrsinus uno usus est MS.

47. — — *c. not. Franc. Fabricii* (v. *Fabritii*). *Colon.* 581. 8. Hanc e pluribus MSS. emendatam ed. consuluerunt Heus.

48. Aldi Manutii nepotis *comm. in ll. de off. de sen.* etc. *Ven. ex typogr. Ge. Angelerii sumt. Aldi Manut.* 581. f. c. textu Ciceronis. * D. Falso quidam in commemorando *Cicerone Manucciorum commentariis illustrato* commentarios in hos quoque ll. ad P. Manutium auctorem referunt. Aldus, Pauli F., e tredecim codd. MSS. unoque Alberti Tertii libro, quem, ut antiquissimum et praestantissimum a reliquis distinguere solet, notavit VV. LL. Interpretationem autem e Xysti Betuleii (cf. n. 35.) et H. Wolfii (cf. 41.) notis decerpsit, raro tantum de suo aliquid addens: id quod ei exprobrat Graevius in suae ed. *praefatione.*

49. *M. T. C. de off. ll. III commentt. illustrati a Mart. Henr. Saganensi. Viteb.* 582. 8. * D. Hos commentt. laudat C. S. Schurzfleisch *Epistola LV.* Adhibuit F. Heusinger.

50. — — *c. analysi dialectica p. Io. Piscatorem. Spir. Nemet. B. Albin.* 582. et 596. 8. Piscatur hic scholasticas nugas. In eadem palude haeret *Analysis dialectica P. Rami* ib. 582. 8.

51. — — c. ann. *Steph. Riccii. Viteb.* 585. 8.

52. — — — *Matth. Dresseri. Frcf.* 587. 8.

53. *Cic. opp. omn.* ed. *D. Gothofredi* repetitam *Genev. ap. Guil. Laemarium* 596. 4. consuluit F. Heusinger.

54. a. — *de off. ll. III, Cato* etc. *c. ann. sel. Lips.* 611. 8.

54. b. — — *Colon.* 617. 8. * L. in b. P.

55. — *opp. ex sola fere codd. mss. fide emendata studio et industr. Iani Gulielmii et Iani Gruteri, add. notis et indd. Hamb. ex bibliop. Froben.* 618. f. (* in b. Lugd. *B.*) adhibita sunt a F. Heusingero. Vsus est Gulielmius Coloniensi codice et Fabriciano, duob. per Merulam collatis, Cruceiano et Carrionis exceptis. Gruterus vero e Palatino 1., cuius solius auctoritas plurimos alios saepe sine controversia superat, et 2. itemque ex edd. vett. Victorianum textum (cf. 29.) recognovit; sed Lambinianae audaciae inimicus nimis religiosus fuit in retinendis falsis codd. lectionibus. Idemque primus capita distinxit: quae tamen distinctio abest et

b elegantiore, sed vitiosiore ed. *Lond.* 680. seq. f. ubi nnotata, prius in calce operis congesta, iam cuique pa-inae subiiciuntur, et ab *Elzeviriana Lugd. B.* 642. 12. cuius; olum textum repetentis, Vol. IX. continet *ll. de off.* usque d p. 238. Tum rursus incipit p. 229. et in quibusdam exx. equitur *Somn. Scip.* p. 229 — 237. in al. *Consolatio* p. 29 — 301. — Id. textus totid. Voll. X recus. *Amstelod. p. Blaeu* 658. 12. al. V. Harlesii *Introd.* II. p. 56. s. 60. cl. *rev. not. litt. R. ordini temp. accomm.* p. 44. Ebert n. 4265. sq.

56. *M. T. C. de off.* Lat. German. interprete *Ioh. Rhenio* .ips. 664. 8. — *de off.* etc. ib. 665. 8.

57. — *de off. de Sen.* etc. *c. n. F. Hildebrandi. Lips.* 69. 679. 12.

58. — *de off. ll. tres et in illos Sam. Rachelii I. U. D.* tc. *Comm., Quo omnia ad Iuris Naturae principia cum primis evocantur, cum aliorum Philoss., praecipue Peripateticorum, laeitis conferuntur, illustrantur et partim emendantur:* etc. *Praemissa sunt Eiusd.* Προλεγόμενα, *quib. natura Honesti aliaque ad Ius Naturae spectantia explicantur. Frcf. et Kil.* MDCLXVIII. . Locupletior ed. est et splendidius impressa Amst. Wetsten. 86. 8. * D. Perbene explicantur examinanturque sententiae, n primis etiam eae res, quae ad legg. Rom. spectant. Idem nterpretandi consilium prae ceteris laudabile secutus est . C. Roth, qui *ll. de off.* etc. *c. not. Varior.* edidit *Lips.* 692. 8.

59. — *de off.* etc. *Ex rec. Ioh. Ge. Graevii c. eiusd. nn. ut t integris animadvv. Dion. Lambini, F. Ursini, C. Langii, Franc. Fabritii Marcod., A. Manutii nec non sel. alior.* [n. Mureti, cuius, pluribus MSS. usi, *scholia in Off.* repe-iuntur in Mureti *opp.* ed. a D. Ruhnkenio T. II. inde a . 824., tum Gulielmii, Gruteri, Rachelii, I. F. Gronovii, Gassendi, etc.] *Acc. Favonii Eulogii Rhet. Carth. in Cic. Somn. Scip. disp., Caelii Calcagnini disqq. in de off. libros, M. Ant. Maioragii decisiones, Iac. Griffioli defensiones contra Calcagninum. Amstel.* 688. 8. mai. (*L. in b. s.) 691. 8. *L. in P. Correctior c. indd. locupletiss. *L. B.* 710. 8. * D. et L. in P. Grifoli v. Grifoli illae *defenss.* ante editae fuerant *Ven.* 551. *ap. Ald.* . (*L. in P.) 46. 8. *Paris.* 548. 8. * D. *Lugd.* 552. 8. De *Calcagnino* t *Maioragio* v. supra 35. Ipse Graevius usus est duab. mem-ranis pervetustis et optimis, quamquam laceris et mancis, no libro recentiore minoris auctoritatis et excerptis duo-um codd., a Petro Pithoeo in margine ed. Gryphianae ab . 550. et Argentoratensis Lambini ascriptis, ad quorum ll. idem passim inveterata quaedam vitia persanavit. Alias se-uitur prae ceteris Car. Langium (v. supra 40.). — Omissis ario r. intt. notis, iidem ll. prodierunt *ex rec. I. G. Graevii c. iusd. animadvv. Amst.* 691. et 699. 8. min. vel 12. Extremae d. minori a. 691. addita sunt *Corrigenda* quaedam, quae assim commemorat Gernhard, modo *Supplementa*, modo *Appendicem*, modo *Additamenta* nuncupans. In ed. 699. Graevius non nullas animadvv. refinxit auxitque novis qui-usdam. — Denique *M. T. C. de off. ll. tres ex rec. I. G.*

Graevii aliorumque Norimbergae ex off. libr. Riegelianae 759. 12. prodierunt, 4 grossis venales; sed tam negligenter recusi, ut hic illic integri versus desint.

60. *M. T. C. opp.* ... *ex MSS. codd. emendata studio atque industr. I. Gulielmii et I. Gruteri, additis eor. not. integris: nunc denuo recogn. a Iac. Gronovio, cuius ubiq. adiectae sunt emendatt., petitae partim ex ll. MSS., partim ex animadvv. VV. DD.* etc. *Lugd. B. Petr. van der Aa.* 692. 4. (* D.) et 12. (* ib.) adhibuit F. Heusinger. Sed Gronovius, Gruteri textu cum plerisque sphalmatis servato, paucis tantum locis suam medelam adhibuit. V. Harlesii *Introd.* II. p. 57. ol. *brev. notit.* p. 134.

61. — *de off. ad M. f. Ex MSS. rec. Th. Cockman. Oxon. e theatro Sheldon.* 695. et 716. 8. * D. et L. in b. Paull. Textui Graeviano ex min. ed. praeter eas, quas Lambin. et Gruterus collegerant VV. LL., cum Graevii coniecturis subiecit lectt. X codd. Oxoniensium: quas rarius tantum commemorant Heuss., qui illam ed. consuluerunt. V. *Biblioth. ancienne et moderne de M. le Clerc* T. XI. P. I. 1719. p. 162.

62. — *de off.* etc. *c. nn. ad modum Minellii. Lips.* 699. 712. 12. Ieiunae istae notulae adhuc scholis damnosae sunt.

63. — — *rec. et notas adiecit Th. Tooly. Oxon. e th. Sheld.* 717. 8. 729. 8. Notae mere grammaticae sunt. V. *Acta Eruditor. Lips. m. Oct. a.* 717. p. 473.

64. — *de off. ll. tres. Item de Am. de Sen. Par. et de Somn. Scip. Adiecta est margini sectio Transalpina et breves ad calcem annott. Patavii* MDCCXX. *ap. Io. Manfre.* 8. (* L. in b. s.) Curavit Iac. Facciolatus, cuius ex recensione eorundem ll. editioni alteri, in multis mutatae atque auctae, *accedit Q. fratris commentariolum petitionis. Ven.* MDCCXLVII. 8. (* L. in b. Paull.) Notulae fere sententias variatis verbis breviter atque perspicue exprimunt aut, earum ordinem explorantes et castigantes, integerrima quaeque sollicitant, cum ipse F. parum teneret Ciceronis consuetudinem laxius disputandi. Nam, ut ipse fatetur, Ciceronem in Cicerone quaesivit. Non nunquam tamen in interpolatorum malitiosis astuciis percipiendis reliquis edd. fuit sagacior. V. *Excurs.* nostrum *I. ad L. II.* Interdum ad codicem MS., quo usus sit, testem provocat. Saepius vett. quarundam edd. lectionem tacito amplectitur. Quaedam etiam e coniectura refinxit. Praeterea aliam instituit capitum divisionem, descriptis pro rerum distinctione periochis quibusdam.

65. — *opp.* ... *c. not. integr. P. Victorii, I. Camerarii, F. Ursini, et selectis P. Manutii, D. Lambini, I. Gulielmii, I. Gruteri, I. F. et I. Gronoviorr., I. G. Graevii et al.* etc. *Is. Verburgius collegit, dispos. recensuit* etc. *Amst.* 724. triplici forma, f. (* D.) 4. (* D. et L. in b. s.) et 8. (* D. et L. in b. P.) rec. *Ven.* 731. 8. mod. Textum a Gronovio editum (v. 60.) repetiit. In seligendis notis variorum interprr., quibus raro de suo aliquid addidit, et iudicium et

ura defuit. Sed notavit in margine tum pagg. Aldinae una um Alexandri Scot §§., tum ad *ll. de off.* (ed. in 4. vol. V. ed. in 8. vol. X. p. 3423 — 3701.) lectt. cod. *Gronin-ani*. V. Harlesii *Introd.* II. p. 59.

66. *M. T. C. de off. ad M. f. ll. III notis illustr. et tum MSS. pe tum coniectura emend. Z. Pearce. Lond.* 745. 8. (* L. n bb. et s, et P.) 761. 8. (* D.) *Cantabr.* 777. 8. *Lond.* '78. 8. * D. et L. in Paull. Vsus X codd. Anglicanis et dd. vett., summi acuminis criticus addidit notas egregias uas et *Io. Chapmanni* atque pauculas *Io. Walkeri* (v. *Walkeri*) et *Franc. Sayi*. Hanc ed. denuo prelo subiecturus et, nescio, qua accessione aucturus Ill. Schütz, optabile est, ut vigilantiorem quandam curam et diligentiam adhibeat, quam in sua ipsius editione.

67. — *opp. oo. ex rec. I. A. Ernesti* (c. eiusd. not. et clave Ciceroniana). *Adiecta est var. lectionis Gruterianae. Ed. III. Halae orphanotr.* 774. ss. 8. mai. V Voll. vel VIII TT. (10 thal.) rec. *Oxon.*, *Collingwood*, 810. VIII Voll. 8. (6 pond.) et Voll. XXIII in 12. *Bostonii* in America; itemque sine notis *Halis* 776. 8. cuius *editionis Ern. minoris supplementum* separatim excusae sunt *I. A. Ern. Praefationes et notae ad M. T. C. opp. oo. ed. maiorem* ib. 806. 807. 8. (4 thal.) itemque *Clavis* edita 739. *Hal.* 757. 69. 76. quae ed. auctior est repetita 818. 8. (2 thal.) Singuli ll. saepe ib. seperatim repetiti sunt. Prima autem *opp. oo.* ed. Ernestina *ex rec. Iac. Gronov. Lips.* 737. s. 8. mendis scatebat; altera *Hal.* 557. 8. a parte vitiorum repurgata erat. In tertia demum ed. ex sua rec. usus est ad *ll. de off.* emendandos excerptis codd. *Curiensis*, *Gothani*, *Duisburgensis*, *Erfurtensis*, ed. altera *Mogunt.* 466. Colon. Vlr. Zell. (v. n. 2.) *Rom.* 469. *ap. Pannartz; Venett.* 470. 471. *Mediol.* 480. *Ascens. Paris.* 507. *Ald. Anemoec. Langiana*, al.; multas autem lectt. permemorabiles ex ipsis etiam illis MSS. enotare neglexit. Notae ut plurimum criticae sunt elegantissimique ingenii specimina. V. Harlesii *Introd.* II. p. 62. s. *Brev. not.* p. 135. s. Bast in *Répertoire* etc. *par F. Schoell* I. p. 190. s. Raro tantum lectionem mutatam deprehendimus ab Extero in ed. *Bip.* 780. ss. 8. qui textum contulit c. Cic. *opp. oo.* edd. *Gryphiana* 560. *Aldina* 569. 8. *Lambiniana Lugd.* 577. f. *Gothofredi Lugd.* 588. 4. *Scotina Lugd.* 588. 8. *Gruteriana Elzevir.* 642. 12. et vitiose rec. *Berol.* 747. 8. *Graeviana* 688. et nitida illa *Paris.* 768. 12 (* D.) *e rec. I. N. Lallemand*, qui opp. omnia recensuerat e XV codd. Paris. et optt. edd. adiectis notis criticis, laudaturque a Bastio l. c. p. 189. s.

68. — *de off. ll. tres. Cato M. Lael. et Par. Ex rec. Io. Ge. Graevii c. not. varior. Ed. nov. post Graevianam locupletior. T. I. II. Neap.* MDCCLXXVII. *typ. Ios. Mar. Porselli.* 8. mai. (* D. et L. in b. Paull.) Praeter ea omnia, quae comprehensa sunt in ed. *Graevii* mai. (59.), *Rachelii* (58.) et *Pearcii* (66.) in hac ed. adiectae sunt *adnn. integrae Io. Bentleii in Parad.*, *selectae Iac. Facciolati* etc. Sed in *Aldi commentario*, maxime in *L. III.*, complures VV. LL. frustra quaesivi, ab Heuss. et Gernh. ex al. edd. laudatas.

69. *M. T. C. de off. ll. tres ad solam priscorum exx. fidem rec. adiectisq. Io. Mich. Heusingeri et suis adnn. explicatiores editurus erat Frid. Heusinger. Brunsvigae in orphanotr. duc. bibliop. A. MDCCLXXXIII.* 8. pp. LXX. 812 praeter Indices, quos confecit Conradus Heusinger filius, praefatus editioni postumae, quae nostrae memoriae omnium longe praestantissima est dignaque, quae mox recudatur. I. M. H. patruus diligentius, quam Ernestus, contulit cod. *Gothanum* et *Vinariensem;* praeterea Servium, Lactantium, Ambrosium (cuius et *opp. oo.* et *de off. ll.* editiones recenset Ebert n. 495 — 501.) et Vincentium Bellovacensem; F. autem Heus. exemplari diligentia quinque codd. *Guelpherbytanos,* quorum 2. vel *Gudianus* 1. ceteris praestat, et scholiastam *Guelph.* in membranis, inter *MSS. extravagantes* n. 225., praeterque edd. vett. in partes vocavit etiam Nonii Marcelli, multa exempla a Cicerone repetentis, et ed. Merceri et cod. Gudianum n. LXXXXVI. septingentorum circiter annorum atque alium iuniorem Augustanum n. LXXXV. 4. 8. adhibitis etiam compilatoribus illis, quos in *Praef. T. I.* p. X. memoravimus, Beda, cuius, Nonio fere quadringentis annis minoris, *opp.* prodierunt primum *Paris.* 521. f. (*D.) *Bas.* 544. f. 563. f. (* D.) rec. *Col.* 688. f. (* D.), Ioannis Salisberiensis, ap. Carnutes saec. XII. episcopi, *Policratico,* cuius edd. (plerasque * D.) indicat Ebert n. 10816. s., et Alberto ab Eyb, cuius, optimo Cic. libro usi, *margarita poëtica Norimb.* 472. f. *Rom.* 475. f. *Bas.* 495. 502. f. et saepius impressa est. In primis bene meritus est I. M. Heus. in interpretando, Frid. in textu constituendo. Idemque passim intexuit exquisitas obss. ad usum loquendi exemplis explicandum. In ed. min. *Wolfenbuttelae* 784. 8. et *ed. altera Brunsvigae sumtu Reichardi* MDCCCXX. pp. 485. 8. *ex rec. I. M. et I. F. Heuss. patrui maioris et patris sui animadvv. scholar. usibus accommodavit Conr. Heusinger,* ita quidem, ut, selectis animadvv. exegeticis, omiserit criticas. Additae sunt tres tabulae genealogicae de gentibus *Scipionum, Muciorum* et *Crassorum.* Sed Conr. H., priore anno vita defunctus, in curanda ed. altera, iam ante XII hos annos fere tota typis exscripta, deinde post longum temporis intervallum absoluta, recentioribus aut edd. aut aliis subsidiis uti non potuit. Huic autem in priore parte maximam partem notarum, in posteriore paene omnes debet ed. — *c. delectu commentariorum in iuventutis gratiam, Lips. ap. Graef.* 790. 8. 1 thal.

70. — *de off. de am. et de sen. libri. Paris. typis Didot.* 795. 4. chart. membran. 14 thal. V. *Leipz. Lit. Zeit.* 818. p. 2494. Id. *ll. accuratissime emendati ib. Renouard* 796. 4. mai. chart. membran. 42 Francon. i. e. 12 thal. Impressa sunt non plus 165 exx. e quibus quatuor in chart. maior. totidemque in membranis! V. Bast in *Répertoire* etc. T. p. 197. An ab aliis aliter citantur?

71. — *de off. ll. tres. Notulis* (pauculis) *atque indicib.* (geographico, hist. et philologico) *ornavit Fred. Gottlob Born. Lips.* 799. *ap. Böhme.* 8. 1 thal. 8 gr.

72. *M. T. C. de off. ll. t. m. einem Deutschen Kommentar besonders f. Schulen. Bearb. v. Ioh. Friedr. Degen, Dokt. d. Th. Kön. Bai. Konsist. R. Rekt. u. Prof. d. Kön. Stud. Anstalt zu Baireuth. Zweite sehr verm. u. verb. Ausg. Lips.* 820. ap. Liebeskind. 8. pp. XXXII. 416. 1 thal. 4 gr. Prius prodierat Berol. 800. 8. V. *T. I. Praef.* XV. et *T. II.* p. 112. n. 3. 134. n. 1. 306. n. 2. 347. n. 2. 364. n. 2. 408. n. 1. et al.

73. — — *Rec. et scholiis Iac. Facciolati suisque animadvv. instruxit Aug. Goth. Gernhard. Lips. ap. Gerh. Fleischerum iun.* CIↃIↃCCCXI. 8. mai. pp. XXXII. 464. 2 thal. 4 gr. Ed. emendatissima, textu perite et caute constituto, quae horum libb. lectionem expeditiorem reddidit studiumque adiuvit. Nam Cel. Gernh. non solum omnia, quibus Facciolatus hoc Ciceronis opus instruxerat (v. 64.), repetiit, sed, quae hic saepe breviùs nulloque auctorum causarumque indicio animadvertisset, quantum ubique interesset, erudite et commode explevit aut castigavit: eaque, quae cuiusque loci natura ac sui instituti (cuius fines ipsius verbis descripsimus in *Praef.* T. I. p. XI.) ratio flagitare videretur, recto iudicio usus, subiecit, modo adoptatae lectionis probabilem rationem reddens, modo graviores difficultates explicans. Coniecturas quamvis ingeniose sagaciterque excogitatas ampliori lectorum examini subiecit, paucis tantum, quae veri specie blandirentur, in textum receptis. In *excursu* grammatico *ἀnacolutha* in his ll. subtiliter expedit. Denique, praeterquam quod edd. vett. quasdam contulit et paucas Reizii emendationes ineditas inseruit, in calce apposuit omnem varietatem lectionis trium codd., non cum sua, sed cum *Oliveti* ed. (* D. et L. in b. Paull. V. Harles in *Introd.* II. p. 60. s. *Brev. not.* p. 134. s. Ebert n. 4270. ss.) collatorum, λ, qui II. p. 32. vs. 5. desinit, μ, et, qui aliquanto praestat, ψ *collegii Balliolensis*, depromptam illam ex ed. *Oxon. e typogr. Clarendon.* MDCCLXXXIII. 4. (* L. in b. Paull.) quae Olivetum in omnibus fere, excepta interpunctione, sequitur. V. Ebert n. 4878. Notavit illos codd. Christianus Dan. Beck, Vir Magnif. Equesque Illustris, in Cic. *Opp. Vol.* II. p. LXI. et LXVI. Fuit autem G. ne in sui quidem Facciolati lectionibus referendis satis fidus, ut I. 60. p. 121. ubi falso refert, Facciolatum omisisse vv. *eius autem vinculum est.* At ille retinuit v. *vinculum.* Alium errorem notavimus I. p. 310. n. 2. ex. Neque accuratior fuit in ed. Lips. (v. 15.) conferenda, ut observavimus I. p. 154., multo tamen diligentior, quam, qui

74. — *ll. de legg., de off., de sen., de am. recognovit et selectam diversarum lectt. notationem adiecit Christi. Godofr. Schütz.* Ib. CIↃIↃCCCXVII. 8. In not. interdum *cod. Lubecensem* testem adhibuit; ceterorum lectt. ex una Heuss. ed. (quam Gernhardi exemplar ad scribendum considenti non saepe in doctas manus incurrisse videtur) tumultuarie arripuit potius, quam selegit: atque haud raro permutavit. Prelo tradidit exemplar *e rec. Ern.*, cuius plurimas lectt.

invitus reliquit, cum in notis, correxisse se, dicat. Itaque saepe ex aliis demum edd. discendum, quidnam V. S. et Ill. sibi velit: ut statim I. c. 4. pr. p. 26. (ed. n.), ubi edidit: *Commune item*, cum nota hac: „Sic" (?) „MSS. „quod quidem constat, omnes. Pearcius, Olivetus, Facciol. „Ern. dederunt *item*." Incommode etiam §§. notationem sustulit. Quid, quod in quibusdam libris tacito capitum divisionem mutavit, in *Lexico* autem *Ciceroniano*, a se ipso dissidens, non suam, sed volgarem partitionem sequitur? Praeterea omnia clavis Ernestinae menda servavit auxitque innumeris novis, maxime in numeris: ut, quod ibi scriptum esset II, pro eo passim substituit non 2, sed 11. Quamquam hanc negligentiam quadamtenus excusat festinantia, qua senex venerabilis et in librarii et in lectorum gratiam brevi tempore totum Ciceronis corpus absolvere, quam spem inchoare longam, maluit; partem etiam, aequum videtur, imputare operarum inertiae.

75. *M. T. C. opp. rec. selectis interpretum comm. suisque illustr. Franc. Bentivoglio, Mediol.* (Frcf. ad M. ap. Iaegerum) 8. mai. Hic quid praestiterit, nondum nobis quidem innotuit. Denique duplicem ed. et maiorem et minorem dudum promisit Goerenz, magno instructus apparatu critico. Optamus, ut aliquando aut huic aut alii cuidam concedatur usus VV. LL., quas e CCC MSS. in omnia Cic. opp. Hier. Lagomarsini XXX voll. collegisse dicitur. Praeterea in nostram notitiam venerunt 1) cod. *Berolinas* recentioris aetatis; 2) unus, memoratus in *Catal. bibl. Bodleianae*; 3 — 6) IV *Dresdani*, de quorum, non ante initium saeculi XV. scriptorum, uno v. Goerenz ante *ll. de legg.* p. IX. Eidem ante I. *Acadd.* p. VI. n. 5. laudatur 7) *Erlangensis*. 8) *Lipsiae* in b. *Paullina acad.* servatur l. MS. n. 1352. quo continentur *Platonis Timaeus*, *Boëthii consolatio*, *Cic. de off.* etc. Alius quidam pergam., a bibl. Zwiccaviensi I. A. Ernesto commodatus, una cum huius collectione Ciceroniana, publice vendita, in *bibliothecam senatus Lipsiensis* translatus perhibetur. Sed in *Catalogo ll. Ernesti* certe non reperitur. 9) Vnum recentioris aetatis possidet *Frid. Aug. Guil. Spohn*, Prof. nostrae acad. Celeb. 10 — 11) Lib. MS. papyraceus bibliothecae, in *Coenobio*, ad superius *Quercetum* vetus aedificato, instructae, atque alter membran. bibl. *Ratisboniensis* inspecti sunt a *Martinio*, qui de ordinanda et promulganda nova ed. *off.* cogitabat, ut ipse fatetur p. 12. *commentat. crit.* illius, ad L. I. *Excursu* XII. statim ab in. laudatae. 12) Pergamenus e saec. X. in bibl. *Ambrosiana Mediolani* (*C.* 29.) memoratur Angelo Maio in ed. Fragmm. *M. T. Ciceronis trium oratt. in Clodium* etc. *Mediol.* 814. p. 127. ss. aliique plurimi in ed. *altera*, quam descriptione codicum CXLIX instruxit et quae inscribitur: *M. T. Cic. sex orationum partes ante nostram aetatem ineditae* ib. 817. Itaque futuro editori (cuius studia utinam fauentior sors secundet, quam quae nostris adversatur!) non spicilegium relictum est, sed larga messis. — *Editionibus tum*

vett. tum recentt. adde, quas enumerat Harles in *Supplem. ad brev. not.* II. p. 495. ss.

Vett. commentarios in hos ll. commemorat Barzizius *opp.* p. 190. notante Io. Alb. Fabricio in *B. L.* ubi et Io. Schulzius, Rect. olim schol. Hamb., a. 700. et 702. *Anatomen philosophicam* eorum edidisse laudatur. Huc etiam pertinent Casp. Scioppii *elementa philosophiae Stoicae moralis, quae in Senecam, Ciceronem, Plutarchum aliosq. scriptt. commentarii loco esse possint, Mogunt.* 606. 8. et *Ethicae Ciceronianae ll. duo, Seu Doctrina de honeste vivendi ratione ex Ciceronis libb. collecta eiusque verbis et sententiis expressa et Ramea methodo digesta a M. Ant. Buschero* MDCX. *Hamb.* 8. pp. 230. praeter append. etc. ubi certe colliguntur quaedam utiliter, uno in conspectu posita. — Ch. F. Thormeyeri *Commentar üb. C.s Buch vom allgemeinen u. besondern menschlich Anständigen,* Lips. 793. 8. — Quae docte observavit Dan. Wyttenbach in *Biblioth. crit. Amstel. Vol.* I. *P.* 3. a. MDCCLXXVIII. p. 22 — 51. in censura ed. Ernestinae, et proximo lustro Heusingerorum ib. *Vol. II. P.* 8. p. 52 — 84. promens simul lectt. non nullas e trib. codd. *Duisburgico, Groningano, Huydekoperiano:* his usus est Gernhard, nec non Ioann. Chstph. Gottleberi *Animadvv. ad L. I. II. III. Off. Cic. Specim.* I — IX. a. CIↃIↃCCCLXXX — XXXIV. *Missen. litt. Schulz.* 4. in quib. tamen, ipse modica vindemia contentus, racemationem quandam nobis reliquerat. Idem V. D. rationem habuit Frid. Liebg. Becheri *Obss. critt. Lips. ap. Barth.* a. 808. — Magni Dan. Omeisii *diss.* 26. *Controversa Stoicor. iura ad Cic. l.* III. *a.* XXIII. [v. §. 91. p. 853. s.] *Off.* Altorf. 691. et 702. 4. — Causas, cur Cicero Epicuri disciplinam sectamque sit insectatus (III. 88, 116. ex.), plures in medium protulit Harles ad Fabricii *Bibl. Gr.* Vol. III. p. 585. — *Bardili* epistolas de his ll., I. p. 12. n. 1. laudatas, continuavit in Hauffii *Zeitschr. für klass. Lit.* (Tubingae 806. 8.) Vol. I. P. I. — Praetermittimus libellos, iam memoratos, (I. p. 13. n. 4.) Lilii, (I. p. 16. n. 1. ex.) G. F. van Linden, (II. 431. ex.) Thorbeckii et (I. p. 18. n. 1.) Francisci Binkes (16 gr.), quorum bini posteriores reperiuntur etiam in *Annal. Acad. L. B. ab a.* 1817. *ad a.* 1818. 4. atque alios quosdam, laudatos in Harlesii *Introduct.* etc. *ed. alt.* II. p. 162. s. *Brev. not.* p. 165. e. *Supplem.* P. I. p. 261. s. et P. III. (a Car. Frid. Henr. Klügling, V. D., conscripta) p. 227. — Iulii Caes. Scaligeri commentariorum, a *Mausaco* edendorum, mentio iniicitur in Claudii Sarravii *epistolis* p. 56. ed. pr. — *Ge. Cassandri Anntt. in tres ll. Cic. de off. Leon. Bapt. de Albertis trivia in locum Cic. lib. II. de Off. Petr. Ioh. Olivarius in Cic. moralem Philosophiam* et alia multa MSS. servantur in *bibl. publ. Lugd. Bat.* V. eius *Catalog.* (*L. B.* 1674. 4.) p. 411.

Io. Henr. Boecleri περὶ τοῦ καθήκοντος *Praef.* ad S. Ambros. *de officiis* (Argent. 654. 12.) legitur etiam in eius *Diss. Acadd.* T. III. p. 486. — Obtrectarunt Ciceroni praeter Calcagninum (v. n. 35. 59.) I. Levellus in l. *Le discernement de la vraie et de la fausse morale*, recus. in ei. op. *La Philosophie moderne par demandes et réponses* Paris. 698. 12. T. IV. de quo libello refert Basnagius Bellovallius in Hist. operum erud. Gallice edita Amst. 695. m. Aug. p. 555. — H. Buffierius in *Cours des sciences* Paris. 732. f. p. 1231. s. et III. philosophaster quidam in *Act. philoss.* (Hal. 728. 8.) P. IX. p. 442. ss.

De *versionibus* v. Harlesii *Introd.* II. p. 135. *Brevior not.* p. 155. o. *Supplem.* P. I. p. 239. p. 242. 245. II. 497. — *Hispanicas* indicat Ebert, V. D. n. 4614. — *Lusitanice* vertit Petrus, dux Conimbricensis. — *Italice* hi libri prodierunt Ven. 544. 8. et saepius; post alios interprete Andr. Lud. de Silva Florent. MDCCLVI. f. (* L. in b. s.) et Ven. 765. 8. V. Ebert n. 4636. ss. — Lat. et Gallice Paris. 586. — *Le livre Tulle des offices translaté en fr. par D. Miffant* ib. ap. *le Noir* 502. et 509. 4. — ex versione Bernardi Girardi Blesis 560. — *Les offices de Ciceron, traduits en fr., sur l'édition Latine de Graevius, avec des notes et des sommaires des chapitres. Par M. du Bois,* Paris. 691. Hagae Com. 692. 8. deinde iterum in-12. Par. 704. (* D.) 725. 729. (* D.) Metaphrasis satis bona atque elegans, Latinis e regione positis. — Iid. ll. *en latin et en fr., revus sur les textes les plus corrects*, Paris. 758. 12. *par de Barret. Seconde éd. retouchée avec soin*, Par. *Barbou*, 768. et 76. 12. (fr. 2. 75 centim.) facit etiam vol. VII. corporis *Oeuvres philosophiques de Cicéron*, Par. *Didot* iun. 796. 16. — *Des devoirs ouvrage traduit de M. T. Cic. avec le texte à côté, la vie de Ciceron, des notes et une table des matieres, par E. Brosselard* Par. 791. *Sec. éd.* 801. 2 vol. 12. (fr. 5.) Habentur etiam exx. in chart. membran. Valde laudat hunc interpretem Laharpe in *Mercure françois*. Cf. *Ienaer A. L. Z.* m. *Dec.* 793. n. 265. Alios intt. nominat Ebert n. 4665. ss. cf. 4641. Ex parte huc referri possunt *Pensées morales de Cic., recueillies et publiées par M. Lévesque*, Par. 782. 18. V. Harlesii *Suppl.* I. p. 255. — *Germanica* post antiquiores, de quibus v. Ebert n. 4689. s., periphrasis Io. Ge. Walkii post interpretis mortem prodiit sub tit. *Einleitung z. natürl. Sittenbrauch der drey Bücher Ciceronis de officiis*, Lips. 698. 8. — Compendium eorum sub titulo Evangelii Gentilium Io. Hackmann adiunxit *Ethicae* suae, rec. Helmst. 710. 8. Alia epitome exhibetur in M. Gotl. Stollii *Historie der Heydn. Morale* Ienae 714. 4. §. CLXXVIII. p. 512 — 556. — Parum accurata versio haec est: *Der M. T. C. drey BB. v. den menschl. Pflicht m. Anmerkk. u. dessen Leben v. I. Adolph Hofmann. Hamb.* 727. 742. 8. *N. Ausg. v. I. Chph. Gott-*

scheden ib. 758. 8. mai. etiam in chart. script. Aliquanto melior est Heinzii versio c. not. Lemgov. 770. 8. cuius novam ed. ad I. 11, 36. pr. laudavimus. Tandem Friderici II., Borussor. Regis, iussu prodiit venustissima, sed paullo liberior interpretatio: *Abhandlung üb. d. menschl. Pflichten in drei Büchern aus d. Lat. des M. T. C. übers. v. Christi. Garve*, Vratisl. *Korn* 783. 87. 88. 92. 8. *Fünfte vollständ. Ausg.* 801. et novo tit. 806. ed. VI. 819. pp. XXVIII. 250. 8. mai. Acc. iisdem annis ib. renovatae *Philosophh. Anmerkk. u. Abhandll. zu C.'s BB. v. d. Pflichten v. Chr. Garve. Anm. z. d. Erst. B.* pp. 244. *Anm. z. d. Zw. B.* pp. 184. *Anm. z. d. Dritt. B. Sechste m. einigen Anmm. u. einer Abhandl. üb. die Verbindung der Moral mit d. Politik vermehrte Ausg.* pp. 223. et 112. 8. mai. 2 thal. 4 gr. In notis non tam interpretem agit (nam ultra ipsum Tullium sapit), quam ipse suo Marte acutissime atque ingeniosissime disputat, e Ciceronis sententiis, tamquam e germinibus quibusdam, a sua ipsius philosophia fecundatis, eliciens novas. Paullo astrictior et ad sensum passim accuratior, sed minus compta videtur versio, animadvv. quibusdam acutissimis, quibus plerisque castigatur Garve, instructa: *M. T. Cicero v. d. Pflichten aus der Urschrift übers. mit philologisch krit. Anmm. v. Ioh. Iak. Hottinger*, Thuregi ap. Ziegler. 800. II. vol. Pauciora, quam ipsius eruditioni atque elegantiae permissum erat, nec nisi leviora correxit Cel. Bremii modestia in altera ed., quae uno vol. 820. 8. prodiit, minore pretio venalis, sed minus nitida. Elegantissimam interpretationem inchoaverat Breyer, cuius particulae exhibentur in Hagenii *Materialien zu Uebungen in d. Cic. Schreibart. Dritte Samml.* Erlang. 798. 8. p. 96. ss. — *Anglicis* versionibus aliis omissis, memoramus *Tully's Offices in three Books by Sr. L' Estrange*, Lond. 680. 81. 84. 88. 99. 720. 8. mai. Nov. interpres est Cartney, de quo v. Harles in *Suppl.* II. p. 498. Ebert n. 4699. — *Belgica* versio auctore Diet. Coornhart prodiit iam 589. 8.

CORRIGENDA.

T. I. in *Praef.* p. XIV. lin. 6. a fin. deleatur „*Vix*" cum 5 vss. proximis.

— P. 94. l. 1. „*dederitis*".

— P. 140. l. 1. „exercitatione".

— P. 279. ab ima l. 10. „sacerdotium".

— P. 200. in *n.* 2. ab in. delentor, quae de *Servii* loco e Danielis MSS. monita sunt.

T. II. p. 2. ult. „Becher l. infra p. 54. citando".

— P. 9. text. l. paenult. „inutile".

— P. 75. l. 9. a fin. „[illegible]".

— P. 85. l. 26. a fin. pro „LIX". leg. „L*II*X".

— P. 145. n. 1. lin. 4. leg. „In seqq. intelligitur C. *Pontius*, Eutropio X. 9, 4. cognominatus *Telesinus*, Herennii F."

— P. 252. l. 20. a fin. dele exemplum e Curtio.

— P. 279. text. l. 4. „celare".

— P. 308. l. ult. „*Act. II. in Verr.* L. I. c. 15."